BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 K 44 H 8

Digitized by Google

TRACTATVS
DE SACROSANCTA
CHRISTI INCARNATIONE,

Alijsque præcipuis Vitæ Chriſti, & Beatiſsimæ Virginis Mariæ Myſterijs.

AVCTORE

MARTINO BONACINA

Vtriuſque Signaturæ Referendario.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.

D. FRANCISCVM

CARD. BARBERINVM.

CVM PRIVILEGIO.

8.44.H.?



BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESV

MEDIOLANI,

Apud Hæredes q. Pacifici Pontij, & Ioan. Baptiſtam Piccaleum, Impreſſores Archiepiſcopales. M. DC. XXIX.

Digitized by Google

ILLVSTRISS.MO ET REVERENDISS.MO D.

D. FRANCISCO BARBERINO CARDINALI AMPLISSIMO,

Sanctiſſimi D.N. VRBANI VIII. Pontificis, Maximi ex Fratre Nepoti.

Martinus Bonacina Felicitatem.

AGESILAO dicebat quis, Perſarum Regem, qui tunc temporis imperabat, ex hoc maximè felicem eſſe, quod iuuenis regnum accepiſſet. Hanc gratulandi formam vſurpare de te merito poſſunt, Illuſtriſſime Princeps, quotquot poſt delatum Sanctiſſimo Auunculo Ortodoxę Reipublicæ, totiusque Eccleſiæ Gubernaculum temet in illo ętatis flore ad ſacrarum dignitatum faſtigia euectum, præcipuumque Imperij clauum dirigen-

Digitized by Google

gentem vident. Sed etſi pleriquę felicitatem ex dignitatis, & auctoritatis amplitudine, & diuitiarum affluentia metiuntur; quia tamen illa plerumque fortunæ bona reputantur, in quibus ſors magnum momentum habet; *Et fortuna*, teſte Q. Curtio, *quos ſibi vni credere coegit, magna parte auidos gloriæ magis, quàm capaces facit*; Ideò præpoſtera hæc vulgi iudicia mecum reputans (Alexandri Macedonum Regis teſtimonio, illum Imperio dignum dumtaxat vocitantis, qui ſciat imperare) natum te regni faſtigio, ac *purpuram in humeris, annulumquè in digitis habentem*, prout de Romanis antiquitus vſurpabatur, exiſtimaui, vbi cognoui primæuam ætatis indolem productam in eruditiorum virorum theatrum non diſpares genio; & expectationi fructus produxiſſe, in maxima felicium ingeniorum; pietatemque affectantium vbertate talem ſe exegiſſe, cui ad ſummas quasque dignitates aditum aperiret morum elegantia, literarum ſcientia, rebus dexterrimè agendis prudentia, ac ſingularis imperio adminiſtrando ſapientia. Enimuerò quidquid in illo rerum biuio, ac diſcrimine quaſi diuinans coniectabat animus, occupata hac regni pace comprobauit euentus. Cæteri viritim alias in te demirantur virtutum, ac diſciplinarum amœnitates, ex te Principis exemplum petunt.

Lib. 4. Hiſt.

Ego

Digitized by Google

Ego etſi ſummum in omni literarum genere virum, ſapientiam ipſam hoſpitam in intimo cordis penu habentem reor; at in hoc ſuſpicio maximè, quod vario curarum, & ſtudiorum onere fatigatus, quidquid in pietate, ac cœleſtium cultu magis ſolidi eſt, tuam facis exercitationem. In medijs quaſi dominationis ſeceſſibus Chriſtum perpetuò, ac Deiparam eius Virginem præ oculis habens, ab illis dirigendarum actionum normam petis, cum ijs negotia confers, ex ijs conſilia exquiris, ab ijs quaſi lenia, ſed certiſſima quæris curarum tuarum oblectamenta. Diuulgata hæc non Romæ ſolum, ſed paſſim apud ſanioris iudicij viros de tua pietate opinio multis iam tibi titulis debitam, ac obligatam impulit voluntatem meam, qua Tractationes haſce de Chriſto Incarnato, deque Sacratiſſimæ eius Matris Vita à me conſcriptas tuo nomini inſcriberem, & tamquam carum tibi pignus offerrem. Erit quod animum à grauiſſimis Eccleſiæ, & Principum curis, artiumque ſtudijs parumper leues, quem huc defigens pluſculum hoc in genere à prima iuuenta exercitatum ſpecie contemplationis oblectes, meque pro virili tuis deſiderijs ſubſeruientem, ac publicis commodis conſulentem effuſiſſima liberalis animi tui benignitate foueas, ac tuearis. Cælites benè faxint præcipuo

huius

huius æui ornamento; teque grauiſſimum San-
ctiſſimi Hierarchæ pondus ex parte ſuſtinentem
diutiſſimè ſoſpitent.
Romæ Idibus Maij M. DC. XXIX.

IL-

Digitized by Google

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.

D. FRANCISCO BARBERINO

CARDINALI.

Ad Tractationes

D. Martini Bonacinæ, De Vita, ac Myſterijs Chriſti, & Deiparæ ſemper Virginis.

Auguſtinus Terzagus S.T. D. Prothonot. Apoſt., Canonicus S. Thomæ Mediolani.

Pontificis facunde Nepos, Romana propago,
AEtherei ſuppar ponderis, alter Atlas.
Purpureum virtus vt primum texuit oſtrum,
Et tibi honorato murice tinctus apex.
Sydereum ciuem BONACINA agnouit, & inquit,
Relligio hoc gliſcit principe, cana fides.
Præſule te rerum facta eſt pulcherrima Roma,
Et Tyberis placidè ſub tua iura fluit.
Vndè ſed hauſiſti formandis moribus artem?
An cum Cæligenis aſtra dedere loqui?
Hoſpita FRANCISCO viſa eſt Sapientia; quiſquis
Hunc, BONACINA, colit, næ tua ſcripta legit.
Scipiadæ quod erat ſaxum, Caro myſtica Chriſti eſt;
Eſt tibi Virgo, Numæ quod fuit AEgeria.

Digitized by Google

Al P. Fr. Luca Vuadingo à S. Iſidoro, ſe vuol far gratia di riueder la preſente opera, e darne il ſuo parere in ſcritto.

Fr. Nic. Rid. Maeſtro di Sac. Pal. &c.

VIDI ex commiſſione Reuerendiſs. P. Fr. Nicolai Ridolfi Apoſtolici Palatij Magiſtri *Tractatum de Sacroſancta Chriſti Incarnatione, alijſq; præcipuis Vitæ Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ Myſterijs* à Reuerendiſs. D. MARTINO BONACINA conſcriptum, nihilq; in eo reperi à Catholica fide alienum, aut bonis moribus diſſonum, ſed omnia doctè, luculenter, & ſolidè digeſta, & quidquid boni Authores ſparſim, & diffusè ſcripſerunt, totum facili, & clara methodo, prout eſt doctiſſimi Authoris in ſcribendo felicitas, hic congeſtum. Opus proindè vtile iudico, & typis dignum; quod ſi euulgetur, in magnum cedet ſtudioſorum emolumentum. Ita viri docti mecum iudicabunt. In quorum fidem &c. In Collegio S. Iſidori Fratrum Minorum Hibernorum in Vrbe. Idibus Nouembris 1628.

Fr. Lucas Vuaddingus Sac. Theol. profeſſor, & prædicti Collegij humilis Guardianus.

Imprim. Fr. Nic. Rid. Sac. Pal. Mag. &c.

Imprimatur Fr. Paulus Maria Ritius Commiſs. S. Officij Mediolani.

Al. Boſſius Can. Ord. Theol. pro Illuſtriſs. D. Card. Archiep.

Viſum pro Excellentiſsimo Senatu.

Saccus, &c.

TRACTATVS
DE SACROSANCTA
CHRISTI
INCARNATIONE,

Aliiſque præcipuis vitæ Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ Myſterijs.

TRACTATIONEM iſtam in tres diuidam Diſputationes. Prima erit de Beatiſſima Virgine, & nonnullis alijs, quæ Incarnationem præceſſerunt. Secunda de ipſomet Incarnationis Myſterio. Tertia de præcipuis Chriſti Myſterijs ſubſequentibus Incarnationem, vt de Natiuitate, Paſſione, Reſurrectione, Aduentu ad Iudicium, & de Statu Mundi, & hominum poſt Iudicium.

Digitized by Google

DISPVTATIO PRIMA.

De Beatiſſima Virgine Maria Chriſti Matre, & nonnullis alijs Incarnationis Myſterium antecedentibus.

DISPVTATIONEM iſtam in quinque diuidam Quæſtiones. In I. agam de Conceptione, & Natiuitate Beatiſſimæ Virginis. In II. De ipſius gratia, & exemptione à peccatis. In III. De ſcientia, & cognitione. In IV. De Annunciatione, Virginitate, & Maternitate. In V. De morte, & Aſſumptione.

QVÆSTIO PRIMA.

De Conceptione, & Natiuitate Beatiſſimæ Virginis.

IN hac quęſtione primo loco explicabo. An Beatiſſima Virgo naturali modo concepta fuerit, qua naturali perfectione, & quomodo. Secundo ex quibus parentibus, ex qua Tribu, & Stirpe.

PVN-

Punctum Primum.

An B. Virgo Maria naturali modo concepta fuerit, quâ naturali perfectione, & quando.

1 *Maria Virgo naturali modo concepta fuit.*
2 *Mariæ Virginis corpus in ſua ſpecie, & ſexu fuit maximè perfectum.*
3 *Maria Virgo nunquam morbo, aut contagioni obnoxia fuit.*
4 *Maria Virgo magna corporis pulchritudine ornata fuit.*
5 *Maria Virg. anima perfectiſsima fuit.*
6 *Maria Virgo quo anno, & die concepta, & nata fuerit.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 BEATISSIMA Virgo naturali modo concepta fuit. Ratio eſt primo, quia hæc eſt traditio, & vniuerſalis conſenſus Eccleſiæ, nec quicquam in contrarium ex Scriptura, vel ex Concilijs colligitur. Secundò, quia hoc fuit ſingulare priuilegium Chriſti, vt ex fœmina ſine vllius viri ope conceptus ſit. Luc. 1. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi, quod enim ex te naſcetur. ſanctum vocabitur filius Dei.* Ergo Beatiſſima Virgo naturali modo concepta fuit, alioquin illud non eſſet ſingulare Chriſti priuilegium.

Obijcies primo, dictum fuit Ioachimo in deſerto exiſtenti, vxorem ſuam concepiſſe. Ergo Beatiſſima Virgo non videtur concepta naturali modo, cùm videatur concepta abſente Patre ſuo Ioachimo.

Reſpondeo negando conſequentiam, non enim dictum fuit Ioachimo, vxorem ſuam concepiſſe ſine ſuo ſemine. Vt benè Epiphanius hæreſi 78. in fine. & 79. circa medium, & alij apud Suarez to. 2. diſp. 2. ſect. 1.

Obijcies ſecundò, Auguſtin. lib. 23. contra Fauſtum refellit, & reprobat Hiſtoriam de parentibus Beatiſſimæ Virginis. Ergo Beatiſſima Virgo non videtur habuiſſe parentes; & conſequenter concepta non videtur naturali modo.

Reſpondeo illam Hiſtoriam ab Auguſtino reijci, quatenus Fauſtus aſſerebat Ioachimum Patrem Beatiſſimę Virginis fuiſſe Sacerdotem ex tribu Leui, quod non eſt admittendum, cum fuerit ex tribu Iuda, vt conſtabit ex dicendis pun. prox. ſeq.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 CORPUS Beatiſſimæ Virginis in ſua ſpecie, & ſexu fuit maximè perfectum. Ratio eſt primò, quia medium debet eſſe accommodatum fini, & materia effectui; ſed cõceptio, & formatio corporis Beatiſſimæ Virginis fuit medium, & materia, per quam formatum fuit Corpus Chriſti, quod omni perfectione excelluit. Ergo Corpus Beatiſſimæ Virginis fuit maximè perfectum. Secundò, quia maxima fuit ſimilitudo inter Chriſtum, & Beatiſſimam Virginem, non ſolum in moribus, verum etiam in perfectione corporis; id enim non ſolum decebat, verum etiam con-

ducebat ad conciliationem mutui amoris. Idq; Beatæ Brigittæ per reuelationem ſignificatum fuiſſe habetur lib. 1. cap. 50. & 51. reuelationum. Ita Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 2. ſect. 2. col. 1.

3 Ex quo infertur primo ab aliquibus, Beatiſſimam Virginem nunquam vero, & proprio morbo laboraſſe, & ipſius corpus nulli contagioni, aut corruptioni obnoxium fuiſſe; ſic enim poſtulabat perfectio corporis ipſius coniuncta cum magna animi moderatione, & quiete. Ita Sophorinus, Caietanus, & Galatinus, quos citat, & ſequitur Suar. loco citato contra Abulenſem cap. 12. Leuit. quæſt. 13.

4 Secundò, Beatiſſimam Virginem magna corporis pulchritudine ornatam fuiſſe. Tum quia pulchritudo ſequi ſolet corporis perfectionem. Tum quia ipſi accōmodātur illa verba Cant. 5. *Tota pulchra es amica mea*. Imò multi Doctores ſentiunt Beatiſſimam Virginem tali, ac tanta pulchritudine præditam fuiſſe, vt intuentes ad caſtitatem alliceret, concupiſcentiæ motus extingueret, & integritatis inſigne conferret, quod tamen peculiari gratiæ Beatiſſimæ Virgini à Deo collatæ, iure meritò adſcribit S. Thom. in 3. diſt. 3. quæſt. 1. art. 2. queſtiuncula 1. ad 4. nam id fieri non poteſt ſola corporis pulchritudine, & decore, & modeſtia.

5 Tertiò, Animam Beatiſſimæ Virginis perfectiſſimam fuiſſe. Tum quia anima ſequi ſolet corporis perfectionem. Tum quia excellentior eſt perfectio animæ perfectione corporis; ſed decebat, vt Beatiſſima Virgo prædita eſſet perfectione corporis. Ergò multò magis decuit præditam fuiſſe perfectione animæ.

TERTIA PROPOSITIO.

6 Beatiſſima virgo concepta fuit iuxta Satianum, anno Mundi 4037., aut potius iuxta Gordonum, & alios, quos referā de Conceptione Chriſti, anno 3085. die autem octaua Decembris eiuſdem anni. Nam à die Conceptionis ad diem Natiuitatis interceſſerunt nouem Menſes, vt communiter fatentur Doctores. Sed Natiuitas Beatiſſimæ Virginis contigit iuxta Gordonum, & alios octaua die Septembris anno 3086. Ergo neceſſe eſt, vt Conceptio facta fuerit octaua die Decembris præcedentis anni, quæ dies anniuerſaria celebratione Conceptionis colitur ab Eccleſia. Quo autem die hebdomadæ concepta, vel nata fuerit ignoratur. Vide Barradium lib. 6. c. 5. Tannerum diſp. 2. quæſt. 2. dub. 6. num. 135. Suar. diſp. 2. ſect. 2. initio, & alios, quos infrà referam de Conceptione Chriſti.

Punctum Secundum.

Ex quibus parentibus, & ex qua Tribu, ac Stirpe orta fuerit Beatiſſima Virgo.

1 *Maria virgo concepta fuit ex Ioachimo, & Anna.*

2 *Maria V. orta fuit ex Tribu Iuda, & familia Dauid tam ſecundum lineam maternam, quam ſecundum*

dum lineam paternam.
3 *Maria Virgo deſcendit à Dauide per Salomonem, non per Natan.*
4 *Conceptio Beatiſſ. Virg. Mariæ diuinitus prænunciata fuit parentibus.*
5 *Mariæ V. nomen parentibus reuelatum fuit.*
6 *Mariæ nomen quid ſignificet.*
7 *Maria Virgo nata fuit in Nazareth.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 CErtum eſt Beatiſſimam Virginem conceptam fuiſſe ex Ioachimo, & Anna per ſeminalem generationem; ſic enim communiter tradunt Patres, Doctores, & Hiſtorici: & quamuis Anna ſterilis eſſet, nihilominus in ſenectute Beatiſſimam Virginem præuia oratione concepit; ſed non ſine miraculo; nam fœmina ſenex, & ſterilis non poteſt ſine miraculo fœtum ex ſene viro concipere. Confirmatur ex ſignificatione nominis, quia nomen, Anna, gratiam ſignificat; Ioachim verò vertitur, dominus firmabit, ſeu ſuſcitabit. Ita Damaſcen. apud Suar. diſp. 2. ſect. 1. 3. par. tom. 2.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 BEatiſſima Virgo orta fuit ex tribu Iuda, & familia Dauid, non ſolum ſecundum lineam maternam, verum etiam ſecundum paternam. Probatur, tum ex multis Scripturæ locis, vt Heb. 7. *Manifeſtum eſt enim, quod ex Iuda ortus ſit Dominus noſter*, & alibi. Tum quia iuxta communem loquendi modum, quilibet aſſequitur nomen illius familiæ, cuius erat Pater; ſed Pater Beatiſſimæ Virginis fuit Ioachim ex tribu Iuda. Ergo Beatiſſima Virgo fuit ex tribu Iuda. Tum quia Matthæus cap. 5. deſcribere volens genealogiam Chriſti, recenſet ſolum genealogiam, & originem Ioſephi, quia explicata tribu, & familia viri, explicata etiam cenſebatur tribus, & familia vxoris; in lege enim antiqua vir, regulariter loquendo, ducere debebat vxorem ex eadem tribu, & cognatione, ſeu familia ſua, vt expreſſe habetur Num. 36.

Obijcies primò, Beatiſſima Virgo cognationem habuit cum Eliſabeth. Lucæ 1. *Ecce Eliſabeth cognata tua*, & infra, *Et vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Eliſabeth*; ſed Eliſabeth fuit ex tribu Leui. Ergo etiã Beatiſſ. Virgo fuit ex tribu Leui.

Reſpondeo negando conſequentiam; potuit enim Beatiſſima Virgo cognationem habere cum aliena tribu, etiam ſi ipſa eſſet ex tribu Iuda, & ex ſtirpe Regia Dauidis; nam fieri poteſt, vt Anna Mater Beatiſſimæ virginis eſſet ex tribu Leui, aut ipſa Anna, vel Ioachim haberet Matrem ex tribu Leui, aut mater Eliſabeth eſſet ex tribu Dauid; quamuis enim fœminæ nubere deberent viris ſuæ tribus, & familiæ, vt iam innui: nihilominus aliquibus de cauſis oppoſitum fieri poterat, vt patet exemplo Dauidis, qui cum eſſet ex tribu Iuda, duxit Michol filiam Saul de tribu Beniamin. Vide Vaſquez to. 2. diſp. 127. cap. 2. nu. 10. & ſeqq. & cap. 7. num. 81. Suarez tom. 2. d. 2. ſect. 3. Tannerum tom. 4. diſp. 2. dub. 1. num. 4. & ſeqq. & Ianſenium cap. 3.

capitulo 3. Concordiæ Euangelicæ.

Obijcies ſecundò, Beatiſſima Virgo nata eſt in Ciuitate Nazaret, quæ Ciuitas erat in Galilea, & ad tribum Iuda non pertinebat. Ergo Beatiſs. Virgo nata non eſt ex tribu Iuda.

Reſpondeo Beatiſſimam Virg. ortam eſſe ex tribu Iuda, etiamſi nata ſit in Galilea, quæ erat extra Iudæam, nam Iudæi, qui ex Babilonica captiuitate redierunt poſt diſperſionem tribuum, domicilia, & domos obtinueruut extra Iudæam. Ita Abulenſis Matth. 2. q. 88. & Suarez 3. p. quæſt. 30. diſp. 9. ſect. 5. ad finem, Vaſq. & alij.

3 Quæres primò, vtrum Beatiſſima Virgo deſcenderit à Dauide per Salomonem, an per Natan (plures enim filios habuit Dauid, & licet Salomon vocetur vnigenitus, Prouerb. 4. tamen nomen vnigeniti, aut accipitur pro primogenito, eo quod Dauid tunc alium non haberet primo genitum, præſertim tempore infantiæ, de quo Salomon ibi loquitur, aut ita dicitur, eo oquod Salomon vnice diligeretur, ac ſi Dauid nullos alios haberet filios, vt benè Suarez loco citato ſect. 3. col. 9. Becanus, & alij communiter)

Reſpondeo deſcendiſſe à Dauide per Salomonem. Ratio eſt primò, quia hæc eſt communis Patrum, & veterum Scriptorum ſententia, quã etiam Africanus in Epiſtola ad Ariſtidem fatetur ſe accepiſſe à cognatis Chriſti ſecundum carnem. Secundò, quia communis Patrum, & fidelium opinio inualuit, Chriſtum, & Beatiſſimam Virginem per regalem lineam Salomonis, & aliorum Regum originem duxiſſe. Ita S. Ambroſius lib. 3. in Lucam cap. 1. Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 15. Maldonatus in cap. 1. Matth. Vaſq. tom. 2. diſp. 127. cap. 5. Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 1. dub. 1. num. 13. & alij. Contra Caniſium lib. 1. de Beatiſſima Virgine cap. 3. Suar. diſp. 2. ſect. 3. aſſert. 3. & nonnullos alios recentiores.

Ex quo ſequitur Beatiſſimam Virginem, & Ioſephum habuiſſe aliquẽ ſtipitem propinquiorem, quam Dauidem, quis autem hic fuerit, ignoratur. Quamquàm multi Doctores putant Ioſephum quarto ſolum conſanguinitatis gradu abfuiſſe à Beatiſſima Virgine in linea tranſuerſa.

Obijcies, Mattheus, & Lucas non conueniunt in recenſenda genealogia; nam Matth. cap. 1. deducit genealogiam Ioſephi à Dauide per Salomonem. Lucas verò cap. 3. deducit genealogiam Chriſti ab Helí, ibi, *Ieſus erat incipiens annorum quaſi triginta, vt putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli*. Ergo neceſſe eſt dicere Matthæum deſcripſiſſe genealogiã Ioſephi; Lucam verò genealogiam Beatiſſimæ Virginis, à qua verè deſcendebat Chriſtus. Conſequenter dicendum videtur Ioſephum, & Mariam non deſcendiſſe à Dauide per Salomonem; ſed Ioſephum per Salomonem; Beatiſſimam verò Virginem per Natan, Helí, & alios, conſequenter etiam communem proximiorem ſtipitem Ioſephi, & Beatiſſimæ Virginis fuiſſe Dauidem.

Reſpondeo Mattheum, & Lucam non eſſe diſcordes, neque vnum referre genealogiam Ioſephi, alterum Beatiſſimæ Virginis, ſed vtrumque genealogiam Ioſephi. Mattheus recenſet

cenſet parentes naturales Ioſephi, & Lucas enumerat parentes legales, ſeu cognatos eiuſdem Ioſephi; nam illa particula, *Qui fuit Heli*, non poteſt referri ad Chriſtum, ſed ad ipſum Ioſephum. Tum quia Chriſtus non potuit dici filius Heli, ſed Nepos. Tum quia illa particula, *qui*, in præcedentibus ſemper accommodatur proximiori. Ergo etiam in hoc caſu. Vide Vaſquez, Tannerum, & alios præcitatos Doctores, qui in hac difficultate operôſiùs, & diutiùs laborant.

4 Quæres ſecundò, vtrum Conceptio Beatiſſimæ Virginis diuinitus prænunciata fuerit parentibus.

Reſpondeo id veriſimile eſſe. Ratio eſt, tum quia ſi conceptio Iſahac, & Ioannis Baptiſtæ diuinitus reuelata fuit, veriſimile quoque eſt Parentibus Beatiſſimæ Virginis Mariæ id conceſſum fuiſſe. Tum quia ita ſentiunt Patres, Damaſcenus, Epiphanius, & alij apud Suar. diſp. 2. ſect. 1. col. 2.

5 Addo nõ ſolum conceptionem ipſam, ſed etiam nomen Beatiſſimæ Virginis, Parentibus ipſis reuelatum fuiſſe; ſicut enim nomen Iſahac reuelatum fuit Abrahæ Geneſ. 17. & nomen Ioannis Baptiſtæ reuelatum fuit Zachariæ. Ita Veroſimile non eſt Parentes Beatiſſimæ Virginis hoc priuilegio priuatos fuiſſe.

6 Maria in Hebraica, aut Siriaca lingua, latinè redditur, & explicatur, Stella Maris, ſeu Domina: ex Hieronimo lib. de nominibus Hebraicis, Damaſceno lib. 4. cap. 15. & alijs; S. Ambroſius lib. de Inſtitut. Virginis cap. 5. ait hoc nomen ſignificare, Deus ex genere meo plena. Alia nomina adſcribuntur, & accomodantur Beatiſſimæ Virgini, vt Thorus, Thalamus, Tabernaculum, Templum Dei, Nubes leuis, Cœlum Dei, Apoſtolorum Magiſtra, Mater viuentium, & alia quæ percenſentur à Concionatoribus Verbi Dei.

7 Quæres tertiò, vbi nata fuerit Beatiſſima Virgo Maria.

Reſpondeo natam fuiſſe in Nazareth, Pago Galileæ.

QVÆSTIO SECVNDA.

De exemptione à peccato, & de gratia Beatiſsimæ Virgini collata.

IN hac Quæſtione primo loco explicabo, An Beatiſſima Virgo ſine originali peccato concepta fuerit. Secundò, An Iuſtitiam originalem habuerit, & magnam gratiæ ſanctificantis copiam. Tertiò, An tantum gratiæ gradum aſſecuta fuerit, vt nec venialiter peccauerit. Quartò, An habuerit fomitem peccati. Quintò, An habuerit gratias gratis datas.

Punctum Primum.

An B. Virgo Maria ſine originali peccato concepta fuerit.

1 *Maria V. peccauit in Adamo, atque adeò debitum habuit contrahendi peccatum originale.*
2 *Peccati originalis debitum quid ſit.*
3 *Maria V. re ipſa non contraxit peccatum originale.*
4 *Maria V. nata fuit ſine peccato.*
5 *Diſputatio de Conceptione Beatiſſimæ Virginis an licita ſit remiſſiuè.*

DE hac re ex profeſſo egi in tractatu de Legibus diſp. 2. q. 1. puncto 3. nihilominus quia huius etiam loci propria eſt, non videtur ſilentio inuoluenda. Quamobrem duo præcipuè agam. Primo An Beatiſſima Virgo peccauerit in Adamo, & habuerit debitum incurrẽdi peccatum originale. Secundò, An re ipſa peccatum originale contraxerit, vel potius ſine vllo peccato concepta fuerit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 BEatiſſima Virgo Maria peccauit in Adamo; conſequenter debitum habuit contrahendi peccatũ originale. Ratio eſt primò, quia Beatiſſima Virgo redempta fuit à Chriſto; omnes enim homines mortui erant in Adamo, & omnes viuificantur in Chriſto 1. Cor. 5. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur*, & 2.

Co-

Digitized by Google

Corint. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergò omnes mortui ſunt*. Sed intelligi non poteſt, quomodo B. V. redempta fuerit, niſi prius mortua eſſet; cum autem mortua non eſſet actuali infectione peccati originalis, dicendum eſt ipſam fuiſſe mortuam peccato Adami, & obligatione ad contrahendum peccatum originale.

Secundò, quia hoc pacto facilè explicantur multa Scripturæ, & Sanctorum teſtimonia, quibus indicatur Beatiſſimam Virginem debito originalis peccati obnoxiam fuiſſe.

Tertiò, quia omnes contrahunt peccatum origiale, niſi quis ſpeciali Dei priuilegio excipiatur; Sed hoc neceſſariò ſupponit debitum contrahendi peccatum originale. Ergo omnes habent debitum contrahēdi peccatum originale. Ita Bellarmin. lib. 4. de ſtatu peccati cap. 16. Valentia 1. 2. quæſt. 21. pun. 2. & 3. par. tom. 4. diſp. 2. quæſt. 1. pun. 2. verſ. tertio, Vaſquez 3. par. tom. 2. diſp. 115. cap. 3. Azor 1. par. lib. 4. cap. 34. quæſito 3. Beccanus de Incarnat. cap. 28. quæſt. 1. Henriquez lib. 3. cap. 11. §. 3. Tannerus tom. 2. diſp. 4. quæſt. 7. dub. 2. n. 62. & ſeqq. Suarez, & alij, quos retuli de peccato originali in tract. de legibus, & alij contra nonullos alios apud præfatos Doctores, præſertim apud Vaſquez loco citato cap. 1.

Obijcies, intelligi non poteſt, quomodo Beatiſſima Virgo extiterit in rerum natura cum debito peccati originalis, ſine originali peccato; ſi enim in primo inſtanti conceptionis habuit gratiam, quomodo potuit habere debitum, & ſi habuit debitum, cur non habuit peccatum originale; alioquin Beatiſſima Virgo in aliquo ſaltem inſtanti extitiſſet ſine peccato originali, & ſimul ſine gratia, ſicque dici non poſſet concepta in gratia.

Reſpondeo Beatiſſimam Virginem habuiſſe debitum peccati originalis, non quia in rerum natura fuerit in aliquo inſtanti temporis, vel naturæ, in quo re ipſa non habuerit gratiam, vel in quo ſubiecta fuerit peccato originali; ſed quia ſicut prius prioritate naturæ concipitur exiſtere ſubiectum, quam accidens, ita Beatiſſima Virgo prius prioritate naturæ concipitur extitiſſe, & fuiſſe homo, quam fuerit Sancta, & immaculata; conſequenter ſicut in primo inſtanti naturæ non concipitur infecta peccato, ita neque concipitur prædita gratia, ſed obnoxia debito peccati originalis, vt bene Tannerus loco citato num. 63. Vaſquez, & alij.

2 Quæres quid ſit hoc debitum contrahendi peccatum originale.

Reſpondeo eſſe neceſſitatem quandam incurrendi peccatum, quam proles habet, prout pendet à talibus cauſis, ex quibus peccatum originale poſito diuino pacto neceſſario incurrendum eſt, niſi à Deo impediatur; hoc autem debitum nihil aliud eſſe videtur, quam reſpectus rationis, ſeu extrinſeca denominatio, quam proles habet in ordine ad tales cauſas producturas ipſam prolem cum tali defectu, & hoc debitum tam conuenit proli ante animationem, quam in ipſo inſtanti animationis. Ita Vaſquez 3. parte tomo 2. diſput. 116. cap. 5.

numero 50. & ſeqq. & DD. ſupra citati.

SECVNDA PROPOSIAIO.

3 Beatiſſima Virgo re ipſa non contraxit originale peccatum. Ratio eſt primò, quia præſeruari potuit à peccato originali, & decuit ipſam præſeruari, cum in Dei Matrem eligenda eſſet, & hoc priuilegium primis parentibus, & Angelis dignitate inferioribus conceſſum fuit, cum ipſi in gratia creati fuerint, ergo B. V. re ipſa à peccato originali præſeruata fuit. Hæc conſequentia probatur, tum quia hac potiſſimum argumentandi ratione vtuntur Doctores ad probanda Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis priuilegia, quæ in ſcriptura expreſſe non habentur, & de quibus nulla contingit probalis dubitatio. Tum quia Auguſtinus. 3. de libero arbitrio ait, *Quod tibi vera ratione melius occurrerit, id ſcire debemus feciſſe Deũ*.

Secondò, quia Beatiſſimæ Virgini accomodantur illa ſcripturæ Verba Canticor. 5. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*.

Tertiò, quia communi fidelium conſenſu colitur Conceptionis dies, & celebratur ipſius officium, quod à Pio V. & à Clemente VIII. confirmatum fuit.

Quartò, quia Concilium Trident. ſeſſ. 5. loquens de peccato originali ait, *Suæ intentioni non eſſe, Beatiſſimam virginem comprehendere, dum loquitur de originali peccato*.

Quintò, quia nonnulli Pontifices, vt Iulius II. & Leo X. approbarunt ordinem Religioſum Monialium ſub titulo Immaculatę Conceptionis, in cuius regula cap. 2. Iulius II. vocat conceptionem immaculatam, idem eſſerit Leo X. in bulla confirmationis.

Sextò, quia aliquibus in locis nullus ad Doctoratum promoueri poteſt, niſi iuret in hanc ſententiam.

Septimò, quia Deus diſpenſauit cum Beatiſſima Virgine Maria in alijs legibus, vt in illa, *In dolore paries filios*, & in illa, *In puluerem reuerteris*. Ergo diſpenſauit etiam in lege peccati, in qua maior ſuberat diſpenſandi ratio. Ita Vaſquez, Suarez, Valentia, Tannerus, & alij locis ſupracitatis, omiſſis ijs, quos ego retuli de peccato originali in tract. de legibus diſp. 2. quæſt. 1. pun. 3. num. 3. & pluribus alijs apud Vaſq. 3. par. diſp. 117. cap. 2. vbi Scotum, & alios viginti DD. adducit, aſſeritque hanc eſſe communem fidelium ſententiam.

4 Ex quo patet à fortiori, Beatiſſimam Virginem Mariam ſine peccato natam fuiſſe, vt patet; tum ex allatis rationibus. Tum quia nonnulli inferioris dignitatis homines hoc priuilegium conſecuti fuerunt, vt Ieremias Ieremiæ 1. & S. Ioannes Baptiſta Lucæ. 1. Ergo à fortiori idem conceſſum videtur Beatiſſimę Virgini Mariæ. Tum quia communi Eccleſiæ ſenſu, & auctoritate anniuerſaria ipſius Natiuitatis dies publica ſolemnitate celebratur; id autem non fieret niſi Beatiſſima Virgo Maria ſine originali peccato orta fuiſſet. Ita communiter Doctores, quos magno numero refert Vaſquez 3. par. tom. 2. diſp. 114. cap. 2. & ſeqq.

An

An autem ſententia defendens Immaculatã Virginis conceptionem definiri poſſit tamquam dogma fidei, iam explicaui in tract. de legibus diſp. 2. quæſt. 1. pun. 3 vbi docui definiri poſſe, quamquam nullus poteſt hanc ſententiam tamquam certam de fide ſuſtinere, donec declaretur ab Eccleſia, quæ eſt infallibilis regula veritatis, & à Spiritu Sãncto regitur, & gubernatur. Vide Vaſquez 3. par. tom. 2. diſp. 117. cap. 14. num. 146. & ſeqq.

Obijcies contra ſecundam Propoſitionem primo. Hoc eſt peculiare priuilegium Chriſti, vt conceptus ſit ſine peccato, iuxta illud, *Quod naſcetur ex te ſanctum*. Ergo Beatiſſima Virgo decorata non fuit hoc priuilegio, alioquin derogatum videretur priuilegio, & prærogatiuæ Chriſti.

Reſpondeo Chriſtum intrinſecè, & ex vi ſuæ conceptionis fuiſſe Sanctum: cum enim humanitas Chriſti eſſet vnita Verbo, & Chriſtus ab inſtanti conceptionis eſſet beatus, non poterat vllum in ſe peccatũ habere; Beatiſſima autem Virgo non fuit Sancta ex vi ſuæ conceptionis, ſed ex priuilegio Dei.

Obijcies ſecundò, pœnæ peccati originalis ſunt mors, morbus, & ſimilia, ſed hęc fuerunt in Beatiſſima Virgine. Ergo etiam in ipſa fuerit peccatum originale, cum pœna ſupponat culpam.

Reſpondeo pęnas peccati fuiſſe in Beatiſſima Virgine, non quia re ipſa contraxerit peccatum originale; ſed quia peccauit in Adamo, & habuit debitum incurrendi peccatum originale. An autem ipſa in morbum inciderit, aliqui affirmant, aliqui negant. Vide dicta quæſt. 1. pun. 1. num. 3.

Obijcies tertiò, ſi Beatiſſima Virgo Maria non contraxit peccatum originale, ſequitur ipſam, ſi ante Chriſtum mortua fuiſſet, ſtatim viſuram Deum, cum non haberet impedimentum; hoc autem videtur falſum, quia Chriſtus ianuam cælorum omnibus aperire debebat.

Reſpondeo negando ſequelam; nullus enim Deum videre poterat, donec per Chriſti mortem aperiretur cælorum via, niſi fortè cum aliquo Deus diſpenſaſſet. An autem Deus cum Beatiſſima Virgine diſpenſaturus fuiſſet, alij aiunt, alij negant; Vtraq; opinio probabilis eſt; ſed nihil certi ſtatui poteſt; quia pen det à libera voluntate Dei.

Obijcies quartò, *Omnes Deum offendunt*, Paraliponen. 6. & Iacobi 3. *In multis offendimus omnes*, & Chriſtus dicitur mortuus pro omnibus, 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur*. Ergo etiam Beatiſſima Virgo viuificata fuit; conſequenter prius mortua fuerat per peccatum.

Reſpondeo omnes offendere Deum, niſi ſpeciali priuilegio præſeruentur, ſicut præſeruata fuit Beatiſſima Virgo; quæ etiam dicitur viuificata, non quia peccatum originale contraxerit, ſed quia habebat debitum illud contrahendi, ſed re ipſa illud non contraxit ob præuiſa Chriſti merita, vt infra oſtendam.

5 Hic diſputare poſſem, Vtrum licitum ſit publicè, aut priuatim diſputare de Conceptione Beatiſſimæ Virginis. Sed de hac re ſufiſſimè diſ-

Digitized by Google

differui in tractatu de cenſuris in particulari, vbi, cenſuras hac occaſione editas abundè ſatis explicaui, ad ibi dicta me remitto.

Punctum Secundum.

An Beatiſſima Virgo habuerit iuſtitiam originalem, & magnum gratiæ iuſtificantis gradum.

1 *Maria V. ſimpliciter loquendo non habuit Iuſtitiam originalem.*
2 *Maria V. magnam gratiæ ſanctificantis copiam accepit.*
3 *Maria V. accepit virtutes infuſas ſimul cum gratia ſanctificante.*
4 *Maria V. accepit gratiam ſanctificantem proprijs actibus iuxta probabilem ſententiam.*
5 *Maria V. ſemper in gratia profecit.*
6 *Maria V. quomodo in gratia profecerit.*
7 *Maria V. an ſemper profecerit in gratia abſque vlla interruptione.*
8 *Maria V. tantum gratiæ gradum accepit, vt homines, & Angelos ſuperarit.*
9 *Maria V. an tantum gratiæ accepe rit, vt omnes homines, & Angelos collectiuè ſumptos ſuperaret, incertum eſt, & Authori probabilis videtur opinio negatiua.*

EX dictis in præcedenti puncto num. 3. colligitur Beatiſſimam Virginem Mariam in inſtanti conceptionis habuiſſe gratiam ſanctificantem, peccato originali incompoſſibilem. Hic modo explicandum eſt. Primò, An habuerit iuſtitiam originalem. Secundò, An receperit gratiam ſanctificantem in magno perfectionis gradu, & ad illum ſe proprijs actibus diſpoſuerit. Tertiò, An proceſſu temporis profecerit in gratia, ita vt maius augmentum acceperit. Quartò, An tantum gratiæ gradum aſſecuta fuerit, vt omnes homines, & Angelos ſuperauerit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 BEatiſs. V. Maria, ſimpliciter, & abſolutè loquendo, non habuit iuſtitiam originalem. Ratio eſt quia iuſtitia originalis non ſolum includebat gratiam ſanctificantem, & alios habitus gratiæ annexos, verum etiam impaſſibilitatem animę, & corporis, excludentem triſtitiam, timorem, & alias animi, & corporis moleſtias, in Beatiſſima autem Virgine non fuit impaſſibilitas animi, & corporis; conſequenter ſimpliciter, & abſolutè loquendo dici non poteſt in ipſa fuiſſe iuſtiam originalem, quamquam dici poteſt ipſam habuiſſe iuſtitiam originalem quo ad præcipuos, & quaſi formales ipſius effectus. Ita Antonius Corduba lib. 1. quæſt. 46. opinione 1. Vaſquez 3. par. tom. 2. q. 27. diſp. 119. cap. 2. num. 16. Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 4. ſect. 6. Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 1. dub. 2. num. 49. contra Caniſium lib. 1. de Beatiſſima Virgine cap. 9. Caietanum, Durandum, & alios apud Caniſium, Suarez, Vaſquez, & apud alios præcitatos Doctores.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 BEatiſs. Virgo Maria accepit gratiã ſanctificantẽ in magna co-

Digitized by Google

copiã, & perfectione. Ratio eſt primo, quia, quo forma perfectior eſt, eo perfectiorem requirit diſpoſitionem; ſed gratia ſanctificans fuit veluti diſpoſitio, vt Beatiſſima Virgo idonea redderetur ad maternitatem Chriſti, quæ, vt multi ſentiunt, maxima fuit dignitas, & priuilegium ſuperans, & excedens dignitatem gratiæ, & gloriæ, ad quam reliqui homines, & Angeli euecti fuerunt. Ergo Beatiſſima Virgo gratiam ſantificantem accepit cum magna copia, & perfectione.

Secundò, quia Beatiſſimæ Virgini tantum gratiæ præſtitum fuit, vt de cætero non peccaret, nec mortaliter, nec venialiter, quod nulli alteri præſtitum eſſe legitur. Ergo Beatiſſima Virgo Maria gratiam in magno perfectionis gradu accepit.

Tertiò, quia par erat, vt quæ in Reginam omnium Angelorum, & hominum, & in Matrem Dei ſanctificabatur, ſupra omnes ſanctificaretur. Ita S. Thomas 3. par. quæſt. 27. art. 5. & 6. Vaſquez loc. cit. cap. 1. num. 5. verſ. cæterum, Suarez loco citato diſp. 4. ſect. 1. verſ. tertio, Tannerus loco citato num. 25. Valentia. 3. par. tom. 4. diſp. 2. pun. 5. & alij.

3 Addo Beatiſſimam Virginem ſimul cum gratia ſanctificante accepiſſe virtutes infuſas, non ſolum theologicas, videlicet fidem, ſpem, & charitatem, verum etiam morales, videlicet prudentiam, iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem, aliaſq; ipſis annexas. Ratio eſt, tum quia iſtæ comitantur gratiam ſantificantem, & faciunt ad perfectum iuſtitiæ ſtatum in homine iuſtificato. Tum quia nullum gratiæ donum denegatum fuiſſe videtur Beatiſs. Virgini, quod alteri cõceſsũ fuerit; ſed huiuſmodi gratiæ conceſſæ fuerant Adamo, & Euæ. Ergo etiam conceſſæ fuerunt Beatiſſimæ Virgini Mariæ, quæ altiori modo fuit mater viuentium, quam Eua; imò fuit mater omnis gratiæ, & virtutis. Addo etiã præfatas virtutes accomodatas, & proportionatas fuiſſe quo ad intenſionem, & perfectionem ipſi gratiæ ſanctificanti; nã proprietates reſpondent formæ, & effectus cauſæ. Vide Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 4. ſect. 2. Tannerum loc. citato num. 27. & alios præcitatos Doctores.

4 Quæres, Vtrum Beatiſſima Virgo aſſecuta fuerit primam gratiam ſanctificantem proprijs actibus more adultorum, ſeu an ab inſtanti ſuæ conceptionis, ſeu animationis ſe diſpoſuerit ad primam gratiam ſanctificantem recipiendam.

Reſponderi probabiliter poteſt affirmatiuè. Ratio eſt, quia negandum non videtur Beatiſſimæ Virgini priuilegium, quod alijs datum fuit; ſed Ioanni Baptiſtæ datum fuit, vt proprio actu, & conuerſione ad Deum ſanctificaretur, præuio excitantis gratiæ auxilio, vt multi Doctores colligunt ex loco illo Lucę 1. *Exultauit in gaudio Infans in vtero meo*. Ergo etiam Beatiſſima Virgo proprio actu ſanctificata fuit, anticipato rationis vſu. Ita Caietanus 3. par. quæſt. 27. art. 3. Viguerius Inſtitut. cap. 5. §. 3. & alij, quos citat, & ſequitur Suarez quæſt. 27. diſp. 4. ſect. 7. concluſ. 1. Vaſquez diſp. 119. cap. 3. num. 17. & ſeqq. contra S. Thomam quæſt. 27. art. 3.

&

& alios, aſſerentes fuiſſe ſpeciale priuilegium Chriſti, vt ſtatim ab inſtanti conceptionis vſum haberet liberi arbitrij.

TERTIA PROPOSITIO.

5 Beatiſſima Virgo ſemper in gratia profecit, & maius gratiæ augmentum accepit, etiam poſt Incarnationem diuini Verbi. Ratio eſt, quia Beatiſſima Virgo, quandiu vixit, erat in via, & non in termino. Ergo gaudere debebat priuilegio viatorum, qui iugiter in via progredi, & proficere poſſunt. Ita S. Thomas quæſt. 27. art. 5. Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 18. ſect. 1. & ſeqq. Vaſquez 3. par. tom. 2. quæſt. 27. diſp. 119. cap. 5. num. 41. vbi ait hanc ſententiam hoc tempore apud Theologos eſſe extra controuerſiam, Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 1. dub. 7. num. 39. & alij communiter, quicquid Scotus in 4. diſp. 4. quæſt. 6. & alij in contrarium.

Obijcies primò, Deus potuit ab initio conferre Beatiſſimæ Virgini totam gratiam, quam præuidit fore, vt ipſa ſuis meritis promereretur, & hoc arguit magnum in Beatiſſimam Virginem liberalitatis ſignum. Ergo negare non debemus ita factum fuiſſe.

Reſpondeo negando conſequentiam, vt patet ex ratione in tertia propoſitione allata; ſic enim poſtulat ſtatus viatoris.

Obijcies ſecundò, Beatiſſima Virgo ab inſtanti conceptionis fuit plena gratia, ſicque ab Eliſabeth ſalutata fuit. Ergo non profecit in gratia; vas enim tunc plenum dicitur aqua, dum nihil aquæ amplius recipere poteſt.

Reſpondeo Beatiſſimam Virginem vocatam fuiſſe plenam, non quia tota ipſius capacitas completa eſſet, ſed quia magnam gratiæ copiam habebat, ſicq; gratiæ plenitudo pro abundantia accipiebatur, vt infra in ſimili dicam de Chriſto; ita Vaſquez loco citato num. 49.

6 Quæres primò, quomodo Beatiſſima Virgo in gratia profecerit.

Reſpondeo duobus modis profeciſſe, primo ex opere operantis, videlicet per operationes ſupernaturales in gratia elicitas; quilibet enim homo in gratia Dei exiſtens promeretur gratiæ, & gloriæ augmentũ per actiones ex charitate factas, vt nunc ſuppono ex dicendis de gratia cum communi Doctorum ſententia; Idemque in terminis docent Albertus Magnus, & Anton. quos ſequitur Vaſquez diſp. 119. cap. 6. num. 50. & ſeq. & Suarez 3. parte tom. 2. diſp. 18. ſect. 1. vbi de hac re fusè diſſerunt.

Secundò profecit ex opere operato, id eſt recipiendo gratiam vltra propriam diſpoſitionem per vſum ſacramentorum. Ratio eſt, quia Beatiſſima Virgo multa ſuſcepit Sacramenta. Ergo recepit gratiam ipſorum; non enim debuit eſſe deterioris conditionis cæteris; Antecedens probatur, nam Beatiſſima Virgo primò accepit remedium illud quod pro fœminis antiquæ legis inſtitutum fuit ad delendum peccatum originale, & per modum operis operati conferebat gratiam, vt patet ex dictis de circũciſione. Idemq; in

in terminis docent Suarez loco cit. ſect. 3. ſub initium, Vaſquez loc. cit. cap. 7. num. 59. & alij.

Secundò, accepit baptiſmum iuxta probabiliſſimam multorum Doctorum ſententiam poſt Euthijmium in Ioann. 3. aſſerentem Petrum, & Beatiſſimam Virginem baptizatos fuiſſe à Chriſto; reliquos vero Apoſtolos baptizatos fuiſſe à Petro. Ratio eſt quia Beatiſſima Virgo capax illius fuit.

Tertiò, accepit Sacramentum Euchariſtiæ. Tum quia capax illius erat. Tum quia magnum extat pręceptum de Euchariſtia ſumenda.

Idem de Sacramento Confirmationis docent Vaſquez loco citato num. 67. Suarez loco citato ſect. 3. Tannerus loco citato num. 42. & alij. Imò Suarez loco citato, Tannerus num. 43. Henriquez lib. 3. c. 11. num. 7. & alij idem affirmant de Sacramento extremæ vnctionis, quia illius capax eſſe videbatur, vt colligitur ex ijs quæ tradidi de Sacramentis diſp. 7. quæſt. vnica pun. 5. num. 13. Contrarium ſuſtinent Vaſquez loco citato cap. 8. num. 74. Tannerus num. 43. & alij apud Vaſquez. num. 68. & apud Suarez ſect. 3. verſ. ſolum igitur, quorum opinio probabilis eſt.

De reliquis Sacramentis, videlicet, pœnitentia, ordine, & matrimonio maior certitudo exiſtit apud Doctores; certum enim eſt Pœnitentiæ Sacramentum à Beatiſſima Virgine ſuſceptum non fuiſſe defectu materiæ; nam hoc Sacramentum inſtitutum fuit pro lapſis poſt baptiſmum, & materia iſtius Sacramēti remota ſunt peccata poſt baptiſmum commiſſa; Beatiſſima autem Virgo nullum vnquam commiſit peccatum. Preterea Beatiſſima Virgo Sacramentum ordinis non ſuſcepit, quia fœminę ſunt illius incapaces. Denique non ſuſcepit Sacramentum matrimonij, quia licet verè matrimonium cum Ioſepho contraxerit; matrimonium tamen tunc temporis inſtitutum non erat in Sacramentum, vt benè Vaſquez loco citato cap. 7. num. 61. Suarez loco citato ſect. 3. verſ. alterum, Tannerus loco citato num. 42., & alij communiter.

7 Quæres ſecundò, Vtrum Beatiſſima Virgo ſemper nouum gratiæ gradum meruerit, nulla per ſomnum, vel naturalem quietem intermiſſione facta, atq; adeo ſemper nouum gratiæ gradum aſſecuta fuerit.

Reſpondeo nihil certi in hac re ſtatui poſſe, cum Antiqui Patres, aut Theologi nihil circa hoc aſſeruerint. Ita Tannerus num. 55. & tanquam certū ſupponere videtur Suar. diſp. 18. ſect. 2. ſub finem. Probabilis tamen eſt ſententia Caniſij lib. 5. capit. 1. de Beatiſſima Virgine, Dioniſij Carthuſiani in illud, *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Alberti, Antonini, & aliorum affirmantium meruiſſe abſque intermiſſione.

An autem Beatiſſima Virgo meruerit per actus merè naturales, vt oſcitationem, nutritionem, & ſimiles, conſtabit ex dicendis de gratia, vbi negatiuè reſpondebo, quia iſti actus proportionem, & condignitatem non habent cum pręmio ſupernaturali. Vide Vaſquez diſp. 19. ca. 6. num. 52.

Digitized by Google

QVARTA PROPOSITIO.

8 Beatiſſima Virgo tantum gratiæ gradum conſecuta fuit, vt ſingulos tam homines, quam Angelos ſuperaret. Ratio eſt primò, quia ita ſentiunt communiter Patres apud Suarez, apud Vaſquez, & apud alios Doctores proximè citandos. Secundò, quia Beatiſſima Virgo exaltata fuit ſuper omnes Choros Angelorum. Ergo maiorem gratiam habuit, quam vllus Angelorum. Tum quia decebat, vt illi, quæ in Reginam hominum, & Angelorum, & in Matrem Dei aſſumpta erat, maior gratia conferretur, quā Angelis, & hominibus. Ita Vaſq. diſp. 119. cap. 11. nu. 1. & ſeqq. Valentia puncto 5. citato. Suarez diſp. 18. ſect. 4. Tannerus n. 44. & alij.

9 Maior difficultas eſt, Vtrum Beatiſs. Virgo nō ſolū plures gratię gradus obtinuerit, quam ſinguli homines, aut Angeli ſeorſim, verum etiam quam omnes collectiuè, ita vt ſaltem in fine vitæ intenſiorem gratiam, ſeu plures gradus gratiæ, & charitatis conſecuta fuerit, quam ſint gradus gratiæ in omnibus hominibus, & Angelis, etiam collectiuè ſumptis, exiſtentes.

Reſpondeo nihil certi ſtatui poſſe; probabilem tamen mihi videri negatiuam ſententiam. Tum quia apud Sanctos Doctores, & apud Antiquos Theologos non legitur tantā gratiam collatam fuiſſe Beatiſſimæ Virgini. Tum quia hoc videtur proprium Chriſti, vt in ipſo plus gratiæ eſſet, quam in omnibus, cum ipſe ſit caput omnium, & per ipſum gratia in omnes immediatè deriuetur iuxta illud Ioann. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus*. Tum quia aliquis fortè mirari poſſet audiendo vnam Virginem plus ſanctitatis habere, quam habeant omnes ſimul Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Euangeliſtæ, Martyres, Confeſſores, Virgines, Cherubim, Seraphim, alijque Angelici ordines. Tum quia ſi Beatiſsima Virgo plus gratię haberet, quam omnes Sancti ſimul, ſequeretur ipſam perfectius videre diuinā eſſentiam, quam videant omnes Sancti, & Angeli ſimul; viſio enim, ſeu beatitudo reſpondet gratiæ, illique cōmenſuratur; ſed incertum eſt, an Beatiſſima Virgo perfectius videat diuinam eſſentiam, quam omnes Sāncti, & Angeli ſimul. Ergo &c. Ita in fortioribus terminis ſuſtinet Becanus de Incarnat. cap. 9. quæſt. 2. num. 15. & Tannerus tom. 4. diſp. 2. q. 1. dub. 2. num. 60. Contra Suarez 3. p. to. 2. diſp. 18. ſect. 4. concluſ. 2. & diſp. 21. ſect. 3. verſ. quarto, vbi idem affirmat de viſione beatifica. Valentiam tom. 4. diſp. 2. quæſt. 1. puncto 5. col. 4. & alios Doctiſſimos Theologos, teſte ipſo Suarez, quorum opinio licet probabilis ſit, non videtur tamen coram populo prædicanda.

Obijcies Beatiſſima Virgo potuit tot actus charitatis, & virtutum elicere, qui ad multitudinem actuum ab alijs Sanctis elicitorū aſcendant; cum Beatiſſima Virgo totam ferè vitam in perpetua contemplatione, & amore Dei tranſegerit. Præterea etiamſi numerus actuum Beatiſſimę Virginis inferior eſſet numero actuū aliorum Sanctorum; potuit tamen in-

inæqualitas numeri compenſari per gratiam Virgini collatam ex opere operato, aut per valorem ipſorum actuum, aut per intenſionem ipſorum actuum.

Reſpondeo, non conſtare, An Beatiſſima Virgo ſpatio ſexaginta trium annorum plures actus elicuerit, quã ſint actus eliciti ab alijs omnibus Sãctis, aut, an plus gratiæ ex opere operato acceperit, vel tam intenſos actus habuerit, qui perfectione ſuperent omnes actus aliorum Sanctorum.

Punctum Tertium.

An Beatiſſima Virgo tantum gratiæ acceperit, vt nullum vnquam, nec veniale quidem peccatum actuale commiſerit.

1 *Maria V. nullum peccatum neque veniale commiſit.*

2 *Maria Virgo habuit potentiam ad peccandum, & peccare potuit antecedenter, & in actu diuiſo, non autem in actu compoſito.*

3 *Maria V. quomodo effecta fuerit impeccabilis conſequenter, ſeu in ſenſu compoſito.*

IN hoc puncto explicabo primò, An Beatiſſima Virgo vnquam peccauerit. Secundò, an peccare potuerit, ideſt, an habuerit potentiam ad peccandum, & vnde factum ſit, vt re ipſa actu nunquam peccaret.

PRIMA PROPOSITIO.

1 BEatiſſima Virgo tantum gratiæ accepit, atq; adeò ita in gratia confirmata fuit, vt nullum mortale, aut veniale peccatum commiſerit. Probatur primò auctoritate SS. Patrum, & DD. Auguſtini lib. 1. de natura, & gratia ca. 36. Bernardi Epiſtola 174. S. Thomæ 3. par. q. 27. art. 4. & aliorum commu niter. Secundò, quia ſic habetur in Trident. ſeſſ. 6. canon. 23. vbi decernitur, nullum iuſtum poſſe in hac vita omnia venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei priuilegio, quemadmodũ de Beatiſſima Virgine tenet Eccleſia. Tertiò, quia Deus ita diſponit, & præparat illos, quos ad aliquid eligit, vt ad id, ad quod eliguntur inueniantur idonei, iuxta illud 2. Corinth. 3. *Idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti*; ſed Beatiſſima Virgo diuinitus electa fuit, vt eſſet mater Dei. Ergo Deus ita illam diſpoſuit, vt eſſet idonea, & digna mater Dei; non fuiſſet autem digna mater Dei, ſi aliquando peccaſſet. Nam ſicut honor parentum in filios redundat, iuxta illud Prouerb. 17. *Gloria filiorum patres eorum*, ita etiam dedecus, & ignominia matris in filios tranſit. Quartò, quia Chriſtus ſingularem habuit affinitatem, & coniunctionem cum Beatiſſima Virgine Maria, à qua carnem accepit; hanc autem affinitatem, & coniunctionem non habuiſſet, ſi illa peccaſſet, iuxta illud 2. Corinthiorum 6. *Quæ conuentio Chriſti ad Belial*. Quintò, quia Chriſtus ſingulari modo habitauit in anima, & in vtero Beatiſſimæ Virginis; in illa autem hoc

modo non habitaſſet, ſi in ea aliqua peccati macula extitiſſet, Sapient. 1. *In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*. Sextò, Quia Beatiſs. Virg. Mariæ accomodari ſolent illa verba Canticor. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*. Ita argumentatur S. Thomas loco citato art. 4. Vaſquez 3. par. diſp. 120. c. 3. & 5. Becanus cap. 28. quæſt. 3. num. 3. Valentia tom. 4. diſp. 2. quæſt. 1. pun. 3. Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 4. ſect. 4. Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 1 dub. 2. n. 31. & alij. Contra Caluinum, Brentium, Kemnitium, & alios Hæreticos.

Obijcies primò, Omnes homines peccauerunt, iuxta illud Iacobi 3. *In multis offendimus omnes*. Ergo etiam Beatiſſima Virgo peccauit, & Deum offendit ob id Eccleſia omnibus præſcribit illam precandi formam, *Dimitte nobis debita noſtra*.

Reſpondeo omnes peccaſſe, & peccare, niſi ſpeciali priuilegio eximantur, ſicut exempta fuit Beatiſſima Virgo, vt in ſimili dictum eſt puncto primo, quamobrem Beatiſſima Virgo non poterat pro ſe ipſa illa verba proferre. *Dimitte nobis debita noſtra*, ſed pro tota Eccleſia, vt benè Becanus loco citato num. 5. Valentia tom. 4. diſp. 2. quæſt. 1. pun. 3. in reſponſione ad primum, Suarez diſp. 4. ſect. 4. obiect. 1. & alij.

Obijcies ſecundò, Beatiſſima Virgo ſæpius peccaſſe videtur, primò per curioſitatem Lucæ 1. cũ Angelum interrogauit, *Quomodo fiet iſtud?* Secundò, per negligentiam. Lucæ ſecundò, dum filium amiſit. Tertiò, per impatientiam Lucæ ſecundo cum dixit, *Fili, quid feciſti nobis?* Quartò, per vanam gloriam Ioan. 2. cum filio dixit, *vinum non habent*, & ob id ab ipſo filio reprehenſa fuit his verbis, *Quid mihi, & tibi mulier?*

Reſpondeo, Beatiſſimam Virginem in his non peccaſſe. Ad primum Reſpondeo id feciſſe ex pia quadam admiratione, & zelo caſtitatis. Ad ſecundum reſpondeo nullam interceſſiſſe Virginis negligentiam, cum probabiliter putaret ipſum eſſe in comitatu, & id diuino conſilio factum ſit, vt ipſe tunc inciperet illa exercere, quæ ad Dei patris gloriam pertinebant. Ad tertium reſpondeo, illa verba prolata fuiſſe ex naturali, & iuſto materni affectus debito. Ad quartum reſpondeo, Beatiſſimam Virginem nõ protuliſſe illa verba ex inani, & vanagloria, ſed ex benigna compaſſione, & fide; præterea verba, quæ Chiſtus matri ſuę reſpondit, non fuerunt obiurgatoria, ſed admonitoria, & inſtructoria; nam primo, hunc ſenſum faciunt, quid ad nos ſpecta? Secundò, quid habeo tecum, vt ad hoc miraculum tenear? Ego enim non ſum purus homo ſubiectus arbitrio, & poteſtati matris, ſed ſublimioris conditionis, cum ſim Deus, & conſequenter independens à voluntate matris. Vide præcitatos Doctores, præſertim Vaſquez cap. 4.

Obijcies quartò, Beatiſſima Virgo fuit pura viatrix. Ergo peccare potuit; poterat enim à via recedere.

Reſpondeo negando conſequentiam.

SE-

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Beatiſſima Virgo habuit potentiam ad peccandum, ita vt antecedenter, & in actu diuiſo potuerit peccare. Ratio eſt, quia non habebat principium intrinſecum, per quod impeccabilis efficeretur, ſicut impeccabilis efficiebatur Chriſt⁹ ratione vnionis hypoſtaticæ, & viſionis beatificæ; conſequenter verò, & in actu compoſito non potuit peccare, quia ſingularem habebat Dei protectionem, & gubernationem, per quam ab omni peccato immunis præſeruabatur; ſicut enim prædeſtinatus antecedenter, & in ſenſu diuiſo poteſt peccare, & cum peccato decedere; conſequenter vero, & in ſenſu compoſito, poſita prædeſtinatione, non poteſt cum morali peccato decedere; Ita Beatiſſima Virgo poſita prædeſtinatione maternitatis non poterat in ſenſu compoſito peccare, licet poſſet in ſenſu diuiſo, ea potentia, quæ nunquam reduceretur ad actum. Ita Vaſquez 3. par. diſp. 120. cap. 2. Suarez loco cit. verſ. ex quo. Tannerus loco citato num. 33. & alij.

Ex quo patet primò, differentia inter impeccabilitatem Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis, quod Chriſtus fuit impeccabilis ab intriſeco ratione vnionis hypoſtaticæ, & viſionis beatificæ. Beatiſſima autem Virgo nullum huiuſmodi principium intrinſecum in hac vita habuit. Secundò, patet differentia inter Beatiſs. Virg. & alios Sanctos, etiã in gratia confirmatos, quod Beatiſſimæ Virgini ratione maternitatis Dei debita erat protectio, per quam immunis, & illæſa ab omni peccato ſeruaretur, quod nullo huiuſmodi titulo cęteris Sanctis etiam in gratia confirmatis debebatur.

Secundò patet, differentia inter Beatiſsimam Virginem, & alios Sanctos etiam in gratia confirmatos, quod Beatiſſimæ Virgini ratione Maternitatis Dei debita erat protectio, per quam immunis, & illęſa ab omni peccato ſeruaretur. Quod nullo huiuſmodi titulo cæteris ſanctis etiam in gratia confirmatis debebatur.

2 Quæres, per quid Beatiſſima Virgo effecta eſſet impeccabilis conſequenter, ſeu in ſenſu compoſito, cum alioquin ipſa eſſet libera, & potentiam haberet ad peccandum.

Reſpondeo effectam fuiſſe impeccabilem per confirmationem in bono, ſeu per ſingularem protectionem, & gubernationem Dei, qui poſita prædeſtinatione maternitatis Dei, ita per gratiam congruam gubernabat Beatiſſimam Virginem, vt eam ab omni peccato immunem, & illæſam ſeruaret. Ita Suarez, Valentia, Tannerus, & alij locis citatis, quamquam aliqui hanc impeccabilitatem conſtituunt in extinctione fomitis, alij in denegatione concurſus Dei ad actum peccati, quia Deus decreuerat non concurrere ad actum peccati. Alij in quadam abundantia, & plenitudine gratiæ. Vide Suarez, Vaſquez, Tannerum, & alios præcitatos DD.

Punctum Quartum.

An Beatiſſima Virgo habuerit fomitem peccati.

1 *Fomes quotuplex ſit.*
2 *Maria V. non habuit fomitem peccati in actu ſecundo.*
3 *Maria V. non habuit fomitem neq; in actu primo.*
4 *Maria V. concupiſcentia, ſeu fomes quomodo extinctus fuerit.*
5 *Mariæ Virginis fomes quandonam ligatus, ſeu extinctus fuerit.*

1 PRæmittendum eſt, fomitem dupliciter accipi, vel in actu primo, vel in actu ſecundo. Fomes in actu primo eſt appetitus ſēſitiuus proximè diſpoſitus ad appetenda obiecta ſenſibilia turpia, & rationi contraria: fomes in actu ſecundo eſt ipſimet motio appetitus ſenſitiui in obiecta ſenſibilia turpia, & rationi contraria. Hoc poſito explicandum eſt prius, Vtrum Beatiſſima Virgo habuerit fomitem in actu ſecundo, deindè an habuerit fomitem in actu primo.

PRIMA PROPOSITIO.

2 BEatiſſima Virgo non habuit fomitem peccati in actu ſecundò. Ratio eſt, quia huiuſmodi fomes dedecet Beatiſſimam Virginem Dei Matrem; nam fomes in actu ſecundo nihil aliud eſt quam inordinata motio, ſeu motus concupiſcentiæ, ſeu appetitus ſenſitiui in obiecta rationi contraria, quæ motiones licet non imputentur ad culpam, niſi adſit conſenſus, nihilominus ex ſe videntur indecentes, cum in obiecta turpia tendant. Ita S. Thomas quæſt. 27. art. 4. Valentia tom. 4. diſp. 2. quæſt. 1. pun. 4. Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 4. ſect. 5. Vaſquez 3. par. diſp. 118. cap. 4. num. 38. & ſeqq. Becanus cap. 28. quæſt. 2. num. 2. Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 1. dub. 2. num. 36. & omnes Sancti Patres teſte Suarez loco citato.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 BEatiſſima Virgo non ſolum non habuit fomitem in actu ſecundo, verum neque in actu primo, vt colligitur ex ratione allata in prima propoſitione.

Obijcies, Beatiſſima Virgo habuit ipſammet potentiam naturalem ſenſualitatis propenſam in omnia obiecta ſenſibilia, atque adeò etiam in illa, quæ ſunt rationi contraria; ſed hic eſt fomes peccati in actu primo. Ergo in Beatiſſima Virgine fuit fomes in actu primo.

Reſpondeo, in Beatiſſima Virgine fuiſſe quidem potentiam ipſam naturalem appetitus ſenſitiui ad omnia obiecta ſenſibilia, ſicut etiam fuit in Chriſto; in ipſa tamen, & in Chriſto non fuit facultas, ſeu poteſtas proxima tendens in obiecta ſenſibilia rationi cōtraria; quia ſicut ſingulariſſima Chriſti gratia impediebat, ne iſta proxima facultas in Chriſto adeſſet; ita peculiaris gratia Beatiſſimæ Virgini collata, aut aliud donum impedire poterat, ne in Beatiſſima Virgine adeſſet. Ita Doctores citati, quorum aliqui, vt

S. Tho-

Digitized by Google

S. Thomas, & alij putant fomitem in actu primo ligatum fuiſſe, alij fuiſſe ſublatum & extinctum.

4 Quæres primò, quomodo ligatus, ſeu impeditus, vel extinctus fuerit fomes in Beatiſſima Virgine, ſeu quomodo impedita fuerit concupiſcentia, & appetitus ſenſibilis, ne proximè diſponeretur ad obiecta turpia rationi contraria, & ne prodiret in actum ſecundum, ac in turpes motiones.

Reſp. id factum fuiſſe ob peculiarem gubernationem diuinæ prouidentiæ; hæc enim quodammodo debita erat Beatiſs. Virg. poſita ipſius electione in matrẽ Dei; hęc aũt peculiaris gubernatio diuinæ prouidẽtiæ conſiſtere poteſt in gratia excitante, & adiuuante ad rectas operationes, in perfectiſſima contemplatione rerum diuinarum, & inſigni charitatis erga Deum feruore, quo poſito appetitus ferri non poterat in turpia obiecta. Ita ex parte Suarez diſp. 4. ſect. 5. Vaſquez diſp. 118. cap. 4. Valentia tom. 4. diſp. 2. quæſt. 1. pun. 4. Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 1. dub. 2. num. 38. Becanus cap. 28. quæſt. 2. num. 3. & alij.

Ex quo licet inferre id factum non fuiſſe, vt aliqui volunt ob excellentiam habitus gratiæ, & virtutum. Ratio eſt, quia non obſtantibus habitibus, ferri poſſumus in obiecta contraria, ſicut enim habitus vitioſi non poſſunt impedire naturalem inclinationẽ ad bonum, ita nec habitus boni poſſunt ſe ſolis impedire appetitũ, ne feratur in obiecta turpia.

5 Quæres ſecundo, quandonam ligatus, ſeu extinctus fuerit fomes in Beatiſſima Virgine, ita vt appetitus ipſius ſenſitiuis ferri non poſſet in obiecta turpia.

Reſpondeo ligatum, & extinctum fuiſſe ab inſtanti immaculatæ conceptionis, ſeu animationis, quo Beatiſſima Virgo ſanctificata fuit. Ratio eſt, quia tunc erat capax iſtius gratiæ, & hoc priuilegium ſuppoſita electione in matrem Dei, debitum ei videbatur, etiam antequam filium conciperet, vt digna mater inueniretur. Ita Suarez, Vaſquez, & Tannerus locis citatis. Contra S. Thomam quæſt. 27. art. 3. & 4. Caietanum, & alios Thomiſtas, aſſerentes fomitem ligatum fuiſſe, dum Beatiſſima Virgo ſanctificata fuit, ſublatum verò, & extinctum fuiſſe, dum Beatiſſima Virgo filium Dei concepit; tunc enim priuilegium prolis redundauit in Matrem.

Punctum Quintum.

An Beatiſſima Virgo habuerit gratias gratis datas.

1 *Maria V. habuit gratias gratis datas.*
2 *Mulieri an conueniat docere populum.*
3 *Maria V. habuit fidem donum ſpiritus ſancti.*
4 *Maria V. habuit operationem virtutum, ſeu miraculorum.*
5 *Prophetiæ donum in Beatiſſima Virgine fuit.*
6 *Maria V. habuit diſcretionem Spirituum.*
7 *Maria V. habuit donum linguarum.*
8 *Maria V. habuit interpretationem ſermonum.*

GRatiæ gratis datæ ſunt iſtæ nouem, nempè, ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, fides, gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum, genera linguarum, interpretatio ſermonum; vt habetur 1. Corinth. 12. Dubium ergo eſt, Vtrum iſtæ omnes gratiæ extiterint in Beatiſſimà Virgine.

VNICA PROPOSITIO.

1 IN Beatiſſima Virgine fuerunt gratiæ gratis datæ. Ratio eſt, tum quia quicquid gratiæ alijs diuiſum, & per partes collatum fuit, totum Beatiſſimæ Virgini cumulatè, & perfectè tributum eſt, ſicut matris Dei dignitatem decebat. Tum quia id patet inductione; primo enim in Beatiſſima Virgine fuit ſermo ſapientiæ, & ſermo ſcientię, quia hæc nihil aliud ſunt, quam facultates, & auxilia accomodata ad exponendas, & cōfirmandas res fidei per cauſas, & rationes ſuperiores, vel inferiores; cum enim Beatiſſima Virgo de rebus fidei agere deberet cū rudioribus, & cum ſapientioribus, opus erat, vt ipſa in ijs intelligendis, & exponendis inſtructa eſſet, vt benè Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 20. ſect. 2. S. Antoninus 4. par. tit. 15. c. 19. §. 1. Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 1. dub. 3. num. 84.

2 Dices non decet ſexum muliebrem docere populum iuxta illud 1. ad Timoth. 2. *Docere mulierem non permitto*. Ergo Beatiſſima Virgo non habuit donum ſapientiæ quantùm ad docendum.

Reſpondeo nō decere ſexum muliebrem docere populum in publica concione; priuatim verò inſtruere aliquem de rebus fidei interdū decet; imò ob ſingularem aliquam rationem licitum eſſe fœminis etiam publicè docere populum, ſuſtinet Rubertus lib. 5. in Cantica, quod etiā à Sancta Maria Magdalena, & à Sancta Catherina Senenſi factum fuiſſe ab aliquibus aſſeritur, idemq; ex diſpenſatione permiſſum fuiſſe videtur Beatiſſimæ Virgini. Verum hoc Ruberti aſſertum, incertum ab aliquibus exiſtimatur.

3 Secundò, in Beatiſſima Virgine fuit fides, nam fides, quæ eſt donum Spiritus Sancti, nihil aliud eſſe videtur, quam peculiaris quædam intelligentia rerum fidei, & facilitas ad illas proponendas, vt etiam à ſimplicioribus, & à rudioribus intelligi poſſint; hoc autem dono indigebat B. Virgo, cum ipſa omnium magiſtra futura eſſet.

4 Tertiò, in Beatiſsima Virgine fuit operatio virtutum, ſeu miraculorum, & gratia ſanitatum, quæ ad gratiam miraculorum reuocari poteſt, nam reſtitutio ſanitatis, quatenus fit pręter naturam, & legem ordinariam, ſeu per gratiam Spiritus Sancti, inter miracula recenſeri debet. Ratio cur hæc dona in Beatiſsima Virgine affirmemus extitiſſe, eſt, tum quia veroſimile eſt Beatiſsimam Virginem, ſaltē poſt Chriſti Aſcenſionem, multa miracula perpetraſſe, & ſanitatem pluribus contuliſſe, vt fides magis confirmaretur, & deuotio in Chriſtum augeretur. Quamobrem corpus Beatiſſimæ Virginis, ſtatim poſt eius obitum, multa miracula præſtitit, & ipſius ſepulchrum effectione miraculorum

lorum illuſtre redditum fuit, teſtibus Damaſceno ſermone 1. de Aſſumpt. Simeone Metaphraſte de vita, & dormitione Deiparæ, Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 20. ſect. 3. ſub fin. & alijs. Tum quia Damaſcenus ſermone 1. de Natiuitate Virginis, vocat illam miraculorum abyſſum, & Andreas Cretenſ. ſerm. de Aſſumpt. vocat illam miraculorum effectricē. Ita Albertus in Mariali, S. Antonin. & Rubertus, quos citat, & ſequitur Suarez loco citato, & Tannerus loco citato nu. 86. contra S. Thomam 3. p. quæſt. 27. art. 5. Caietanum ibid. Valentiam tom. 4. diſp. 2. quæſt. 1. pun. 5.

Obijcies primò, doctrina, & fides tunc temporis confirmanda erat miraculis Chriſti, & diſcipulorum eius, qui erant baiuli doctrinæ Chriſti, inquit S. Thomas loco cit. Ergo Beatiſsima Virgo nulla præſtitit miracula, dum vixit.

Reſpondeo etiam Beatiſsimam Virginem tunc temporis fuiſſe magiſtram fidei, & conſequenter gratiam miraculorum ipſam decuiſſe in gloriam filij, & confirmationem fidei, vt benè Suarez loco citato.

Obijcies ſecundò, ex ſcriptura non habemus Beatiſsimam Virginē, dum vixit, vlla præſtitiſſe miracula. Ergo ſine fundamento aſſerimus ipſam, dum viueret, vlla miracula effeciſſe.

Reſpondeo negando conſequentiam; multa enim vera ſunt, & admittuntur, etiamſi in ſcriptura non exprimantur, vt patet in alijs myſterijs, & traditionibus Eccleſiaſticis.

5 Quartò, in Beatiſsima Virgine fuit prophetię donum, vt communiter ſentiunt Sancti Patres, & Doctores apud Suarez diſp. 20. ſect. 1. conclus. 1. idque colligunt ex illo Cantico, *Magnificat anima mea Dominum*; Lucę 1. vbi Beatiſsimā Virginem prophetico ſermone locutam fuiſſe teſtantur. Imò Suarez ibidem, & Tannerus loco cit. num. 82. iurè merito ſentiunt, Beatiſsimæ Virgini datum fuiſſe illud Spiritus Sancti donum, & auxilium, quod canonico Scriptori conceditur ad canonicam ſcripturam, conſequenter illud Canticum, & ſi quæ alia inuenirentur prolata à Beatiſsima Virgine, inter canonicas ſcripturas enumerarentur.

6 Quintò, in Beatiſsima Virgine fuit diſcretio ſpirituum, ideſt ſpeciale donum Spiritus Sancti, quo diſcernitur, ſeu diiudicatur inter bonum, & malum ſpiritum; an ſcilicet quis ducatur bono, vel malo ſpiritu, ſiue ſit is, qui donum recipit, ſiue alius. Tum quia hoc donum ipſam decebat, cum eſſet omnium magiſtra, & ad ipſam cauſa conſilij omnes confluerent. Tum quia ipſa maximè præſidſit humilitatis gratia, conſequenter ipſius humilitati debitum quodammodo erat hoc donum, vt omnes dęmonum laqueos, & deceptiones agnoſcere, atque adeò ſpiritus diſcernere poſſet; ſola enim humilitas dęmonis laqueos euadit. Ita S. Antoninus, quem citat, & ſequitur Suarez loco citato ſect. 1. ad finem.

7 Sextò, in Beatiſsima Virgine fuit donum linguarum. Tum quia, cum ipſa in die Pentecoſtes cū Apoſtolis exiſteret, dicendum videtur ipſam cum Apoſtolis hoc donum ac-

cepiſſe. Tum quia Beatiſsima Virgo omnibus gratijs abundauit, teſte Athanaſio ſerm. de Deipara. Tum quia hoc donum initio naſcentis Eccleſiæ frequenter communicabatur fidelibus, etiam ijs, quibus prædicandi, & propagandi Euãgelij onus non imponebatur. Tum quia fideles variarum nationum ad Beatiſsimam Virginem confluebant cauſa pietatis, aut inſtructionis, vt ex Patribus, & Hiſtorijs colligitur. Ergo Beatiſsima Virgo hoc Spiritu Sancti dono fulgere debuit, vt & illos intelligere, & ab illis intelligi poſſet, vt benè Suarez loco citato ſect. 2. ad finem, & alij, vbi etiam probabiliter exiſtimant, Beatiſsimam Virginem huius gratiæ vſum habuiſſe, dum Magi Chriſtum adorauerunt, & dum ipſa in Ægyptum peregrinata eſt.

8 Septimò, in Beatiſsima Virgine fuit interpretatio ſermonum, quã aliqui putant conſiſtere in ſpeciali dono, & auxilio Dei ad intelligendam Sacram Scripturam. Probatur, Tum ex ratione in propoſitione allata. Tum quia hæc gratia collata fuit Apoſtolis, & alijs. Ergo etiam conferri debuit Beatiſsimæ Virgini, quæ Apoſtolorum, & aliorum magiſtra futura erat, & cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias. Vide Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 20. ſect. 1. concluſ. 2.

QVÆSTIO TERTIA.

De ſcientia, & cognitione Beatiſſimæ Virginis.

Punctum Vnicum.

An Beatiſs. Virgo aliquam ſcientiam, & cognitionem habuerit.

1 *Maria Virgo omnem illam cognitionem habuit, quæ ſtatui viatorum accommodata eſt.*

2 *Fides Centurionis non fuit abſolutè maior fide aliorum.*

3 *Maria Virgo an in fide profecerit.*

4 *Maria Virgo quomodo in fide, & cognitione profecerit.*

5 *Maria Virgo an cognitione myſteriorum fidei ſuperauerit omnes.*

6 *Maria Virgo ſcientiam Theologicam habuit.*

7 *Maria V. habuit habitus ſciẽtiarũ naturales per accidens infuſos ſcientiam verò per ſe infuſam probabilius eſt non habuiſſe.*

8 *Maria Virgo non habuit ignoran-*

tiam

. . . tiam priuatiuam, aut poſitiuam, ſed ſolum negatiuam aliquarum rerum.

VNICA PROPOSITIO.

1. BEatiſsima Virgo omnem illam cognitionem, & ſcientiam habuit, quæ ſtatui viatorum accommodata eſt, aut quæ conueniens, & neceſſaria erat. Ratio eſt, quia huiuſmodi ſcientia, & cognitio ſtatum Beatiſsimæ Virginis decebat; par enim erat, vt illa, quæ Chriſti, atque adeo Diuinæ Sapientiæ mater futura erat, plena Diuina Sapientia inueniretur. Ita ſentire videntur communiter Patres, & Doctores.

Hinc colligi poteſt primo, Beatiſſimam Virginem præditam fuiſſe fide ſupernaturali, alijſque habitibus intellectualibus, qui gratiam conſequuntur, vt patet ex proxima allata ratione. Addo ipſam his habitibus excultam fuiſſe ea perfectione, & intenſione, quæ perfectioni gratiæ ſanctificantis proportionata eſt; nam proprietates reſpondent perfectioni formæ, & perfectio effectus perfectioni cauſæ. Quamobrem ſicut Beatiſſima Virgo perfectiſſimam gratiam habuit, ita etiam perfectiſſimos habuit habitus comitantes gratiam, præſertim habitum fidei, qui eſt fundamentum iuſtitiæ, & ſanctitatis.

2 Dices fides Centurionis fuit maior fide omnium aliorum iuxta Chriſti teſtimonium Matth. 8. *Non inueni tantam fidem in Iſrael.*

Reſpondeo negando maiorem fuiſſe Centurionis fidem fide Beatiſsimæ Virginis; Chriſtus enim eo loci non comparat fidem Centurionis cum omnibus, & ſingulis, qui in ipſum crediderunt, ſed cum illis, qui fidem ex prædicatione, & miraculis Chriſti conceperant; perſpicuum autem videtur non ſolum fidem Beatiſsimæ Virginis, verum etiam Ioſephi, Annæ, Ioannis Baptiſtæ, & plurimorum aliorum maiorem fuiſſe fide Centurionis; vt bene Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 19. ſect. 1. col. 2. Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 1. dub. 3. num. 63. & alij contra Lutherum.

3 Rogabis primo, Vtrum Beatiſſima Virgo totam fidei perfectionem conſecuta fuerit à principio ſuę ſanctificationis, vel poſtea ſucceſſu temporis in fide profecerit.

Reſpondeo profeciſſe, & conſecutam fuiſſe proceſſu temporis maiorem fidem tam quo ad habitus intenſionem, vt in ſimili ſupra dictum eſt de habitu gratiæ; Verum etiam quo ad extenſionem in ordine ad diuerſa obiecta, ſpeciatim autem quo ad particulares aliquas circunſtantias myſterij Incarnationis, & aliorum, quamuis enim Beatiſsima Virgo fidem habuerit Sanctiſsimæ Trinitatis, & Incarnationis, non tamen agnouit ex qua fœmina Deus carnem ſuſcepturus eſſet, quo loco, & tempore. Ita Doctores citati.

4 Rogabis quibus modis Beatiſsima Virgo in fide, ac Dei cognitione profecerit.

Reſpondeo profeciſſe legendo, & intelligendo vetus teſtamentum, aut per Angelicam Annunciationem, aut per ſpeciales illuminationes, & reuelationes Spiritus Sancti, aut

aut per magiſterium, & doctrinam ipſius Chriſti præſentis, aut etiam miniſterio hominum, aut per multarum rerum experimentum, & obſeruationem, vt benè obſeruant, & probant Tannerus loco citato num. 64. & ſeqq. Suarez diſp. 19. tota ſect. 2. & alij.

5 Rogabis tertio, Vtrum Beatiſſima Virgo ita profecerit in congnitione myſteriorum fidei, vt Apoſtolos, & Theologos omnes ſuperauerit. Reſpondeo affirmatiuè cum Suarez, & alijs DD. proximè citandis. Ratio eſt, tum quia Beatiſsima Virgo habuit fidem, & cognitionem proportionatam ſanctitati, & gratiæ, ſicut autem gratia antecelluit omnibus alijs hominibus, ita etiam fide, & cognitione. Tum quia ita ſentiunt Anſelmus lib. de excellentia Virginis cap. 7. Bernardus, Ambroſius, Euſebius, & alij apud Suarez diſp. 19. ſect. 1. ſub finem. Tum quia Beatiſsima Virgo per antonomaſiam vocatur illuminatrix, deſumpta ſignificatione ab etymologia nominis; nam Maria inter alias ſignificationes, illuminatrix exponitur à S. Bernardo ſermon. 4. in Miſſus eſt, & à S. Hieronimo lib. de nominibus Hebraicis in Exodum. Tum quia ab Ignatio Epiſt. 1. & ab alijs vocatur Magiſtra Apoſtolorum, ab alijs interemptrix omnium hęreſum iuxta illud, quod canit Eccleſia, *Gaude Maria Virgo cunctas hæreſes, interemiſti in vniuerſo mundo*; vocatur autem interemptrix hæreſum, non ſolum quia generando Chriſtum, qui eſt lux illuminans omnem hominem, omnes errorum tenebras fugauit, aut quia ſingulari ratione cunctis fidei defenſoribus, & Doctoribus opem prętat; Verum etiam quia ſingulari modo fuit magiſtra fidei, & ipſorum Apoſtolorum, quorum doctrina omnes hæreſes interimuntur, vt benè Suarez d. 19. ſect. 1. ad finem, Tannerus loco citato num. 69. & alij.

6 Secundò, colligi poteſt Beatiſsimam Virginem habuiſſe ſcientiam Theologicam, qua diſtinctius cognoſcuntur myſteria fidei, & concluſiones, quæ in eis continentur. Ratio eſt, quia hæc ſcientia ſtatui viatorum eſt valdè accomodata, & ad diuinorum contemplationem, & aliorum ſalutem non mediocriter inſeruire poteſt; vt benè ratiocinatur Suarez diſp. 19. ſect. 3. vbi in hanc ſententiam refert S. Bernardum, Anſelmum, & alios.

7 Tertiò, colligi probabiliter poteſt Beatiſsimam Virginem habuiſſe habitu ſcientiarum naturales per accidens infuſos. Ratio eſt, tum quia iſti habitus ad perfectionem ſcientiæ Theologicæ, ad exactam ſcripturarum intelligentiam, & ad ſcientiam rerum agendarum maximè faciunt, tum quia his habitibus præditus fuit Adam. Ergo etiam Beatiſsima Virgo; quicquid enim prefectionis alicui puro homini communicatum fuit, non eſt Beatiſsimæ Virgini ſine fundamento denegandum. Ita S. Antoninus 3. p. tit. 15. cap. 19. §. 2. Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 19. ſect. 5. vbi idem docet de virtutibus moralibus per accidens infuſis. Tannerus loco citato num. 72. & alij. Imò multi Doctores, vt S. Antonin. 4. par. tit. 15. c. 18. §. 2. Bernardinus de Buſto in Mariali

ſerm.

Digitized by Google

ſerm. 2. & 9. & alij apud Tannerum loco citato num. 74. & apud Suarez loco citato ſect. 1. putant Beatiſsimæ Virgini communicatam etiam fuiſſe ſcientiam per ſe infuſam, vt poſſet ſpirituales ſubſtantias, Angelos, & animas, vt in ſe ſunt, cognoſcere, & contemplari; ſicut enim hæc ſcientia fuit in Chriſto, ita etiam decuit eſſe in Beatiſsima Virgine, ne in hac perfectione videretur eſſe Chriſto diſsimilis. Sed oppoſitum mihi probabilius videtur. Tum quia ſcientia per ſe infuſa ſtatui puri viatoris non eſt debita, neque ad perfectionem fidei neceſſaria; cum enim ſit ſupernalis, & eiuſdem ordinis cum fide, imò quoad euidentiam ſuperior fide, inutilis ferè, & otioſa fuiſſet fides. Tum quia de hac ſcientia nulla mentio fit à Patribus, & antiquis Theologis. Ergo non eſt aſſerenda; Et hoc militat non ſolum in ſcientia creata, & per ſe infuſa de rebus ſupernaturalibus; verum etiam de ſcientia per ſe infuſa de rebus naturalibus. Ratio eſt, tum quia ſcientia per ſe infuſa ſuperat naturalem capacitatem intellectus humani, conſequenter non eſt puro homini debita. Tum quia ſcientia de rebus naturalibus per ſe infuſa minus neceſſaria eſt, quam ſcientia de rebus ſupernaturalibus, ſed illam nō habuit Beatiſsima Virgo. Ergo neque iſtam. Ita Suarez loco citato.

Dices, Beatiſsima Virgo habuit aliquando cognitionem ſubſtantiarum ſpiritualium. Ergo habuit habitum, per quem illas cognoſceret.

Reſpōdeo negādo conſequentiā, nam ſi aliquando eas cognouit, id fieri potuit per diuinam reuelationem. Ita Suarez loco citato.

8 Quæres, Vtrum Beatiſsima Virgo habuerit ignorantiam aliquarum rerum.

Pro ſolutione præmitto ignorātiam duplicem eſſe. Prima eſt, poſitiua conſiſtens in errore, & dicitur ignorantia prauæ diſpoſitionis. Secunda dicitur priuatiua, quæ etiam dupliciter diuiditur. Prima eſt priuatiua dicens carentiam ſcientiæ debitæ, aut pertinentis ad ſtatum, & conditionem alicuius, & hæc verè, & propriè vocatur ignorantia. Secunda, dicit ſolam negationem ſcientiæ poſsibilis, non tamen debitæ, aut pertinentis ad ſtatum, & conditionem alicuius, & hęc non dicitur verè, & propriè ignorantia, ſed negatio ſcientiæ. Hoc poſito.

Reſpondeo, & dico primò, Beatiſſimam Virginem non habuiſſe ignorantiam poſitiuam; ſeu errorem. Ratio eſt, primo quia Beatiſsimę Virgini communicata fuit illa perfectio, quæ fuiſſet in ſtatu innocentiæ (excepta impaſsibilitate corporis) nam hæc perfectio decebat Beatiſsimam Virginem; ſed in ſtatu innocentiæ non fuiſſet ignorantia poſitiua. Ergo neque fuit in Beatiſsima Virgine.

Secundò, quia error, & deceptio non minus aduerſari videntur perfecto ſtatui virtutis, quam inordinatus, & inuoluntarius motus fomitis, ſeu concupiſcentiæ. Ita Bartholomeus Medina 3. par. quæſt. 30. art. 1. Suarez tom. 2. diſp. 19. ſect. 6. concluſ. 1. Tannerus diſp. 2. quæſt. 1. dub. 3. num. 77. & alij contra Cordubam lib. 1. quæſt. 46.

Obij-

Obijcies, Beatiſsima Virgo exiſtimabat Chriſtum, qui remanſerat in templo, eſſe in comitatu. Lucæ 2. *Exiſtimantes illum eſſe in comitatu*; ſed hęc fuit ignorantia poſitiua cum errore, & deceptione. Ergo &c.

Reſpondeo, Beatiſsimam Virginem non ſimpliciter,& abſolutè,ſed probabiliter, & veriſimiliter iudicaſſe Chriſtum fuiſſe in comitatu. Id enim importare poteſt illud verbum, *Exiſtimantes*; huiuſmodi autem iudicium probabile non erat erroneum;illud enim iudicium non eſt erroneũ, quod fertur iuxta ſigna, & circumſtantias occurrẽtes. Ita Suarez, & Tannerus locis citatis, alij aliter reſpondent. Rubertus enim lib. 1. in Cantica, aſſerit Beatiſsimam Virginem non ignoraſſe, vbi nam Chriſtus eſſet,ſed id diſsimulaſſe, ac ſi ignoraret,quia erat tempus tacendi, vt fineret Chriſtum officio Doctoris fungi, conſequenter illa verba accipienda ſunt per ſinedoclen, quia proferũtur de multis, & ſolum de aliquo verificantur, atque adeò Ioſeph exiſtimauit quidem Chriſtum eſſe in comitatu, non autem Beatiſsima Virgo. Hæc reſponſio non videtur conformis ſententiæ aliorum Patrum, qui præfata verba abſolutè intelligunt.

Reſpondeo & dico ſecundo Beatiſsimam Virginem non habuiſſe ignorantiam priuatiuam, ſed ſolum negatiuam. Quod non habuerit ignorantiam priuatiuam. Ratio eſt, quia Beatiſsima Virgo nihil ignorauit, quod ipſa ſcire tenerentur. Quod verò aliqua negatiue ignorauerit, patet, quia non fuit neceſſarium, neque conſentaneum ipſius ſtatui, vt omnia ſciret. Quamobrem ante Annuntiationem ignorauit ſe futuram Chriſti matrem, modum conceptionis non callebat (interrogauit enim Angelum *Quomodo fiet iſtud.*) Neque cognoſcebat omnia futura,vel quæ fiebant in loco diſtanti; ſemper tamen interim ſciebat, quæ ad ſuum ſtatum pertinebant. Ita Doctores citati.

Obijcies,Beatiſsimæ Virgini,& Ioſepho dicta fuerũt illa verba Lucæ. 2. *Neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe, & ipſi non intellexerunt*; Si ergo Beatiſsima Virgo præfata verba non intellexit, videtur aliquid ignoraſſe pertinens ad proprium ſtatum, nam Chriſtus de Patre ſuo Æterno loquebatur.

Reſpondent aliqui Doctores præfata verba accipi per ſinedochen,& verificari de Ioſepho. Ego verò reſpondeo Beatiſsimam Virginem ritè percepiſſe illa verba proferri de æterno Patre, licet non perceperit, quænam eſſent illa, in quibus Chriſtum occupari opus eſſet, relictis parentibus,quod arguit ſolum ignorantiam negatiuam, quam in Beatiſsima Virgine admiſi, ſicut etiam in eadem fuiſſe cenſeo admirationem prouenientem ex noua, & inſolita rerum cognitione, & repreſentatione; noua enim cognitio admirationem parere ſolet. Ita Suarez diſp. 19. ſect. 6. ad finem, Tannerus loco citato num. 79. & alij.

An autem Beatiſſima Virgo aliquando Deum in hac vita clarè viderit, affirmat Suarez diſp. 19. ſect. 4. concluſ. 1. Verum quid ego ſentiam, explicabo in prima parte.

Q 2

Digitized by Google

QVÆSTIO QVARTA.

De Annunciatione, Virginitate, & Maternitate Beatiſſimæ Virginis.

IN hac Quæſtione primo loco differam, De Annunciatione Beatiſſimæ Virgini facta per Angelum. Secundò, De ipſius Virginitate. Tertiò, De ipſius Maternitate.

Punctum Primum.

De Annunciatione Beatiſsimæ Virgini facta per Angelum.

1 *Annunciationis myſterium non fuit neceſſario annunciatum Mariæ V. ſed conuenienter.*

2 *Annunciatio conuenienter facta fuit per Angelum.*

3 *Angelus Incarnationis Nuncius quiſnam fuerit.*

4 *Angelus Gabriel Nuntius Conceptionis fuit ille idem, qui apparuit Danieli.*

5 *Angelus Gabriel apparuit Virgini in ſpecie humana, & viſibili.*

6 *Maria Virgo Angelum Nunciantem vidit, non ſolum quo ad externam ſpeciem, verum etiam quo ad naturam, & eſſentiam.*

7 *Annunciatio M. V. quo anno facta fuerit.*

8 *Annunciatio, & conſequenter Conceptio Chriſti, & Incarnatio facta fuiſſe videtur die Veneris.*

9 *Circumciſio facta fuit die Dominica.*

10 *Annunciatio veroſimiliter facta fuiſſe videtur media nocte qua hora Chriſtus natus fuit.*

11 *Annunciatio facta fuit in domicilio Virginis quod modo Lauretana Domus nuncupatur.*

12 *Maria Virgo audito Angelo turbata fuit.*

13 *Mariæ Virg. turbatio quid, & qualis fuerit.*

14 *Apparitionum boni, vel mali Spiritus differentia.*

15 *Maria Virgo ſtatim præſtito conſenſu Angelo Verbum Diuinum concepit.*

IN hoc puncto primo loco explicabo, an neceſſe fuerit, vel decuerit Beatiſſimæ Virgini myſterium Incarnationis, quod in ipſa peragendum erat, annunciari. Secundò, an iſta Annunciatio fieri debuerit per Angelum, & quis fuerit Angelus huius Sacroſancti Myſterij nuncius.

Ter-

Tertiò, vtrum Angelus apparuerit Beatiſſimę Virgini in ſpecie viſibili. Quartò, quo tempore, qua hora, & quo loco facta ſit Annunciatio. Quintò, an Beatiſsima Virgo turbationem acceperit ex hac annunciatione, & vnde iſta turbatio orta ſit. Sextò, an Beatiſſima Virgo ſtatim poſt Annunciationem Diuinum Verbum conceperit, & Incarnatio facta ſit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 NOn fuit ſimpliciter neceſſarium, ſed valdè conueniēs, vt Sacroſanctum Incarnationis Myſterium Beatiſſimæ Virgini Mariæ annunciaretur. Quod non fuerit neceſſarium, patet, quia Deus potuiſſet hoc myſterium in Beatiſs. Virgine perficere abſque præuia manifeſtatione, & non expectato Virginis Mariæ conſenſu; id enim nullam inuoluit contradictionem. Quod verò valdè conueniens fuerit, futurum Incarnationis Myſterium Beatiſſimæ Virgini manifeſtari. Ratio eſt primò, vt mens ipſius de hoc Sacroſancto Incarnationis Myſterio prius inſtrueretur; quam carne conciperet, vel, vt loquitur S. Leo ſerm. 1. de Natiuitate, vt diuinam, & humanam prolem prius conciperet mēte, quam corpore; quamuis enim Beatiſſima Virgo expreſſam iſtius Myſterij fidem antea haberet, non tamen cognouerat hoc myſterium in ipſa, per ipſam, & cum ipſa perficiendum, donec illud ab Angelo accepit. Secundò, vt ipſa nobis eſſe poſſet teſtis, & Magiſtra huius Myſterij. Tertiò, vt Beatiſſima Virgo ad tantum beneficium recipiendum proprijs actibus ſe prępararet, illudque ſumma cum reuerentia, & religione ſuſciperet, quod ab ea factum eſſe ex mirifica ipſius fide, obedientia, humilitate, magnanimitate, ſingulari prudentia, & ſuæ Virginitatis ſollicitudine, quam in Angelica annunciatione præſetulit, & præſtitit, nemini dubium eſſe debet. Quartò, vt Virginis conſenſus eliceretur; cum enim per Incarnationem celebrandum eſſet ſpirituale matrimonium inter filium Dei, & humanam naturam, par fuit, vt conſenſus Virginis loco totius humanæ naturæ per Annunciationem expectaretur. Vt benè ratiocinatur S. Thomas 3. p. tom. 2. q. 30. art. 1. Suarez ibidem in comment. & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 COnueniens fuit Annunciatione huius Sacroſancti Myſterij fieri per Angelum. Primò, quia ita poſtulat ſuauis Diuinæ Prouidentiæ ordo, iuxta quem Diuina per Angelos ad homines perueniunt; par autem non fuit, vt Beatiſſima Virgo ab hoc ordine generalis prouidentiæ exciperetur; quamuis enim ipſa eſſet Angelis dignitate, ad quam eligebatur, ſuperior, tamen conditione naturæ, & ſtatu viatoris erat inferior. Secundò, quia ſicut prauus Angelus acceſſit ad Mulierem ſpiritu ſuperbiæ decipiendam, ita decuit, vt bonus Angelus mitteretur ad Mariam partu diuino conſecrandā. Ob id optimè ait Fulgentius ſerm. de duplici Chriſti Natiuitate; *Venit*, inquit, *ad Euam Diabolus, vt vitam* ma-

Digitized by Google

malignus auferret; Venit ad Mariam Gabriel, vt vitam redderdam hominibus nunciaret. Tertiò, quia Virginitas Matris Dei ita poſtulare videbatur, nam ſemper eſt Angelis cognata Virginitas, & in carne præter carnem viuere, non terrena vita eſt, ſed cœleſtis. Vide S. Thomam quæſt. 30. art. 2. & Commentatores ibidem.

Obijcies, non ſolum per Angelos, Verum etiam per Virum diuina ad Mulierem deferuntur, iuxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 14. *Mulieres in Eccleſijs taceant; ſi quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent*. Ergo Beatiſſima Virgo inſtrui debuit per virum, præſertim cum Ioſeph ſuper hoc ab Angelo inſtructus fuerit.

Reſpondeo primò, Ioſephum non fuiſſe eo tempore de hoc Myſterio inſtructum, ſed prius inſtructã fuiſſe Beatiſſimam Virginem.

Reſpondeo ſecundò, melius, & congruentius fuiſſe, vt Beatiſſima Virgo per Angelum, quam per hominem inſtrueretur, vt patet, tum ex rationibus allatis in propoſit. Tum quia Beatiſſima Virgo antecellebat cæteris hominibus tam perfectione naturæ, quam gratia.

3 Quæres quiſnam fuerit Angelus iſtius Diuini Myſterij nuncius.

Reſpondeo, fuiſſe Angelum Gabrielem, qui eſt Princeps ſecundi Ordinis Archangelorum in vltima Hierarchia. Quod fuerit Angelus Gabriel, manifeſtè cõſtat ex Scriptura, in qua dicitur, *Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem deſponſatã Ioſeph*. Quod hic fuerit Angelus ex ſecundo ordine vltimæ Hierarchiæ, probatur, quia duobus ordinibus vltimæ Hierarchiæ maximè incumbit cura cuſtodiendi homines, & denunciandi ea, quæ ad ipſos homines pertinent; ita tamen vt infimus Angelorum Ordo nunciare ſoleat res inferioris Ordinis. Secundus verò Ordo, qui eſt Archangelorum, in nunciandis altioribus Myſterijs detineatur. Vt hoc clarius intelligatur, obſerua cum communi, & probabiliori Doctorum ſententia, Hierarchiã cœleſtẽ triplicem eſſe; Supremam, Mediam, & Infimã, & in vnaquaq; Hierarchia tres ordines, ſeu Choros aſſignari. In Suprema sũt Seraphim, Cherubim, & Troni. In media Dominationes, Virtutes, & Poteſtates. In infima Principatus, Archangeli, & Angeli; Nuncius igitur Beatiſſimæ Virginis fuit vnus ſecundi Ordinis infimæ Hierarchiæ, quia iſti ad cuſtodiendos homines, & annuncianda altiora myſteria detinentur, nec oportuit Ordinem Hierarchicũ immutari. Exiſtimo tamen iſtum Angelum fuiſſe primum omnium Archangelorum, quia decuit, vt ad annunciandum ſupremum omnium myſteriorum, mitteretur ſupremus eorum, qui ad grauiora myſteria nuncianda deſtinantur, & nunciorũ munere funguntur. Vt benè docet Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 9. ſect. 1. col. 2.

4 Rogabis, Vtrum iſte Angelus Gabriel ſit ille idem, qui apparuit Danieli, Dan. cap. 8. & 9. & qui apparuit Zachariæ Lucæ 1.

Reſponderi probabiliter poteſt affirmatiuè. Ratio eſt primo, quia eodem nomine vocatur; non eſt autem facilè inducenda diuerſitas perſonarum in eodem nomine, niſi ſuf-

ficiens

ficiens ratio ad id faciẽdum cogat. Secundò, quia ita ſentiunt Patres, Hieronimus Danielis 8. Ambroſius ſerm. 63. & alij apud Suar. loco cit.

Obijcies, non videtur decuiſſe, vt ſupremus Archangelus, qui ad ſupremum myſterium nunciandum mittebatur, ad inferiores legationes miſſus fuerit.

Reſpondeo, non decere, vt is, qui miſſus fuit ad nunciandum ſupremũ myſterium, miſſus etiam fuerit ad aliud annunciãdum, prçſertim cum id, quod per Gabrielem alijs nunciatum fuit, ad hoc myſterium ſpecialiterordinaretur; nam Danieli reuelauit Aduentum Chriſti. Zachariæ indicauit proximum eſſe Chriſti Aduentũ, vt colligitur ex illis verbis *Ipſe prçcedet ante illum, ideſt ante Chriſtum, in ſpiritu, & virtute Eliæ.*

TERTIA PROPOSITIO.

5 Angelus Gabriel Beatiſſimç Virgini apparuit in ſpecie humana, & viſibili. Ratio eſt primò, quia Angelus ingreſſus eſt ad Mariam, ipſam allocutus eſt, & ab ea diſceſſit Lucæ 1. *Ingreſſus Angelus ad eam dixit*, & infra, *Dixit autem Maria ad Angelum*, denique diſceſſit Angelus ab ea; ingreſſus autem, & diſceſſus indicant corporalem motum, & mutua collocutio ore fieri ſolet. Secundò, quia cum nunciaretur Incarnatio inuiſibilis Dei, decuit, vt hoc munus præſtaretur ab inuiſibili creatura ſub viſibili forma. Inuiſibilis enim creatura ſub inuiſibili forma quodammodo reprçſentabat eum, cuius Aduentum nunciabat. Tertiò, quia ita ſentiunt S. Ambroſius lib. 1. in Lucam. S. Auguſtinus ſerm. 14. de Natiuitate. S. Hieronimus Epiſt. 22. ad Euſtoch. & alij Patres, quos ſequitur S. Thomas quæſt. 30. art. 3. Suarez ibid. Vaſquez 3. p. tom. 2. diſp. 126. n. 7. & ſeqq. & alij.

6 Quæres, vtrum Beatiſſima Virgo viderit etiã Angelum in ſua ſubſtantia, ideſt non ſolum quo ad externam illam ſpeciem humanam, quam Angelus induerat; verum etiã quoad ſuam naturam, & eſſentiam.

Reſpondeo affirmatiuè. Tum quia nonnullis alijs conceſſum fuit priuilegium videndi Angelos, & animas clarè, & quoad ſubſtantiam. Ergo etiam veroſimile eſt hoc priuilegium conceſſum fuiſſe Beatiſſimæ Virgini, præſertim Annunciationis tempore, vt ipſa magis conſcia eſſet perſonç tantum myſterium annuntiantis. Tum quia decuit, vt Beatiſſima Virgo perfectius videret Angelos, quam viderint Prophetæ, dum ipſis Angeli apparebant. Ita Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 30. ſect. 2. & alij qui etiam obſeruant veroſimile eſſe, vt Beatiſſima Virgo initio non cognouerit Angelum, niſi ſub ſpecie viſibili, poſtea verò eleuata fuerit ad contuendam Angeli ſubſtantiam, dum Angelus ad remouendam ab ea turbationem, ſeu admirationem ait, *Ne timeas Maria*.

Obijcies contra reſponſionem quæſiti, reuelatio Angeli perfectiſſima fuit. Tum propter myſterij magnitudinem. Tum propter ipſius Virginis perfectionem; ſed viſio intellectualis eſt perfectior, vtpotè purior, & abſtractior ab omni ſenſu. Ergo Angelus non apparuit Beatiſſimæ

ſimæ Virgini ſub humana, & ſenſibili ſpecie, ſed viſione ſolum intellectuali.

Reſpondeo, viſionem intellectualem, ſecundum ſe, perfectiorem eſſe imaginaria, & ſenſibili præciſe; non tamẽ ob id obſtare, quin vtraq; ſimul eſſe poſſit, ſicut in Beatiſſima Virgine fuiſſe dixi. Quamobrem Angelus viſibili ſpecie apparuit, & Incarnationis Myſterium verbis annunciauit, quo audito mens Beatiſſimæ Virginis eleuata fuit ad cognoſcendum hoc Myſterium, quantum ratio fidei permittit.

QVARTA PROPOSITIO.

7 ANnũciatio Beatiſſimæ Virginis facta fuit circa annum quater milleſimum à creatione Mundi, iuxta communiorem Doctorum ſententiam, quamuis alij aliter ſentiant, & quidem iuxta computationem Romanorum facta fuit anno quadrageſimo primo Imperij Auguſti. Ita Euſebius lib. 1. Hſtor. cap. 5. Epiphanius Geneſi 51. & 58. Beda lib. de ſex ætatibus, Gordonus tom. 2. Cronolog. apparat. cap. 3. Suarez 3. par. tom. 1. d. 6. ſect. 1. ad finem, Tannerus tom. 4. diſp. 1. quæſt. 1. dub. 4. & alij; facta autem fuit Annunciatio, & Incarnatio die 25. Martij, qua die etiam primus homo formatus fuerat; hæc enim eſt traditio, & communis Eccleſiæ ſenſus ea die celebrantis feſtum Annuntiationis. Ita Vaſquez 3. par. diſp. 126. cap. 3. & alij DD. citati.

8 Quæres primò, quanam hebdomadæ die facta fuerit Annunciatio, & Cõceptio Chriſti, ſeu Incarnatio.

Reſpondeo rem incertam eſſe, quamquam probabilius eſt factam fuiſſe die Veneris. Ratio eſt, tum quia facta fuit eodem die, quo Chriſtus mortuus eſt ex communi Patrum ſententia; conſtat autem Chriſtum mortuum fuiſſe die Veneris. Tum quia nonnulli Patres ſentiunt Chriſtum natum fuiſſe eodem die, quo Adam creatus fuit; Adam autem creatus fuit die Veneris, creatus enim fuit ſexta die pridie ante Sabbatum; cum Chriſtus die Sabbati quieuerit. Tum quia Natiuitas Chriſti facta fuit die Dominica iuxta probabiliorem ſententiam. Ergo opus eſt dicere Chriſtum conceptum fuiſſe die Veneris. Nã ſi vigeſima quinta dies Martij cadit in feriam ſextam, oportebit diem vigeſimam quintam menſis Decembris cadere in diem Dominicum. Ita Sophorinus in Oratione de Natali Chriſti, Euſebius lib. 1. Hiſtorior. cap. 5. & alij, quos citat, & ſequitur Suarez 3. par. tom. 2. d. 12. ſect. 4.

9 Ex quo licet etiam obiter inferre Circumciſionem factam fuiſſe die Dominica; hæc enim facta fuit octaua die poſt Chriſti Natiuitatem. Ita Nicephorus 1. lib. hyſtor. cap. 12. & alij.

10 Quæres ſecundò, qua hora facta fuerit Annunciatio.

Reſpondeo, nihil certi in hac re definiri poſſe, vt benè Vaſquez diſp. 126. cap. 3. num. 22. mihi tamen veroſimile videtur factam fuiſſe media nocte, qua hora Chriſtus natus fuit. Ratio eſt, tum quia hoc pactò Chriſtus nouem completis menſibus in vtero extitiſſet iuxta

Digitized by Google

exigentiam perfectæ conceptionis. Tum quia ad hoc faciunt illa Eccleſiæ verba, *Dum nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cælo à Regalibus ſedibus venit*, quæ verba magis conueniunt Annunciationi, & Conceptioni diuini Verbi, quam Natiuitati Chriſti. Tum quia facilè creditu eſt, Beatiſſimam Virginem aſſuetam fuiſſe maiorem noctis partem in diuina contemplatione tranſigere, & illud tempus ob ſilentium, quietem, & ſecretum noctis maximè aptum fuiſſe ad tam graue negotium peragendum. Ita Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 9. ſect. 5.

Alij verò putant hoc myſterium factum fuiſſe veſperi initio noctis, qua de cauſa tunc temporis dari putant ſignum Angelicæ ſalutationis. Alij arbitrantur Angelum ſummo mane ad Beatiſſimam Virginem ingreſſum fuiſſe, cum etiam ſummo mane idem ſignum ad Virginem ſalutandam dari ſoleat. Verum id debile, & infirmum videtur fundamentum, cum etiam idem Campanæ ſignum ad ſalutandam Virginem multis in locis dari conſueuerit in meridie, qua hora nullus ait Beatiſſimam Virginem ab Angelo ſalutatam fuiſſe; præfatum ergo ſignum ijs horis dari conſueuit, quia nulla eſt commodior hora, qua huiuſmodi ſignum omnibus fidelibus præberi poſſit, vt benè Suarez loco cit. & Vaſquez num. 21.

11 Quæres tertiò, quo in loco facta fuerit Annunciatio.

Reſpondeo, factam in Ciuitate Nazareth in domicilio, in quo Beatiſſima Virgo nata fuerat, & quod poſt Chriſti in cælum aſcenſum, magno in honore ab Apoſtolis, & Chriſtianis omnibus habitum fuit, & in templum ad ſacra peragenda conſecratum, magniſque floruit miraculis; hęc enim eſt illa domus, quæ miniſterio Angelorum primum in Illirium, poſtea in Italiam tranſlata fuit, vbi magno in honore habetur, & Lauretana Domus nuncupatur, vt docent Caniſius lib. 5. de Beatiſſima Virgine cap. 25. Vaſquez loco citato num. 24. & alij Hyſtoriographi.

Hinc colligi poteſt, quam magna ſit hæreticorum impudentia, qui vt Beatiſs. Virgini detrahant, aſſerere audent Beatiſſimam Virginem non fuiſſe domi ad Angelo inuentam, ſed per plateas vagantem.

QVINTA PROPOSITIO.

12 Beatiſſima Virgo audito Angelo, futuram Conceptionem annunciante, turbata eſt. Lucæ 1. *Turbata eſt, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.*

13 Quæres quid, & qualis fuerit iſta turbatio.

Reſpondeo, fuiſſe quandam admirationem, & timorem conceptum ex cogitatione eorum, quæ Beatiſſima Virgo videbat, & audiebat; hæc enim eſt hominis natura, vt dum inſolita videt, vel audit ſibi euentura, in admirationem, & timorem iuxta rei qualitatem, vel apprehenſionem rapiatur. Radix igitur iſtius turbationis fuit. Primò, aſpectus Angeli in forma hominis, nam trepidare Virginum eſt, & ad omnes Viri ingreſſus pauere, ad hoc

facit

facit lectio Græca, in qua dicitur, *Quæ cum vidiſſet, turbata eſt*. Secundò, fuit inſolita, inuſitata, & inaudita ſalutatio; *Cogitabat enim qualis eſſet iſta ſalutatio*; cum enim Beatiſſima Virgo maximam haberet humilitatem, & optimè affecta eſſet erga caſtitatem, cuius votum habebat, non potuit non terreri, nec potuit non admirari honorificentiſſimam audiendo ſalutationem, & admirabile conceptionis myſterium; ſtatim tamen omnem depoſuit timorem, & admirationem, & quieto animo conſenſum præbuit audita myſterij forma, & poſſibilitate. Vide Vaſquez 3. par. tom. 2. diſp. 126. cap. 4. & alios præcitatos Doctores.

14 Ex quo patet differentia inter reuelationes, & apparitiones boni, vel mali ſpiritus; nam quæ ſunt à bono ſpiritu, licet formidinem ab initio incutere ſoleant, ſtatim tamen pacatum, & quietum animum relinquunt; quæ verò ſunt à malo ſpiritu, timorem non afferunt, vt benè docet S. Thomas 3. par. quæſt. 30. art. 3. ad 3. & alij communiter, quos ego retuli de ſuperſtitione in tractatu de legibus.

SEXTA PROPOSITIO.

15 STatim, ac Beatiſſima Virgo Angelo annuncianti conſenſum præbuit, Verbum Diuinum concepit. Ratio eſt primo, quia Beatiſſima Virgo concepit Verbum diuinum, antequam Angelus ab ea diſcederet, vt communiter docent SS. Patres; Angelus autem ab illa diſceſſit ſtatim ac Beatiſſima Virgo conſenſum præbuit, illumq; ijs verbis explicauit, *Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum*; vbi Lucas ſtatim ſubdit, & diſceſſit ab illa Angelus. Secundò, quia non poteſt congruentius tempus, ſeu inſtãs Cõceptionis aſſignari, quã illud momentum, & punctum, in quo Beatiſſima Virgo conſenſum præſtitit, illumque verbis expreſſum abſoluit. Ita Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 2. Auguſtinus lib. 2. de Annunciat. Rubertus Abbas lib. 1. de operibus ſpiritus ſancti cap. 9. & alij Patres communiter.

Ex quo patet Conceptionis, & Incarnationis myſterium peractum non fuiſſe ſtatim ac Angelus ad Beatiſſimã Virginem ingreſſus fuit. Ratio eſt, tum quia tunc non aderat ipſius Virginis conſenſus. Tum quia Angelus ſubiungit verba de futuro, *Ecce concipies in vtero, & paries &c. Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Neq; obſtant Patres aſſerentes conceptionem factam fuiſſe, dum Angelus ſalutauit Mariam illis verbis, *Dominus tecum*, vel enim accipiunt partem pro toto, & intelligendi ſunt de toto colloquio, vel ita loquuntur, quia conceptio adeò inſtabat, vt facta cenſeretur, illamq; Angelus certo futuram agnoſceret. Vide Suarez diſp. 9. ſect. 4. & Vaſquez 3. par. diſp. 126. cap. 5.

Dices, ſi Conceptio facta fuit ſtatim poſt præſtitum à Beatiſſima Virgine conſenſum, dicendum eſt, Conceptionem factam fuiſſe ante prolationem verborum, quia conſenſus præceſſit verba; verba enim ſunt notæ animi.

Reſpondeo, interiorem conſenſum

ſum præceſſiſſe quidem prolationem verborum, nihilominus conceptionem factam non fuiſſe, antequam conſenſus exterius exprimeretur; cũ enim Angelus Beatiſſimam Virginem humano modo alloqueretur, par erat, vt conſenſus Virginis Angelo humano modo manifeſtaretur. Ita communiter Patres.

Punctum Secundum.

De Virginitate Beatiſſimæ Virginis, ſeu, an Beatiſſima Virgo ſemper in Virginitate perſtiterit.

1 *Maria V. ſemper Virgo fuit.*
2 *Matrimonium Mariæ V. non aduerſatur ipſius Virginitati.*
3 *Conſenſus tacitus in copulam quandonam Virginitati aduerſetur.*
4 *Maria V. cur matrimonium cum Ioſepho contraxerit.*
5 *Ioſeph matrimonium non conſumauit cum Maria V.*
6 *Chriſtus quomodo vocetur primogenitus Mariæ V.*
7 *Ioſeph vocatur Pater Chriſti putatiuus.*
8 *Maria V. vocatur Mulier ob ſexum fœmineum.*
9 *Chriſtus non habuit fratres ſaltem vterinos.*
10 *Maria V. non peccauit contra legem ſeruando Virginitatem.*
11 *Virginitas nunquam contemptui fuit, ſed ſemper laudabilis.*
12 *Virginitatem multi Sancti etiam in veteri lege coluerunt.*
13 *Chriſtus cur ex Virgine naſci voluerit.*
14 *Maria V. qua ætate matrimonium cum Ioſepho contraxerit.*
15 *Ioſeph cuiuſnam ætatis eſſet dum matrimonium cum Beatiſſima V. contraxit.*
16 *Maria V. cohabitabat cum Ioſepho tempore conceptionis.*

VNICA PROPOSITIO.

1 Beatiſſima Virgo ſemper Virgo fuit, ſemperq; in Virginitate perſtitit. Hæc propoſitio certa eſt de fide, definita in Concil. Lateranenſi 1. conſult. 5. canon. 3. & in alijs Concilijs, in quibus ſæpe vocatur Deipara ſemper Virgo, & dicitur Virgo ante partum, in partu, & poſt partum. Idem habetur ex traditione, & cõſenſu Eccleſiæ. Idemque ſuſtinent, & docent communiter Patres, Ireneus, Cyrillus, Athanaſius, Cyprianus, Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, & alij apud Valentiam tom. 4. diſp. 2. quæſt. 2. pun. 1. apud Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 5. & 6. apud Tannerum tom. 4. diſp. 2. dub. 4. & 5. apud Becanum de Incarnat. cap. 28. quæſt. 4. & apud Vaſquez 3. par. d. 121. & ſeqq. Ratio eſt, tum quia Virginitas maxime decebat Matrẽ Dei, qui carnem ſuſcepit, vt ſanaret corrupta. Tum quia multæ aliæ Virgines ferè ab incunabulis ſe caſtitati dederunt, & ipſius voto ſe obſtrinxerunt. Ergo id multò magis ſentiendum eſt de Virgine Virginum.

Hinc ſequitur primò, Beatiſſimam Virginem non amiſiſſe Virginitatem concipiendo filium. Ratio eſt, tum quia Iſaiæ 7. dicitur, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Tum quia non concepit ex virili ſemine

mine, ſed virtute Spiritus ſancti. Matthęi 1. *Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto*, & infra. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*. Tũ ex Simbolo Apoſt. *Qui conceptus eſt de Spiritu Sãcto, natus ex Maria Virgine*. Tum quia cum Chriſtus ſit verus, & naturalis Dei filius, nõ decuit, vt alium haberet patrem, ne dignitas Dei patris ad alium transferretur; alias congruentes rationes ad hoc probandum affert S. Thomas 3. par. q. 28. art. 1.

Secundò, ſequitur Beatiſſimam Virginem non amiſiſſe Virginitatem pariendo filium. Ratio patet, tum ex dictis. Tum quia Iſaiæ 9. dicitur, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*. Matth. 1. *Ecce Virgo in Vtero habebit, & pariet filium*. Lucę 1. *Ecce concipies in Vtero, & paries filium*. Tum quia *Chriſtus venit, vt noſtram corruptionem auferret; Fas autem non erat*, inquit Auguſtinus ſermone 6. de Natiuit. *vt per eius Aduentum violaretur integritas, qui venerat ſanare corrupta*. Vide Vaſquez 3. par. diſp. 121. cap. 2. & 3. & alios præcitatos DD.

Tertiò ſequitur, Beatiſſimam Virginem etiam poſt partum Virginitatem incorruptam ſeruaſſe. Ratio patet, tum ex dictis in propoſitione. Tum quia Ezechiel. 44. ſic habetur. *Dixit Dominus ad me, Porta hac clauſa erit, & vir non tranſibit per eam quia Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, eritq. clauſa principi* (ſeu in honorem principis iuxta expoſitionem S. Hieronymi ibidem, S. Ambroſij lib. de Inſtitut. Virg. cap. 7. Auguſtini ſerm. 18. de tempore, & aliorum. Tum quia ſicut Chriſtus, ſecundum diuinã naturã eſt vnigenitus patris, ita decuit, vt eſſet vnigenitus matris. Alias congruentias affert S. Thomas 3. par. quæſt. 28. art. 3. & de hac re fusè agunt Vaſq. diſp. 121. cap. 6. & 7. & alij præcitati Doctores.

2 Obijcies primò, Beatiſſima Virgo verè, & propriè matrimoniũ contraxit cum Ioſepho, vt docui de Matrimonio quæſt. 2. pun. 1. ad finem, quod nonnulli Doctores putãt eſſe de fide, & colligitur ex multis Scripturæ locis, in quibus Ioſeph vocatur Vir, & Beatiſs. Virgo Coniux. Matth. 1. *Ioſeph autẽ vir eius*, & infra, *Ioſeph fili Dauid noli timere accipere Mariã coniugẽ tuã*. & alibi; ſed Matrimonium aduerſatur Virginitati; matrimonium enim ordinatur ad copulam, & vterque coniux celebratione contractus matrimonij ad illam ſe obligat, & in illam conſentit. Ergo Beatiſſima Virgo non ſemper coluit Virginitatem.

Reſpondeo, Beatiſſimam Virginem contraxiſſe quidem verum, & proprium matrimonium cum Ioſepho, vt probatum eſt, non tamen ob id Virginitatem violaſſe. Ratio eſt, tum quia ad matrimonium non requiritur vſus matrimonij, ſed ſufficit traditio corporum abſque vſu corporis; ſicut enim in alijs rebus diſtinguitur dominium ab vſu, & vſufructu, & dominium haberi poteſt abſque vſu, vel vſufructu, ita etiam in matrimonio dari poteſt dominium corporis ſine copula, & vſu corporis, vt docui de Matrimonio loco citato; Ioſeph autem habuit dominium corporis Beatiſſimæ Virginis, ſed non illius

illius vſum. Ita S. Thomas 3. p. q. 29. art. 2. Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 7. ſect. 1. Sanchez de matrim. lib. 2. diſp. 28. num. 4. Vaſquez, diſput. 125. cap. 6. num. 54. Henriq. Rebellus, Filliucius, Becanus, & alij, quos retuli de Matrimonio poſt decimam quintam impreſſionem; & licet nonnulli Patres aliquādo dicere videantur, Beatiſſimam Virginem non fuiſſe vxorem; nec celebraſſe matrimonium, ſed ſponſalia, nihilominus intelligendi ſunt de matrimonio conſumato, & matrimonij vſu, non de ipſo contractu.

3 Dices, ad matrimonium requiritur conſenſus, ſaltem tacitus, in copulam; matrimonium enim inſtitutum eſt ad copulam, & ipſius vſū; Votum autem Virginitatis violatur conſentiendo in copulam.

Reſpondeo, conſenſum tacitum in copulam, qui tacitè, & implicitè continetur in contractu matrimonij, non repugnare voto caſtitatis, quoties habens votum caſtitatis explicitè, & formaliter proponit non habere copulam, aut certò nouit fore, vt matrimonium non cōſumetur, & copula non habeatur; Beatiſſima autem Virgo non ſolum per reuelationem nouerat Ioſephum non petiturum debitum, & matrimonium non eſſe conſumandum, verùm etiā ab ipſo Ioſepho, & Ioſephus à Beatiſſima Virgine, vt benè Vaſquez 3. p. diſp. 125. cap. 7. Suarez diſp. 7. ſec. 1. Tannerus tom. 4. d. 2. q. 1. dub. 5. num. 132. & alij Doctores citati.

4 Si quæras cauſam, cur Beatiſſima Virgo matrimonium cum Ioſepho contraxerit, cum matrimonium non eſſet conſumandum.

Reſpondeo, multas rationes afferri à S. Thoma 3. p. qu. 29. art. 1. & ab alijs. Et quidem ex parte Chriſti, prima ratio eſt, ne Chriſtus ab infidelibus tanquam illegitimè natus abijceretur. Secunda eſt, vt eius geneologia cōſueto modo per virū deſcriberetur. Tertia ad tutelam pueri, & vt Ioſeph illius curā haberet, vnde & pater ipſius vocatus eſt, quaſi nutritius.

Ex parte verò Beatiſſimæ Virginis, prima ratio eſt, ne ipſa cenſeretur adultera; & tanquam adultera lapidaretur. Secunda, vt ei miniſterium à Ioſepho exhiberetur.

Ex parte noſtra, prima ratio eſt, vt teſtimonio Ioſeph nobis conſtaret, Chriſtum ex Virgine natum fuiſſe. Secunda, vt in perſona Beatiſſimæ Virginis Virginitas, & matrimonium honoraretur. Hæc ferè S. Thomas ad verbum, vbi etiam alias affert congruentias.

Addit S. Ignatius apud S. Hieronimum ca. 1. Matth. id factum fuiſſe, vt partus Virginis Diabolo celaretur, ne acrius in infantia à Demō ne vexaretur, antequam tempus luctę à Chriſto contra Diabolum ſuſcipiendę adueniret: ideò licet Diabolus naturali virtute cognoſcere poſſet Beatam Virginem non fuiſſe corruptam, prohibebatur tamen à Deo cognoſcere modum partus Diuini. Ita S. Thomas loco citato ad 3.

5 Obijcies ſecundo, in Scriptura indicari videtur Ioſephum conſumaſſe matrimonium; nam Matthei 1. dicitur; *Cum Maria eſſet deſponſata Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto*; vbi notanda ſunt illa verba, *Antequam*

quem conueuirent, quæ tacitè indicant matrimonium poſtea conſumatum fuiſſe. Idem colligitur ex verbis ſubſequentibus, vbi dicitur, *Non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum vnigenitum*, vbi notanda eſt illa dictio, *Donec*, quæ denotat poſtea cognitam fuiſſe cognitione carnali, alioquin Euangeliſta abſolutè dixiſſet, *Non cognoſcebat eam*.

Reſpōdeo propoſitionem, ſeu dictionem, *antequam* licet ſæpius adhibeatur ad ſignificanda conſequentia; aliquando tamen aſſumitur ad ſignificanda antecedentia, ideſt ad ſignificandum id, quod factum, vel non factum fuit vſque ad illud tempus, non affirmando quid poſtea factum, vel non factū fuerit; ſenſus igitur eſt, Ioſephum nō cognouiſſe carnaliter Beatiſs. Virginem antequam conuenirent; nō tamen ſignificat poſteà conueniſſe. Explicatur hoc ſimilibus loquendi formis, quibus in familiari ſermone vti ſolemus, vt dū dicimus aliquem eſſe mortuum, antequam pœnitentiam ageret, vel antequam ambulare, aut loqui poſſet, hyemem tranſiſſe, antequam Menſis Februarius elaberetur, aut vim nullam frigoris perceptam fuiſſe ante Paſcha, vel vſque ad Paſcha. Idē aſſerendum eſt de dictione, *donec*, aliquando enim ſignificat, quid antea non ſit factum, etiamſi poſtea nihil contrarium factum fuerit, vt patet à ſimili Geneſis 8. *Coruus egrediebatur, & non reuertebatur, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram*, & tamen conſtat Coruum nō rediſſe ad Arcam, poſtquam aquæ diluuij ſiccatæ fuerunt. Præterea nos dicere ſolemus, Frigus hac hyeme graſſatū non fuiſſe, donec aduenit Paſcha; aut non pluiſſe donec iter abſolutū, & perfectum fuit. Ita S. Thomas q. 28. art. 3. ad 1. & ad 3. Suarez Tannerus, Becanus, & alij locis cit.

6 Obijcies tertiò, Chriſtus vocatur in Scriptura primogenitus Mariæ Virginis. Matth. 1. *Peperit filium ſuum primogenitum*. Ergo Beatiſſima Virgo habuit alios filios, primogenitus enim dicitur in ordine ad alios fratres, iuxta illud Romanor. 8. *Primogenitus in multis fratribus*. Ergo Beatiſs. Virgo non coluit Virginitatē, ſaltem poſtquā Chriſtū peperit.

Reſpondeo, nomine primogeniti, iuxta Scripturæ phraſim, non ſolum ſignificari eum, poſt quem alij fratres nati ſunt, ſed etiam illum, qui primus natus eſt, etiamſi poſt illum nulli fratres nati ſint, vt patet ex lege de offerendis, vel redimendis primogenitis n. 18. Primogenita enim debebatur, etiamſi alia nondum eſſent procreata, vt benè obſeruat S. Thomas 3. p. q. 28. art. 3. ad 4. Becanus c. 28. q. 4. n. 8. Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 1. dub. 4. num. 103. & alij communiter.

7 Obijcies quarto, Ioſeph in Scriptura vocatur Pater Chriſti, Lucæ 2. *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*. Ergo Chriſtus conceptus fuit ex Ioſepho, & conſequenter Beatiſsima Virgo Virginitatem amiſit concipiendo ex viro.

Reſpondeo, Ioſephum non fuiſſe verum, & naturalem Patrem Chriſti, ſed putatiuum; cum enim matrimonium contraxiſſet cum Beatiſſima Virgine, quæ erat verà Mater Chriſti, etiam ipſe putabatur Pater Chriſti Lucæ 3. *Ieſus erat quaſi anno-*

rum triginta, & putabatur filius Ioſeph non tamen erat verus Pater, quia matrimonium non conſumauerat.

Obijcies quinto, ex ſcriptura Matthæi 1. probatur Chriſtum deſcendiſſe ab Abrahamo, & Dauide, quia Ioſeph deſcendit à Dauide; hæc autem probatio falſa eſſet, ſi Chriſtus ortus non eſſet ex Ioſepho tanquam Patre. Ergo Ioſeph verè fuit Pater Chriſti, conſequenter Beatiſsima Virgo concipiendo Chriſtum non ſeruauit virginitatem.

Reſpondeo cum S. Thoma quæſt. 27. art. 1. ad 2. & alijs negando minorem propoſitionem; cum enim Maria, & Ioſeph eſſent ex eadem tribu, & matrimonium celebrandum eſſet inter perſonas eiuſdem tribus, vt ſupradictum eſt; rectè colligitur Chriſtum ortum eſſe ex Dauide, ſi oſtendatur Ioſephum eſſe ex tribu Dauidis. Vide ſupradicta pun. 2. quæſt. 1.

8 Obijcies ſexto, Beatiſs. Virgo vocatur Mulier, Ioann. 2. & 19. & Galatas 4. ibi, *Factum ex muliere*. Mulier autem vocatur fœmina corrupta.

Reſpondeo, nomen, Mulier, adhiberi non ad ſignificandam fęminam virginitate corruptam, ſed ad indicandum ſexum fœmininum, non inſpecta corrupti, vel incorrupti conditione, vt benè S. Thom. q. 28. art. 1. ad 3.

9 Obijcies ſeptimo, Chriſtus habuit alios fratres, nã Ioan. 2. dicitur, *Poſt hęc deſcendit Capharnaum ipſe, & mater eius, & fratres eius, & diſcipuli eius*; ſed fratres dicuntur, qui ex eodem parente geniti ſunt. Ergo Beatiſs. Virgo videtur habuiſſe alios filios præter Chriſtum.

Reſpondeo Chriſtum non habuiſſe alios fratres, ſaltem vterinos, ideſt genitos ex eadem matre; nam illi, qui eo loci vocantur fratres Domini, erãt quidẽ conſanguinei Chriſti, ſed non fratres Chriſti, geniti ex Beatiſsima Virgine Chriſti Matre. Ita S. Hieronymus cõtra Heluidium, S. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum cap. 35. S. Thomas 3. p. quæſt. 28. art. 3. ad 5. & alij apud Vaſquez 3. p. diſp. 122. cap. 4. num. 28. & ſeqq. & apud Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 5. ſect. 4. contra nonnullos alios ſtatim citandos; putantes Ioſephum non fuiſſe Virginem, ſed habuiſſe aliam vxorẽ, & ex ea ſuſcepiſſe filios, quos putant vocatos fuiſſe fratres Chriſti, ſicut Ioſeph Pater eius putabatur. Huius ſententiæ fuerunt Epiphanius Hæreſi 51. & 78. Teophylatus Matth. 23. & 27. Nicephorus, Origenes, & alij Græci communiter, quibus ex Latinis additur Hilarius can. 1. in Matth. & S. Ambroſ. ad Galat. 1. quos refert Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 5. ſect. 4. col. 1. Alij verò putant, illos vocari fratres Chriſti, quia erant filij matertera Chriſti, ideſt Sororis matris Chriſti, nã conſanguinei ex ſorore, vel fratre, patris, vel matris vocari ſolent fratres conſobrini, ad diſtinctionem fratrũ carnalium, qui ex eodem patre, vel matre progeniti ſunt. Ita S. Hieronimus contra Heluidium. S. Thom. 3. p. q. 28. art. 3. ad 5. & alij. Sed ego non video quomodo id dici poſſit poſita ſterilitate parentum Beatiſſimæ Virginis, quibus ex peculiari gratia conceſſa fuit Beatiſſima Virgo, conſequenter mihi perſuadere non poſſum Beatiſſimã Virginem habuiſſe fratrem, vel ſororẽ,

Digitized by Google

ex qua ſuſcepti ſint filij, qui fratres Chriſti vocarentur. Dici fortè poſſet non fuiſſe filios Beatæ Annæ; ſed alicuius ſororis ipſius B. Annæ. Ipſa enim plures ſorores habuit, vt oſtendit Vaſquez diſp. 127. cap. 7. n. 81. & 82.

. Obijcies octauo, Clauſtra Beatiſſimæ Virginis aperta fuerunt in partu ipſius, vt nonnulli Patres aſſerunt, alioquin facta fuiſſet penetratio corporum, quam Philoſophi cōmuniter impoſſibilem eſſe arbitrantur; Virginitas autem non ſubſiſtit cum aperitione clauſtrorum.

Reſpondeo, clauſtra Beatiſſimæ Virginis, verè, & propriè aperta nō fuiſſe, ſed Chriſtum per illa tranſijſſe abſque ipſorum violatione, & licet penetratio corporum naturaliter fieri non poſſit, fieri tamē poteſt per abſolutam Dei potentiam, qua etiā peractum eſt hoc Sacroſanctum myſterium, Angelo Beatiſſimæ Virgini aſſerente, *Virtus Altiſsimi obumbrabit tibi*, Lucæ 1. Vide Vaſquez 3. p. tom. 2. diſp. 120. cap. 4. num. 69. vbi hoc probat auctoritate multorum Patrum.

10 Obijcies nono, Beatiſsima Virgo non peccauit contra præceptum legis veteris. Ergo non ſeruauit Virginitatem, cum illam ſeruare non poſſet ſine violatione veteris legis; nam in veteri lege præceptum erat matrimonium, & ipſius vſus, Geneſis 1. *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*. Et Deutor. 7. & Exod. 23. dicitur, *Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus*. Ob id Deuteron. 25. dabatur facultas ducendi vxorem fratris mortui.

Reſpondeo Beatiſſimam Virginem ſeruando Virginitatem non peccaſſe contra vllum præceptum, nam præceptum illud Geneſ. 1. (ſi verè præceptum eſt) datum ſolummodo fuit vniuerſo humano generi, aut Rectoribus cōmunitatum, non vero ſingulis, vel certè ad initium dumtaxat mundi pertinebat, donec genus humanum ſufficienter propagatum eſſet. Teſtibus Hieronymo contra Iouinianum; & alijs. Neque obſtant verba illa Deutoronom. & Exodi, quia non continent præceptum matrimonij, ſed promiſſionem fęcunditatis, vt patet, tum ex ipſo textu; tum quia fęcunditas non cadit ſub præceptum, cum in noſtra voluntate poſita non ſit. Vide Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 6. ſect. 1. col. 3. & ſeqq. Vaſquez 3. par. tomo 2. diſp. 124. cap. 2. Tannerum 3. par. tom. 4. d. 2. quæſt. 1. dub. 5. num. 115. & quæ ego tradidi de matrimonio quæſt. 2. pun. 3.

11 Obijcies decimo, Virginitas in lege veteri probroſa erat, ſicut etiam ſterilitas. Oſeæ 9. *Da eis vuluam ſine liberis, & vbera arentia*, & Lucę 1. ait Eliſabeth, *quia ſic fecit mihi dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium inter homines*; nihil autem probroſum adſcribendum videtur Beatiſſimæ Virgini.

Reſpondeo, ſterilitatem in Viris coniugatis probroſam quidem fuiſſe apud homines, & fuiſſe etiam aliquam pœnam ſaltem originalis peccati; Virginitas tamen nunquam contemptui fuit, ſed laudabilis, ſaltem in ſtatu naturæ lapſæ. Imò melior fuit, ac appetibilior ſecundum honeſtam rationem. Ratio eſt, tum quia Virginitas magis auocat mentem

tem a ſenſibili delectatione, & affectu terrenarum rerum. Ergo laudabilior, & magis amplectenda fuit, etiam in veteri lege, ſaltem poſt ſufficientem generis homini propagationem, vt benè probat Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 6. ſect. 1. col. 4. verſ. ex quibus Vaſquez ibidem diſp. 124. cap. 2. & innuit Tannerus ibidem diſp. 2. quæſt. 1. dub. 5. num. 117. Tum quia continentia, etiam in veteri teſtamento commendatur Sapient. 3. *fælix eſt ſterilis, & incoinquinata, quæ neſciuit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum Sanctarum*, & Sapient. 4. *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate; immortalis eſt enim memoria illius*.

12 Obijcies vndecimo, Nullus Sanctorum veteris teſtamenti caſtitatem perpetuò ſeruauit. Ergo veroſimile non eſt Beatiſſimam Virginem primam fuiſſe, quæ Virginitatem ſeruauerit.

Reſpondeo primò, negando antecedens; multi enim Sancti, etiam in veteri lege, virginitatem perpetuò, aut longo tempore coluerunt, vt Elias, Eliſeus, Ioannes Baptiſta, & alij, quorum meminit Suarez d. 6. ſect. 1. col. 4. & Vaſquez 3. par. tom. 2. diſp. 124. cap. 2. & 5. n. 89.

Reſpondeo ſecūdò, Beatiſſimam Virginem primam extitiſſe, quæ virginitatem ſeruauit, non quidem ſimpliciter, vt dictum eſt in prima reſponſione, ſed ex voto; ipſa enim prima fuit, quæ Virginitatis votum fecit. Ratio eſt, tum quia ex Sacra Scriptura, vel traditione Eccleſiæ non conſtat vllum caſtitatis voto ſe obſtrinxiſſe ante Beatiſſimam Virginem Mariam. Tum quia cum votum Virginitatis maximè faciat ad ſtatum perfectionis, decuit, vt tanta perfectio matri Dei primo obtingeret. Tum quia ad hoc facit illud, quod Eccleſia canit; *Sola ſine exemplo placuiſti Domino Ieſu Chriſto*. Ita Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 6. ſect. 3. col. 2. Vaſquez ibidem diſp. 124. c. 5. n. 8. Tanner. ibid. d. 2. q. 1. dub. 5. n. 119. & 124. & alij communiter.

13 Obijcies vltimo, non poteſt aſſignari ratio, cur Deus potius ex Virgine, quam ex corrupta, vel coniugata naſci dignatus ſit.

Reſpondeo multas afferri poſſe rationes. Prima eſt, vt conſtaret Chriſtum conceptum eſſe virtute Spiritus Sancti, & non eſſe purum hominem, ſed Deum ſimul, & hominem. Secundo, quia hoc pacto innotuit varietas humanæ generationis; nam inuenitur homo productus ſine viro, & muliere, vt Adam, & productus ex viro, & muliere, vt Abel, & alij homines, & productus ex viro ſine muliere, vt Eua. Ergo conueniens fuit, vt etiā aliquis produceretur ex muliere ſine viro, vt Chriſtus. Ita S. Leo in ſer. de Natiu. S. Thom. 3. p. q. 31. art. 4. & alij.

14 Sed modo dubiū ſupereſt primo, qua ætate Beatiſſima Virgo matrimonium cū Ioſepho contraxerit.

Reſpondeo iuxta communem, & probabiliorem ſententiam, Beatiſſimam Virginem matrimonium cum Ioſepho contraxiſſe paulo poſt inchoatum decimum quartum ætatis annum. Ratio eſt, quia trium annorum erat Beatiſſima Virgo, dum à Parentibus in templo præſentata fuit, illicque per vndecim annos cum reliquis virginibus, & fœminis Deo dica-

dicatis manſit, quibus elapſis per manus Sacerdotum tradita fuit Ioſepho, apud quem cum quatuor menſes peregiſſet, letum Angeli Nuncium accepit, & intra decimum quintum ætatis ſuæ annum peperit Chriſtum die 25. Decembris. Ita Abulenſis in cap. 2. Matthęi quæſt. 101. Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 7. ſect. 3. verſ. communis. Vaſquez ibidem diſp. 125. cap. 11. num. 121. verſ. probabilior. Baronius in apparatu ad Annales §. ſi fidē adhibendam. Tannerus loco citato, & alij contra Caietanum in cap. 1. Lucæ, exiſtimantem Beatiſſimam Virginem peperiſſe Chriſtum anno 24. & contra Annium, & alios arbitrantes Beatiſſimam Virginem concepiſſe anno 13. & peperiſſe anno 14.

15 Maior difficultas eſt cuiusnam ætatis eſſet Ioſeph, dum matrimonium cum Beatiſſima Virgine celebrauit.

Reſpondeo iuſta probabiliorem ſententiam, Ioſephum, dum Beatiſſimam Virginem ſibi deſpondit, fuiſſe mediæ quaſi ætatis, vt quinquaginta annorum iuxta Gerſonem, aut triginta, vel quadraginta iuxta Salianum, Suarez, & alios locis proximè citandis. Ratio eſt, quia veroſimile non eſt Ioſephum contraxiſſe matrimonium in iuuenili ętate; cum communis hominum ſēſus ſit, ipſum fuiſſe maturioris ætatis, ſicq; communiter pingi ſoleat. Nec veroſimile eſt in ſenili ætate tunc conſtitutum fuiſſe, quia homines ſuſpicionem habere potuiſſent de ipſius impotentia, ſicq; Beatiſſima Virgo infamiæ periculum ſubijſſet. Ita Abulenſis in cap. 1. Matth. quæſt. 30. Suarez loco citato diſp. 7. ſect. 3. Vaſquez diſp. 125. cap. 11. num. 128. Tannerus loco citato, Salianus, & alij contra Epiphanium hæreſi 78. & Nicephorum lib. 1. cap. 7. affirmantes ipſum tunc fuiſſe octoginta annorum, & contra Viguerium ca. 70. exiſtimantem ipſum tunc temporis iuuenem fuiſſe.

Obijcies primo, S. Ioſeph ſemper ſenex pingi ſolet. Ergo matrimonium in ſenili ætate contraxit.

Reſpondeo primo, non ab omnibus ſenem depingi, teſte Gerſone.

Reſpondeo ſecundo, depingi ſenem, vt nulla mali ſuſpicio de ipſo concipi poſſit, ſed tanquam caſtitatis exemplum omnibus proponatur.

Reſpondeo tertio, non depingi ità ſenem, vt decrepitæ ætatis appareat, ſed in ætate matura, & ad ſenectam vergente, vt benè Vaſquez loco cit. num. 130. Gerſon, & alij.

Obijcies ſecundo, Ioſeph mortuus eſt anno duodecimo ætatis Chriſti. Ergo veroſimile eſt ipſum fuiſſe valdè ſenem, dum Beatiſſimam Virginem in matrimonium duxit.

Reſpondeo primo, Ioſephum eo tempore mortuum non fuiſſe, nam de Chriſto duodecimum annum agente, Lucæ 2. dicitur, *Et deſcendit cum eis,* (ideſt parentibus) *& venit Nazaret, & erat ſubditus illis*, Ideo Suarez loco citato, Baronius anno 12. Tannerus quæſt. 3. num. 136. & alij putant Ioſephum vixiſſe vſq; ad annos prædicationis Chriſti; mortuum tamen fuiſſe ante Chriſti paſſionem, quamquam Cyprianus lib. de Paſſione, & S. Ambroſ. lib. de Inſtit. Virgin. cap. 6. & 7. exiſtimant vixiſſe vſq; ad mortē Chriſti.

Reſpon-

Reſpondeo ſecundo, etiamſi admitteremus Ioſephum mortuum fuiſſe anno duodecimo ætatis Chriſti, non tamen hinc colligitur ipſum fuiſſe octogenarium, & decrepitæ ætatis, dum matrimonium celebrauit, aut dum obijt, vt benè Vaſquez loco citato num. 130.

16 Secundò, Dubium eſt, Vtrum Beatiſſima Virgo, & Ioſeph in iiſdem ædibus cohabitarent tempore conceptionis Diuini Verbi.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, tum quia ſicut conceptio exiſtimatur maritalis, dum quis in domo viri concipitur. Ita exiſtimatur ſuſpecta, dum quis extra domum Viri concipitur, ſed iſta ſuſpicio non fuit ab hominibus habita de Chriſto. Ergo Chriſtus conceptus fuit in domo Ioſephi patris putatiui. Tũ quia ſic colligitur ex Matth. 1. *Voluit occultè dimittere eam*. Ergo Ioſeph illam ad ſe aſſumpſerat, & cum ipſa cohabitabat; id enim dicitur dimitti, quod habetur. Ità Suarez diſp. 7. ſect. 2. Tannerus loco citato num. 134. Vaſquez diſp. 125. cap. 9. n. 107. & alij; quiquid nonnulli apud Vaſquez num. 103. & apud Suarez loco citato in oppoſitum ſentiant.

Obijcies, Ioſeph cognita conceptione Beatiſſimæ Virginis in ſuſpicionem venit adulterij, & ob id nolebat illam traducere, ideſt adducere domum, vt cum ea cohabitaret; ſed Angelus ei dixit, *noli timere accipere Mariam coniugem tuam*. Ergo Ioſeph nondum illam acceperat ſaltem ad cohabitandum.

Reſpondeo verbum, *Accipere*, hoc loco idem ſignificare, quod habere, ſeu retinere, & cum ea viuere, & cohabitare; ſenſus enim eſt, noli timere ſecum habere, & viuere cum ea, quam propoſito, & animo cogitas dimittere. Idem dic de verbo, *Traducere*; non enim hoc loco ſignificat adducere in domum, ſed potius retinere, aut cum ea viuere, & commorari, vt colligitur ex verbis ſubſequentibus; dicitur enim *Cum nollet traducere, ſed occultè dimittere*. Si Ioſeph volebat occultè dimittere Mariam; ergo illam prius traduxerat. Alias expoſitiones afferunt SS. Patres, quas referunt, & ſequuntur Suarez diſp. 7. ſect. 2. col. 2. Vaſquez loco citato n. 103. Tannerus n. 135. & alij qui etiam hinc colligunt Ioſephum comitatum non fuiſſe Beatam Virginem conferentem ſe in montana, vt viſitaret Eliſabeth; ſed domi remanſiſſe; nam ſi cum Maria ad domum Eliſabeth ſe contuliſſet, audiuiſſet mutuam Mariæ, & Eliſabeth ſalutationem, atq; adeò cognouiſſet Beatiſſimam Virginem concepiſſe de Spiritu Sancto, conſequenter nihil praui de ipſa ſuſpicatus fuiſſet, neq; cogitaſſet illam à ſe dimittere.

Punctum Tertium.

De Maternitate Beatiſſimæ Virginis, ideſt, an Maria Virgo verè fuerit Mater Chriſti, & vocari poſſit Mater Dei.

1 *Maria V. verè fuit Mater Chriſti.*
2 *Chriſtus conceptus fuit ex puriſſimis Beatiſſimæ V. ſanguinibus.*
3 *Beatiſſima Virgo concepit Chriſtum*

ſtum in vtero, ſeu loco ad concipiendum accommodato.

4 *Maria V. non eſt Mater putatina, ſed vera.*

5 *Maria Virgo vocatur mulier per antonomaſiam, & excellentiam.*

6 *Chriſtus cōceptus fuit ex ſolo B V. ſanguine abſque ipſius ſemine, iuxta probabilem ſententiam.*

7 *Fetus non formatur ex ſemine menſtruo, ſed ex ſanguine, qui in menſtruum redigeretur.*

8 *Conceptio quid requirat, vt fœtus ritè formetur.*

9 *Conceptionis cauſa efficiens quiſnam fuerit.*

10 *Maria V. propriè dicitur Mater Dei.*

11 *Chriſti Pater verè, & realiter potuiſſet eſſe aliquis homo de potentia Dei abſoluta, ſicut ipſius Mater fuit Beatiſſima Virgo.*

12 *Maria V. dici poteſt Mater naturalis Chriſti, & Chriſtus dici poteſt filius eius naturalis, ſi terminum conceptionis præcisè ſpectemus, non autem actionem conceptionis.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 Beatiſſima Virgo verè fuit Mater Chriſti. Probatur primo ex Matth. 2. *Accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Io. 2. *Erat Mater Ieſu ibi.* Lucæ 1. *Vnde hoc mihi, vt Mater Domini veniat ad me.* Secundo, quia Beatiſſima Virgo in conceptione Chriſti præbuit illi, quicquid aliæ matres præbent, vt infra probabo. Tertiò, quia illa dicitur mater, ex cuius ſubſtantia cōcipitur, & naſcitur filius; Chriſtus autē conceptus eſt ex ſubſtantia Beatiſſimæ Virginis, Lucæ 1. *Quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei.* Romanor. 1. *Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem*, ideſt ex Beatiſſima Virgine, à Dauide per ſeminalem generationem deſcendente; ad Galatas 4. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege.* Hac ratione Chriſtus dicitur contentus fuiſſe in lumbis antiquorum parentum. Ita cōmuniter Patres, & DD.

Addo ipſam magis dicendam eſſe matrem, quàm reliquas matres; nam ipſa ſola miniſtrauit materiam; in cæteris autem matribus concurrit etiam ſemen patris, vt benè Gabriel in 3. d. 4. q. vnica art. 2. concl. 2. Suar. d. 11. ſect. 2. ſub finem, & Tannerus diſp. 2. quæſt. 2. dubio 1. num. 24.

2 Ex dictis colligitur. Primo, Chriſtum cōceptum fuiſſe ex puriſſimis Sanguinibus Beatiſſimæ Virginis; nam Beatiſſima Virgo fuit vera Chriſti mater; conſequenter in conceptione cōferre debuit Chriſto id, quod reliquæ matres conferunt, & miniſtrant; ſed reliquæ miniſtrant ſanguinem. Ergo etiam Beatiſſima Virgo ſuum puriſſimum ſanguinem miniſtrare debuit. Sanguis autem Beatiſſimæ Virginis vocatur puriſſimus, tum ob eximiam temperantiam, & ſingularem ſuæ complexionis perfectionem, tum ob peculiarem Spiritus Sācti prouidentiam, qui eo vſurus erat ad fabricandum Chriſti Corpus.

3 Secundò colligitur, Beatiſſimam Virginem cōcepiſſe Chriſtum in vtero, ſeu loco ad concipiendum fœtum accommodato. Ratio eſt,

num

tum quia ad generationem, atque adeò ad maternitatem contrahendam non ſufficit quouis modo miniſtrare materiam, ſed materia miniſtrari debet modo naturę accommodato, alioquin miniſtrans non dicetur pater, aut mater, ſicut Adam non dicitur pater, aut mater Euæ, quæ ex Adæ coſta formata fuit. Tũ quia ſicut illa non dicitur parere filium, quæ illum per naturales vias non emittit; ita neque illa dicetur mater Chriſti, quæ illum in vtero nõ concepit. Tum quia Lucæ 1. dicitur, *Ecce cõcipies in vtero*, & Matth. 1. *Inuenta in vtero habens de Spiritu Sancto*. Ex quo patet falſitatis conuici ſententiam eorum, qui aſſerebant Chriſtum conceptũ fuiſſe in corde Beatiſsimæ Virginis, quos benè refellit, & reprobat Caiet. 3. p. q. 31. art. 5. Suar. diſp. 10. ſect. 2. col. 3. Tanerus to. 2. diſp. 2. q. 2. dub. 1. num. 5. ad finem.

3 Tertiò colligitur, Beatiſsimam Virginem in Chriſti conceptione effeciſſe ea, quæ neceſſaria ſunt ad humanam, & maternam filij generationem.

Quarto, colligitur ex conceptione Beatiſsimæ Virginis veram relationem maternitatis cõſurrexiſſe inter ipſam, & Chriſtum. Quicquid in contrarium ſentiat San. Thomas 3. p. quæſt. 35. art. 5. Ratio eſt, quia huiuſmodi relatio conſurgit ex vera ratione maternitatis. De hac re vide plura apud Suar. 3. p. to. 2. d. 12. ſect. 1. 2. & 3.

4 Obijcies primo, etiam Ioſeph vocatur Pater Chriſti, & tamen re vera non erat ipſius Pater, niſi putatiuus. Ergo Beatiſsima Virgo verè nõ fuit Mater Chriſti, ſed putatiua.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt. Tum quia Ioſeph in Scriptura non vocatur ſimpliciter pater, ſed putatiuus, Lucæ 3. *Ieſus erat quaſi annorum triginta, & putabatur filius Ioſeph*. Vnus autem Scripturæ locus alium explicat. Tum quia Ioſeph non communicauit Chriſto ſuam ſubſtantiã, ſicut Maria, quæ Chriſtum concepit, illumque peperit.

5 Obijcies ſecundo, Chriſtus in Euangelio vocat Mariam, *Mulierem*, non *Matrem*. Ioann. 2. *Quid mihi, & tibi mulier?* & Ioann. 19. *Mulier ecce filius tuus*. Imò negare videtur illam eſſe Matrem, Matth. 12. *Quæ eſt Mater mea?* Ergo Beatiſsima Virgo verè non fuit Mater Chriſti.

Reſpondeo negando conſequentiam; nam Chriſtus vocat Mariam, *Mulierem*, per antonomaſiam, & per excellentiam, indicans eſſe illam mulierem, de qua dictum fuerat Geneſis 3. *Inimicitias ponã inter te, & mulierem*; dum autem Chriſtus dixit, *Quæ eſt Mater mea?* non negauit illã eſſe Matrem ſuam, ſed docuit, & inſtruxit aſtantes, non eſſe dimittenda præcepta Dei, & eius prædicationem propter matrem, & alios conſanguineos, vt ſupra explicatum eſt; & benè docent Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 1. ſect. 1. col. 3. Becanus de Incarnat. cap. 28. quæſt. 6.

6 Obijcies tertiò, Si Beatiſsima Virgo eſſet Mater Chriſti, ſequeretur Chriſtũ formatũ eſſe, non ſolum ex ſanguine ipſius, verũ etiã ex ipſius ſemine (Fętus enim, inquit Galenus, nõ ſolũ formatur ex ſanguine tãquã ex materia, verum etiam ex ſemine

fęmi-

fœmineo, & virili quoad partes ſolidiores, vt sũt venæ, arteriæ, nerui, & ſimiles, qua facili⁹ formãtur ex re craſſa, & viſcoſa, cuiuſmodi eſt ſemen, quã ex sãguine, qui magis tenuis eſt, & fluidus) non videtur aũt veroſimile Chriſtum formatum fuiſſe ex ſemine Virginis, tũ quia ipſa non fuiſſet Virgo. Tum quia Patres ferè cõmuniter aſſerunt Chriſtum formatũ fuiſſe ex ſanguine Beatiſsimæ Virginis; non facta ſeminis mentione. Ergo Beatiſsima Virgo non eſt Mater Chriſti.

Reſpondeo primo, ſi ſemen fœmineum neceſſarium eſt ad conceptionem, dicendum eſt Beatiſſimam Virginem facultate naturali conuertiſſe ſanguinem in ſemen, illudque tranſmiſiſſe ad locũ conceptionis; ſine vllo tamen inordinato concupiſcentiæ motu, aut corporis titillatione, ſeu venerea voluptate; nam hæc tranſmiſſio cẽſetur facta cooperante Spiritu Sancto, aut tanta cum celeritate, vt naturalium partium commotio ſecuta non fuerit, atque adeò nihil detrimenti illatum fuerit integritati, & puritati Beatiſſimæ Virginis, ac ſi ſolus ſanguis ad eam partem traſmiſſus fuiſſet. Quamobrem dum Sancti Patres aſſerunt Chriſtum formatum fuiſſe ex ſanguine Beatiſſimæ Virginis, aſſignant præcipuam conceptionis materiam, non excluſo ſemine. Imò Anſelmus lib. de conceptu Virginis cap. 13. & 14. ait, Chriſti corpus formatum fuiſſe de ſemine Beatiſſimæ Virginis. Vel dic nomine ſanguinis ab ipſis comprehendi etiam ſemen, quia hoc ex ſanguine puro, magisque digeſto fabricatur ex Ariſt. lib. 1. de generat. animal. cap. 18. & 19. Auguſtino lib. 83. quæſt. 56. Idemque in terminis aſſerunt Ricardus in 3. diſt. 4. art. 2. quæſt. 1. & alij, quorum ſententiam probabilem putat Suarez diſp. 10. ſect. 1. col. 3. quamquam in hac re debitæ reuerentiæ locus eſſe debet, dum loquimur de ſemine Beatiſſimæ Virginis, ne aliquid contra integerrimam ipſius puritatem aſſerere videamur, vt benè in hac parte admonent S. Bonauentura in 3. diſp. 4. art. 2. quæſt. 1. & alij.

Reſpondeo ſecundo, piè, & valdè probabiliter ſuſtineri poſſe, Chriſti conceptionem factam fuiſſe ex ſolo Beatiſſimæ Virginis ſanguine absq; ipſius ſemine. Ratio eſt, tum quia hoc pacto magis eluceſcit integritas tantæ Virginis, & ſicut Spiritus Sanctus ſuppleuit virile ſemen, ita etiam credi poteſt formaſſe quicquid ex fœmineo ſemine formari poteſt, vt benè Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 10. ſect. 1. col. 3. tum quia fœmineum ſemen neceſſarium non eſt ad generationem, vt docet Galenus ſibi cõtrarius lib. 1. de ſanitate tuenda cap. 1. Ariſtoteles lib. 1. de generat. Animal. cap. 2. & lib. 2. c. 3. Auicena lib. 9. de animalibus cap. 1. S. Thomas 3. par. quæſt. 31. art. 4. ad 3. Suarez loco citato diſp. 11. ſect. 2. ſub finem, Tannerius loco citato num. 17. Sanchez lib. 9. de matrimon. diſp. 17. num. 9. Caietanus, & alij contra S. Bonauenturam loc. cit. Scotum, & alios; nam experientia compertum eſt fœminas inuitas in balneis exiſtentes virile ſemen recepiſſe, & concepiſſe non emiſſo ſemine, alioquin veneream delectatio-

nem

nem ſenſiſſent; Conceptus ergo fuit Chriſtus ex proprio ſanguine Virginis Mariæ, non ipſius ſemine.

7 Dices aliæ fœminæ ad formationem fœtus miniſtrant menſtruum ſanguinem. Ergo etiam Beatiſſima Virgo eundem ſanguinem miniſtrauit, conſequenter Chriſtus non videtur conceptus ex puriſſimo ſanguine Beatiſſimæ Virginis.

Reſpondeo iuxta probabiliorem ſententiam, etiam in alijs fœminis, non formari fœtum ex ſemine menſtruo, ſed ex eo ſanguine, qui niſi formando fœtui deſeruiret, menſtruus eſſet ſanguis enim menſtruus eſt ſanguis vergens ad corruptionem, quem proinde natura appetit expellere; ſanguis verò, ex quo formatur fœtus, non eſt ſanguis corruptus, ſed purus, magisq; digeſtus. Ita S. Thomas 3. par. quæſt. 31. art. 5. & alij, quos citat, & ſequitur Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 10. citata ſect. 1, col. 5. verſ. ad alteram. Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 2. dub. 1. num. 7. & alij contra Abulenſem Matth. cap. 1. quæſt. 52. & alios.

8 Obijcies quarto, ad conceptionem, atque adeo ad maternitatem contrahendam requiritur primo, vt ſanguis maternus congregetur in vtero materno; vterus enim maternus ſuſcepto virili ſemine ſtatim attrahit ex venis ſanguinem ad formandum fœtum ſecundo; vt calor vitalis vteri foueat ſemen, illudque congruo tempore diſponat, & præparet vſque ad perfectam conceptionem, quam alibi dixi perfici quadraginta, vel octoginta diebus circiter pro qualitate ſexus. Sed intelligi non poteſt quomodo hæc facta fuerint in Beatiſſima Virgine. Ergo Beatiſſima Virgo non videtur concepiſſe Chriſtum, conſequenter, propriè loquendo, vocanda non videtur ipſius mater.

Reſpondeo, hæc omnia in Beatiſſima Virgine contigiſſe, conſequenter ipſam eſſe Chriſti matrem. Nam ſanguis Beatiſſimæ Virginis virtute Spritus Sancti ſupplentis virtutem ſeminis, attractus fuit ad ipſius vterum, & debita diſpoſitio ad formationem corporis requiſita præceſſit, quamquam hæc facta fuerunt breuiori tempore, quam naturaliter fieri poſſent, vt communiter Doctores obſeruant. Imò Suarez diſp. 11. ſect. 1. ad finem, & ſect. 2. ſub finem, & alij ferè communiter exiſtimãt formationem, & organizationem corporis Chriſti factam fuiſſe in inſtanti. Tum quia ſicut Deus in inſtanti poteſt hominem exiſtentem in oriente, collocare in occidente, & è contra abſque tranſitu per medium, ita &c. Tum quia ita ſentire videntur Patres communiter. Tum quia formatio corporis Adæ facta fuit vnico momento, teſte Chriſoſt. homil. 13. in Geneſim.

Mihi tamen probabile videtur id factum non fuiſſe in inſtanti mathematico, ſeu indiuiſibili, ſed potius in inſtanti phyſico, & morali, ſeu breuiſſimo temporis momento. Ratio eſt. Tum quia tranſmiſſio ſanguinis ad vterum, & alij motus, vt ſic, fieri non poſſint in inſtanti phyſico, diuina tamen virtute fieri poſſunt breuiſſimo, & inperceptibili tempore, cum id non implicet contradictionem, ideo ſtatim, ac adfuit cõſenſus Beatiſſimæ Virginis dicentis,

Digitized by Google

tis, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*. Spiritus Sanctus guttulas ſanguinis in corpore Virginis diſperſas collegit, trãſmiſit ad vterum, cõdenſauit, figurauit, in corpuſculũ organizauit, animauit, verbo vniuit. Tũ quia hoc pacto non multiplicantur miracula; ſicq; intelligi poſſunt Patres aſſerẽtes hoc myſterium in inſtanti peractũ fuiſſe. Ita Tannerus tom. 2. diſp. 2. quæſt. 2. dub. 1. num. 22.

Dices, ſi formatio, & organizatio corporis Chriſti facta eſſet in inſtanti mathematico, vel etiam morali, neceſſe fuiſſet primo, Beatiſſimam Virginem habere magnam ſanguinis copiam, quanta ſufficit ad formandum integrum corpuſculum; hoc autem non uidetur admittendum. Secũdo, neceſſe fuiſſet Chriſti corpus exire de vtero Virginis ante nouem menſes, cum alij infantes egrediantur ante octauum menſem poſt perfectam conceptionem, alioquin fuiſſet maioris molis, & quantitatis, quam naturaliter eſſe poſſit.

Reſpondeo ad primum, id non eſſe abſurdum; potuit enim Beatiſſima Virgo, vel ex naturali complexione, vel ex peculiari Spiritus Sancti prouidentia tantam ſanguinis copiam habere abſque ſui corporis periculo, quanta ſufficit ad formandum corpuſculum.

Reſpondeo ad ſecundum, fieri potuiſſe, vt conceptio Chriſti facta fuerit in minima quantitate, (non quidẽ mõſtruoſa, & pręter naturali, ſed naturali, & accõodata cõplexioni talis corporis, ex ſolo Beatiſſimę Virginis ſanguine formatæ,) ita vt ſpatio nouem menſium in vtero materno ad perfectam perueniret quantitatem ſuæ complexioni accomodatam, præſertim cum partus aliorum, qui decimo menſe contingit, non ſit præter naturam, ſed naturæ valdè accomodatus, vt ſentiunt Medici, teſte Suarez diſp. 11. ſect. 2. difficult. 2. vbi etiam alias reſponſiones affert, & benè refellit.

Obijcies quinto, ad conceptionẽ, præter concurſum mulieris neceſſarius eſt concurſus viri; hic enim eſt præcipua, & principalis cauſa ad generationem; ſed in noſtro caſu non poteſt aſſignari concurſus viri. Ergo Beatiſsima Virgo non poteſt dici concepiſſe Chriſtum, atq; adeò non eſt dicenda Chriſti mater.

Reſpondeo ad conſuetam, & ordinariam generationẽ requiri concurſum Viri: Beatiſsima autem Virgo non concepit Chriſtum more ordinario, & conſueto; ſed extraordinario, & miraculoſo, ſupplente Spiritu Sancto effectiuè id, quod deerat ex parte Viri; ſicut enim Spiritus Sanctus ex nihilo formare poſſet purum hominem, ita etiam in conceptione corporis Chriſti ſupplere potuit defectum, & efficaciam virilis ſeminis.

9 Ex quo poteſt obiter inferri ſolutio illius difficultatis, qua quæritur, quiſnam fuerit cauſa efficiens conceptionis Chriſti.

Ad quam breuiter reſpondeo, Spiritum Sanctum eſſe cauſam principalem effectiuam cõceptionis Chriſti. Matth. 1. *Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu Sancto*; & Lucæ 1. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi*. Ita S. Tho-

Digitized by Google

Thomas quaeſt. 32. art. 1. & 2. Suarez diſp. 1. ſect. 2. Tannerus tom. 4. diſp. 2. quaeſt. 2. dub. 1. num. 8. & alij communiter.

Dices primo, Opera ad extra ſunt communia Sanctiſsimae Trinitati; ſed Conceptio Chriſti eſt opus ad extra. Ergo eſt communis Sanctiſſimae Trinitati. Ergo non ſolus Spiritus Sanctus, verum etiam Pater, & filius fuerunt cauſa effectiua Conceptionis, ſeu Incarnationis.

Reſpondeo, Conceptionem fuiſſe quidem operationem communem toti Trinitati, cum ſit operatio ad extra; nihilominus attribuitur Spiritui ſancto quadruplici de cauſa. Primo quia Incarnatio facta fuit ex ardentiſsimo amore Dei erga nos, iuxta illud. *Sic Deus dilexit Mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*; amor autem Dei adſcribitur Spiritui Sancto. Secundò, quia Incarnatio non eſt facta ex meritis, ſed ex gratia Dei, quae Spiritui Sancto tribuitur. Tertio, quia homo, qui formabatur, factus eſt Sanctus; Sanctitas autem attribuitur Spiritui Sancto. Quarto, quia etiam in alijs conceptionibus corpus formatur per ſpiritum, qui in ſemine includitur. Ita S. Thomas 3. par. quaeſt. 32. art. 1. & alij; quomodo autem probetur Conceptionem Chriſti, ſeu Incarnationem peculiariter adſcribi ſingulis perſonis Sanctiſsimae Trinitatis, infra oſtendam in ſecunda diſputatione, q. 2. pun. 4.

Dices ſecundo, ſi Spiritus Sanctus fuiſſet cauſa principalis Conceptionis, ſequeretur ipſum vocari poſſe Patrem Chriſti, & multo magis hoc ei nomen conuenire, quàm Beatiſſimę Virgini conueniat nomē Matris.

Reſpondeo, Spiritum Sanctum non vocari Patrem Chriſti. Tum quia ille dicitur Pater, à quo alter ex vi ſuae productionis procedit ſecundum perfectam ſimilitudinem naturae, vt patet ex definitione generationis; Chriſtus autem ſecundum humanitatem non procedit à Spiritu Sancto ſecundum perfectam ſimilitudinem naturae; alia enim eſt natura humanitatis, alia Spiritus Sancti. Tum quia Chriſtus, cum ſit perfectus, & naturalis filius Dei, non debet vocari filius Dei, ſeu Spiritus Sancti ea ſolum generali ratione, qua omnis homo ob quandam ſimilitudinem vocatur filius Dei. Ita S. Thomas 3. par. quaeſt. 32. art. 3. & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

10 Beatiſſima Virgo propriè eſt Mater Dei. Ratio eſt primo, quia cōcepit, & peperit Deum; concepit enim hunc hominem, qui in ipſa conceptione eſt Deus. Ergo eſt Mater Dei. Secundo, quia id apertè conſtat ex ſcriptura ad Galat. 4. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere.* Lucae. 1. *Quod ex te naſcetur ſanctū vocabitur filius Dei*; Et iterum, *Vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei*, (ideſt diuinae perſonae) *ad me*. Tertio, quia Beatiſſima Virgo communiter vocatur Deipara. Quarto, quia ita definitum fuit in Cōcilio Epheſ. & Calced. in Concil. Lateranen. ſub Martin. 1. can. 3. & in alijs Cōcilijs. Ita Gregorius Nazianzenus orat. 51. & alij, quos citat, & ſequitur Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 2. ſect. 1. verſ. 3.

Digitized by Google

verſ. 3. Becanus cap. 28. quæſt. 6. num. 4. Valentia tom. 4. diſp. 2. q. 2. pun. 3. ad finem, & alij communiter.

Obijcies primo, Beatiſſima Virgo nullo modo effecit, vt Deus ſit homo; ipſa enim non vniuit humanitatem Verbo, ſed ſolum concurrit ad productionem humanitatis, quæ aſſumpta fuit à Verbo. Ergo Beatiſſima Virgo non poteſt dici Mater Dei.

Reſpondent nonnulli Doctores, Beatiſsimã Virginem concurriſſe ad vnionem humanitatis cum Verbo, conſequenter effeciſſe, vt Deus eſſet homo. Sed hoc mihi non probatur, tum quia incertum eſt Beatiſsimam Virginem concurriſſe ad vnionem. Tum quia etiamſi ipſa concurriſſet ad vnionẽ tamen, & ipſius concurſus non fuiſſet per modum generantis, ſed ſolum fuiſſet cauſa inſtrumentalis vnionis, conſequenter non ſatis fuiſſet, vt Beatiſsima Virgo vocaretur mater Dei, vt etiam infra indicabo diſp. 2. q. 2. pun. 4. n. 4.

Ego igitur Reſpondeo cum Suar. Becano, & alijs, Beatiſsimam Virginem vocari Matrem Dei, etiamſi ipſa non concurrerit ad vnionẽ hypoſtaticam. Ratio eſt, primo, quia ad hoc, vt vocetur Mater Dei, ſatis eſt, vt ipſa concurrerit ad vnionem corporis cum anima in eodem inſtãti, quo tota humanitas vnita fuit perſonæ Verbi per operationem Dei; ſicut è contrario Iudæi verè dicuntur occidiſſe Deũ, quia ſua actione diſſoluerunt vnionem animæ cum corpore, & conſequenter totam humanitatem, vt ſic, ſepararunt à Verbo. Secundo, quia ſicut agere eſt ſuppoſitorum, ita etiam naſci, & generari; non enim dicitur humanitas generari, ſed homo, cum generatio non denominet ſubiectum, ſed ſuppoſitum; ſuppoſitum autẽ Chriſti eſt Deus. Ergo ſicut Beatiſſima Virgo dicitur Mater Chriſti, ita etiã vocari poteſt mater Dei.

Obijcies ſecundò, ſi Deus vocari poteſt filius Beatiſſimæ Virginis, & quod Beatiſſima Virgo concurrerit ad humanitatẽ, & fuerit cauſa vnionis animæ cũ corpore, ſequitur etiã Deum denominari poſſe mutatum, aut cauſatum, & effectum, à mutatione, & effectione præcedenti in humanitate, ſed hoc eſt falſum. Ergo etiam falſum videtur Beatiſſimam Virginem vocari poſſe matrem Dei, eo quod concurrerit ad humanitatem, & fuerit cauſa vnionis animæ cum corpore.

Reſpondeo, negando ſequelam maioris propoſitionis. Ratio eſt, quia generatio denominat ſuppoſitum, mutatio vero denominat ſubiectum, quod in hoc caſu eſt humanitas; conſequenter Deus dici poteſt genitus in conceptione Beatiſſimæ Virginis, non verò mutatus, ſicut neque dici poteſt effectus, ſeu cauſatus, quia ſimpliciter non eſt factus; ſed eſt factus homo. Vide Suarez loco citato, & ea, quæ infra tradam de communicatione idiomatum.

11 Sed modò dubium ſupereſt. Primo, Vtrum ſicut Beatiſſima Virgo verè fuit mater Chriſti; ita etiã aliquis homo potuerit de potentia Dei abſoluta eſſe verè pater Chriſti;

ita vt ſicut Chriſtus verè habuit matrem naturalem, ita etiam verò potuerit habere patrem, atque adeò naſci ex fœmina, & viro.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt primo, quia hoc non implicat contradictionē. Secundò, quia non eſt maior ratio, cur Deus potuerit facere, vt fœmina ſit Mater Dei, & non potuerit facere, vt aliquis vir pater Dei exiſteret. Tertiò, quia certum eſt Deum poſſe aſſumere, & terminare naturam hominis geniti ab alio homine. Ergo poteſt etiam illam aſſumere in primo inſtanti, quo perficitur generatio; ſicut enim poteſt illam aſſumere poſt generationem, auferendo, & deſtruendo ipſius ſubſiſtentiam; ita etiam poteſt illam aſſumere in primo inſtanti impediendo, ne producatur ſubſiſtentia. Ita Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 11. ſect. 3. Tannerus tom. 4. d. 2. quæſt. 2. dub. 1. num. 4. contra quendam recentiorem Sancti Thomę interpretem.

Obijcies primo, generatio actiua terminatur ad perſonam, non ad humanitatem; ſed actio virilis ſeminis non poteſt terminari ad perſonā Verbi; cum enim ſit actio naturalis, non poteſt vnire humanitatem perſonæ Diuinæ.

Reſpondeo, generationem actiuā proximè verſari circa naturam, vltimatè verò terminari ad ſuppoſitū, nam virtute generationis vniuntur partes, ex quibus poſtea reſultat ſuppoſitum, quod denominatur genitum, vel natum.

Obijcies ſecundò, Deus non potuit ita concipi, vt ex vi ſuæ originis obligationem haberet contrahendi peccatum originale, hoc enim eſt contra naturam, & dignitatem diuini Verbi; ſed ſi conciperetur ex viro haberet obligationem contrahendi peccatum originale, nam iſta obligatio cadit in omnes homines ab Adamo deſcendentes. Ergo Chriſtus non potuit concipi ex viro, & fœmina ſimul.

Reſpondeo primo, Deum potuiſſe de potentia abſoluta producere nouum hominem ab Adamo non deſcendentem, ex quo ipſe conciperetur, & ſic ipſe non fuiſſet obnoxius culpæ originali.

Reſpondeo ſecundo, negando fore, vt Chriſtus obnoxius eſſet vinculo peccati originalis; nā implicat naturam humanam vnitam perſonæ diuinæ infectam eſſe vlla culpa, vt infra ex profeſſo probabo.

12 Secundò, Dubium eſt, Vtrum Beatiſſima Virgo dici poſſit mater naturalis Chriſti, & Chriſtus filius naturalis Beatiſſimæ Virginis.

Reſpondeo, dici Matrem naturalem, & filium naturalem, ſi terminum præcisè ſpectemus; Chriſtus enim habuit naturam eiuſdem rationis cū noſtra traductam ex Matre; ad hoc autem, vt quis dicatur filius naturalis, opus eſt, vt habeat ex vi ſuæ originis naturam eiuſdem rationis cum alijs hominibus, & non attenditur modus originis, ſed terminus originis, ſicut vt aliqua dicatur mater naturalis, opus eſt, vt communicet naturam eiuſdem rationis, licet miraculosè id efficiat; terminus enim eſt naturalis; actio verò, ſeu modus eſt ſupernaturalis; ſicut vinum, aut panis miraculosè factus, poteſt eſſe verus, & naturalis.

Digitized by Google

ſis quamuis actio ſit miraculoſa, & Cæcus miraculosè illuminatus dicitur habere viſum naturalem, quamuis illum ſupernaturali actione acquiſierit.

Obijcies, Conceptio Chriſti fuit ſupernaturalis; ſed tā Beatiſs. Virgo dicitur mater Chriſti ratione conceptionis, quam Chriſtus filius. Ergo Beatiſſima Virgo non poteſt dici mater naturalis, & Chriſtus filius naturalis.

Reſpondeo, Conceptionem dici ſimpliciter miraculoſam, & ſupernaturalem, quia vnumquodque magis iudicatur ſecūdum formam, quam ſecundum materiam, & ſecundum agens, quam ſecundum patiens; cum autem conceptio Chriſti ſecundum virtutem actiuam non fuerit naturalis, ſed ſupernaturalis, ſequitur conceptionem Chriſti dici ſupernaturalem; dici vero naturalem ſolum ſecundum quid, ideſt ex parte materiæ, quia id quod Beatiſſima Virgo miniſtrauit totum eſt naturale. Ita in terminis S. Ambroſ. in lib de Incarnat. cap. 6. S. Thomas 3. par. quæſt. 33. art. 4. Suarez ibid. in comment.

QVÆSTIO QVINTA.

De morte Beatiſſimæ Virginis, & ipſius in Cœlum Aſſumptione.

Punctum Vnicum.

An, & qua ætate Beatiſsima Virgo obierit, & an in Cœlum aßumpta fuerit.

1 *Maria Virgo mortem obijt.*
2 *Maria Virgo probabiliter mortua non fuit ex morbo, & multo minus ex martyrio, ſola Dei voluntate, aut vi ardentiſsimi amoris.*
3 *Maria V. obijſſe videtur anno ætatis ſuæ 63. licet alij aliter ſentiāt.* . Bon. de Incar.
4 *Maria V. ſtatim poſt mortem beata fuit.*
5 *Maria V. aſſumpta fuit in cœlum poſt triduum mortis, licet alij aliter ſentiant.*
6 *Gloria Mariæ V. quanta fuerit.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 Beatiſſima Virgo mortē obijt. Probatur primo, quia ita ſentiunt communiter Patres, vt Dyoniſius Areopagita, Damaſc., Epiphanius, Nicephorus, Simeon Metaphraſtes de dormitione Deiparæ, & alij

quos citat, & ſequitur Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 21. ſect. 1. verſ. nihilominus; nec diſſentit Epiphanius Hereſi 78. licet noſtram ſententiam definire non audeat, aſſerens non eſſe in ſcriptura expreſſam. Secūdo, quia hic eſt communis Eccleſiæ ſēſus hoc tēpore. Tertio, quia omnes filij Adæ obnoxij ſunt morti, iuxta illud, *Sicut in Adam omnes moriuntur. &c.* & alibi, *ſtatutum eſt omnibus ſemel mori*. Ergo etiam Beatiſſima Virgo obnoxia fuit morti, cum nulla authoritas, vel ratio oppoſitum ſuadeat. Quarto, quia par fuit, vt Beatiſſima Virgo aſſimilaretur Chriſto, quem conſtat fuiſſe paſſibilem, & mortalē. Quinto quia hoc pacto excluditur error eorum, qui finxerunt Beatiſſimam Virginem cœleſti quadam, ſeu Angelica natura præditam fuiſſe.

2 Maior difficultas eſt, ex qua cauſa obierit, an videlicet ex morbo, & ægritudine, aut alia de cauſa, vel occaſione.

Reſponderi probabiliter poteſt, mortuam non fuiſſe ex morbo, ſeu ægritudine, ſeu cauſa naturali, ſed ſola Dei volūtate, & arbitrio. Sic .n. mortuus eſt Moyſes, cui dixit Deus, Deuteron. 32. *Aſcende in montem, & morere*, & cap. 34. dicitur, *Mortuus eſt ibi Moyſes ſeruus Domini in terra Moab iubente Domino*, quo etiam pacto mortuum fuiſſe ferunt Ioannem Euangeliſtam, teſte Nicephoro lib. 2. cap. 42. quem etiā Baronius, & alij quos referam diſp. 3. putant ſenio confectum obijſſe. Addit Suarez loco citato Beatiſſimam Virginem mortuā non fuiſſe ex morbo aliquo, ſed vi ardentiſſimi amoris, & contemplationis; tanta enim eſſe potuit horum actuum vis, & intēſio, vt vires corporis paulatim deſtituerētur, & anima in corpore ſeruari non poſſet.

Hinc colligitur falsā eſſe illorum ſententiam, qui aſſeruerunt Beatiſſimam Virginem martyrio coronatam obijſſe; id enim nulla ſufficienti ratione, vel auctoritate probatur, & verba illa Simeonis, *Tuam ipſius animam gladius pertranſibit*, non intelliguntur de corporali ipſius morte, ſed potius de dolore, quē Beatiſſima Virgo de Chriſti cruciatibus percepturaerat.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Beatiſſima Virgo obijſſe videtur anno ætatis ſuæ ſexageſimo tertio. Ratio eſt primo, quia hæc eſt vulgi opinio, quam Baronius anno Chriſti 48. aſſerit fundari in quadam traditione. Secūdo, quia fideles communiter coronam Beatiſsimæ Virginis abſoluūt 63. ſalutationibus in memoriam annorum ipſius. Tertio, quia aſſumptio Beatiſsimę Virginis contigit anno ſexto Imperij Claudij qui, eſt annus 48. à natiuitate Chriſti, & 14. à Chriſti paſſione; ſi ergo quadraginta octo anni coiungantur cum quindecim annis, quos Beatiſsima Virgo habebat ante Chriſti Natiuitatem, conſtituētur ſexaginta tres anni. Ita Euſeb. ſeu potius Additionator ad Cronicū Euſebij anno 48. Frāciſcus Biuarius in cometarijs Dextri anno 48. pag. 95. & ſeqq. Suarez diſp. 21. ſect. 1. col. 4. verſ. alij verò. Turrianus lib. 3. pro Epiſtolis Pontificijs cap. 16. Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 1. dub. 5. n.

Digitized by Google

140. quamquam Suarez, & Baronius locis citatis probabilius putãt Beatiſsimam Virginem obijſſe anno 72. alij anno 59. alij anno 60. alij anno 57. alij anno 58. alij anno 35. Vide Biuarium loco citato, vbi noſtrã ſententiam pluribus probat.

TERTIA PROPOSITIO.

4 Beatiſsima Virgo ſtatim poſt mortem vidit Deum, & beata fuit; anima enim perfectè purgata, & mũda, ſtatim ac corpore exuta eſt videt Deum, vt ex certiſsimis fidei articulis oſtendam in tractatu de beatitudine. Corpus tamen Beatiſſimæ Virginis poſt ipſius mortem in ſepulcro reconditum fuit, vbi multis miraculis claruit, teſtibus Damaſceno, Simeone Metaphraſte, & alijs apud Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 21. ſect. 2. initio; paulo verò poſt, animam iterũ corpori vnitã, & in Cęlũ aſſumptam fuiſſe vniuerſa credit, & ſolemni Aſſumptionis feſto teſtatur Eccleſia, & Patres vnanimi conſenſu fatẽtur. Ratio eſt, Tum quia ſic decebat innocentiam, & puritatẽ Beatiſsimæ Virginis; par enim non erat, vt illa quæ nullas carnis maculas cõtraxerat, corruptioni, & vermibus ſubijceretur, aliorũque reſurrectionẽ expectaret. Tum quia filius hunc honorem matri, & ſpõſus ſponſæ exhibere debebat. Nã ſicut Salomon, 3. Reg. 2. in ſpeciali throno matrem ſuam collocauit; ita etiam par fuit, vt Chriſtus in cœlis regnãs, matrem ſuam ad ſublimem thronum eueheret. Tum quia nonnulli probabiliter putant Ioannem Euangeliſtam cum corpore glorioſo reſurrexiſſe, & illos, qui cũ Chriſto ſurrexerunt, nunc in cœlis glorioſos animo, & corpore exiſtere. Alias rationes affert Suarez diſp. 21. ſect. 2.

Ex quo licet inferre, Aſſumptionem Beatiſſimæ Virginis in cœlum non poſſe hoc tempore ſine temeritatis nota negari, vt benè Corduba lib. 1. quæſt. 17. Suarez loco citato, & alij. Imò aliqui Doctores exiſtimant id eſſe de fide, alij putant ſolum probabilius, aut pium.

5 Quæres primo, quo tempore poſt motrem Beatiſſima Virgo in Cœlum aſſumpta fuerit.

Reſpõdeo, iuxta probabiliorem ſententiam aſſumptam fuiſſe poſt triduum. Tum quia ita refert Nicephorus, & alij. Tum quia veroſimile eſt Chiſtum voluiſſe ſibi Matrem ſuam etiam hac in parte ſimilem eſſe; quamquam alij putant eodem die decimaquinta Auguſti, mortem, reſurrectionem, & Aſſumptionem contigiſſe, quia Eccleſia omnia eodem die celebrat. Alij arbitrãtur reſurrexiſſe, & Aſſumptam fuiſſe quadraginta diebus poſt mortem.

6 Quæres ſecundò, ad quantam gloriæ perfectionem Beatiſſima Virgo aſſumpta fuerit.

Reſpondeo, id colligi debere ex ſupradictis de gratia ipſius, præmium enim reſpondet merito, & gloria gratiæ. Vide Suarez diſp. 21. ſect. 3.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Sacroſancto Incarnationis Myſterio.

HÆC DISPVTATIO viginti quatuor Quæſtionibus abſoluetur.

In I. Agetur De Incarnatione Diuini Verbi, quoad definitionem, ſeu eſſentiã, exiſtentiam, conuenientiam, neceſſitatem, finem, & tempus.

In II. De vnione Verbi Incarnati, & termino, ſeu effectu vnionis.

In III. De perſona aſſumente naturam humanam.

In IV. De Natura aſſumpta.

In V. De termino totali, & adęquato Incarnationis, qui eſt Chriſtus Dominus conſtans perſona aſſumente, & natura aſſumpta.

In VI. De communicatione idiomatum, ideſt proprietatum, ſeu attributorum conſequentium vnionem hypoſtaticam.

In VII. De gratia Chriſti tam habituali, & ſancti-

ſicante

Digitized by Google

ficante, quam actuali, & gratis data, alijsq; donis, & virtutibus.

In VIII. De ſcientia Chriſti.
In IX. De potentia Chriſti.
In X. De defectibus, ſeu miſerijs Corporis, & Animæ Chriſti.
In XI. De Vnitate Chriſti quo ad eſſe, ſeu exiſtentiam; & quo ad voluntatem.
In XII. De merito Chriſti.
In XIII. De ſatisfactione Chriſti.
In XIV. De ſubiectione Chriſti.
In XV. De Oratione Chriſti.
In XVI. De adoptione Chriſti.
In XVII. De prædeſtinatione Chriſti.
In XVIII. De Chriſto Capite.
In XIX. De Chriſto mediatore.
In XX. De Sacerdotio Chriſti.
In XXI. De Chriſto Propheta.
In XXII. De Chriſto Rege.
In XXIII. De Chriſto Legiſlatore, & Iudice.
In XXIV. De Antichriſto primario Chriſti aduerſario.

Digitized by Google

QVÆSTIO PRIMA.

De Incarnatione Diuini Verbi quoad definitionem, ſeu eſſentiam, exiſtentiam, conuenientiam, neceſſitatem, finem, & tempus.

PRimo loco explicabo, Quid ſit Incarnatio. Secundò, An ſit poſſibilis, & naturaliter cognoſci, vel demoſtrari poſſit eſſe poſſibilem, aut factam fuiſſe. Tertiò, An ſit conueniens. Quartò, An fuerit neceſſaria. Quintò, Ad quem finem facta, & an præfinita fuerit ante præſcientiam peccati originalis. Septimò, An conuenienti tempore facta ſit.

Punctum Primum.

Quid ſit Incarnatio.

1 *Incarnatio quid ſit.*

2 *Incarnatio quibus nominibus efferatur.*

VNICA PROPOSITIO.

1 INcarnatio eſt actio, per quam filius Dei vniuit ſibi naturam humanam in ſua hypoſteſi, ideſt per quam aſſumpſit naturam humanam ad ſuam ſubſiſtentiam, iuxta illud Ioannis 1. *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*. & licet nomen Incarnationis ſtrictè acceptum ſignificet vnionem ad carnem præciſè; hic tamen accipitur pro aſſumptione naturæ humanæ, conſtantis anima, & carne; caro enim per ſinecdochem frequenter accipitur pro compoſito ex anima, & carne, vt ex loco illo Geneſis 6. *Omnis caro corruperat viam ſuam*. vt benè docet Didacus Aluar. de Incarnatione in proœmio verſ. vt autem.

2 Incarnatio alio nomine vocari ſolet vnio, ſeu vnitio hypoſtatica, quæ nihil eſt aliud, quam actio, per quam natura humana vnita eſt perſonæ filij Dei. Alio nomine vocatur aſſumptio, ideſt ſumptio ad ſe; filius enim Dei per Incarnationē ſumpſit ad ſe naturam humanam. Hæc tamen eſt differentia inter vnionem, & aſſumptionē, quod aſſumptio duo connotat, nempè perſonam verbi tanquam cauſam efficientem vnionis; & eandem perſonam verbi tanquam terminum ipſius vnionis; ver-

bum

bum enim ſimul cum alijs perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis effecit incarnationem, vt infra probabo; & præterea ipſamet perſona verbi terminauit naturā humanā, quia illam conſtituit in eſſe ſubſiſtentis ſupplendo ſubſiſtentiam humanitatis; vnio verò non ſignificat cauſam efficientem, vel terminantem vnionis, ſed ſignificat actionem vniendi, vel ipſammet coniunctionē, vt infra oſtendam. Incarnatio à Damaſceno lib. 3. cap. 6. appellatur inhumanatio; ab Hilario in prologo ſuper pſalmos, vocatur corporatio; ab Auguſtino Epiſtol. 3. ad Voluſianum nuncupatur mixtura admirabilis; ab alijs alio nomine effertur, vt benè proſequitur Gregorius de Valentia tom. 4. diſp. 1. queſt. 1. pun. 1. Io. Puteanus tom. 2. q. 1. art. 1. dub. 1. Tannerus tom. 4. diſp. 1. q. 1. dub. 1. num. 2. & ſeqq.

Punctum Secundum.

An Incarnatio ſit poſſibilis, & an naturaliter cognoſci, vel demoſtrari poſſit, poſſibilem eſſe, aut factam fuiſſe.

1 *Incarnatio poſſibilis eſt.*

2 *Quæ infinitè inter ſe diſtāt nō poſſūt inter ſe vniri in eo, in quo infinitè diſtant.*

3 *Deus immutabilis eſt.*

4 *Ex duobus entibus in actu completo non poteſt fieri vnum ens per ſe; natura autem humana priuata propria ſubſiſtentia nō eſt ens in actu completo.*

5 *Chriſtus eſt ens per ſe, etiam poſita Incarnatione.*

6 *Humanitas à Verbo aſſumpta non eſt priuata propria exiſtentia ſed ſubſiſtentia.*

7 *Incarnationis poſſibilitas non poteſt naturali lumine clarè cognoſci.*

8 *Angelus naturaliter non cognoſcit naturam humanam caruiſſe propria ſubſiſtentia.*

9 *Angelus naturaliter cognoſcit Deū eſſe omnipotentem non quidem diſtinctè, & euidenter, ſed in generali, & in confuſo.*

10 *Incarnationem factā fuiſſe non poſſumus naturali lumine cognoſcere.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 Incarnatio poſſibilis eſt. Ratio eſt. Tum quia non implicat Deū fieri hominē, non .n. implicat ex parte Dei, neque ex parte naturę aſſumptæ. Ergo incarnatio poſſibilis eſt, illud enim eſt poſſibile, quod non implicat cōtradictionem. Tum quia potentia Dei non eſt finita, ſed infinita, *Non enim eſt impoſſibile apud Deum omne verbum*, Lucæ 1. Tum quia verum eſt Deum factum fuiſſe hominem. Ergo Deus fieri potuit homo. Ergo incarnatio poſſibilis eſt, alioquin Deus factus non fuiſſet homo. Ita communiter Doctores. Quomodo autem poſſibilitas, ſeu myſterium Incarnationis in ſpecie probari poſſit contra Iudęos. Videri poteſt apud Suarez 3. par. tom. 1. diſp. 1. & 2. apud Valentiam tom. 4. diſp. 1. quæſt. 1. pun. 2. apud Puteanum q. 1. art. 1. dub. 4. & apud Tannerum tom. 4. diſp. 1. quæſt. 1. dub. 2.

2 Obijcies primo, impoſſibile eſt, vt ea, quę inter ſe infinitè diſtant, inter ſe vniātur, & conſtituant vnum

per

per ſe; finiti enim ad infinitum non eſt proportio; Sed Deus, & natura humana infinitè inter ſe diſtant. Ergo impoſſibile eſt, vt inter ſe vniantur, & conſtituant vnum per ſe. Ergo incarnatio impoſſibilis eſt. Cõfirmatur quia maior eſt diſtantia inter perſonam diuinam, & naturam humanam, quam inter ſubſtantiam, & accidens; Sed tanta eſt diſtantia inter ſubſtantiam, & accidens, vt non poſſint inter ſe vniri, ita vt ex ijs conſtituatur vna ſubſtantia. Ergo multo minus perſona Diuina, & natura humana ſic vniri poterunt, vt ex eis vnica ſubſtantia exiſtat.

Reſpondeo impoſſibile eſſe, vt ea, quæ inter ſe infinitè diſtant, vniantur, & conſtituant vnum per ſe in eo, in quo infinitè diſtant; Deus aũt, & humanitas, licet infinitè diſtent in ratione perfectionis, non tamen infinitè diſtant in genere cauſæ, & effectus, aut in proportione habitudinis, ſeu ordinis, aut in genere principij terminantis, ſeu ſuſtentantis ad rem terminatam, & ſuſtẽtatam; conſequenter hoc pacto vniri poſſunt, ſicut enim aliæ res creatæ, licet in ratione perfectionis, & potentiæ infinitè diſtent ab omnipotentia Dei, quia tamen non diſtant in ratione cauſæ, & effectus, poſſunt eſſe effectus omnipotẽtię Dei: ita licet De⁹, & natura humana infinitè diſtent in ratione entitatis, & perfectionis, non tamen infinitè diſtãt in ratione principij terminantis ad rẽ terminatam; conſequenter Deus terminare poteſt naturam humanam. Ad confirmationem, Reſpondeo maiorem eſſe diſtãtiam quoad entitatem, & quoad perfectionem inter perſonam diuinam & naturam humanam, quam inter ſubſtantiam, & accidens; eſſe tamẽ maiorem proportionem habitudinis, & ordinis inter perſonam diuinam, & naturam humanam, quam inter ſubſtantiam, & accidens ad conſtituendam vnam ſubſtantiam; natura enim ſubſtantiæ, & accidẽtis eſt, vt vnam ſubſtantiam conſtituere non poſſint; perſona vero diuina naturam humanam terminare poteſt.

3 Obijcies ſecundo, impoſſibile eſt Deum mutari; Deus enim immutabilis eſt; *Ego Deus, & non mutor*, Malachiæ 3. *Apud quem non eſt transmutatio*, Iacobi 1. Ergo impoſſibilis eſt incarnatio; nam per incarnationem Deus fieret homo, conſequenter mutaretur; mutari enim eſt aliter ſe habere nunc, quam prius; verbum autem per incarnationem aliter ſe nunc haberet, quàm anteà; nã prius nõ erat homo, poſt incarnationẽ eſſet homo. Ergo eſſet mutatus. Neq; dici põt aliter ſe habere per denominationẽ extrinſecam ſumptã ab humanitate aſſumpta; nã ſic verbũ non diceretur vnitum, niſi denominatiuè, & Deus non eſſet factus homo, niſi denominatiuè, & extrinſecè, vt argumentantur Alexander Peſantius 3. par. quæſt. 1. diſp. 1. difficultate 1. & alij.

Reſpondeo, negando primam cõſequentiam; Deus enim ob incarnationem fit quidem homo, cum antea non eſſet homo; non tamen ob id dicitur mutari, ſed mutatio fit in hũmãitate, cum in ipſa recipiatur vnio, per quam humanitas vnitur verbo, & verbum humanitati. Alias reſpõſiones affert Gregorius de Valentia tom. 3. diſp. 1. quæſt. 1. pun. 2. ad 2.

ad 2. argum. Sed mihi non placent.

Dices, Verbum non minus remanet vnitum humanitati, quā humanitas verbo; ſed humanitas dicitur mutari ob huiuſmodi vnionem. Ergo etiam verbum.

Reſpondeo, vnionem dupliciter ſpectari poſſe; Primo, ratione ſubiecti, quod eſt humanitas, in qua vnio recipitur. Secundo, ratione termini, quod eſt verbum terminans ipſam vnionem. Verbum remanet intrinſecè vnitum humanitati, non tāquam ſubiectum, ſed tamquam terminus vnionis; conſequenter mutatio non eſt in ipſo verbo, ſed in humanitate, vt benè Becanus de incarnatione cap. 2. q. 2. num. 12. Suarez diſp. 8. ſect. 3. col. 9. verſ. ſecundum caput.

4 Obijcies tertio, ex duobus entibus in actu nō poteſt fieri vnū ens per ſe; ſed perſona diuina, & natura humana ſunt entia in actu. Ergo ex ijs conſtitui nō poteſt vnum ens per ſe; cōſequenter conſtitui non poteſt perſona, quæ in natura diuina, & humana ſubſiſtat.

Reſpondeo ad maiorem propoſitionem, ex duobus entibus in actu cōpleto, perfecto, & terminato nō poſſe conſtitui vnum ens per ſe; natura autē humana priuata propria ſubſiſtentia non eſt in actu completo, & perfecto; ſed in potentia ad perſonalitatem, tanquam ad terminum ſubſtantialem, per quem ſubſiſtat; conſequenter ex natura humana, & perſonalitate verbi conſtitui poteſt vnum ens per ſe, idest vna prima ſubſtantia, ſeu perſona, vt benè Valentia d. 1. q. 1. pun. 2. ad 5. argum. Suar. d. 8. ſect. 1. Puteanus q. 1. art. 1. dub. 2. & alij, & hæc obiectio non longè differt à ſubſequenti.

5 Obijcies quarto, ſi daretur Incarnatio ſequeretur Chriſtū eſſe ens per accidens; tunc enim dicitur ens per accidens, dum aliquid aduenit enti perfecto, & completo. Ergo incarnatio dari nō poteſt, quia Chriſtus eſt ens perfectum, & completū.

Reſpondeo negando ſequelam. Tum quia Chriſtus eſt ens per ſe, etiam poſita incarnatione; *Sicut enim anima rationalis, & caro vnus eſt homo; ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus*. Tum quia verbum non fit ens per accidens ob incarnationem, cum per incarnationem non mutetur, & nihil reale in ſe recipiat, ſed eſt terminus vnionis. Neq; natura humana dici poteſt fieri ens per accidens; tunc enim dicitur fieri ens per accidens, dum aliquid aduenit enti completo, & perfecto; natura autē humana, cui verbum vnitur per incarnationem, non dicitur ens completum, & perfectum, cum careat propria ſubſiſtentia, & perſonalitate, quæ ſuppletur per ſubſiſtentiam, & perſonalitatem verbi, cui vnitur.

6 Obijcies quinto, impoſſibile eſt humanitatē priuari propria exiſtentia, cum exiſtentia ſit de intrinſeca ratione rei exiſtentis, & impoſſibile ſit rem aliquam exiſtere per exiſtentiam à ſe diſtinctam. Ergo incarnatio impoſſibilis eſt; nam humanitas per incarnationem amitteret propriam exiſtentiam.

Dices, humanitatē nō priuari propria exiſtētia, ſed ſubſiſtētia. Cōtra, quia in natura ſubſtātiali cōpleta, & integra idē eſt exiſtentia, & ſubſiſtētia;

tia, nã exiſtentia naturæ ſubſtãtialis eſt ſubſtantialis. Ergo eſt exiſtentia per ſe. Ergo eſt ſubſiſtentia.

Reſpondeo, humanitatem à verbo aſſumptam non priuari propria exiſtentia, ſed ſubſiſtentia, & perſonalitate; aliud enim eſt exiſtentia, aliud ſubſiſtentia, vt communior, & receptior Doctorũ Schola tradit in Metaphyſicis. Vt hæc ſolutio intelligatur, aduertendum eſt primò, exiſtentiam rei in rebus creatis non diſtingui ab ipſius rei eſſentia, & entitate, ſed eſſe ipſam rei entitatẽ, quatenus entitas actualis eſt, habens eſſe extra cauſas ſuas; eſſentia enim, ſeu entitas rei dupliciter ſpectari poteſt. Primo, vt poſſibilis. Secundo, vt actualis; in eſſe actuali conſtituitur formaliter per ipſammet exiſtentiã, quia res, ſeu entitas rei per exiſtentiam ponitur extra ſuas cauſas.

Ex quo fit, vt Chriſtus aſſumẽdo naturam humanam, dicatur etiam aſſumpſiſſe ipſius exiſtentiam.

Secundo, aduertendum eſt ſuppoſitum, ſeu perſonalitatem, ſeu ſubſiſtentiã, ſeu hypoſtaſim in rebus creatis, nihil aliud eſſe, quam terminum naturæ, ſeu modum quendam ſubſtantialem, per quem natura terminatur, vt in ſe, & per ſe exiſtat abſq; alio ſuſtentante.

Tertio, aduertendum eſt perſonalitatem, ſeu ſubſiſtentiam ex natura rei diſtingui à natura exiſtente, ſeu ab exiſtentia, tanquam modum à re; ſicut inhærentia actualis accidẽtis diſtinguitur ab ipſa entitate accidentis. Quamobrem natura ex vi exiſtẽtiæ hoc ſolum habet, vt ſit ens actu, aptum, vt in ſe, & per ſe exiſtat; ſubſiſtentia verò eſt terminus naturæ faciens, vt illa in ſe, & per ſe exiſtat; qui terminus ſtatim conſequitur naturam exiſtentem, niſi miraculosè impediatur, ſicut exiſtentia accidentis eſt entitas ipſius exiſtens extra ſuas cauſas, apta inhærere ſubiecto. Actualis verò inhærentia eſt modus, per quem accidens actu inhæret, qui modus ſtatim conſequitur ipſum accidens actu exiſtens, niſi impeditur. Vide Suar. de Incarnat. diſp. 8. ſect. 3. columna 2.

Dices, ſi ſubſiſtentia eſt modus quidam ſubſtantialis diſtinctus à natura, ſequitur, Chriſtum non eſſe verum, & perfectum hominem, quia aſſumpſit naturam humanam ſine ſubſiſtentia.

Reſpondeo, ſubſiſtentiã eſſe quidem modum ſubſtantialem, per quẽ homo completur in ratione ſuppoſiti; non tamen pertinere ad rationem naturæ humanæ, ſeu hominis, vt homo eſt; homo enim formaliter in eſſe hominis conſtituitur per humanitatem: conſequenter Chriſtus eſt perfectus homo, cum habeat humanitatem, & licet non ſubſiſtat ſubſiſtentia humana; ſubſiſtit tamẽ ſubſiſtentia diuina.

Hic afferri poſſẽt aliæ obiectiones contra primam propoſitionem, ſed ipſarum ſolutiones conſtabunt ex infra dicendis ſuis locis.

Ex dictis colligi poteſt nulla vera ratione probari, vel conuinci poſſe myſteriũ Incarnationis eſſe impoſſibile. Ratio eſt, quia verum vero non repugnat, nullumq; falſum eſt demõſtrabile; ſed myſterium Incarnationis eſſe impoſſibile, eſt falſum, cum ex fide conſtet eſſe poſſibile, & factũ fuiſſe. Ergo nulla vera ratione probari

Digitized by Google

bari, & conuinci poteſt hoc myſterium eſſe impoſſibile. Ita communiter Doctores.

SECVNDA PROPOSITIO.

7 POſſibilitas Incarnationis non poteſt naturali lumine clarè, & euidenter cognoſci, vel demonſtrari. Ratio eſt primo, quia ex ſcriptura conſtat rationem myſterij Incarnationis,& cõſequenter eius poſſibilitatem,longè diſtare à cognitione naturali cuiuſlibet creaturæ,Iſaię 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Pſal. 23. *Quis eſt iſte rex gloria?* & Matth. 16. Petro confitenti hoc myſterium his verbis, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, reſpondit Chriſtus, *Caro, & Sanguis non reuelauit tibi*. 1. Corinth. 2. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, qua abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram, quam nemo principum huius ſæculi cognouit*. Ad Epheſ. 3. *Mihi omnium Apoſtolorum minimo data eſt gratia hæc in gentibus, euangelizare inueſtig abiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo*. Secundo, quia ad agnoſcendam incarnationẽ opus eſt, vt præcedat duplex cognitio. Prima eſt, vt cognoſcatur myſterium trium perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis. Secunda eſt,vt cognoſcatur naturam humanam ſeparari poſſe à propria ſubſiſtẽtia, & vniri poſſe ſubſiſtentię verbi, ideſt ſecundæ perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis; hæc autem clarè, & euidenter cognoſci non poſſunt ab vlla creatura humana, vel Angelica. Ita Medina 3. par. q. 2. introductoria,Suar. d. 3. ſect. 1. Valentia puncto. 2. & alij communiter.

Dixi in propoſitione, clarè, & euidenter, vt innuerem poſſibilitatem incarnationis naturaliter cognoſci, & demõſtrari poſſe cognitione quadam imperfecta,& ſecundum quid, quamuis clare, & euidenter cognoſci non poſſit. Ratio eſt, quia ad cognoſcendum aliquid eſſe poſſibile, ſatis eſt ſoluere omnia argumenta, quæ ad probandam ipſius impoſſibilitatem adducuntur; ſed argumenta,quæ afferuntur ad probandam Incarnationis impoſſibilitatem, à nobis ſolui poſſunt, nam in quolibet argumẽto allato ad probandam Incarnationis impoſſibilitatem aſſignare poſſumus defectum aliquem in materia, vel forma argumenti. Ergo poſſibilitas incarnationis naturaliter cognoſci,& demõſtrari poteſt cõgnitione quadam imperfecta, & ſecundum quid, vt benè in hac parte argumentatur Valentia pun. 2. aſſertione 2. contra Suarez,& Tannerum loco citato.

8 Obijcies cõtra propoſitionem, primo Angelus naturaliter cognoſcit humanam naturam caruiſſe, & ſeparatam fuiſſe à propria perſonalitate,& ſubſiſtentia; natura autẽ,& perſonalitas naturę humanę eſt ordinis naturalis,& Angelus naturaliter penetrat naturam humanam, & totam ipſius capacitatẽ, conſequenter perfectè cognoſcit quicquid circa ipſam fieri poteſt,vel factum fuit. Ergo Angelus naturaliter cognoſcit myſterium incarnationis, alioquin non cognouiſſet carentiam perſonalitatis in natura humana,nec humanam Chriſti naturam penetraſſet,

quod

Digitized by Google

quod non eſt admittendum.

Reſpondeo primo, negando conſequentiam, quia licet admitterem Angelum cognouiſſe naturã humanam carentem perſonalitate; non tamen cognouit illam ſubſiſtere perſonalitate verbi; cum dubitare poſſet, an natura humana per diuinam potentiam ſubſiſteret ſine vlla perſonalitate, Deo efficienter ſupplente perſonalitatem, & ſubſiſtentiam, aut an ſibi perſonalitas miraculosè occultaretur.

Reſponderi poteſt ſecundo, negando antecedens; cum enim natura humana duplicem habeat capacitatem, vnam naturalem, alteram obedientialem, per quam Deus ſupernaturaliter in ea facere poteſt, quicquid non implicat cõtradictionem. Angelus non penetrat naturam humanam ſecundum capacitatem obedientialem, cõſequenter naturaliter cognoſcere non poteſt ſeparationem naturæ humanæ à perſonalitate, cum hæc ſeparatio fieri non poſſit naturaliter, ſed ſolum ſupernaturaliter per potentiam obedientialem, vt benè docent Suarez 3. par. tom. 1. diſp. 3. ſect. 1. concl. 2. & ſect. 2. Tannerus num. 19. & alij communiter.

9 Obijcies ſecundo, Angelus naturaliter cognoſcit Deum eſſe omnipotentem, conſequenter poſſe facere quicquid non implicat contradictionem; ſed myſterium incarnationis non implicat contradictionem. Ergo Angelus naturaliter cognoſcere poteſt myſterium incarnationis, ſeu incarnationem eſſe poſſibilem.

Reſpondeo, Angelum generatim, & in confuſo naturaliter cognoſcere Deum eſſe omnipotentem, & poſſe facere quicquid non implicat contradictionem; non tamen diſtinctè, euidenter, & in particulari cognoſcit, an hoc, vel illud myſterium implicet contradictionem, quia non penetrat omnipotentiam Dei, & potentiam obedientialem creaturæ.

TERTIA PROPOSITIO.

10 Naturali lumine non poteſt euidenter cognoſci, vel demõſtrari incarnationem factã fuiſſe. Ratio eſt; tum quia nulla cauſa, vel effectus naturalis aſſignari poteſt, qui nos ducat in claram incarnationis cognitionem. Tum quia myſterium incarnationis non poteſt cognoſci, niſi præcognito myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis; myſterium autem Sanctiſſimæ Trinitatis naturaliter cognoſci non poteſt. Tum quia ſi extat aliquis effectus, qui cognitionem incarnationis parere poſſit, maximè miracula Chriſti; hęc autem non ſufficiunt, præciſa reuelatione, cum etiã ab Apoſtolis, & ab alijs patrata fuerint miracula, quæ tamen nullam in ipſis diuinitatem arguebant, vt benè ratiocinatur Becanus de Incarnatione quæſt. 2. n. 2. & Suarez diſp. 3. ſect. 2. verſ. ad 1.

Dixi in propoſitione, naturali lumine, quia ſi loquamur de cognitione ſupernaturali poſſibilitatis, aut exiſtentiæ incarnationis, cèrtum eſt illam cognoſci poſſe, quia ex fide, & reuelatione manifeſtè conſtat. Ioannis 1. *Verbum caro factum eſt*, & alibi pluribus in locis. Vide Suarez 3. p. tom. 1. de Incarnat. diſp. 3. ſect. 2. concl.

concl.3. & tota ſect. 2 Medinam loc. cit. & Tannerum quæſt. 1. dub. 1.

Punctum Tertium.

An Incarnatio fuerit conueniens.

1 *Incarnatio conueniens, & conſentanea fuit diuinæ bonitati.*

2 *Incarnatio eſt communicatio excellentior cæteris communicationibus ad extra, non verò ad intra.*

3 *Si plures perſonæ aſſumerent humanitatem, communicatio eſſet maior ſolum extenſiuè.*

4 *Verbi Diuini Incarnatio conuenientior fuit, quam Incarnatio Patris, aut Spiritus Sancti.*

5 *Incarnatio couenîens eſt naturæ humanæ.*

6 *Incarnatio conueniens fuit ad perfectionem vniuerſi.*

7 *Incarnatio conuenientiſſima fuit ad redimendum genus humanum ex perfecta iuſtitia.*

8 *Redemptio generis humani ex perfecta iuſtitia conuenientior fuit redemptione ex mera liberalitate, aut ex imperfecta iuſtitia.*

9 *Liberalitas, & charitas Dei maior fuit tradendo facultatem ſatisfaciendi, quam offenſam gratis condonando.*

10 *Angelorum redemptio conueniens fuiſſet ſi facta fuiſſet.*

11 *Redemptio hominum conuenientior fuit redemptione Angelorum.*

QVatuor principaliter oſtendam in hoc puncto. Primò, Vtrum Incarnatio ex ſe, & ex ſua natura fuerit conueniens Deo, ideſt decens diuinam bonitatem, eique conſentanea. Secundò, an fuerit conſentanea humanæ naturæ. Tertiò, toti mundo. Quartò, an conueniens fuerit ad redimendũ genus humanum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 INcarnatio eſt cõueniens Deo, ideſt conſentanea diuinæ bonitati, & perfectioni. Ratio eſt, quia de ratione ſummi boni eſt, vt ſe ſummè communicet; ſicut enim de ratione boni eſt ſui communicatio, & diffuſio, inquit Dionyſius de diuinis nominibus cap. 4. ita etiam de ratione ſummi boni eſt ſumma communicatio; ſed incarnatio eſt ſumma communicatio diuinæ perſonæ. Ergo incarnatio eſt maximè cõueniens Deo. Minor probatur, quòd ſcilicet Incarnatio ſit ſumma communicatio, tum quia Deus in genere cauſæ formalis per incarnationem cõmunicat ſuam ſubſiſtentiam humanitati, in genere cauſæ efficientis coniungit humanam naturam cum ſua perſonalitate, & per modum cauſæ finalis per incarnationem allicit nos ad ſui amorem; propria enim ratiò boni, eſt ratio finis, ſeu appetibilis, cum bonum moueat appetitum ad ſui deſiderium, & hoc pacto ſe illi communicet, & ad illum ſe diffundat, vt benè Suarez quæſt. 1. in commentar. art. 1. Becanus quæſt. 3. n. 5. Valentia pun. 4. ad 3. obiectionem. Tum quia cum Deus cõmunicauerit ſe creaturæ tribus modis. Primo ſecundum eſſe naturale. Secundo, ſecundum eſſe gratiæ. Tertio, ſecundum vnionem hypoſtaticam, & ſe-

eũdum eſſe ſuum perſonale, hæc tertia communicatio eſt ſumma communicatio, cum per ipſam collatum ſit creaturæ ſummum, & infinitum Donum, ideſt ſubſiſtentia, & perſonalitas diuina. Ita cõmuniter Doctores cum S. Thoma 3. par. quæſt. 1. art. 2.

Obijcies primo, Deus, antequam vniretur, & communicaretur naturę humanæ, exiſtebat, & erat ſummum, & infinitum bonum. Ergo de ratione ſummi boni non eſt communicatio; nam ad rationem boni non pertinet id, ſine quo conſiſtere poteſt bonum, ſed ſolum pertinet id, quod eſt ipſius perfectio, & ſine quo ipſum conſiſtere non poteſt.

Reſpondeo, nos non aſſerere de ratione boni eſſe communicationem ſui, ac ſi hæc ſit aliquid intrinſecum eſſentiæ ipſius, ſed communicationem ſui decere naturam boni, eique conſentaneam eſſe. Ob id etiam dum dicimus incarnationem eſſe Deo conuenientem, non intendimus aſſerere aliquam perfectionem per incarnationem Deo afferri, ſed incarnationem eſſe conſentaneam bonitati, & perfectioni Dei, vt benè S. Thomas 3. par. quæſt. 1. art. 1. ad primam, Tannerus tom. 4. diſp. 1. q. 1. dub. 1. num. 107. Vaſquez 3. par. quæſt. 1. in comment. art. 1. num. 18. Suarez in comment. art. 1. verſ. ex his, Valentia pun. 4. & alij communiter.

2 Obijcies ſecundo, Deus perfectiori modo communicat ſe filio per æternam generationem, & Spiritui Sancto per æternam Spirationem, quã humanitati per incarnationem, cum per illam Deus intrinſecè communicet ſuam naturam, nõ per hanc: Deus enim non communicat, nec communicare poteſt creaturæ naturam, & eſſentiam ſuam; alioquin creatura eſſet Deus per eſſentiam, quod implicat. Ergo incarnatio non eſt ſumma communicatio.

Reſpondeo, nos non conferre communicationem ad extra, vt eſt incarnatio, cum communicatione ad intra, vt eſt proceſſio diuinarũ perſonarum, quam conſtat perfectiorem, & excellentiorem eſſe communicatione ad extra; ſed dicimus incarnationem eſſe cõmunicationem excellentiorem cæteris communicationibus ad extra. Ita Caietanus 3. p. quæſt. 1. art. 1. Tannerus tom. 4. diſp. 1. quæſt. 1. dub. 4. & alij communiter.

3 Dices, maior eſſet communicatio, ſi plures perſonæ diuinæ aſſumerent humanitatem. Ergo incarnatio iam facta, non eſt ſumma communicatio.

Reſpondeo, ſi plures perſonę aſſumerent humanitatem, communicationem fore maiorem ſolum extenſiuè, eſſet enim communicatio eiuſdem rationis, & ordinis.

4 Quæres, An potius decuerit verbum incarnari, quam Patrem, aut Spiritum Sanctum.

Reſpondeo, decuiſſe potius verbum incarnari. Primò, vt qui erat filius Dei ab ęterno, efficeretur filius hominis in tempore. Secundo, vt qui erat filius Dei naturalis, efficeret nos filios Dei adoptiuos. Tertio, vt media perſona inter Patrem, & Spiritum Sanctum, mediator fieret inter Deum, & hominem. Quarto, vt illa perſona aſſumeret naturã, per quam

genus

genus humanum inſtruendum erat; perſona autem, per quam genus humanum inſtruendum erat; eſt verbum diuinum, iuxta illud Sapientiæ 1. *Fons Sapiẽtię verbum Dei in excelſis*. Quinto, vt homo, qui Deum offenderat appetẽdo ſimilitudinem Dei, reconciliaretur Deo per veram Imaginem, & ſimilitudinem Dei. Sexto, vt creatura vniretur illi, per quem tanquam per exemplar omnia facta ſunt; nam quæ ſimilia ſunt, conuenientius vniuntur, iuxta tritum ſermone prouerbium, *Simile ſimili eſt amicum*; Ille autem per quem omnia facta ſunt eſt Verbum Diuinum, Eccleſ. 17. & Ioann. 1. Vide Sanctum Auguſtinum lib. 15. de Trinitate c. 11. Anſelmum de Incarnatione cap. 4. Damaſcenum lib. 4. cap. 4. S. Thomam de Incarnat. quæſt. 3. art. 8. Valentiam tom. 4. diſp. 1. quæſt. 1. pun. 4. col. 3. Becanum de Incarnat. cap. 4. num. 4. Suarez de Incarnat. dip. 12. ſect. 1. col. 1. & 2. verſ. ratione, & alios Commentatores S. Thomæ quæſt. 3. art. 8.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 INcarnatio conueniens eſt naturę humanę, hoc eſt, tribuens illi magnum bonũ, & perfectionem. Ratio eſt, tum quia, *Chriſtus per incarnationem factus eſt nobis ſapientia, iuſtitia, & ſanctificatio*, vt dicitur 1. ad Corint. 1. Tum quia per incarnationem homo factus eſt Deus; conſequenter factus eſt ſuperior Angelis, factus eſt capax infiniti meriti, fons omnium bonorum operum ſpiritualium, & caput vniuerſi; & quamuis iſtæ dignitates, & excellentię videãtur proprię illius naturę, quæ aſſumpta fuit, nihilominus moraliter redundant in totam naturam, vt colligi videtur ex 2. Corint. 2. vbi Paulus ait, *Deum prædeſtinaſſe hoc myſterium ad gloriam noſtram*. Tum quia Deus per incarnationem factus eſt nobis amabilis; ſimilitudo enim eſt cauſa amoris. Ita S. Auguſt. de prædeſtinat. Sanctor. cap. 25. Caietan. de Incarnat. q. 1. art. 1. Suarez diſp. 3. ſect. 3. concl. 2. Becanus c. 1. quæſt. 3. num. 6.

TERTIA PROPOSITIO.

6 INcarnatio cõueniens fuit ad perfectionẽ totius vniuerſi. Ratio eſt, tum quia per incarnationem peculiaris quædam dignitas collata videtur omnibus; cũ enim omnes res creatæ eminenti quadã ratione contineantur in homine, factum eſt, vt Deus aſſumendo naturam humanã, ſibi quodammodo omnes creaturas vniuerit, quo ſpectare videtur illud ad Epheſ. 1. vbi dicitur, *Omnia eſſe in Chriſto inſtaurata*. Tũ quia perfectio vniuerſi poſtulat, vt omnes rerum ordines in eo reperiantur; ordines autem rerum ſunt ordo naturæ, gratię, & vnionis hypoſtaticæ, vt benè ex S. Thoma argumentatur Suarez loco citato cõcl. 3. Tum quia ſicut in ſubſtantijs creatis reperitur vna perſona cum vna natura, & in ſubſtantia increata reperitur vna natura cum triplici perſona, ita par erat, vt plures naturę in vna perſona inuenirentur. Ita communiter Doctores.

QVARTA PROPOSITIO.

7 INcarnatio eſt medium conuenientiſſimum ad redimendum ge-

genus humanum ex perfecta iuſtitia. Ratio eſt, quia nullum conuenientius medium aſſignari poteſt; nã redemptio generis humani ex perfecta iuſtitia conuenientior eſt, quã redẽptio ex imperfecta iuſtitia, & ex mera liberalitate, vt infra probabo; ſed redemptio ex perfecta iuſtitia fieri non poterat ſine vnione naturæ humanæ, aut Angelicæ cum perſona diuina; vnio aũt naturæ humanæ cũ perſona diuina cõueniẽtior eſt ad redẽptionem, quã vnio naturę Angelicæ cũ perſona diuina, vt patebit ex infra dicendis. Ergo Incarnatio eſt medium maximè conueniens ad redemptionẽ generis humani ex perfecta iuſtitia. Ita S. Thomas de Incarnat. q. 1. art. 2. Suarez diſp. 4. ſect. 2. vbi aſſerit hanc eſſe communem Doctorum ſententiam, Becan. c. 1. q. 5.

Dixi, ex perfecta iuſtitia, quia ad redemptionẽ generis humani ex imperfecta iuſtitia, aut ex mera liberalitate, alia congruentia media adhiberi potuiſſent. Vt hoc clarius intelligatur aduertendũ eſt, redemptionem generis humani tribus modis fieri potuiſſe. Primo ex mera liberalitate, & miſericordia Dei; vt ſi Deus gratis homini condonaſſet totã offenſam; cum enim Deus ſit ſupremus omnium Dominus, nulli facere poteſt iniuriã, & cũ ipſi per peccatũ factã fuerit iniuria, poterat illã remittere, & iuri ſuo cedere, & cũ ipſe ſit ſupremus Iudex, & Legiſlator, potuiſſet in lege contra peccatores facta diſpenſare, vt benè argumẽtatur Suarez diſp. 4. ſection. 2. concluſ. 1. Secundò, ex perfecta iuſtitia exigendo ſatisfactionẽ æqualem offenſæ. Tertio, ex imperfecta iuſtitia, vt ſi aliqualem ſatisfactionem exegiſſet, illaq; contentus fuiſſet.

8 Dubium modo eſt, Vtrum redemptio generis humani ex perfecta iuſtitia, conuenientior fuerit redẽptione ex imperfecta iuſtitia, aut ex mera liberalitate.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, tum quia conducebat bono communi, magisq; decebat hominem redimi ex perfecta iuſtitia, ne delicta impunita remanerent. Tum quia ſatisfactio ex perfecta iuſtitia magis cõmendat gloriam, & virtutem hominis, eo quod ipſe poſſit ex perfecta iuſtitia ſatisfacere, nec egeat liberali condonatione. Tũ quia illud opus altiori, & conuenientiori modo fieri dicitur, in quo magis elucent Dei attributa; ſed in redemptione ex perfecta iuſtitia magis elucent diuina attributa, videlicet, ſumma iuſtitia, ſumma miſericordia, & ſumma ſapientia; nam ſummæ iuſtitiæ eſt exigere ſatisfactionem æqualem offenſæ, ſummæ miſericordiæ eſt præbere modum præſtandi ſatisfactionem æqualem, ſummæ ſapientiæ eſt ſimul coniungere ſummam iuſtitiam, & ſummam miſericordiam, quæ ſibi contrariæ videbantur; hoc autem factum fuit per redemptionem generis humani ex perfecta iuſtitia, iuxta illud Pſal. 84. *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt.*

Obijcies primò, miſericordia eſt virtus excellentior virtute iuſtitiæ; cum autem miſericordia minuatur exigendo ſatisfactionem ex perfecta iuſtitia, ſequitur cõuenientiorem fore generis humani redẽptionem ex mera miſericordia; ſic enim in redem-

demptione generis humani magis eluxiſſe miſericordiã, quæ ex ſuo genere eſt altior, & excellẽtior virtus.

Reſpondeo, miſericordiã in hoc caſu diminutam non fuiſſe, ſed magis expreſſam, & exaltatam, quia ſummæ miſericordiæ eſt præbere modum, & facultatem ſatisfaciendi ad æqualitatem.

9 Dices, maior liberalitas, & maior charitas oſtenditur gratis condonando omne debitum, quam ſatisfactionem exigendo; *Nam qui plus amat, plus remittit*, Lucæ 7. Et gratuita iniuriarum condonatio apud homines magis æſtimatur, quam ſatisfactionis exactio.

Reſpondeo cum Suarez loco cit. concl. 1. Becano cap. 1. quæſt. 4. n. 6. maiorem liberalitatem, & charitatem oſtendi tradendo modum, & facultatem ſatisfaciendi, quam gratis offenſam condonando. Neq; eſt par ratio Dei, & hominum; ideo enim apud homines magis æſtimatur gratuita remiſſio, quam exactio ſatisfactionis, quia homines ſatisfactionẽ exigere ſolẽt ex odio, vel intuitu proprij commodi; Deus autem non exigit ſatisfactionem hoc pacto, ſed ex iuſtitia, & charitate, vt dignitas naturæ humanæ magis exaltetur, & ne delicta maneant impunita.

10 Quæres, Vtrum redemptio Angelorum conueniens fuiſſet, ſi facta fuiſſet.

Reſpõdeo affirmatiuè, quia ſicut redemptio generis humani conueniens fuit, eo quod deceat diuinam bonitatem, magnum homini bonũ afferat, & ad maiorem vniuerſi perfectionem conducat; ita etiam redẽptio Angelorum conueniens fuiſſet ob eaſdem rationes.

11 Rogabis, Vtrum conuenientius fuerit homines redimere, quam Angelos.

Reſpondeo affirmatiuè. Tum quia tota natura humana corruerat; non verò Angelica, ex Auguſtino in Enchirid. cap. 29. Magiſtro in 2. d. 21. & alijs. Tum quia Angeli peccarunt propria volũtate; homines verò aliena, ex Gregor. 4. moral. cap. 9. & aliјs communiter. Tum quia natura humana imbecilior eſt, quàm natura Angelica, conſequenter diuinã prouocauit miſericordiam, vt ipſius potius miſereretur. Tum quia Adam ab Eua deceptus peccauit; Angeli verò propria ſponte. Ita Suarez diſp. 4. ſect. 1. concl. 2. vbi alias congruentias affert, Becanus c. 1. q. 4. n. 3.

Punctum Quartum.

An incarnatio neceſſaria fuerit ad redimendum genus humanum.

1 *Incarnatio non fuit ſimpliciter neceſſaria ad redimendum genus humanum.*

2 *Incarnatio neceſſaria non fuit ad redimendos homines ex perfecta iuſtitia.*

3 *Vnio hypoſtatica cum natura Angelica, vel cum humana neceſſaria fuit ad reparationem generis humani ex perfecta iuſtitia.*

4 *Homo purus non potuiſſet condignã Deo ſatisfactionem præbere: cum enim creatura ſemper ſit ſubiecta Deo, ipſius ſatisfactio ſemper eſt inferioris ordinis, conſequenter non poteſt*

poteſt eſſe æqualis offenſa illatę.

5 *Incarnatio; ſeu vnio hypoſtatica an conuenientior fuerit ad redimendum genus humanum, quam vnio cum natura Angelica.*

VNICA PROPOSITIO.

1 INcarnatio neceſſaria non fuit ad redimendum ſimpliciter genus humanum. Ita S. Thomas de Incarnat. q. 1. art. 2. Scotus, Bonauentura, Durandus, Palud. & Gabriel in 3. d. 20. Valentia tom. 4. d. 1. q. 1. pun. 5. quæſito 1. Becanus de Incar. cap. 1. quæſt. 5. n. 1. Tannerus tom. 4. d. 1. q. 2. dub. 1. Vaſquez 3. p. to. 1. diſp. 1. cap. 3. Suarez 3. p. tom. 1. de Incarnat. d. 4. ſect. 2. concl. 2. vbi aſſerit hanc eſſe communem Doctorum ſententiam, & negari non poſſe ſine temeritate; & fidei incommodo. Ratio eſt, tum quia redemptio generis humani in ſcriptura adſcribitur abundanti charitati, & dilectioni Dei. Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mũdum, vt filium ſuum vnigenitum daret*, & ad Epheſ. 2. *Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, cõuiuificauit nos in Chriſto*. Ex quibus locis apparet, Deũ in redemptione generis humani charitatem exercuiſſe, illamque potuiſſe non exercere. Tum quia Deus gratis, & liberaliter condonare poterat peccatum abſque præuia ſatisfactione; nulla enim extitiſſet peruerſitas, vel contradictio in huiuſmodi condonatione, cum ſatisfactio nõ ſit de eſſentia donorum gratiæ, & dona gratiæ nõ ſint de eſſentia ſatisfactionis. Ergo Incarnatio non fuit neceſſaria.

Obijcies primo, S. Ambroſius ad Hebręos 9. & alij Patres apud Suar. loco citato, & apud Vaſq. 3. p. tom. 1. diſp. 1. cap. 2. aſſerunt, nos non potuiſſe ſaluari, niſi vnigenitus filius Dei pro nobis moreretur. Ergo mors Chriſti, & conſequenter eius incarnatio neceſſaria fuit ad reparationem hominis lapſi.

Reſpondeo primo. Patres intelligendos eſſe de redemptione ex perfecta iuſtitia; ad hunc enim redemptionis modum neceſſaria fuit vnio hypoſtatica, vt patebit ex dicendis in ſolutione ſecundæ dubitationis proximè ſequentis, & ex ijs, quæ infra tradam de ſatisfactione Chriſti.

Reſpondeo ſecundo. Intelligẽdos eſſe de neceſſitate ad melius eſſe. Ita S. Thomas art. 2. & alij.

Reſpondeo tertio. Intelligendos eſſe de neceſſitate, quæ naſcitur ex ſuppoſitione diuini decreti; cum enim Deus decreuerit redimere hominẽ per Chriſti Incarnationem, redemtio aliter fieri non poterat, cum decreta Dei mutari non poſſint, vt bene Suarez art. 2. initio, & ſect. 2. citata, & Vaſq. 3. p. d. 1. ca. 3. n. 30. Hoc pacto intelligitur locus ille. Act. 4. *Neque enim eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.*

Obijcies ſecundo, Deus non põt quicquam iniquum facere; ſed iniquum videtur remittere peccata ſine compenſatione iniuriæ illatæ, (ob id iniquè agit Iudex, qui permittit peccata remanere impunita.) Ergo Deus remittere non potuit peccata ſine compenſatione, conſequenter peccata remitti non potuerunt, niſi per incarnationem, & Chriſti mortem, per quam digna compenſatio

red-

reddita fuit; conſequenter incarnatio neceſſaria fuit ad redéptionem generis humani.

Reſpondeo, negando minorem propoſitionem, vniuersè loquendo; ſicut .n. fieri poteſt, vt iudex ſupremus (præſertim ſi ipſe offéſus fuit) iuſtis de cauſis moueatur ad condonãdam pœnam delicto patrato debitã. Ita multo magis id licitè fieri potuiſſet à Deo, qui eſt ſupremus omnium Iudex, & ipſe fuerat offenſus, vt benè Valentia tom. 4. d. 1. q. 1. pun. 5. quęſito 1. ad 1.

2 Sed modo dubium eſt. Primo, vtrum Incarnatio, licet neceſſaria non fuerit ad redimendos ſimpliciter homines, ſaltem neceſſaria fuerit ad redimendos homines ex perfecta iuſtitia.

Reſpondeo, Incarnationem non fuiſſe neceſſariam ad redemptionẽ hominum ex perfecta iuſtitia. Ratio eſt, quia redemptio ex perfecta iuſtitia fieri potuiſſet per vnionẽ hypoſtaticã cum natura Angelica abſque aſſumptione naturæ humanæ; Deus enim aſſumere potuiſſet naturam Angelicam, & per ipſam nos redimere, & perfectè ſatisfacere ad æqualitatem iuſtitiæ; quamuis enim tunc non potuiſſet mori, potuiſſet tamen internos, & ſpirituales actus elicere, & per illos ſatisfacere, vt benè Suarez d. 4. ſect. 2. concl. 3. ad finem, Vaſq. loco cit. n. 27. Tannerus tom. 4. diſp. 1. quæſt. 2. dub. 1. & alij.

3 Secundo. Dubium eſt, Vtrum ad reparationem generis humani ex perfecta iuſtitia, ſaltem neceſſaria fuerit vnio hypoſtatica, ſiue vnio fieret cum natura Angelica, ſiue cum humana.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia ad redemptionem ex perfecta iuſtitia neceſſaria eſt compenſatio, & ſatisfactio æqualis offenſę, ſed cõpenſatio, & ſatisfactio æqualis offenſæ præſtari non poterat abſque vnione hypoſtatica. Ergo neceſſaria fuit vnio hypoſtatica. Minor probatur, quia ſolus Deus non poterat huiuſmodi ſatisfactionem præbere, cum ad ſatisfactionẽ pro offenſa requiratur aliqua ſubiectio; Deus aũt nulli eſt ſubiectus. Neq; ſola creatura poterat huiuſmodi ſatisfactionẽ æqualẽ offenſæ præſtare, quia offenſa erat quodammodo infinita. Tum ex parte obiecti; cum peccatum ſit auerſio à Deo, qui eſt infinitus. Tum ex parte perſonæ offenſæ, qui eſt idem Deus infinitus. Tum ex parte offendentis, ideſt hominis, qui Deum offendit; nam grauitas offenſæ, & iniuriæ creſcit ex vilitate offendentis, & dignitate perſonæ offenſæ; ob id iniuriæ, quã ruſticus principi irrogauit, grauior eſt iniuria, quam vir nobilis eidem principi intulit; cum autem homo, qui Deum offendit, infinitis partibus diſtet à dignitate Dei, ſequitur offenſã, quam homo peccãdo intulit Deo, eſſe quodãmodo infinitam, conſequenter purum hominem, aut etiam Angelum, aut aliam puram creaturam exiſtentẽ, vel poſſibilem, non potuiſſe æqualiter Deo ſatisfacere, cum pura creatura infinitam, vel condignam ſatisfactionem præſtare nequeat: conſequenter ad redimendum genus humanũ ex perfecta iuſtitia neceſſaria fuit vnio hypoſtatica; per hanc enim perſona diuina acquirit ſubiectionem, quæ ad ſatisfactionem neceſſaria eſt. Ita S.

Thom. 3. p. q. 1. art. 2. Becanus cap. 1. q. 5. Valentia pun. 5. quæſito 3. Tannerus 3. par. tom. 4. diſp. 1. quæſt. 2. dubio 1. n. 30. & alij.

4 Obijcies, offenſa Dei, quam homo peccando contrahit, non eſt infinita, niſi extrinſecè ratione obiecti, ſeu diuinæ perſonæ infinitè offenſæ; ſed aliquis purus homo, præſertim exiſtens in gratia, poteſt præſtare opus habēs infinitam bonitatem ex parte obiecti; actus enim charitatis habet infinitam quandam bonitatē ex parte obiecti, cum ſit conuerſio in Deum infinitè bonum. Ergo aliquis purus homo potuit æqualem ſatisfactionem Deo præſtare; conſequenter ad redimēdum genus humanum ex perfecta iuſtitia, neceſſaria non fuit vnio hypoſtatica.

Reſpondeo negando, purum hominem, quacunq; gratia ornatus ſit, poſſe condignam Deo ſatisfactionē exhibere; nam grauitas offenſæ, ſeu iniuriæ deſumitur ex dignitate perſonæ offenſæ, & ignobilitate offendētis. L. Prætor ff. de iniurijs; cum autem homo ſit viliſſima creatura, & nihilominus offenderit Deum infinitæ dignitatis, & excellentiæ, ſequitur ipſum grauiſſimam Deo iniuriam peccando irrogaſſe, maiorem qualibet iniuria quę irrogari poſſit creaturæ; ſicut enim finiti ad infinitum, ſeu creaturæ ad creatorem non eſt comparatio, ita neque eſt comparatio inter offenſam, quæ fit creatori, & creaturæ; conſequenter etiam dum peccator, ſeu pura creatura ſatisfacit, non poteſt ſatisfactio ita excellere, vt ſit æqualis iniuriæ illatæ, etiamſi creſcat in infinitum, nam ſatisfactio puræ creaturæ ſemper eſt inferioris ordinis, quàm ſit illa, quæ debetur creatori, ſeu Deo infinito. Quamobrē pura creatura nunquam poteſt pro peccato ſatisfacere Deo ad æqualitatem pro offenſa ei illata, etiamſi creatura prædita ſit infinita gratia, & actus infinitè intenſos eliciat; cum enim creatura ſemper ſit ſubiecta Deo, ipſius ſatisfactio ſemper erit inferioris ordinis, cōſequenter nulla ſatisfactio erit æqualis offenſæ illatæ Deo, niſi fiat à perſona æquali Deo, quæ ei quodammodo ſe ſubijciat, vt benè Peſantius quæſt. 1. art. 2. diſp. 4. concl. 1. Vaſquez d. 4. cap. 3. Valentia q. 1. pun. 5. Suarez diſp. 4. ſect. 7. Tannerus diſp. 1. q. 2. dub. 8. num. 279. & ſeqq. Puteanus quæſt. 1. art. 2. dub. 7. & 8.

An autem offenſa, ſeu iniuria Deo illata per peccatum ſit infinita, patet ex dictis de peccatis, vbi docui eſſe finitam intrinſecè, & eſſentialiter; extrinſecè vero, & terminatiuè eſſe infinitam, ad ibi dicta me remitto.

5 Tertiò, dubium eſt, Vtrum Incarnatio, ideſt vnio hypoſtatica cum natura humana, conuenientior fuerit ad redimendum genus humanum, quam vnio cum natura Angelica.

Reſpondeo, Incarnationem conuenientiorem fuiſſe. Ratio eſt, tum quia conuenientius erat, vt ſatisfactio pręſtaretur ab eo, qui offenderat. Tum quia hoc pacto dignitas humana magis extolli:ur. Tum quia hinc maior confuſio Dęmoni ſequitur, quod ab eadem natura vincatur, quam ipſe vicerat. Ita Suarez diſp. 4. ſect. 2. concl. 4. Becanus c. 1. quæſt. 5. num. 5. Tannerus quæſt. 2. dub. 1.

dub. 1. num. 38. & 39.

Obijcies, iniquum eſt, & contra iuſtitiam, vt ſatisfactio exigatur ab innocente, & innocens morti tradatur pro ſalute nocentium; Sed Chriſtus erat innocens; *Ductus eſt enim tanquam Agnus innocens ad victimam, attritus eſt propter peccata noſtra, iuſtus pro iniuſtis*, inquit ſcriptura. Ergo incarnatio Chriſti in carne paſſibili non eſt conuenientior vnione hypoſtatica cum natura Angelica, nam quod iniquum eſt, non eſt conueniens.

Reſpondeo, non fuiſſe iniquum, & iniuſtum, Chriſtum incarnari, & mori pro peccatoribus, ſed fuiſſe actum ſummæ miſericordiæ, & ſummæ iuſtitiæ, vt patet ex ſupradictis; cũ enim Deus ſit ſupremus omnium Dominus, licitè facere potuit, vt Chriſtus homo cauſam hominum ſuſciperet, & pro ipſis ſatisfaceret, nec quiſquam dicere poteſt Deo, cur ita facis? Ita Suarez diſp. 4. ſect. 2. concl. 4. ſub finem.

Punctum Quintum.

Ad quem finem facta fuerit Incarnatio.

1 *Incarnatio facta fuit ad redimendum genus humanum.*

2 *Incarnatio facta fuit ad tollẽda peccata tanquam ob cauſam primariam.*

3 *Perfectius ordinari poteſt ad minus perfectum quando ex huiuſmodi ordinatione non prouenit deſtructio magis perfecti.*

4 *Ordinatè volens aliquid, prius vult id quod magis conducit ad ipſũ aſſequendum, quam id quod eſt nobilius.*

5 *Redemptio hominum prius intenta fuit, quam Incarnatio.*

6 *Chriſtus vt homo non fuit intentus, & amatus ante omnes creaturas.*

7 *Chriſtus vt homo eſt finis creaturæ redemptæ; aliarum verò creaturarum eſt finis non ſecundum humanitatem, ſed ſecundum diuinitatem.*

8 *Prædeſtinatio hominum non fuit facta ante Chriſti prædeſtinationem.*

9 *Adam in ſtatu innocentiæ non habuit gratiam ex meritis Chriſti.*

10 *Adam non habet vllos gloriæ gradus independẽter à meritis Chriſti.*

11 *Incarnatio facta fuit ad tollendum peccatum tam actuale, quam originale?*

12 *Chriſtus quomodo dicatur veniſſe ſolum propter Iudæos.*

13 *Incarnatio principalius facta fuit ad delendum peccatum originale, quam actuale.*

14 *Peccati originalis nomine quid intelligatur.*

15 *Chriſtus Incarnatus fuiſſet ad tollendum peccatũ originale etiamſi nulla peccata actualia extitiſſent.*

16 *Chriſtus ex vi decreti quo re ipſa venit, non veniſſet ad tollenda ſola actualia, ſi originale peccatum non extitiſſet.*

17 *Chriſtus non veniſſet vi decreti quo re ipſa venit, ſi Adam, aut alij non peccaſſent.*

18 *Adam in ſtatu innocentiæ habuit reuelationem Incarnationis, non tamen cognouit cauſam ipſius.*

19 *Gaudere poſſumus de peccato non per ſe, & formaliter, ſed indirectè, ſeu occaſionaliter.*

20 *Matrimonium durante ſtatu Innocentiæ*

Digitized by Google

centia non fuiſſet ſignum vnionis Chriſti cum Eccleſia.

21 *Incarnatio intendi potuit à Deo, non intento peccato, cum voluntas Dei non feratur in ipſum tãquam obiectum amplectendum, ſed tanquam in fugiendum.*

22 *Incarnatio præfinita fuit poſt præſcientiam peccati originalis.*

23 *Incarnatio præfinita fuit ante præſcientiam peccatorum re ipſa contractorum à poſteris Adæ.*

24 *Ordo in mente Dei circa ſe ipſum, productionem rerum, Incarnationem, & Prædeſtinationem quiſnam fuerit.*

1 CErtum eſt apud omnes, Incarnationem factam fuiſſe ad redemptionem humani generis; ſed potuiſſe ob alios fines fieri. Diſſenſio ſolum eſt inter DD. an Incarnatio per ſe primo volita fuerit à Deo propter excellentiam ipſiuſmet incarnationis, an potius propter redemptionem generis humani, tanquam ob cauſam proximam, & primariam.

Prima ſententia docet, incarnationem quoad ſubſtantiam prius volitam, & intentam fuiſſe à Deo propter ipſius incarnationis excellentiã, quam propter redemptionem hominum; conſequenter primum motiuum faciendæ incarnationis fuiſſe ipſius excellentiam; & conſequenter Chriſtum venturum fuiſſe, etiamſi Adam non peccaſſet. Quoad circumſtantiam vero, ſeu quo ad modum accidentalem, quatenus hęc vnio facta fuit in carne paſſibili, docet incarnationem potiſſimum factam fuiſſe ob redemptionem hominum. Ex quo fit, vt Deus prius prioritate ſigni rationis decreuerit incarnationẽ quoad ſubſtantiam, quàm præuiderit lapſum Adami; conſequenter Chriſtus prius prędeſtinatus eſt Deus homo in carne impaſſibili, & immortali, quam in carne paſſibili, & mortali, conſequenter Chriſtus vi primi decreti, & prædeſtinationis factus fuiſſet homo in carne impaſſibili, & immortali, ſi Adam non peccaſſet. Ita Alenſis 3. p. q. 2. ſect. in 3. diſt. 7. q. 3. & diſt. 19. verſ. in iſta quæſt. Suar. 3. par. tom. 1. de Incarnat. diſp. 5. ſect. 2. & 4. alij. Hæc ſententia probatur rationibus, quas in obiectionibus afferam, & diſſoluam.

Secunda ſententia aſſerit primum motiuum, ſeu cauſam primariam, & proximam Incarnationis fuiſſe redemptionem humani generis; conſequenter incarnationem non fuiſſe volitam ante præſcientiam peccati originalis, conſequenter Chriſtum prædeſtinatum non fuiſſe prius Deũ hominem in carne impaſſibili, & immortali, quam in carne paſſibili, & mortali, conſequenter Chriſtum venturum non fuiſſe ex vi illius decreti, quo decreta fuit incarnatio, ſi Adam non peccaſſet. Ita S. Thomas de Incarnat. q. 1. art. 3. ad 4. Caiet. & Medina ibidem, Valentia quæſt. 1. pun. 7. Vaſquez diſp. 10. c. 4. Tannerus quæſt. 1 num. 151. & alij ferè omnes diſcipuli S. Thomæ. Hęc opinio mihi placet. Sed anteqam ad illius probationem accedam, præmittendum eſt.

Primo me hic non quærere, Vtrũ Deus potuerit decernere, & ſtatuere incarnationem propter ipſius incarnationis excellentiam, aut propter

alium

alium finē primarium; certum enim eſt id fieri potuiſſe, cum incarnatio ex ſua natura videatur eſſe opus indifferens, & à libera Dei voluntate pendeat.

Secundò, præmittendum eſt nos hic agere de cauſa finali proxima, & primaria ex parte ipſius incarnationis; non verò ex parte Dei; perſpicuum enim eſt cauſam finalem diuinorum operum ex parte Dei eſſe gloriam, & bonitatem ipſius Dei. His præmiſſis explicandum eſt, & probandum, an cauſa primaria Incarnationis ſit redemptio humani generis, ſeu remedium peccati originalis.

VNICA PROPOSITIO.

2 Incarnatio facta fuit ad tollenda peccata, ſeu ad redemptionem generis humani tanquā ob cauſam primariam, & proximam. Ratio eſt, quia ſcriptura pro cauſa incarnationis ſemper aſſignat redemptionem hominum. Ergo redemptio hominum eſt cauſa proxima, & primaria Incarnationis. Antecedens patet ex multis ſcripturæ locis, Lucæ 19. *Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat*. Ioan. 3. *In hoc apparuit filius hominis, vt diſſoluat operā diaboli, Miſit Deus filium ſuū in Mundum, vt ſaluetur Mundus per illum*. ad Galatas 4. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret*. Et prima ad Timot. primo. *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere*. Et in Simbolo Niceno, *Qui propter nos homines, & propter noſtrā ſalutem deſcendit de cælis*.

Dices, in ſcriptura non aſſignari cauſam proximam, & primariam Incarnationis, quoad ſubſtantiam ipſius incarnationis; ſed ſolum quoad modum, & circunſtantiam, quatenus ſcilicet Incarnatio facta fuit in carne paſſibili, & mortali; ſic enim facta fuit ob generis humani redemptionem.

Reſpondeo, in ſcriptura aſſignari cauſam veram, proximam, & primariam incarnationis. Tum quia gratis, & ſine fundamento dicitur non aſſignari cauſam proximam. Tū quia ſcriptura non diſtinguit; ſed abſolutè loquitur, aſſignando cauſam incarnationis. Tum quia infra oſtendam ex doctrina Patrum, Chriſtum incarnandū non fuiſſe, ſi Adam non peccaſſet. Ergo Incarnatio facta fuit in remedium peccati tanquam ob cauſam propriam, & proximam, & nō ſolum tanquam ob circunſtantiam; illa enim videtur cauſa propria, & proxima, ob quam aliquid fit, quod alioquin non fieret.

3 Obijcies primo, Id quod eſt perfectius, non debet ordinari ad id, quod eſt minus perfectum, neq; appeti propter illud; perfectius enim magis appetibile eſt, & volibile, quā minus perfectum, conſequenter ordinari non debet ad minus perfectum; Sed Incarnatio Verbi Dei in infinitum excedit reparationem generis humani. Ergo non debuit ſaltem proximè, & primario ordinari ad reparationem generis humani. Conſequenter reparatio generis humani non fuit cauſa primaria, & proxima Incarnationis.

Confirmatur, quia Anima Chriſti, & exaltatio humanitatis ipſius

eſt

eſt maioris valoris, magiſque à Deo diligibilis, quã omnes prędeſtinati, ex S. Thom. 1. par. quæſt. 20. art. 4. ad 1. & quæſt. 25. art. 6. ad 4. Ergo veriſimile eſt ipſam magis fuiſſe à Deo intentam, & volitam, quam Angelos, & homines, & conſequenter etiam primario volitam, & intentam independenter à reparatione generis humani.

Reſpondeo ad maiorẽ propoſitionem, id, quod eſt perfectius, nõ debere ordinari ad minus perfectum, quãdo ex huiuſmodi ordinatione ſequitur deſtructio magis perfecti; quando verò ex illius ordinatione per ſe non ſequitur deſtructio magis perfecti, ordinari poteſt magis perfectũ ad minus perfectũ. Ob id homines vitam periculo exponunt ad conſequendam pecuniam, quamuis pecunia longè inferioris conditionis, & æſtimationis ſit, quàm hominis vita; & tamen licita eſt huiuſmodi periculi expoſitio, quia inde non ſequitur per ſe emiſſio vitæ. Ob id etiam ſacrificium Miſſæ, quod longè perfectius eſt ſanitate, ordinatur ad conſequendam ſanitatem: poteſt ergo magis perfectum ordinari ad aliud, etiam tanquam ad finem proximum minus perfectum: Et licet perfectius ſit magis appetibile, & volibile, non tamen infertur ipſum eſſe magis volitum, quia libera voluntas poteſt ex ſua libertate præferre minus perfectum magis perfecto. Neque in hoc eſt vlla inordinatio, quia voluntas non operatur ſemper iuxta proprietatem rerum naturalem, iuxta quam perfectius magis appetitur, ſed iuxta rationem liberi arbitrij. Vt benè Aluarez de Incarnat. diſp. 9. n. 24. & 25.

4 Obijcies ſecundo, Deus ordinatè vult quod vult; ſed Deus vult ſuam bonitatem, & gloriam tanquã finem operum ſuorum; omnia enim propter ſe ipſum facit. Ergo ordinatè vult bonitatem ſuam, & gloriam; ſed qui ordinatè vult, primo loco vult finem, deinde prius vult media propinquiora fini, quàm remotiora. Ergo Deus prius vult media propinquiora bonitati, & gloriæ ſuę, quàm remotiora; Incarnatio autem eſt medium propinquius glorię Dei, quàm redemptio hominum; incarnatio enim præſtantior eſt redemptione. Ergo Deus prius voluit Incarnationem, quàm Redemptionem; conſequenter non voluit Incarnationem tanquam ob cauſam primariam.

Reſpondeo eũ, qui ordinatè vult, prius velle illa media, quæ fini propinquiora ſunt cauſalitate, id eſt, quę magis conducunt ad aſſequendum finem, non habita ratione nobilitatis, vel ignobilitatis ipſorum mediorum, quam media remotiora, quæ minus conducunt ad aſſequendum finem, licet nobilitate, ac perfectione antecellant. Quamuis ergo incarnatio ſit præſtantior, & excellentior redemptione; non tamen hinc ſequitur ipſam eſſe prius intentam, quam redemptionem, quia finis Dei eſt bonitas ipſius Dei; cõſequẽter Deus prius vult media, quæ magis conferunt ad manifeſtandam Dei bonitatem, & excellentiam; Redemptio autem eſt propinquius medium ad manifeſtandam excellentiam, & perfectionem Dei, quam incarnatio; nam quamuis incarnatio ſit medium propinquius ad manifeſtandam diuinam potentiam, tamen re-

Digitized by Google

demptio eſt propinquius medium ad manifeſtandam iuſtitiam, miſericordiam, & dilectionem erga inimicos, vt benè Suarez d. 5. ſect. 1. verſ. & hinc infertur. Becanus cap. 19. q. 6. n. 20.

Obijcies tertiò, ſi Incarnatio facta fuiſſet ob redemptionem humani generis tanquam ob cauſam proximã, & primariam, ſequeretur redemptionem prius intẽtam fuiſſe à Deo, quã incarnationem; nam intentio finis prior eſt electione mediorum, ſed falſum eſt redemptionem prius intentam fuiſſe, quam incarnationem. Ergo falſum eſt incarnationem factam fuiſſe ob redemptionem tãquam ob cauſam proximam.

Minor probatur. Primò, quia Chriſtus intentus, & amatus fuit ante omnes creaturas, *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquã faceret à principio*, vel vt Septuaginta legunt, *Dominus creauit me init ũ viarum ſuarum*, Prouerb. 8. verſ. 22. qui locus intelligitur de Sapiẽtia increata, id eſt, de Chriſto ſecundum humanitatem; Deum enim appellat Domi num; Deus autem non eſt Dominus Chriſti, niſi ſecundum humanitatẽ.

Secundò, quia Chriſtus eſt finis omnium creaturarũ; creaturæ enim propter ipſum factæ ſunt, Hebreor. 2. *Decebat eum, propter quem omnia. per paſſionem conſumari*; vbi ſermo eſt de Chriſto, qui conſumatus, & mortuus fuit pro ſalute hominum. Et 1. Cor. 3 *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti; Chriſtus autem Dei*.

Tertiò, quia Chriſtus vocatur primogenitus omnis creaturæ, ad Coloſſen. 1. *Qui eſt Imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ*. Qui locus intelligẽdus eſt de Chriſto ſecundum humanitatem: tum quia ſic exponunt nonnulli Patres, vt Hieronymus, & Anſelmus. Tum quia ibidem vocatur caput Eccleſiæ, & primogenitus ex mortuis; caput autem Eccleſiæ, & primogenitus ex mortuis non eſt alius, niſi Chriſtus Ieſus.

Quartò, quia Chriſtus eſt caput omnium prædeſtinatorum. Ergo redemptio hominum non fuit prius intenta, quã incarnatio, alioqui Chriſtus non vocaretur caput prędeſtinatorum, & ipſius prædeſtinatio facta non fuiſſet ante prædeſtinationẽ hominum; cum redemptio hominum ſit finis, & cauſa primaria, & proxima incarnationis, vt ſupponitur; prior autem eſt præfinitio finis, quàm electio mediorum.

5 Reſpondeo, verum eſſe ſequelam maioris propoſitionis, videlicet redemptionem hominum prius eſſe intentam, quã incarnationem; ideo conceſſa maiore propoſitione, neganda eſt minor.

6 Ad primam ipſius minoris probationem reſpondeo negando Chriſtum, vt hominem intentum, & amatum fuiſſe ante omnes creaturas; locus ille Prouerb. 8. intelligitur de Sapientia increata, id eſt, Verbo diuino, vt colligitur ex ſubſequentibus verbis illius loci, *Cum eo eram cuncta componens*, quæ verba non verificantur de Sapientia increata; cum Sapientia increata nõ extiterit ab æterno ſecundum humanitatem, conſequenter non potuerit quicquam cõponere. Intelligitur ergo de Sapientia increata, quæ ab æterno extitit, & quam Dominus dicitur poſſediſſe, & creaſſe; non quod Deus illam ha-

habuerit tanquam ſeruam, & ſubiectam, ſed quia illi ſuam eſſentiam cõmunicauit per æternam generationem, quæ generatio aliquando vocatur creatio, Eccleſiaſtici 24. *Ab initio, & ante ſecula creata ſum*; vocatur autẽ creatio, non quia ſit actio tranſiens, per quam habeat eſſe ex nihilo iuxta definitionem creationis, ſed quia pater cõmunicat filio ſuam eſſentiam abſque ſui mutatione. Ita S. Thomas, & Bellarminus, quos citat, & ſequitur Becanus cap. 1. q. 6. n. 13. Neque obſtat Deum à Sapientia vocari Dominum, quod arguit ſuperioritatem in Deo, & ſubiectionẽ in Sapientia, de qua ibi Scriptura loquitur. Reſpondetur enim Deum à Sapientia non vocari Dominum ſuum, ſed Dominum vniuerſorum, ideſt omnium creaturarum. In hac prima reſponſione conuenit S. Thomas lib. 4. contra Gentes, Gregorius de Valentia tom. 1. quæſt. 1. pun. 1. §. 21. ad 3. obiectionem, & alij, quos citat, & ſequitur Martinus Becanus de Incarnat. cap. 1. quæſt. 6. n. 12. aſſerentes in eo loco ſermonem eſſe de Sapientia increata, non de Incarnata contra Cyrillum Alexandrinum lib. 5. Theſauri cap. 7. S. Hieronymum, & alios apud Vaſquez diſp. 10. cap. 2. num. 11. explicantes illum locum, de Sapientia Incarnata.

Verum etiamſi admitterem cum præfatis Doctor. ſermonem eſſe in præcitato loco de Sapientia increata, ideſt de humana Chriſti natura; non tamen hinc ſequitur ipſam intentam, & amatam fuiſſe ante oẽs alias creaturas. Primò, quia illa verba, *In initio viarum ſuarum*, non adhibẽtur ad ſignificãdam prioritatem cauſalitatis, aut temporis, ſed dignitatis, & excellentiæ; eo quod humanæ Chriſti naturæ communicata ſit dignitas, & excellentia ſuperans omnes creaturas. Confirmatur iſta expoſitio tum ex cap. 40. Iſaiæ, vbi Behemot vocatur *Principium viarũ Domini, ideſt tenens principatũ ſuper alias creaturas*, mole tamen, & quantitate corporis. Tum ex loco illo Iacobi 1. *voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initiũ aliquod creaturæ eius, ideſt vt cæteras creaturas viſibiles dignitate, & nobilitate præcedamus.* Secundò, ſenſus illorum verborum iuxta verſionem Septuaginta, & aliorum, non eſt Chriſtum factum fuiſſe ante opera, ſed ad opera, ideſt ad ſaluandos homines, ſeu vt eſſet via, & iter Eccleſiæ ad cęleſtem patriam, iuxta illud Ioannis 14. *Ego ſum via*, quamobrem Septuaginta, & alij loco illorum verborum, *Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret*, legunt, *Dominus creauit me initium viarum ſuarum in opera ſua*, ſiue, *ad opera ſua.* Vide Vaſquez 3. p. tom. 1. diſp. 10. cap. 10. num. 115. & ſeqq. Vide Ioannem Puteanum to. 2. q. 1. art. 3. dub. vlt. col. 5. verſ. ad teſtimonia, Vaſquez, Valentiam, Becanum, & alios præcitatos Doctores.

7 Ad ſecundam probationem minoris propoſitionis. Reſpõdeo, Chriſtum ſecundum humanitatem poſſe quidem vocari finem creaturæ redemptæ, ſeu reparatæ per ipſum (nã homines colere, & venerari debent Chriſtum tanquam auctorẽ ſalutis, ipſiq; acceptum referre debẽt quicquid meritorij operis agunt, iuxta illud ad Epheſios 2. *Ipſius n factura ſumus*

mus creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis.) Chriſtus tamen ſecundum humanitatẽ non eſt finis omnium creaturarum, ſed ſecũdum diuinitatem. In loco illo ad Hæbreos ſupra citato in 2. probatione, non eſt dicendum, *Cõſumari*, ſed *cõſumare*; textus enim ille ſic legendus eſt. *Decebat eum; propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſumare*, ideſt decebat Deum Patrem, propter quem omnia facta ſunt, vt Chriſtum auctorẽ ſalutis noſtræ per paſſionem conſumaret. Vide Becan. loco cit. n. 9. vbi etiam explicat locũ illum 1. Corint. 3. *Vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*. Fideles dicuntur eſſe Chriſti quia ſalutem à Chriſto acceperũt, & in Chriſti nomine baptizati ſunt; nõ autem in nomine Pauli, aut Cephæ; Chriſtus verò dicitur eſſe Dei, quia per æternam generationem à Deo accepit naturam Diuinam; humanam vero per creationem. Ita Vaſq. d. 10. c. 10. nu. 126. & alij.

Ad tertiam probationem, Reſpõdeo, Chriſtum vocari primogenitũ omnis creaturæ, nõ quia incarnatio intenta, & volita fuerit ante omnes creaturas, ſed quia dignitate, & honore ſuperat omnes alias creaturas. Ideò Paulus vocat Chiſtum *Caput Eccleſiæ, & primogenitum ex mortuis*. Addo eo loci ſermonem eſſe non ſolum de Chriſto ſecundum humanitatem, verum etiam de Chriſto ſecũdum diuinitatem. Chriſtus ſecundũ diuinitatem dicitur imago Dei inuiſibilis, & primogenitus omnis creaturæ, ideſt genitus ante omnem creaturam, iuxta illud Eccleſiaſtici 24. *Ex ore Altiſsimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*; ſecundum verò humanitatem vocatur primogenitus ex mortuis, & caput Eccleſiæ. Ita Puteanus, & Becanus locis citat. Vaſquez d. 10. c. 10. n. 125. & alij.

8 Ad quartam probationẽ, Reſpondeo negando conſequentiam; quamuis enim redemptio hominũ in communi prius intenta fuerit, quam incarnatio; non tamen hinc ſequitur prædeſtinationem hominum factam fuiſſe ante prædeſtinationẽ Chriſti, & Chriſtum non eſſe caput prædeſtinatorum; aliud enim eſt redemptio hominum in cõmuni, aliud prædeſtinatio hominum. Deus quidem voluit prius redemptionem hominum, quam incarnationem, non tamen prius voluit prædeſtinationẽ hominum, quam prædeſtinationem Chriſti. Redemptio hominum reſpicit omnes homines in communi, prędeſtinatio reſpicit certos homines in particulari; eſt enim voluntas efficax ſaluandi certos homines. In conſilio igitur Dei hic ordo ſeruatus fuit. Primo loco intenta fuit redemptio hominum. Secundo incarnatio Chriſti, eiuſque prędeſtinatio. Tertio prædeſtinatio aliorum hominum. Ita Vaſq. diſp. 1. cap. 11. ſub finem, & d. 11. cap. 6.

9 Obijcies quarto, Adamo in ſtatu innocentiæ collata fuit gratia ex meritis Chriſti, ſicut etiam Angelis. Ergo merita Chriſti præceſſerũt gratiam Adami, & Angelorum, cum intuitu meritorũ Chriſti collata fuerit gratia. Ergo ẽt Incarnatio pręceſſit gratiam Adami, cum merita Chriſti ſupponant ipſius incarnationem. Ergo multo magis incarnatio pręceſſit

lapſum

lapſum hominum, & conſequenter redemptionem, quæ poſt lapſum intenta fuit. Ergo redemptio non potuit eſſe prior incarnatione; conſequenter dici non poteſt incarnationem factam fuiſſe ob redemptionē, tanquam ob cauſam proximam, & primariam.

Reſpondeo, Adamo, & Angelis non fuiſſe collatam gratiam ex meritis Chriſti, ſed ex ſola Dei liberalitate independenter ab Incarnatione, & meritis Chriſti.

Dices in ſcriptura abſolutè, & ſine diſtinctione habetur omnem benedictionem, ſeu gratiam datā fuiſſe ex meritis Chriſti, *Benedixit nos omni benedictione ſpirituali in Chriſto*, ad Epheſ. 1. vbi notanda eſt illa particula, *Omni*, quæ generalis eſt, & non excludit ſtatum innocentiæ.

Reſpondeo, Diuum Paulum eo loci non loqui de benedictione ante lapſum hominum collata, ſed de benedictione data poſt lapsū, vt clarè patet ex illis verbis ſubſequentibus, *In quo habemus redemptionem*. Adam igitur non habuit in ſtatu innocētiæ gratiam ex meritis Chriſti, ſed ex mera Dei liberalitate, vt benè Vaſq. d. 10. c. 10. n. 128. & alij contra Tannerum tom. 4. d. 1. quæſt. 1. dub. 5. nu. 162. & alios.

Dices, ſi Adam in ſtatu innnocentiæ habuit gratiam independenter à meritis Chriſti, ſequitur ipsū Adamum habere nunc in cęlis aliquos gloriæ gradus independenter à meritis Chriſti, nempè illos, qui reſpondent meritis in ſtatu innocentiæ factis; cum enim ſupponamus illa merita facta fuiſſe per gratiam independentem à meritis Chriſti, ſequitur gloriam reſpondentem illis meritis in ſtatu innocētiæ factis, collatā fuiſſe independenter à meritis Chriſti, conſequēter Adamum nunc habere aliquos gloriæ gradus independenter à meritis Chriſti.

10 Reſpondeo, Adamum non habere vllos glorię gradus independēter à meritis Chriſti, quia merita illa facta in ſtatu innocentiæ mortificata fuerunt per ſubſequens Adæ peccatum, & licet poſtea reuixerint, & renouata fuerint per pœnitentiam, iſta tamen reuiuiſcentia, & renouatio meritorum facta fuit ex meritis Chriſti, conſequenter gradus glorię reſpondentes illis meritis reparatis, & reuiuificatis pendent ex meritis Chriſti.

Ex dictis in hoc puncto facilè colligi poteſt ſolutio nonnullarum difficultatum, quæ ſeorſim à Doctoribus diſcutiuntur, & eas ego explicabo in quęſitis, & dubijs proximè proponendis.

11 Quæres primo, Vtrum Incarnatio facta fuerit ad tollendum peccatum tam actuale, quam originale.

Reſpōdeo Incarnationem factam fuiſſe ſufficienter ad tollendum non ſolum originale, verum etiam actualia peccata, tam venialia, quam mortalia. Ratio eſt, tum quia Iſaiæ 53. dicitur, *Vulneratus eſt propter peccata noſtra, attritus eſt propter iniquitates*. 1. Timot. 1. *Qui dedit ſemetipſum in redemptionem pro omnibus*, Et ad Titum 2. *Dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate*. Tum quia *Chriſtus in mundum venit, vt faceret ſibi populum acceptabilem, non habentem maculam, neque rugam*, vt dicitur ad Titum 2. & ad Epheſios 5.

Id aũt fieri non poteſt niſi tollantur omnia peccata etiã venialia. Tũ quia finis proximus incarnationis eſt reparatio humanæ naturæ, & remedium peccati; humana autem natura reparari non poteſt, niſi tollantur omnia peccata; peccatum enim non ſolum eſt originale, verum etiam actuale; & deſtructio naturæ, quæ reparanda eſt, poſita eſt in peccato tam originali, quam actuali. Tum quia Sacramentum baptiſmi delet omnia peccata; ſed ſacramẽtũ baptiſmi vim habet ab incarnatione, & ſanguine Chriſti. Ergo Incarnatio Chriſti facta fuit ad tollendum peccatum tam actuale, quam originale; facta enim fuit ad illum effectum, quem ſacramenta operantur. Ita S. Thom. de Incar. q. 1. art. 4. Suar. ibid. & d. 5. ſect. 6. Valentia q. 1. pun. 6. Becanus cap. 1. q. 9. Puteanus q. 1. art. 4. Vaſquez, Tãnerus, & alij Commentatores communiter.

Dixi in reſponſione, ſufficienter, vt indicarem incarnationem habere vim ſufficiẽtem delendi omnia peccata, & ad hunc finem factam fuiſſe; non tamen efficaciter per ipſam deleri omnia peccata, alioquin nullus damnaretur.

12 Obijcies, Chriſtus affirmat ſe veniſſe ſolum propter Iudæos, *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael*, Matth. 15. Ergo incarnatio non videtur facta ad tollenda omnia peccata aliorum hominum, neque quoad ſufficientiam.

Reſpondeo, Chriſtum veniſſe ſolum ad Iudæos quoad quædam munera per ſe ipſum apud illos præſtanda, videlicet quoad prædicationem, miracula, & alia, quæ apud Iudæos ex promiſſione Dei facienda erant; carnem tamen ſucepit, & mortem ſubijt pro omnibus, 1. Ioannis 1. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed & totius Mundi*; & Marci, ac Matthei vlt. *Ite in vniuerſum Mũdum prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*.

13 Sed modò dubium eſt primo, Vtrum Incarnatio facta fuerit principalius ad delendum peccatum originale, quam actualia.

Reſpondeo, factam eſſe præcipuè ad delendum originale. Ratio eſt, tum quia ſicut ſimpliciter, & abſolutè potius quærendum, & anteponendum eſt bonum, quod eſt per ſe cõmunius; ita etiã quærẽdum eſt per ſe cõmune; ſed peccatum originale eſt per ſe commune, cum inficiat totam naturam; peccata verò actualia ſunt particularium perſonarũ, cum propria cuiuſq; voluntate committantur. Ergo potius quærendum fuit remedium peccati originalis, quam peccatorum actualium. Ergo Incarnatio principalius ordinata fuit in remedium peccati originalis, quam peccatorum actualium. Tum quia peccatum originale prius fuit permiſſum, & præuiſum à Deo, quam peccata actualia, quæ ab illo tãquam à radice, & veluti cauſa proueniunt. Ergo etiam prius intentum fuit remedium pro peccato originali, quã pro actualibus, cum peccata actualia tolli non poſſint, niſi prius auferatur radix, vt benè argumentatur Suarez diſp. 5. ſect. 6. col. 2. Becanus quæſt. 9. num. 3. Tannerus tom. 4. diſp. 1. quæſt. 1. dub. 3. num. 90. & alij. Tum quia licet omnia peccata

actualia ſint maius malum, quam originale (peccata enim actualia plus malitiæ habent. Primo, intenſiuè, eo quod ſint magis voluntaria, cum ſint volita voluntate propria cuiuſque delinquentis; Secundò extenſiuè quod plura ſint actualia, quam originalia) nihilominus peccatum originale alio ſenſu dicitur maius extenſiuè, eo quod totam naturam humanam inficiat, & ſit radix, & veluti cauſa omnium peccatorum actualium. Conſequenter maior fuit neceſitas auferendi peccatum originale, quam actualia. Conſequenter Incarnatio prius intenta fuit in remedium peccati originalis, quam peccatorum actualium. Ita cōiter DD.

14 Nomine peccati originalis intelligo peccatum actuale Adami, quod per generationem traſmittitur ad omnes poſteros, niſi peculiari priuilegio ſint exempti, vt fuit exemptus Chriſtus, & Beatiſſima Virgo. Nomine verò peccatorū actualium intelligo illa, quæ poſt originale patrata ſunt, & ab eo tanquam ab origine pendent.

15 Hinc colligi poteſt Chriſtum venturum fuiſſe ad tollendum peccatum originale, etiamſi nulla peccata actualia cōmiſſa fuiſſent. Chriſtus .n. carnē ſuſcepit præcipuè in remedium peccati originalis, vt benè Valentia quæſt. 1. pun. 6. ſub finem, Suarez ſect. 6. Tannerus num. 97. & alij communiter.

Obijcies in eo ſigno, in quo decretum fuit Chriſtum venturum ad redimendum genus humanum, ſeu in remedium peccati originalis, præuiſum etiam fuit ipſum venturum in carne paſſibili, & mortali, quia in carne paſſibili, & mortali redempturus erat genus humanum. Ergo præuiſa fuit ipſius mors, & paſſio inferenda à Iudæis; hæc autem eſſe non potuit ſine peccato actuali. Ergo Chriſtus non veniſſet propter originale, etiamſi nullum futurum fuiſſet peccatum actuale.

Reſpondeo, in priori ſigno præuiſum quidem fuiſſe Chriſtum venturum in carne paſſibili, & mortali; non tamen præuiſum fuiſſe in eo ſigno peccatum Iudæorum, quia Chriſtus potuiſſet pati, & ſatisfacere pro peccato originali, etiam non illata ſibi à Iudæis morte; mors enim illi inferri potuiſſet à cauſis naturalibus, & per illam ſatisfacere potuiſſet, etiamſi nullum peccatum actuale futurū fuiſſet. Ita Suar. loc. cit. col. 3. in reſponſione ad ſecundā obiect. Becanus loco citato num. 4. & alij.

16 Secundò Dubium eſt, Vtrum ſi non extitiſſet peccatum originale, ſed ſola actualia, Chriſtus incarnatus fuiſſet ad tollenda peccata actualia. Suppono enim poſteros Adæ potuiſſe peccata actualia committere, etiamſi Adam non peccaſſet.

Reſpondeo, Chriſtum incarnandum non fuiſſe ex vi decreti, quo re ipſa incarnatus fuit. Ratio eſt, tum quia peccatum originale fuit radix, & quaſi cauſa, ob quam peccata actualia poſt peccatum Adæ patrata fuerunt. Ergo voluntas redimendi à peccatis actualibus neceſſario ſupponit peccatū originale. Ergo Chriſtus ex vi decreti, quo incarnatus eſt, incarnatus non fuiſſet exiſtentibus ſolis actualibus. Tum quia præcipuum motiuū, propter quod Chriſtus humanam carnem ſuſcepit, eſt

pec-

peccatum originale, propter quod totum genus humanum corruerat, vt patet ex 1. Corint. 15. & ad Romanos 5. vbi habetur, idcircò Chriſtũ incarnatũ fuiſſe; *Vt ſicut per vnum hominem omnes homines perierant; ita per vnum hominem viuificarentur.* Ergo ceſſante hoc motiuo, Chriſtus humanam carnem non ſuſcepiſſet ex vi decreti, quo re ipſa incarnatus eſt; ceſſante enim cauſa ceſſat effectus, & decreta Dei immutabilia ſunt. Ita Valentia, Vaſquez, Aluarez, Becanus, & alij locis proximè citandis, contra Scotum in 3. diſt. 7. quæſt. 3. & alios.

Dixi, ex vi decreti, quo re ipſa incarnatus eſt; nã ſi quæramus, an vẽturus eſſet ex vi alterius decreti, reſpõdeo nihil certi definiri poſſe. Imò probabilius dicendum videtur non fuiſſe venturum, etiam ex vi alterius decreti, quia Deus non habuit decretum ſumendi carnem, ſi Adam non peccaſſet; nullibi enim in ſcriptura, vel traditione, per quas ſolum nobis innoteſcunt ea, quæ pendẽt à voluntate Dei, habetur huiuſmodi decretum, nec ratione ſufficienti probari poteſt ipſum habiturũ huiuſmodi decretum, cum in libera ipſius poteſtate eſſet decernere incarnationẽ, nec quiſquã nouerit ſenſum Domini. Ita S. Thomas art. 3. Valentia pun. 7. Vaſquez diſp. 10. cap. 4. Aluarez quæſt. 1. art. 3. diſp. 10. concl. 3. Puteanus art. 4. Suarez ex parte diſp. 5. quæſt. 6. ſub finem, vbi ait, Chriſtum venturũ non fuiſſe in carne paſſibili; venturum tamen fuiſſe in carne impaſſibili ex vi alterius decreti. Contra Tannerum to. 4. diſp. 1. quæſt. 1. dub. 3. num. 98.

Addo à fortiori Chriſtum venturum non fuiſſe, ſaltem in carne paſſibili, ſi pauci deliquiſſent, & Adam non peccaſſet. Ratio eſt, quia genus humanum non perijſſet, & decere non videtur, vt Chriſti ſanguis ob paucorum ſalutem effunderetur. Ita Suarez diſp. 5. ſect. 6. ſub finem; Valentia pun. 7. col. 7. Aluarez, & alij. Idem dicendum eſt, ſi ſola venialia commiſſa fuiſſent, hæc enim non tollunt amicitiam Dei, & ſufficiens ſatisfactio pro ipſis exhiberi potuiſſet per actus charitatis perfectos, vt patet ex dictis de pænit. Idemque in terminis docent Suarez diſp. 5. ſect. 6. verſ. ſolũ ergo. Valentia quæſt. 1. pun. 7. col. 7. verſ. itaque. Tannerus tom. 4. diſp. 1. q. 1. dub. 3. num. 99.

Obijcies primo contra dicta in reſponſione. Deus ita ſingulos homines amauit, vt pro ſingulis paratus fuerit pati, etiam ſi vnus tantum illorũ peccaſſet, vt colligitur ex illius verbis ad Galat. 2. *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, Et Lucæ 15. *Gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pænitentiam agente.*

Reſpondeo, Chriſtum de facto, & re ipſa habuiſſe quidem talem affectum, & animi diſpoſitionem; ille tamen affectus ſubordinatus erat diuinæ voluntati, & ordinationi; non conſtat autem, an Deus ordinaturus fuiſſet, vt Chriſtus carnem aſſumeret, Adamo non peccante, vel paucis ſolum peccantibus, vt iam probatum eſt. Ita Suarez diſp. 5. ſect. 6. ad finem, Becanus quæſt. 9. num. 9. Puteanus artic. 4. ſub finem, & alij.

Obijcies ſecundo, Chriſtus magis

ſatisfecit pro actualibus, quam pro originali. Chriſtus enim paſſus eſt pœnam ſenſus, quæ reſpondet reatui peccati actualis, non pœnam damni, quæ reſpondet peccato originali. Ergo principalius venit pro peccatis actualibus. Conſequenter etiam veniſſet, ſi extitiſſet ſola peccata actualia abſque originali.

Reſpondeo, Chriſtum ſatisfeciſſe etiam pro originali, quia peccato originali debetur aliqua ratione etiam pœna ſenſus ſaltem in hac vita; Chriſtus autem in hac vita paſſus eſt pœnam ſenſus. Ita Becanus quæſt. 9. num. 10. quomodo autem Infantes cum ſolo originali decedentes non patiantur pœnam ſenſus, conſtat ex dictis de peccato originali in tract. de peccatis.

17 Tertiò, dubium eſt, Vtrum Chriſtus venturus fuiſſet, ſi Adam, aut alij non peccaſſent.

Reſpondeo, venturum non fuiſſe ſaltem ex vi decreti, quo re ipſa venit. Ratio eſt, quia ſcriptura, & Patres non aſſignant aliam cauſam aduētus Chriſti, quam remedium peccatorum. Ergo ſi peccata non fuiſſent, Chriſtus non veniſſet; ceſſante enim cauſa ceſſat effectus. Ita S. Thomas quæſt. 1. art. 4. S. Bonauentura in 3. diſp. 1. art. 2. quæſt. 2. Gabriel diſt. 2. dub. 3. & 6. Valentia, Aluarez, & Puteanus locis citatis, Becanus cap. 1. quæſt. 7. & alij contra Suarez diſp. 5. ſect. 5. concl. 1. Viguerium Inſtitut. Theologic. c. 1. Scotum, & alios apud Suarez loc. cit.

18 Obijcies primo, Adam in ſtatu innocentiæ, id eſt ante peccatum, habuit reuelationē Incarnationis, Geneſis 2. *Hoc nunc os ex oſſibus meis*, quibus verbis ſignificata fuit coniūctio Chriſti cū Eccleſia, ad Epheſ. 5. Ergo Incarnatio futura erat, etiāſi homo non peccaſſet, nā reuelatio illa non poterat eſſe falſa, nec dependebat à peccato, cum Adam præſcius non eſſet ſui lapſus, ſicut neque præſcius fuit Angelus, vt probat S. Auguſtinus tom. 3. lib. 11. cap. 18. ſuper Geneſim ad litteram. Reſpōdeo negando conſequentiam; quamuis enim Adamus habuerit ex præuiſis Chriſti meritis reuelationem aduētus Chriſti, & non habiturus fuiſſet hanc reuelationem, niſi peccatum futurum fuiſſet; tamen ipſe Adam non cognouit peccatum futurum, quia nihil prohibet alicui reuelari effectum non reuelata illi cauſa; non enim quicūque cognoſcit effectum, cognoſcit etiam cauſam, vt benè S. Thomas art. 3. ad 5. argumentum, Tannerus loc. cit. num. 164. & alij; quicquid in contrarium oſtendere conetur Suarez in commentar. art. 3. verſ. ſed nonnulla.

19 Obijcies ſecundo, ſi Chriſtus venturus non fuiſſet, niſi homo peccaſſet, ſequitur nobis licitum eſſe gaudium percipere de peccato, ex quo tātum commodi nobis allatum eſt; ſed falſum videtur conſequens. Ergo, & antecedens.

Reſpondeo, non licere nobis gaudium percipere de culpa, ſeu peccato per ſe, & formaliter, ſed indirectè, & occaſionaliter, quatenus Deus ex peccato occaſionem arripuit nobis miſerendi, & tantum commodi ſua incarnatione afferendi, quod eſt potius gaudere de miſericordia, charitate, & pietate Dei erga nos, quam de culpa; hoc pacto intelligi,

&

Digitized by Google

& explicari debet illud, quod in die Sabbati Sancti ab Eccleſia canitur, *O fœlix culpa, quę talem, ac tantum meruit habere redemptorem*.

Obijcies tertiò, durante ſtatu innocẽtię extitiſſet matrimonium; ſed matrimonium eſt ſignum vnionis Chriſti cum Eccleſia. Ergo in ſtatu innocentiæ extitiſſet ſignum vnionis Chriſti cum Eccleſia. Ergo Chriſtus venturus erat, etiamſi homines non peccaſſent; illud enim ſignum non poterat eſſe falſum.

20 Reſpondeo, durante ſtatu innocentiæ abſque peccatis, matrimonium non futurum fuiſſe ſignũ vnionis Chriſti cum Eccleſia.

21 Obijcies quarto, ſi Chriſtus incarnatus non fuiſſet nulla interueniente culpa Adami, aut poſterorũ, Deus non potuiſſet intendere incarnationem, niſi etiam intendiſſet peccatum; quando enim aſſignãtur duo inter ſe connexa, quorum vnum eſt prius, alterũ poſterius; poſterius intẽdi non põt niſi intendatur prius, ſaltem quando poſterius abſolutè pendet à priori; ſed incarnatio pendet à peccato; ſupponimus enim incarnationem non futuram, niſi præuio peccato. Ergo Deus non potuit intendere incarnationem, non intento peccato; ſed hoc eſt falſum, cum peccatum intendi à Deo non poſſit; Deus enim odio habet impium, & impietatem eius. Ergo falſum etiam eſt Chriſtum incarnandum non fuiſſe nulla interueniente culpa.

Reſpondeo, negando maiorem. Deus enim intendit incarnationem, non intento peccato; nam peccatum non eſt obiectum, circa quod voluntas verſetur, tanquam circa obiectũ amplectendum, ſed tanquam circa obiectũ fugiẽdũ, vt docui de contritione. Ad probationem reſpondeo, poſterius non poſſe intendi non intento priori, quando poſterius ordinatur ad prius tanquam ad finem conſequendum; Incarnatio aũt non ordinatur ad peccatum tanquam ad finem conſequendum, ſed tanquam ad deſtruendum.

22 Quæres ſecundo, Vtrum incarnatio præfinita fuerit ante præſcientiam peccati originalis, & neceſſitatis illud contrahendi à poſteris Adæ.

Reſpondeo, Incarnationem præfinitam, & decretam fuiſſe poſt præſcientiam peccati originalis, & neceſſitatis illud contrahendi à poſteris Adæ. Ratio eſt, quia Incarnatio præfinita fuit, tanquam remedium peccati originalis, vt patet ex ſupradictis. Ergo præfinita fuit poſt præſcientiam peccati originalis, & neceſſitatis illud contrahendi à poſteris; nam electio medij poſterior eſt intentione, & præſcientia finis. Ita Aluarez diſp. 9. de Incarnat. concl. 1. nu. 11. Vaſquez 1. par. diſp. 95. c. 3. Becanus ca. 1. quæſt. 8. Puteanus, Valentia, & alij locis ſupra citatis contra Suar. d. 5. ſect. 2. col. 7. & ſeq.

23 Sed modò dubium eſt, Vtrum incarnatio præfinita fuerit ſaltẽ ante præſcientiam peccati originalis re ipſa contracti à poſteris Adæ.

Reſpondeo, præfinitam fuiſſe ante pręſcientiam peccati originalis re ipſa contracti à poſteris Adæ. Ratio eſt, quia Beatiſſima Virgo præſeruata fuit à peccato originali ex meritis Chriſti præuiſis, & eodem pacto præſeruari potuiſſent alij, ſi

Bon. de Incarnat.

Deus voluiſſet. Ergo incarnatio præfinita, & decreta fuit ante præſcientiam peccati originalis re ipſa contracti à poſteris; nam ſi præſcientia peccati originalis re ipſa contracti præceſſiſſet, nullus potuiſſet ab eo præſeruari, quia præſcientia Dei eſt infallibilis, & decretum Dei mutari non poteſt, vt ſuppono ex dictis in prima probatione. Ita Vaſquez, & Becanus locis cit.

Hinc patet, quid dicendum ſit de præſcientia peccatorum actualium; exiſtimo enim incarnationem præfinitam fuiſſe ante præſcientiam peccatorum actualium. Ratio eſt, quia omnia peccata actualia, quæ in hac vita committuntur impediri potuiſſent virtute incarnationis, & gratiæ Chriſti; ſicut multa re ipſa impediuntur. Ergo incarnatio præfinita fuit ante præſcientiam peccatorũ actualium, alioquin peccata impediri non poſſent vi incarnationis, & gratiæ Chriſti, cum poſterius impedire nequeat id, quod prius eſt. Ita Doctores citati.

Ex quo benè infert Becanus q. 8. n. 5. Chriſtum ex vi decreti, quo carnem ſuſcepit, eandem ſuſcepturum fuiſſe, etiam ſi poſteri Adæ nullum contraxiſſent peccatum originale, aut actuale; Chriſtus enim ex vi decreti, quo incarnatus eſt, carnem ſuſcipere poterat ob peccatum originale Adami, & ob neceſſitatem, quã poſteri habebant illud incurrendi, etiamſi nullum poſtea peccatum incurriſſent.

24 Quæres tertio, quinam ordo iuxta noſtrum modum concipiendi, aſſignari debeat in mente, & conſilio Dei circa ſe ipſum, productionem rerum, incarnationem, & prædeſtinationem.

Reſpondeo hunc aſſignari poſſe; in primo, ponuntur actus ſcientiæ, & amoris, quibus Deus ſuam eſſentiã perfectiſſimè cognouit, & eandem amauit. In ſecundo, ponitur ſcientia Dei, qua cognouit varios rerum ordines poſſibiles, in quibus Adamum creare poterat, & quid ſecutum fuiſſet in quolibet ordine, in quo Adamum creaſſet. Tertiò, libera voluntas Dei creandi Adamum in illo ordine, in quo eum re ipſa creauit. Quartò, præſcientia peccati Adæ, & neceſſitatis poſterorũ ad contrahendum illud peccatum, & periculi ad patranda peccata actualia. Quintò, voluntas, ſeu decretum incarnationis ad tollendum peccatum, & redimendum genus humanum. Sextò, voluntas conferendi gratiam, & gloriam ob Chriſti merita. Vide Puteanum queſt. 1. art. 3. col. 4. verſ. obſeruandum, Suarez diſp. 5. ſect. 2. & 3. quamuis nobiſcum in omnibus non conſentiat. Becanum cap. 1. q. 8. num. 6. Peſantium 3. par. quæſt. 1. art. 3. dub. 2. Vaſquez 3. par. diſp. 11. cap. 6. num. 61. & 1. par. tom. 1. d. 93. num. 43. Tannerum tom. 4. diſp. 1. quæſt. 1. dub. 6.

Punctum Sextum.

An incarnatio conuenienti tempore facta fuerit.

1 *Incarnatio conuenienti tempore facta fuit.*

2 *Incarnatio conuenienter facta non fuiſſet initio Mundi ante peccatum*

Digitized by Google

tum, vel ſtatim poſt peccatum, aut in fine Mundi.

VNICA PROPOSITIO.

1 INcarnatio conuenienti tempore facta fuit. Ratio eſt. Tum quia incarnatio facienda erat in medio tempore, Habacuc 3. *In medio annorum notum facies*; Tẽpus autem, quo facta fuit, eſt medium tempus, non quidem mathematicè, & indiuiſibiliter (alioquin ſciri poſſet mundi finis, extremumq́; iudicium, quod dici non poteſt, quia *De die illo, aut hora nemo ſcit, niſi Pater, & cui Pater voluerit reuelare*, Matthęi 13.) ſed moraliter, ideſt, non longe à media temporis parte, licèt magis vergente ad Mundi ſenectam. Tũ quia non decebat, vt incarnatio fieret ab initio Mundi, vt patebit ex dicendis in illationibus; nec etiam cõueniens videbatur, vt ad Mundi extremum differetur. Ergo conueniens fuit, vt hoc tempore fieret, ideſt quaſi in medio durationis Mundi. Tum quia Chriſti Incarnatio facienda erat eo tempore, quo magis neceſſaria erat, & Mundus illa indigebat, eo autem tempore, quo facta fuit Incarnatio, Mundus magis illa indigebat, cum tunc temporis lex naturalis, & ſcripta iam penè in obliuionẽ abijſſet. Ita S. Thomas de Incarnat. quæſt. 1. art. 5. Valentia quæſt. 1. pun. 4. col. 4. & 5. Aluarez diſp. 9. art. 5. & 6. Becanus cap. 1. quæſt. 10. Suarez in Comment. art. 5. d. 6. ſect. 2. Puteanus art. 5. & 6. Tannerus tom. 4. diſp. 1, quæſt. 1. dub. 4. num. 117. & alij communiter.

2 Hinc colligitur primo, conueniens non fuiſſe, vt incarnatio initio Mundi fieret ante lapſum humani generis. Ratio eſt, quia incarnatio præfinita fuit in remedium peccati, vt ſupra oſtenſum fuit. Ergo par non fuit, vt fieret initio Mundi ante peccatum; remedium enim non aſſumitur ante morbum, & medicina non datur, niſi infirmis, iuxta illud Matt. 9. *Non opus valentibus medico, ſed male habentibus*. Ob id Sanctus Thomas quęſt. 1. art. 3. ait, *Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt medicina cauſa*.

Addo, conueniens non fuiſſe, vt Incarnatio initio Mundi fieret ſtatim poſt peccatum. Tum vt homo multo ante diſponeretur ad hoc myſterium recipiẽdum, procedendo ab imperfecto ad perfectum, ideſt à lege naturali, & Moſaica ad legem gratiæ, iuxta illud primę Corint. 15. *Non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale*. Tum vt homo propriam agnoſceret, & experiretur infirmitatem, ac miſeriam, & cognoſceret ſe tanto liberatore indigere. Tum vt Verbi dignitas magis pateſieret, præcedente longa præconum, & prophetarum ſerie, pluriſque ab hominibus fieret ſummum hoc beneficium. Tũ vt magis noſtra fides eluceret pręuijs tot prophetarũ oraculis. Tum vt Dei iuſtitia manifeſtaretur, pœnis homini impoſitis ob delictum Adæ. Ita Doctores citati.

Obijcies, ſi Chriſtus initio mundi incarnatus fuiſſet, plures ſaluati fuiſſent, qui tamen perierunt. Ergo par erat, vt Chriſtus citius incarnaretur.

Reſpondeo primo, etiamſi admitterem vtilius futurũ fuiſſe, vt Chriſtus citius incarnaretur, alijs tamen de cauſis conueniens fuit incarnationem differri.

Digitized by Google

Reſpondeo ſecundo, negando plures ſaluandos fuiſſe, ſi Chriſtus citius veniſſet; nam Chriſtus incarnatus eſt ad ſaluandos quidem omnes quoad ſufficientiam; quoad efficaciam verò non omnes, ſed electos; conſequenter eo tempore carnem ſuſcepit, quo id conuenientius iudicauit ad efficacem ſalutem electorum. Cur autem Deus tot ſolum elegerit, & non plures, ad ipſius pertinet voluntatem, & prouidentiam, quam nos comprehendere non valemus, iuxta illud, *Quis cognoſcit ſenſum Domini?* & *O altitudo diuitiarum*. Vide Suarez quæſt. 1. in Comment. art. 5. & alios præcitatos Doctores.

Secundo colligitur, cōueniens non fuiſſe, vt incarnatio ad finem vſque Mundi protraheretur. Tum quia par erat, vt plures frui poſſent gratia incarnationis. Tū quia Incarnatio eſt cauſa, & remedium noſtræ ſalutis; cauſa autem, ſeu remedium ſalutis non debet eſſe vltimum. Tum quia ſi Incarnatio ad finem vſque Mundi dilata fuiſſet, iā ferè ſublata fuiſſet cognitio Dei. Tum quia cōſentaneū erat, vt bonitas, & perfectio Dei pluribus modis manifeſtaretur hominibus, videlicet per fidem Chriſti venturi, præſentis, & præteriti. Ita Doctores citati.

Obijcies, in ſcriptura habetur Chriſti Aduentum futurum eſſe in nouiſſimis diebus, Geneſis 49. Iſaiæ 2. & Micheę 4. & ad Hebręos 9. dicitur, *Chriſtus paſſus eſt in conſumatione ſæculorum*. Ergo fieri non debuit in medio tempore, ſed in Mundi fine.

Reſpondeo, tempus hoc noui teſtamenti, in quo Chriſtus humanam carnem ſuſcepit, appellari nouiſſimum tempus, 1. Ioannis 2. *Filioli, iam nouiſſima hora eſt*. Ob id ab aliquibus Patribus vocatur Mundi ſenecta, aut Mundi veſpera. Tum quia Deus hoc tempore dedit nobis legem gratiæ, quæ nouiſſima eſt, & poſt eam alia futura non eſt; ideò ab aliquibus vocatur Mundi Iuuentus ob uigorem gratiæ, quæ hoc tēpore uiget. Tum quia, hæc eſt vltima ætas. Tum quia, hoc tempore completæ ſunt omnes prophetię.

QVÆ-

QVÆSTIO SECVNDA.

De vnione Verbi Incarnati, & termino, ſeu effectu vnionis.

IN hac Quæſtione explicabo primò, quid ſit vnio, ſeu actio vnitiua. Secundò, quis ſit effectus vnionis, ſeu actionis vnitiuæ. Tertiò, Vtrum vnio naturæ humanæ cum perſona verbi, ſit maxima omnium vnionum. Quartò, quæ ſit cauſa efficiens Incarnationis. Quintò, Vtrum ad vnionem hypoſtaticam neceſſaria fuerit aliqua diſpoſitio, ſeu cauſa diſpoſitiua.

Punctum Primum.

Quid ſit vnio.

1 *Vnio quid ſit.*
2 *Vnio eſt actio vera, & realis.*
3 *Vnio eſt actio ſupernaturalis.*
4 *Humanitas per actionem vnitiuam non fuit producta, ſed vnita perſonæ Verbi.*
5 *Vnio, ſeu actio vnitiua non eſt creatio.*

IN hoc puncto principaliter explicabo quid ſit vnio, ſeu actio vnitiua; deinde quæram primo, Vtrum vnio, ſeu actio vnitiua ſit actio realis. Secũdò, Vtrũ ſit actio ſupnaturalis. Tertio, Vtrum per huiuſmodi vnionem, ſeu actionem vnitiuam non ſolum vniatur natura humana Verbo; verum etiam producatur ipſa natura humana.

VNICA PROPOSITIO.

1 VNio eſt actio tranſiens, per quam Deus coniũxit naturam humanam cum perſona Verbi, quam actionem Doctores appellant vnitionem, ſeu actionem vnitiuam, ſeu aſſumptionem naturæ humanæ, ſeu incarnationem. Hæc propoſitio conſtat ex ſupra dictis q. 1. pun. 1. & clarius conſtabit ex infra dicẽdis.

2 Quæres primo, Vtrũ iſta actiõ, per quam natura humana vnita eſt Verbo, ſit actio vera, & realis.

Reſpondeo, eſſe veram, & realẽ actionem. Ratio eſt, tum quia vbicunq; adeſt noua, vera, & realis cõpoſi-

poſitio, ibi adeſſe debet noua, vera, & realis actio; ſed per incarnationē adeſt noua, vera, & realis compoſitio, vt infra probabo. Ergo adeſſe debet noua, vera, & realis actio. Tū quia, vt aliquid ex nō vnito vniatur alteri, requiritur realis actio, & vera mutatio, ſaltem in vno extremo, quod alteri vnitur; ſed humana natura per incarnationem ex non vnita vnitur perſonæ Verbi. Ergo in Incarnatione requiritur vera, & realis actio. Ita Puteanus tom. 2. quæſt. 2. art. 8. dub. 1. Tannerus q. 3. dub. 4. num. 109. & alij communiter.

Obijcies, vbi eſt vera, & realis actio, ibi aſſignari poteſt verum, & reale ſubiectum, in quo illa recipiatur; hic autem aſſignari non poteſt ſubiectum, in quo actio vnitiua recipiatur; nam in perſona Verbi recipi non poteſt, alioquin Verbum mutaretur, quod dici non poteſt; nec ſufficit, vt recipiatur in natura humana, quia ipſa dici poſſet vnita Verbo; non autem Verbum humanitati, cum intelligi nequeat aliquid eſſe vnitum alteri ſine vnione.

Reſpondeo primo, maiorem propoſitionem non eſſe vniuerſaliter veram, vt patet in creatione, quæ eſt vera actio, & tamen non ſupponit ſubiectum, in quo recipiatur.

Reſpondeo ſecundò, data maiori propoſitione, hic aſſignari verum ſubiectum actionis vnitiuæ, nempè humanam naturam; in hac enim recipitur actio vnitiua, & per hāc Verbum vocatur vnitum humanitati, nō tanquam ſubiectum vnionis, ſed tāquam terminus vnionis, ſeu tanquā extremum cōſtituens compoſitum, ob vnionem in humanitate receptam, & terminatam ad Verbi perſonam, vt benè Becanus cap. 2. quæſt. 2. num. 13. Puteanus loco citato, & alij.

3 Quæres ſecundo, Vtrum iſta actio vnitiua ſit naturalis, an ſupernaturalis.

Reſpondeo, eſſe ſupernaturalem. Ratio eſt, tum quia illa eſt actio naturalis, quæ viribus naturæ fieri poteſt; iſta autem actio viribus naturæ fieri non poteſt; cum nullum agens creatum poſſit virtute propria vnire naturam humanam perſonæ diuinæ, & efficere, vt ſubſiſtentia diuina ſuppleat vices ſubſiſtentiæ humanæ. Tum quia naturæ viribus fieri non poteſt, vt homo ſit Deus; ſed per actionem vnitiuam homo ſit Deus. Ergo actio vnitiua fieri nō poteſt viribus naturæ. Ergo non eſt naturalis, ſed ſupernaturalis.

Obijcies primo, Sancti Patres, vt Cyrillus, & Sophorinus vocant iſtā actionem naturalem. Ergo non eſt ſupernaturalis.

Reſpondeo, iſtam actionem vocari naturalem, non quia naturæ viribus fiat, ſed quia non eſt contraria naturę; natura enim poſtulat, vt ſubſtantia ſubſiſtat propria, vel ſaltem aliena ſubſiſtentia, quamquam naturaliter fieri non poteſt, vt ſubſiſtat aliena ſubſiſtentia. Aliam reſponſionem affert Puteanus quæſt. 2. art. 8. dub. vlt.

Obijcies ſecundo, iſta actio facit, vt ſubſiſtentia verbi efficiat id, quod efficeret ſubſiſtētia creata; ſed ſubſiſtentia creata efficeret ens naturale. Ergo iſta actio eſt naturalis.

Ad maiorem propoſitionem, Reſpon-

ſpondeo iſtam actionem facere, vt ſubſiſtentia increata faciat id, quod faceret ſubſiſtentia creata, ſi adeſſet, ſed non eodem modo; nam ſubſiſtentia creata eſt modus ſubſtantialis ipſius naturæ humanæ non diſtinctus realiter ab ipſa natura humana; ſed tanquam modus à re; ſubſiſtentia verò increata nō eſt modus ſubſtantialis ipſius naturæ, ſed ſupernaturali ope ſupplet vices ſubſiſtentiæ creatæ, & realiter diſtinguitur à natura humana.

4 Quæres tertio, Vtrū per actionem vnitiuam non ſolum vnita ſit humanitas perſonæ Verbi, verum etiam producta ſit ipſa humanitas.

Reſpondeo, per actionem vnitiuā non fuiſſe productam humanitatem, ſed ipſam humanitatem vnitam eſſe perſonæ Verbi, conſequenter actionem vnitiuā diſtinctam eſſe ab actione productiua humanitatis. Ratio eſt primo, quia natura humana conſtat anima rationali, & materia prima, & vnione materiæ cum anima; ſed hæc præcedunt vnionem cum Verbo; nam prius eſt rem aliquam exiſtere, quam vniri, ſeu coniungi rei à ſe diſtinctæ. Ergo vnio cum Verbo non eſt productiua humanitatis; actio enim non producit terminum, quem ſupponit; vnio autem ſupponit extrema, quæ vniuntur. Secūdo, quia illæ actiones diſtinguuntur inter ſe, quarum termini ſunt inter ſe diſtincti; quęlibet enim actio diſtinctionem ſumit ab obiecto, vel à modo tendendi in obiectum, vel à termino ꝓducto; ſed terminus actionis vnitiuæ diſtinctus eſt à termino actionis productiuę humanitatis. Ergo actio vnitiua humanitatis cū Verbo, diſtincta eſt ab actione productiua humanitatis. Tertiò, quia ita ſe habere videtur productio humanitatis Chriſti, & eius vnio cum Verbo, ſicut ſe habet creatio animæ rationalis, & eius vnio cū proprio corpore; ſed actiò creationis animæ diſtincta eſt ab actione, per quā anima coniungitur proprio corpori. Ergo etiam actiò productionis humanitatis Chriſti diſtincta eſt ab actione, ꝑ quam humanitas Chriſti vnita eſt Verbo. Ergo actio vnitiua, & coniunctiua humanitatis cum Verbo non eſt actio productiua humanitatis. Quartò, quia humanitas habet propriam exiſtentiam, diſtinctam ab exiſtentia Verbi. Ergo producta fuit per propriam actionem productiuam; omnis enim productio realis terminatur ad exiſtentiam rei. Ita Becanus cap. 2. quæſt. 1. numer. 2. Peſantius de Incarnatione quæſt. 2. diſp. 1. notabili 5. & alij communiter, teſte Suarez diſp. 8. ſect. 2. col. 2. in prima ſententia contra Puteanum quæſt. 2. art. 8. dub. 2. & nonnullos alios Thomiſtas aſſerentes actionem vnitiuam humanitatis in Verbo, fuiſſe productiuam illius, & terminatam fuiſſe ad exiſtentiam Verbi, ita vt humanitas per incarnationem, ſeu actionem vnitiuam non habeat exiſtentiā diſtinctam ab exiſtentia Verbi; ſed noſtram ſententiam probabiliorem eſſe patet, tum ex rationibus allatis. Tum quia ſi humanitas exiſteret ſolum per exiſtentiam Verbi, & non haberet propriam exiſtentiam, ſequeretur, humanitatem, ſi ſepararetur à perſona Verbi, ſtatim deſtrui, nec poſſe ſeparatam à Deo cōſerua-

ri; implicat enim aliquid exiſtere ſine exiſtentia; ſed falſum eſt conſequens. Ergo & antecedens.

Obijcies primo, ibi datur vnica numero actio, vbi datur vnica exiſtētia; ſed in Chriſto datur vnica exiſtentia ex S. Thoma 3. par. quæſt. 17. art. 2. & alijs. Ergo datur vnica actio. Ergo actio productiua humanitatis non eſt diſtincta ab actione vnitiua.

Reſpondeo negando minorem propoſitionem, dico enim in Chriſto dari plures exiſtentias partiales, ſicut datur in homine; alia enim eſt exiſtentia animæ, alia corporis, & de fide eſt, animam poſſe ſeorſim, & ſeparatim à corpore exiſtere.

Obijcies ſecundo, Sanctus Leo Epiſt. 11. aſſerit, humanam Chriſti naturam creatā fuiſſe per aſſumptionem illius à verbo factā. *Natura noſtra*, inquit S. Leo, *Nō ſic aſſumpta eſt, vt prius creata poſt aſſumeretur, ſed vt ipſa aſſumptione crearetur*. Ergo actio vnitiua humanitatis non eſt diſtincta ab actione productiua illius.

Reſpondeo, Sanctum Leonem velle ſolum affirmare humanitatē nullo planè temporis inſtanti extitiſſe antequam vniretur Verbo, quod etiam ego admitto, ſicut admittimus animam in eodem inſtanti à Deo creari, & vniri corpori; non tamen hinc ſequitur eandem eſſe actionem productiuam animæ, & vnitiuam illius.

Obijcies tertio, ſi actio vnitiua diſtincta eſt ab actione productiua humanitatis, opus eſt productiuam priorem eſſe vnitiua, cum prius ſit aliquid exiſtere, quam alteri coniungi; ſed falſum eſt, actionem productiuam priorem eſſe vnitiua, vt patet, tum auctoritate S. Leonis citata. Tum quia ſequeretur humanitatem Chriſti prius conceptam fuiſſe, quàm vnitam Verbo; conſequenter Deum non eſſe conceptum ex Virgine, ſed ſolam humanitatem, cum terminus conceptions fuerit humanitas.

Reſpondeo, actionem productiuam humanitatis fuiſſe priorem vnitiua, non prioritate temporis, ſed rationis, & naturæ; non enim implicat duas actiones circa eandem rem fieri in eodem inſtanti temporis, & tamen vnam eſſe priorem altera prioritate naturæ.

Obijcies quarto, cuiuslibet actionis aſſignari debet proprius terminus; ſed actionis vnitiuæ non poteſt aſſignari alius terminus præter exiſtentiam humanitatis in Verbo; omnis enim actio realis producit aliquid reale, & omnis productio realis terminatur ad exiſtentiam rei; cum productio rei nihil aliud ſit, quàm communicatio, ſeu collatio exiſtentiæ.

Reſpondeo, huius obiectionis ſolutionem deſumēdam eſſe ex dicendis in puncto proximè ſequenti.

5 Ex dictis obiter colligi poteſt vnionem, ſeu actionem vnitiuā non eſſe creationem propriè acceptam, quia creatio eſt ex nihilo; actio autem vnitiua non eſt ex nihilo, ſed ſupponit naturam humanam, illamque vnit perſonæ creatæ, producendo modum ſubſtantialem, qui recipitur in natura humana.

Pun-

Digitized by Google

Punctum Secundum.

Quis ſit terminus, & effectus vnionis.

1 *Terminus à quo actionis vnitiuæ reſpectu naturæ humanæ eſt negatio vnionis ſubſiſtentiæ diuini Verbi.*

2 *Terminus ad quem actionis vnitiuæ eſt vnio in facto eſſe.*

3 *Vnio poni non poteſt in Verbo, cum non ſit capax mutationis.*

4 *Vnio poſita in humanitate dicit ordinem eſſentialem ſolum ad perſonam Verbi.*

5 *Vnio totius humanitatis cum Verbo non dicit aliquid realiter diſtinctum ab ipſis partibus vnitis.*

6 *Effectus ſecundarius actionis vnitiuę eſt relatio humanitatis ad perſonam Verbi.*

7 *Terminus vltimus actionis vnitiuæ eſt Chriſtus, ſeu hic homo.*

VNio dupliciter accipi poteſt. Primo pro actione, quæ vocari ſolet actio vnitiua. Secundo pro vnione in facto eſſe, & nihil aliud eſt, quam terminus, & effectus actionis vnitiuæ; cum autem in actionibus, & mutationibus plures termini aſſignari poſſint, illos etiã conabor aſſignare in vnione, ſeu actione vnitiua. Explicabo igitur primo, terminum à quo. Secundo, proximum, & formalem terminum ad quem. Tertio, terminum ſecundarium. Quartò, terminum reſultantem, ſeu vltimum, & completum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 TErminus, à quo, actionis vnitiuæ reſpectu naturæ humanæ, eſt negatio vnionis, & ſubſiſtentiæ Diuini Verbi. Ratio eſt, quia terminus, à quo, cenſetur ille, à quo fit tranſitus ad terminum ad quem cũ illo incompoſſibilem, ſed natura humana per actionem vnitiuam tranſit à non eſſe vnita ad eſſe vnitam, à non ſubſiſtentia increata Diuini Verbi ad ſubſiſtentiam increatam Diuini verbi. Ergo terminus, à quo, actionis vnitiuæ reſpectu naturæ humanę eſt negatio vnionis ſubſiſtentiæ Diuini Verbi.

Terminus verò, à quo, reſpectu Diuini Verbi, eſt, non eſſe hominis. Ratio eſt, quia Verbum per actionem vnitiuam tranſit à non eſſe hominis ad eſſe hominis. Ita Doctores ſtatim citandi.

Hinc colligi poteſt, Primò, contra Caietanum 3. p. quæſt. 2. art. 8. & Cabreram 3. par. d. 1. nu. 5. terminum à quo actionis vnitiuæ naturæ humanæ cum perſona Verbi non eſſe ipsã naturam humanam. Ratio eſt, tum quia per actionem vnitiuam non fit tranſitus à natura humana ad naturam humanam. Tum quia terminus à quo debet eſſe incompoſſibilis cum termino ad quem; natura autem humana non eſt incompoſſibilis cum termino ad quem actionis vnitiuæ. Tum quia natura humana eſt ſubiectum actionis vnitiuæ, & termini primarij per actionẽ vnitiuam producti; terminus autem à quo actionis, non poteſt eſſe ſubiectum eiuſdem actionis. Ita Suarez diſp. 8. ſect. 2.

ſect. 2. ad finem. Puteanus de Incarnatione quæſt. 2. art. 8. dub. 5. Vaſquez diſput. 19. cap. 3. Tannerus diſp. 1. q. 3. dub. 2. nu. 59. & alij.

Secundò, colligi poteſt terminum, à quo, actionis vnitiuæ non eſſe perſonalitatem humanæ naturæ. Ratio eſt, quia nulla res vera, & realis, quæ nunquam extitit, poteſt eſſe terminus à quo actionis præſentis, vel præteritæ; ſicut lignum, quod numquam extitit, non poteſt eſſe terminus à quo præſentis combuſtionis; ſed perſonalitas naturæ humanæ aſſumptæ à verbo, numquam extitit, nec extitura eſt, licet ſit poſſibilis. Ergo perſonalitas naturæ humanæ non poteſt eſſe terminus à quo actionis vnitiuæ.

Tertiò, colligi poteſt terminum à, quo, actionis vnitiuæ non eſſe carentiam perſonalitatis naturæ humanę. Ratio eſt, quia terminus à quo debet eſſe incompoſſibilis cum termino ad quem; ſed carentia perſonalitatis naturę humanę non eſt incompoſſibilis cum termino ad quē, ideſt cum vnione hypoſtatica, ſeu cũ perſona Chriſti; nam cum vnione hypoſtatica, & cum perſona verbi ſtat carentia perſonalitatis naturę humanę.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Terminus ad quem, ſeu effectus primarius actionis vnitiuę eſt vnio in facto eſſe, ideſt coniunctio ſubſtãtialis, ſeu modus quidam ſubſtantialis, per quem natura humana vnita eſt Verbo. Ratio eſt Primo, quia omnis actio realis producit aliquid reale in ſubiecto, in quo recipitur, ſed actio vnitiua eſt actio realis, quæ recipitur in humanitate (non enim recipi poteſt in perſona Verbi, cum ſit actio tranſiens, & Verbum ſit incapax mutationis.) Ergo producit aliquid reale in humanitate; hoc autē non eſt aliud, quam vnio ſubſtantialis cum Verbo. Ergo terminus actionis vnitiuæ eſt coniunctio ſubſtantialis humanitatis cum Verbo.

Secundò, quia cõiunctio ſubſtantialis nihil eſt aliud, quam coniunctio duarum rerum ſubſtantialium, per quam reſultat vna ſubſtantia compoſita, quæ propriè, & verè eſt vna; ſed hęc definitio conuenit vnioni incarnationis, ſeu termino actionis vnitiuæ, vt benè argumentatur Suarez diſp. 8. ſect. 1. concl. 1. eſt enim vnio duarum rerum ſubſtantialium, per quam reſultat vna ſubſtantia compoſita; nempè Chriſtus, qui verè, ac propriè eſt vnus. Ergo terminus actionis vnitiuę eſt coniunctio ſubſtantialis, per quam humanitas eſt vnita verbo.

Tertiò, quia ſi terminus actionis vnitiuæ non eſt ſubſtantialis, ſed accidentalis, ſequitur humanã naturam non eſſe ſubſtantialiter vnitam Verbo, cum duæ naturæ non poſſent accidẽtaliter vniri, niſi medio aliquo accidente; ſed falſum eſt naturam humanam non eſſe ſubſtantialiter vnitam, nam Concilia, & Patres aiunt iſtam vnionem factam eſſe ſecundum ſubſtantiam, ſeu ſubſtantialiter, vt patet ex primo tom. Concil. in Concil. Epheſin. canon. 2. & in Concilio Lateranen. ſub Martino conſult. 5. ca. 6. canone 6. vbi habetur naturas eſſe ſubſtãtialiter vnitas, & canone 8. vbi actionem vnitiuam vocat ſubſtantialem vnitionem.

Quar-

Quartò, quia eſſentia rei compoſitæ neceſſario includit coniunctionem; intelligi enim non poteſt res compoſita ſine coniunctione; ſi ergo res compoſita eſt ſubſtantialis, neceſſe eſt, vt coniunctio ſit ſubſtantialis; Sed Chriſtus homo eſt compoſitum ſubſtantiale; conſtat enim Verbo, & Humanitate. Ergo coniunctio humanitatis cum Verbo eſt ſubſtantialis.

Quintò, quia ſi terminus vnionis non eſſet modus ſubſtantialis, ſequeretur humanitatē cenſeri accidentaliter vnitam Verbo, & Verbum humanitati; nam Verbū non aduenit humanitati, nec humanitas Verbo, niſi mediante vnione. Si ergo vnio eſt accidentalis, dicetur accidentaliter aduenire, ſeu accidentaliter vnita eſſe; ſed falſum eſt humanitatem accidentaliter aduenire, & accidentaliter vnitam eſſe verbo, & è cōtra. Tum quia, quod accidentaliter aduenit, prædicatur ſolum accidentaliter, & denominatiuè; humanitas autem non prædicatur de Verbo accidentaliter, & denominatiuè, ſed ſubſtantialiter; ob id dicitur homo Verbum, & Verbum homo. Iuxta illud Ioannis *Verbum caro factum eſt*. Tum quia implicat aduenire in vnitatē ſuppoſiti, ſeu perſonæ ſubſtantialiter compoſitæ, & aduenire accidentaliter; nam aduenire accidentaliter eſt aduenire ſecundum aliquod eſſe accidentale; aduenire autem in vnitatem ſuppoſiti, eſt aduenire ſecundum aliquod eſſe ſubſtantiale, vt benè Suarez diſp. 8. ſect. 1. concl. 1.

Sextò, quia in reſurrectione corporum neceſſe erit, vt fiat aliqua mutatio in anima, vel in corpore; homo enim non reſultat ex anima, & corpore præciſſè conſideratis ſecundum ſuas entitates. Ergo neceſſe eſt, vt aliquid addatur, per quod fiat aliqua mutatio; hic autem eſt modus ſubſtantialis vnionis. Ergo etiam in vnione humanitatis ad perſonā Verbi neceſſe eſt, vt addatur modus quidam ſubſtantialis, per quem natura humana remaneat vnita Verbo. Ita S. Thomas quæſt. 2. art. 6. Suarez diſp. 8. ſect. 2. concluſ. 3. vbi putat hanc eſſe communem diſcipulorum S. Thomæ ſentētiam. Vaſquez diſp. 17. & 18. cap. 4. Cabrera art. 4. diſp. 8. Tannerus tom. 4. diſp. 1. quæſt. 3. dub. 5. num. 153. & ſeqq. & dub. 6. num. 177.

Obijcies primo, iſta vnio explicari ſolet à Sāctis Patribus per vniones accidentales, vt per vnionem, quæ eſt in ferro candenti inter calorem, & ferrum; aut per vnionem, quæ eſt inter vnam arborem alteri inſitam; ad quod facit illud Iacob. 1. *Suſcipite inſitum verbum*. Ergo vnio, per quam humanitas vnita eſt Verbo, nō eſt ſubſtantialis, ſed accidentalis.

Reſpondeo, ſimilitudinem ſæpe afferri non ad ſignificandam omnimodam identitatem, ſed aliquam proportionem, vt intellectus cognita re ſimili in cognitionem ducatur rei, de qua agitur, vt benè Suarez diſp. 8. ſect. 1. concluſ. 1. ſub finem, vbi has ſimilitudines ſingillatim explicat.

Obijcies ſecundo, Verbum eſt ens completum, & humanitas non pertinet ad naturam, & eſſentiam Verbi. Ergo humanitas aduenit Verbo accidentaliter; quod enim aduenit

enti

enti in actu, aduenit accidẽtaliter, & quod non pertinet ad naturam alicuius rei eſt accidens eius; omne enim, quod eſt, aut eſt ſubſtantia, aut accidens. Confirmatur ex deffinitione accidẽtis, quod eſt quid extrinſecum ſubiecto, & poteſt abeſſe, & adeſſe ſine illius corruptione.

Reſpondeo, humanitatem aduenire Verbo precisè ſumpto, non tamen aduenire Chriſto, vt eſt compoſitum ſubſtantiale conſtans perſona Verbi, & humanitate; ſicut anima dici poteſt aduenire materiæ, cum materia poſſit eſſe ſine anima; non tamen aduenit homini, cuius pars ſubſtantialis eſt ipſa anima, quę corpori vnitur per ſubſtantialem vnionem, iuxta ſententiam plurimorum Doctorum. Aliam reſponſionem ſatis obſcuram affert S. Thomas quæſt. 2. art. 6. ad 2.

Ad argumentum igitur Reſpondeo, Verbum ſecundum ſe eſſe ens completum, non tamen hinc ſequitur, quin ex Verbo, & humanitate conſtitui poſſit cõpoſitũ ſubſtãtiale per ſubſtantialem vnionẽ in humanitate receptam, & terminatam ad perſonã Verbi. Ad id, quod dicitur, humanitatem non pertinere ad naturam, & eſſentiam Verbi. Reſpondeo id verum eſſe; perſonalitas tamen, ſeu ſubſiſtẽtia ipſius Verbi, per quam ſubſiſtit humana natura, non eſt accidens, ſed terminus ſubſtantialis naturę humanæ, vt benè Suarez art. 6. in reſponſione ad 3. Vide dicta quęſt. 1. pun. 2. num. 4. & 5.

Obijcies tertio, Chriſtus habitu inuẽtus eſt, vt homo, iuxta illud Pauli ad Philip. 2. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Sed habitus accidẽtaliter aduenĩt illi, cuius eſt habitus. Ergo natura humana accidẽtaliter vnita eſt Verbo.

Reſpondeo primo, cum S. Thoma loco citato, id dici per ſimilitudinem, & Metaphoram, non autẽ ſecundum identitatem; *Non enim neceſſe eſt*, inquit Damaſcenus lib. 3. orthodox. fid. cap. 5. *Exempla aſſimilari omnimodè, & indefectiuè; quod enim eſt in omnibus ſimile, idem potius eſt, quam Exemplum*. Dicitur ergo Chriſtus habitu inuentus vt homo, quia ſicut induens ſe veſtimento non mutatur propter veſtimentum, etiam ſi veſtimentum mutetur; Ita Verbum aſſumens carnem non mutatur, licet mutatio in carne contingat.

Reſpondeo ſecundo, cum Suarez in comment. art. 6. concl. 2. ad 1. loco illus verbi, *Habitu*, in Gręca voce legi, *Figura, forma, ſeu ſpecies*; ita vt ſenſus ſit, Chriſtum inuentum eſſe in figura, forma, ſeu ſpecie hominis, illa autem dictio, *vt*, non adhibetur ad diminuendum, quaſi Chriſtus non ſit verus homo (vt patet in ſimili ex verbis illis Ioannis primo, *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre*, illa enim dictio, *Quaſi*, non minuit veritatem vnigeniti, ſed adhibetur potius ad exprimendam rei veritatẽ, quia Verbum diuinum formam hominis ſuſcepit. Vide Suarez loco citato.

Obijcies quarto, non poteſt aſſignari, in quo recipiatur hic modus ſubſtantialis, non enim recipitur in Verbo, cum verbum ſit incapax mutationis, & nouæ formæ; neque recipitur in humanitate, cum intelligi nequeat, quomodo humanitas dicatur

tur vnita Verbo, & Verbum humanitati per vnionem in ipſa ſolum humanitate exiſtentem.

Reſpondeo, hunc modum ponendũ eſſe in ipſa humanitate; per illum enim humanitas dependet à perſona Verbi in ſubſiſtẽdo, cum humanitas nõ habeat proximam ſubſiſtentiam, ſed ſubſiſtat per ſubſiſtentiam Verbi. Nec eſt neceſſe, vt ille modus ponatur in Verbo; ſed ſufficit, vt ponatur in humanitate, vt in ſimili patet de vnione corporis cum anima rationali. Ita communiter Doctores cum S. Auguſtino teſte Tannero diſp. 1. quæſt. 3. dub. 4. num. 126.

3 Rogabis, Vtrum iſta vnio poni poſſit in Verbo.

Reſpondeo negatiuè. Primo, quia de ratione vnionis eſt, vt dicat reſpectum ad extremum, cum quo vnitur; vnio enim alicuius extremi cum altero extremo concipi, & intelligi non poteſt ſine intrinſeco reſpectu ad alterum extremum; ſed in Verbo nihil poni poteſt, quod eſſentialiter includat reſpectum ad creaturam; nam iſte reſpectus, vel eſt relatio prædicamentalis, vel traſcendentalis; non prædicamentalis, quia hæc eſt accidens; Deus autem non eſt capax vllius accidentis; Non tranſcendentalis, quia per relationem tranſcendentalem res refertur eſſentialiter ad aliud; Deus autem non refertur eſſentialiter ad creaturas, cum eſſentialiter nõ dependeat à creaturis, & ſit ens eſſentialiter indepẽdens ab omni creatura.

Secundò, quia nihil eſt in Verbo, quod non ſit ẽt in alijs perſonis; ſi ergo vnio ponatur in Verbo, poni etiã debet in alijs perſonis; cõſequenter etiam aliæ perſonæ vnitæ erunt humanitati, cum dari non poſſit vnio quæ non faciat extrema actualiter vnita, nec cõcipi poſſit vnio ſine duobus extremis vnitis, & ſimul coniunctis; vnio enim eſſentialem reſpectum dicit ad extrema; ſed falſum eſt alias perſonas eſſe vnitas humanitati. Ergo falſum etiam eſt vnionem poni in verbo. Dices illas eſſe etiam in alijs perſonis, ſed illas non eſſe actu vnitas; ſicut enim dari poteſt congnitio in Deo, quæ non ſit actualis; cognitio enim qua Deus cognoſcit futura contingentia, licet nunc actualis ſit, non tamen eſſet actualis, ſi Deus ab æterno noluiſſet ulla futura contingentia; ita etiam dari poteſt vnio, quæ non ſit actualis, & non faciat extrema actu vnita. Reſpondeo non poſſe dari vnionẽ, quæ non faciat extrema actu vnita, quia de ratione vnionis eſt, vt extrema actu vniat; Neque verum eſt in Deo dari cognitionem, quæ non ſit actualis; Deus enim creaturas futuras, actualiter cognoſcit, vt futuras; poſſibiles verò cognoſcit vt poſſibiles; conſequenter ſi ab æterno decreuiſſet non producere vlla futura contingentia, non cognoſceret illa vt futura, ſed vt poſſibilia, vt benè Becanus de Incarnat. cap. 2. quæſt. 2. num. 11. & alij communiter, quos referam in 1. probat.

Obijcies quintò, vel iſta vnio, ſeu modus ſubſtantialis recipitur in anima, vel in corpore; non in anima, quia corpus nõ diceretur vnitũ Verbo, quod eſt falſum, cum cõſtet corpus Chriſti in triduo mortis manſiſſe vnitum Verbo; non in corpore, quia anima non diceretur vnita Ver

bo, quod eſt falſum, cum anima in triduo mortis māſerit vnita Verbo; non in vtroque ſimul, quia iſta vnio vel eſt aliquid materiale, uel immateriale. Si eſt aliquid materiale non poteſt recipi in anima, cum ſubſtantia ſpiritualis, non ſit capax rei materialis; ſi eſt aliquid immateriale, & ſpirituale, non poteſt recipi in corpore, quod eſt materiale.

Reſpondeo, vnionem, ſeu coniunctionem humanitatis cū Verbo conſtare duabus vnionibus partialibus, quarum vna eſt materialis, quæ conuenit corpori; altera ſpiritualis, quæ conuenit animę; ſic .n. ſeruatur proportio, & euitantur incōmoda, quæ alioquin ſequerentur. Ita Puteanus de Incarnatione queſt. 2. art. 8. ad finem, Becanus, & alij.

4 Rogabis, Vtrum iſta vnio, quā diximus poni in anima, & corpore includat ordinem, & reſpectum ſolū ad perſonam verbi, an etiam ad alias perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis.

Reſpondeo, includere ordinem trāſcendentalem, & eſſentialem ſolū ad perſonam Verbi. Ratio eſt, quia includit ordinem, & habitudinē intrinſecam, & eſſentialem ad illam ſolam perſonam, cui vnitur tanquam termino ſubſtantiali intimè coniuncto humanitati; vnio enim eſt vniti vnio. Quamobrem ſi humanitas vniretur perſonę Patris, vel Spiritus Sancti, illa vnio eſſet realiter, & eſſentialiter diuerſa ab ea, qua humanitas nunc vnitur perſonæ Filij; haberet enim eſſentialem ordinem ad perſonam Patris, aut Spiritus Sancti, non ad perſonā Verbi. Ex quo fit, vt vnio conſeruari non poſſit ſine re, cuius eſt vnio; licet enim humanitas conſeruari poſſit ſine vnione, & res ſine ſuo modo, non tamen vnio ſine eo, cuius eſt vnio; modus enim conſeruari non poteſt ſine eo, cuius eſt modus, vt patet in figura, ſeſſione, & his ſimilibus, & ſicut actualis modus inhærentiæ cōſeruari non poteſt in accidente ſeparato à ſubiecto; ita actualis vnio conſeruari non poteſt in humanitate ſeparata à verbo. Ita Suarez d. 8. ſect. 2. verſ. ſed obijcies aliquis, Becan. c. 2. q. 2. n. 7. & alij.

Obijcies ſexto, iſte modus eſt res creata, & minus perfecta, quam ipſamet humanitas. Ergo nō habet vim vniendi humanitatem Verbo. Ergo aſſignandus eſt alius terminus actionis vnitiuæ.

Reſpondeo, negando vtramque conſequentiam; licet enim hic modus ſit res creata; eſt tamen ipſa realis, & quaſi formalis coniunctio humanitatis cum perſona Verbi, & habet habitudinem, & ordinem tranſcendentalem ad perſonam Verbi.

Obijcies ſeptimo, ſi per actionem vnitiuam producitur modus ſubſtantialis, per quem humanitas vnitur Verbo, neceſſe eſt, vt etiam producatur alius modus, per quem præfatus modus humanitatis vniatur humanitati, cum modus etiam ipſe vniatur, & ad hunc ſimiliter alius modus neceſſarius videatur; & ſic dabitur proceſſus in infinitum, quod non eſt admittendum.

Reſpondeo negando proceſſum illum, quia modus per ſe ipſum vnitur rei, & eius ratio formalis cōſiſtit in actuali modificatione ipſius rei; ſicut enim forma per ſe ipſam informat; ita etiam modus per ſe ipſum modificat, & nihil aliud videtur eſ-

Digitized by Google

ſe modum vniri rei, quam illā actualiter modificare. Ita Suarez loco cit.

5 Quæres, Vtrum vnio totius humanitatis cum Verbo dicat, ſeu includat aliquid realiter diſtinctum ab ipſis partibus vnitis.

Reſpondeo negatiuè, quia ſicut tota humanitas nō dicit aliquid realiter diſtinctum à partibus, ita vnio totius humanitatis cum Verbo non dicit aliquid realiter diſtinctum ab vnionibus ipſarum partium cū Verbo; ita communiter Doctores.

Diſſenſio tamen eſt inter Doctores, Vtrum vnio, ſeu ſubſiſtentia totius humanitatis, ſeu aſſumptio totius humanitatis includat aliquid formaliter diſtinctum ab ipſiſmet vnionibus partialibus. Reſpondendum mihi videtur, non includere aliquid reale formaliter diſtinctum ab ipſis vnionibus partialibus. Ratio eſt. Tum quia non ſunt multiplicanda entia abſq; neceſſitate. Tum quia, ſi includit aliquid, maximè includit vnionem totalē, ſed hoc eſt falſum, nam ſequeretur humanam naturam bis vniri Verbo diuino, ſemel vnione partiali, & iterum vnione totali; ſemel ſubſiſtere ſubſiſtentia partiali, & iterum ſubſiſtentia totali. Tū quia nō poteſt aſſignari quid ſit iſta vnio totalis diſtincta ab vnionibus partialibus.

Dices eſſe vnionem, per quam ipſæ partiales vniones inter ſe vniuntur.

Reſpondeo, id gratis, & ſine ſufficienti fundamento dici; cum enim vnio corporis ſit materialis, & vnio animæ ſit ſpiritualis, non poteſt aſſignari alia vnio, per quam iſtæ vniones vniantur; nam vel eſt vnio materialis, vel ſpiritualis; neutrum autem dici poteſt, quia intelligi non poteſt quomodo vnio materialis, aut ſpiritualis ſimul recipi poſſit in re materiali, & ſpirituali. Ita Vaſquez, & alij contra Suarez d. 17. ſect. 5. Tannerū diſp. 1. quæſt. 5. dub. 5. num. 167. & alios.

Obijcies, ita ſe habet vnio totalis ad vniones partiales, ſicut ſe habet totalis natura, ſeu tota humanitas ad ipſas partes naturæ, ſeu humanitatis; ſed totalis natura, ſeu tota humanitas, præter partes naturæ, dicit formaliter vnionem ipſarum partiū inter ſe. Ergo vnio totalis præter vniones partiales dicit vnionem ipſarum partialium vnionum inter ſe.

Reſpondeo negando maiorem propoſitionem. Ratio diſparitatis eſt, quia partes naturæ debent inter ſe ſuo modo vniri, alioquin non conſtituerent compoſitum; vniones verò non debent alia vnione inter ſe vniri, cum ipſæ ſuo officio fungantur vniendo; nec indigeāt vnione totali, per quam totum dicatur vnitū; totum autem ſufficienter dici poteſt vnitum per vniones partiales; an autem totalis vnio ſuperaddat aliquid rationis ipſis vnionibus partialibus, reſponderi poteſt affirmatiuè, quia alius eſt conceptus vnionis totalis, alius vnionis partialis.

TERTIA PROPOSITIO.

6 Effectus ſecundarius actionis vnitiuæ eſt relatio, per quam humanitas refertur ad Verbum, cui eſt vnita; poſita enim vnione humanitatis cum Verbo, reſultat relatio humanitatis ad Verbum, quę non re-

Digitized by Google

ſultabat ante vnionem, & hæc relatio uocari poteſt relatio vnionis inter duo extrema inter ſe vnita, quæ quidem relatio ex parte humanitatis eſt realis, quia poſita vnione adſunt omnia in humanitate requiſita ad relationem realem; ex parte Verbi non eſt realis, quia Verbum eſt incapax mutationis, & accidentis. Ita Caietanus quæſt. 2. art. 7. Cabrera ibidem, Suarez loco proximè citando, Tannerus d. 1. q. 3. dub. 6. nu. 219. & alij contra Vaſquez diſp. 18. cap. 3. & alios.

6 Addo, præter relationem vnionis aſſignari poſſe inter humanitatem, & Verbum relationem vnitatis, ſeu identitatis, quia humanitas, & Verbum vniuntur in eadem perſona; cõſequenter ratione perſonæ ſunt vnũ, & idem. Verum tamen eſt huiuſmodi relationem non eſſe realem, ſed rationis; quia fundamentum relationis eſt vnum, & idem in vtroque; nam ad relationẽ realem opus eſt, vt fundamẽtum ſit reale, & realiter diſtinctum in utroque extremo, ut benè S. Thom. 1. p. q. 42. art. 1. ad 4. & alij contra Scotum; fundamentum autẽ unitatis, & identitatis in hoc caſu nõ eſt realiter diſtinctum in utroq; extremo, ſed eſt unum, & idem, cũ eadem ſit ſubſiſtẽtia; humanitas enim caret propria ſubſiſtentia, & ſubſiſtit ſubſiſtentia Verbi. Ita Suarez d. 8. ſect. 2. col. 8. & 9. Becan. c. 2. q. 3.

QVARTA PROPOSITIO.

7 Terminus reſultans, ſeu ultimus actionis unitiuæ in myſterio Incarnationis eſt Chriſtus, id eſt perſona Chriſti compoſita, ſeu hic homo. Ratio eſt, tum quia Ioannis 1. dicitur *Verbum caro factum eſt*, & in Simbolo Apoſtolorum dicitur, *Et homo factus eſt*. Tum quia ille eſt terminus reſultans, ſeu vltimus, qui conſurgit ex poſitione termini formalis; hac enim de cauſa uocatur reſultans; ſed Chriſtus, ſeu perſona Chriſti compoſita, ſeu hic homo, neceſſario conſurgit ex poſitione unionis humanitate ad perſonam Verbi. Ergo terminus reſultãs, ſeu ultimus actionis unitiuæ eſt Chriſtus, ſeu hic homo. De hac re iterum ex profeſſo agam q. 5. pun. 1.

Punctum Tertium.

Vtrum vnio naturæ humanæ cum perſona Verbi ſit maxima omnium vnionum.

1 *Vnio naturæ humanæ cum Verbo, eſt omnium vnionum maxima.*

2 *Vnio humanitatis cum Verbo eſt maxima in genere entis, ſeu donorum gratiæ.*

DVo principaliter explicabo in hoc puncto. Primò, Vtrum iſta unio ſit maxima omnium unionum in ratione unionis. Secundò, Vtrum ſit maxima in genere entis, ſeu in ratione donorum gratiæ.

PRIMA PROPOSITIO.

1 VNio naturæ humanæ cum Verbo, eſt omnium unionũ maxima. Ratio eſt. Primò, quia unio eo maior eſt, quo maior eſt ſimplicitas extremorum; extremũ enim

quo

quo ſimplicius eſt, eo intimius coniungi poteſt alteri extremo; ſed ſubſiſtentia Verbi, in qua ſubſiſtit natura humana, eſt maximè ſimplex; identificatur enim cũ Deo, qui ſimpliciſſimus eſt, & omnis compoſitionis expers, & eſt extremum, ſeu terminus naturæ humanæ; cum hæc illi vniatur, & per illam ſubſiſtat. Ergo vnio naturæ humanę cum Verbo eſt omnium maxima. Secundò, quia hæc unio intimè connectit res infinitè diſtantes. Tertio, quia nullum agens creatũ poteſt iſtam unionem tollere. Ita S. Thomas 3. par. q. 2. art. 9. Suarez ibid. Becanus cap. 2. quæſt. 4. Puteanus quæſt. 2. art. 9. Tannerus diſp. 1. quæſt. 3. dub. 6. num. 199. Scotus, Bonauentura, & alij apud Suarez loco citato, & apud Vaſquez diſp. 20. cap. 2. contra Durandum in 3. diſt. 5. art. 3.

Obijcies primo, maior eſt unitas diuinarum perſonarum, & eſſentiæ diuinæ, quam perſonæ Verbi cum natura humana. Ergo unio naturæ humanæ cum perſona Verbi non eſt omnium maxima.

Reſpondeo, maiorem eſſe unitatem perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis cum eſſentia, quàm naturæ humanæ cum perſona Verbi, quia unio Sanctiſſimæ Trinitatis non eſt unio, ſed unitas, & identitas; idem enim ſunt eſſentia, & perſonæ; unio uerò naturæ humanæ uerè eſt unio, & natura humana realiter, & eſſentialiter diſtinguitur à perſona Verbi.

Obijcies ſecundo, maior eſt unio materiæ, & formæ, quam humanitatis, & Verbi; nam ex materia, & forma fit unitas eſſentiæ; unitas autem eſſentiæ maior eſt unitate perſonæ. Ergo unio naturæ humanæ cum perſona Verbi nõ eſt omnium maxima, cum ex natura humana, & Verbo diuino fiat ſolum unitas perſonæ, quæ minor eſt unitate eſſentiæ.

Reſpondeo primo, vnionem materiæ, & formæ dici poſſe maiorem extenſiuè, quia eſſe ſolet duplex, non verò intenſiuè.

Reſpondeo ſecundo, vnitatem perſonæ diuinæ cum natura humana eſſe maiorem vnitate eſſentiæ compoſitæ ex materia, & forma, ſi vnitas perſonæ formaliter, & præcisè ſumatur, non quatenus ſupponit, vel includit compoſitionem naturæ, ſeu materiæ, & formæ, ſed ſimpliciter, & pręcisè, quatenus eſt vnio perſonę, & naturæ præciſa compoſitione ipſius naturæ compoſitæ; dico formaliter, & præcisè, quia ſi non præſcindamus à compoſitione ipſius naturæ, perſpicuum eſt vnitatem perſonæ, & naturæ eſſe minorem, quia includit plures compoſitiones, nempè compoſitionem materiæ, & formæ, & compoſitionem perſonæ, & naturæ conſtantis materia, & forma. Vide Suarez diſp. 9. ſect. 1. col. 4. in reſponſione ad 1. Becanum cap. 2. quæſt. 4. num. 3.

Obijcies ſecundo, materia, & forma maiorẽ inter ſe habent proportionem, quam humanitas, & Verbum. Tum quia coaptantur per modum actus, & potentiæ. Tum quia ita vniuntur, vt ſeparatæ conſiſtere nequeant. Ergo maior eſt vnio materiæ, & formæ, quam vnio naturæ, & perſonæ Verbi, cum Verbum, & humanitas non vniãtur per modum actus, & potentiæ, & non ita vnian-

tur, quin poſſint ſeparatim conſiſtere.

Reſpondeo, materiam, & formam habere inter ſe maiorem proportionem naturalem, cum naturaliter vniãtur per modum actus, & potentiæ; non tamen habent maiorem proportionem obedientialem; deinde etiamſi materia, & forma naturaliter cõſiſtere nõ poſſint ſeparatæ, præciſa animâ rationali, quæ eſt forma ſubſiſtens; non tamen hinc colligi poteſt maior, vel minor vnio; ſicut enim anima rationalis, quamuis ſeparata conſiſtat, non minus vnitur materiæ, quam alteri formæ; ita Verbum quamuis conſiſtere poſſit absq; natura humana; non tamen hinc ſequitur, quin maxima ſit ipſius vnio.

Obijcies tertio, Vbi eſt maior vnitas, ibi eſt maior vnio, ſed maior eſt vnitas in humanitate ſubſiſtente per propriam, & naturalem ſubſiſtentiã, quam in humanitate ſubſiſtente per ſubſiſtentiam alienam, propria enim ſubſiſtentia non eſt quid realiter diſtinctum à natura, cuius eſt ſubſiſtentia, cum ſit modus ipſius naturę; modus autem non diſtinguitur à re, cuius eſt modus.

Reſpondeo, maiorẽ eſſe vnionem naturæ cum ſua ſubſiſtẽtia, quia ſubſiſtentia propria includit quandam identitatem cum natura, cuius eſt propria ſubſiſtentia, & quoad hoc non eſt facienda comparatio, quia vt ſic non eſt vnio, ſed vnitas. Propterea comparatio non eſt facienda cum illis, quę idem ſunt, ſed cum illis vnionibus, quibus res diſtinctæ vniuntur.

SECVNDA PROPOSITIO.

1 Vnio naturæ humanæ cum perſona Verbi eſt omnium maxima in genere entis, ſeu donorum gratiæ. Ratio eſt, tum quia per iſtam vnionem collatum non eſt humanitati bonum creatum; ſed ipſamet perſona increata Verbi, quæ eſt bonum infinitum, & naturam humanam deificat; per ipſam enim homo factus eſt Deus, non per participationem, ſed perſonaliter, & quaſi per eſſentiam, quatenus perſonalitas idem eſt cum diuina eſſentiâ. Ita S. Thomas 3. par. quæſt. 2. art. 10. Suarez diſp. 9. ſect. 2. col. 2. Vaſquez diſp. 20. cap. 4. num. 37. Becanus c. 2. quæſt. 4. num. 5. contra Durandum in 3. diſt. 2. quæſt. 1. vbi aſſerit viſionem beatificã eſſe digniorem, & perfectiorem vnione hypoſtatica.

Obijcies primo, viſio Dei efficit formaliter beatum, & explet omnẽ deſiderium; vnio verò tribuit ſubſiſtentiam; plus autem eſt efficere beatum, quam tribuere ſubſiſtentiã.

Reſpondeo, vnionem cum ſubſiſtentia Verbi proximè, & immediatè tribuere humanitati, vt ſubſiſtat, quia efficit, vt humana natura ſubſiſtat ſubſiſtentia Verbi; mediatè verò, & conſequenter tribuere beatitudinem, quia ſi vnio fiat cum perſona capaci beatitudinis, tribuit ius ad beatitudinẽ. Ex quo patet vnionem excellentiorem eſſe viſione, cum vnio non ſolum vniat naturam humanam perſonæ Verbi, ſed etiam conferat ius ad beatitudinem; viſio verò licet tribuat beatitudinem; non tamen tribuit vnionem cum perſona Verbi.

Obijcies

Obijcies ſecundo, donum, quod indifferenter communicari poteſt creaturis rationalibus, & irrationalibus, non videtur tãtę perfectionis, & dignitatis, ſicut eſt donum quod ſolis rationalibus creaturis communicari poteſt. Sed vnio indiferẽter communicari poteſt creaturis rationalibus, & irrationalibus, viſio cõmunicari poteſt ſoli creaturæ rationali. Ergo vnio tantæ perfectionis non eſt, quantæ viſio.

Reſpondeo primo, negando maiorem propoſitionem; multa enim communicantur creaturis irrationalibus, quæ excedunt perfectionem eorum, quæ communicantur creaturis rationalibus: quamobrẽ ratio ſubſtantiæ perfectior eſt quam ratio ſenſibilis, quamuis ratio ſenſibilis communicetur ſoli creaturæ animatæ; ratio uerò ſubſtantiæ cõmunicetur indifferenter omnibus, tam animatis, quam inanimatis.

Reſpondeo ſecundo, unionem, quatenus eſt uinculum naturæ cum ſubſiſtentia, poſſe indifferenter tribui creaturis rationalibus, & irrationalibus; quatenus uerò tribuit ius ad uiſionem beatificam, non poteſt indifferenter communicari; conſequenter maioris eſt perfectionis in hac parte.

Obijcies tertio, Vnio eſt ſolum modus quidam ſubſtantialis, idem realiter cum natura humana. Ergo natuta humana eſt illius ordinis, cuius eſt unio (alioquin unio realiter differret à natura humana,) ſed nanura humana eſt ordinis naturalis. Ergo etiam unio eſt ordinis naturalis; ſed gratia, & uiſio in entitate, & ſubſtantia ſua eſt ordinis ſupernaturalis. Ergo gratia, & uiſio beatifica eſt perfectior, & excellentior unione; ſupernaturale enim perfectius, & excellentius eſt naturali.

Reſpondeo, vnionem naturæ humanæ cum Verbo eſſe aliquid ſupernaturale. Tum quia fit ſupernaturaliter, & eſt modus quidam ſupernaturalis. Tum quia efficit hominem eſſe Deum, quod magis ſupernaturale eſt, quam hominem uidere Deũ.

Obijcies quarto, per unionem ſola perſona Verbi coniungitur humanitati, per uiſionem beatificam tota eſſentia Dei, & omnes perſonæ coniunguntur humanitati. Ergo uiſio beatifica perfectior eſt unione hypoſtatica, id enim perfectius eſt, quo homo magis unitur Deo.

Confirmatur ex illo Auguſtini dicto, *Mater Dei fœlicior fuit concipiendo mente, quam ventre*; conceptio autem mentis fit intelligendo, uel amando Deum.

Reſpondeo, humanitatem coniũgi ſubſtantialiter perſonæ Verbi per unionem hypoſtaticã; per uiſionem uerò beatificam coniungi intellectui totam eſſentiam, & omnes perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis, non ſubſtantialiter, ſed accidentaliter; coniunctio autem ſubſtantialis intenſiuè perfectior eſt accidentali, etiamſi coniunctio accidentalis extenſiuè ſit maior, ut eſt uiſio Sanctiſſimæ Trinitatis.

Ad confirmationem Reſpondeo, Beatam Virginem fœliciorem fuiſſe concipiendo mente, quam uentre, quia concipiendo Deum mente per uiſionem beatificam ipſi unita fuit; per conceptionem uerò corporalem ipſi non fuit unita, licet ex parte ſua præ-

præbuerit materiam, quæ perſonæ Verbi unita fuit.

Obijcies quinto, per ſumptionem Sacramenti Euchariſtiæ confertur Chriſtus, qui eſt infinitum bonum, ſanctificans animam dignè ſumentis, & non confertur uni tantum, aut ſemel tantum, ſed ſingulis toties, quoties illud ſumunt. Ergo unio hypoſtatica non eſt perfectiſſima in genere donorum gratiæ.

Reſpondeo, ſũptione Euchariſtiæ conferri Chriſtum, ipſumque uniri animæ, non per unionem perſonalem, ſeu ſubſtantialem, ſed per realem præſentiam, & unionem accidẽtalem, poducendo in anima gratiam habitualem.

Punctum Quartum.

Quæ ſit cauſa efficiens Incarnationis.

1 *Deus, & tota Trinitas eſt cauſa principalis efficiens Incarnationis.*

2 *Creatura non poteſt eſſe cauſa principalis Incarnationis.*

3 *Creatura poteſt eſſe cauſa inſtrumentalis Incarnationis.*

4 *Creatura, nulla neq; Beatiſſima V. fuit cauſa inſtrumentalis Incarnationis,*

5 *Humanitas Chriſti fuit inſtrumentum efficienter producens vnionem partium materiæ ad perſonam Verbi iuxta aliquos Doctores, ſed re ipſa nihil certi definiri poteſt.*

IN hoc puncto non agam de cauſa finali Incarnationis, quia de hac ſuperius actum fuit quæſt. 1. pun. 5. Neq; agam de cauſa formali, quia iſta vnio non conſtat materia, & forma. Neq; agam de cauſa meritoria, quia de hac ſermo erit infrà, dum loquar de merito Chriſti. Hic igitur diſſeram ſolum de cauſa efficiente principali, inſtrumentaria, & diſpoſitiua.

PRIMA PROPOSITIO.

1 DEus, & tota Trinitas eſt cauſa principalis efficiens Sacratiſſimæ Incarnationis, ſeu vnionis hypoſtaticæ. Ratio eſt primo, quia ita definitum eſt in Concilijs Lateran. ſub Martino 1. can. 2. in cap. firmiter de Summa Trinitate in Concil. Toletano 6. & 11. in confeſſionibus fidei. Secundò, quia Incarnatio eſt opus ad extra; opera autem ad extra ſunt communia tribus perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis. Tertiò, quia ex ſcriptura manifeſtè conſtat Incarnationem tribui ſingulis perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis, nam de patre ſermo eſt ad Galatas 4. *Miſit Filium ſuum factum ex muliere*; de filio ſermo eſt ad Philipp. 2. *Se ipſum exinaniuit formam ſerui accipiens*, & ad Hebręos 2. *Non Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*. De Spiritu Sancto ſermo eſt Lucæ 1. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te*, & Matth. 1. *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*; id quidem patri attribuitur authoritas mittentis reſpectu perſonæ filij; filio attribuitur ipſa carnis aſſũptio; Spiritui Sãcto attribuitur formatio corporis, vt oſtenſum eſt d. 1. vbi oſtẽdi qua ratione conceptio, ſeu incarnatio, ſeu formatio corporis Chriſti, Spiritui Sancto peculiariter adſcribatur, quãuis ſit operatio ad extra

extra, quę omnibus perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis communis eſt.

Quæres, vtrum aliqua creatura poſſit eſſe cauſa principalis Incarnationis.

Reſpondeo negatiuè. Primò, quia in Scriptura non aſſignatur alia cauſa proxima præter Sanctiſſimam Trinitatem. Secundò, quia per Incarnationem perſona Verbi vnita eſt humanitati, nulla autem creatura poteſt tanquam cauſa propria, & principalis eſſe cauſa, vt perſona Verbi vniatur humanitati, & faciat Deum ſubſiſtere in aliena natura; hoc enim pacto Deus ſubijci videretur virtuti creatæ. Tertiò, quia nulla creatura poteſt virtute propria naturali, aut ſupernaturali facere, vt homo ſit Deus; hoc enim eſt donum ſuperans omne aliud donum. Ergo nulla creatura poteſt eſſe cauſa principalis efficiens incarnationis, cum per Incarnationem homo fiat Deus.

3 Rogabis primo, Vtrum creatura poſſit eſſe cauſa ſaltem inſtrumentalis vnionis hypoſtaticæ.

Reſpõdeo affirmatiuè. Tum quia id non implicat, & quęlibet res creata virtutem habet obediẽtialem ad efficiendum quicquid non implicat contradictionem. Tum quia creatura adhiberi poteſt ad efficiendam gratiam, & alia dona ſupernaturalia. Ergo etiam adhiberi poteſt ad efficiendam vnionem, cum par ſit ratio; quamuis enim vnio ſit altioris ordinis, nihilominus Deus vti poteſt qualibet creatura ad efficiendam vnionem, cum quælibet creatura per potentiam obedientialem adhiberi poſſit à Deo ad quemlibet effectum producendum. Ita Suarez diſp. 10. ſect. 1. Tannerus quæſt. 5. n. 223. & alij contra Scotum, & alios.

Obijcies; nulla creatura virtutẽ habet ſupra perſonam Verbi. Ergo nulla creatura vnire poteſt naturam humanam cum perſona Verbi; qui enim vnit duo extrema, virtutem habere debet ſuper vtrumque.

Reſpondeo, negando conſequentiam, quia creatura non vnit tanquã cauſa principalis, ſed tanquam inſtrumentalis. Adde opus non eſſe, vt is, qui vnit duo extrema, virtutem habeat ſuper vtrumque extremum; ſed ſatis eſt, vt virtutem habeat ſuper illud extremum, quod eſt capax mutationis; conſequenter in noſtro caſu ſatis eſt, vt virtutem, & potentiam obediẽtialem habeat ſuper humanitatem. Vide Suarez d. 10. ſect. 1. col. 3. verſ. alij, Becanum c. 2. quæſt. 2. num. 6. Aluarez d. 19. concl. 2.

4 Rogabis ſecundò, Vtrum aliqua creatura de facto fuerit cauſa inſtrumentalis vnionis hypoſtaticæ, ſeu Incarnationis.

Reſpondeo, nullam creaturam, ſaltem præciſa Beatiſſima Virgine Maria, fuiſſe cauſam inſtrumentalem incarnationis; quia ſcriptura, & Patres nulli creaturæ id adſcribunt, & Annunciatio Angeli terminata non fuit ad ipſam Incarnationem, ſed ad proponendum Incarnationis myſterium, & ad exequendum Beatiſſimæ Virginis conſenſum.

Dixi, ſaltẽ præciſa Beatiſſima Virgine; nam de illa peculiare dubium fieri ſolet, vtrum ipſa inſtrumentaliter concurrerit ad vnionem hypoſtaticam. Reſpondent Suarez diſp. 10. ſect. 1. col. 4. verſ. de ipſa autem. Becanus cap. 2. quæſt. 5. n. 5. & alij probabi-

babiliter ſuſtineri poſſe Beatiſſimam Virginem inſtrumentaliter concurriſſe. Tum quia non implicat. Tum quia Deus adhibere ſolet creaturas, vt inſtrumenta, quando commodè poteſt, præſertim quando inſtrumentum eſt proportionatum effectui intento; ſic enim poſtulare videtur ſua uis Dei prouidentia, & manifeſtatio diuinæ omnipotentiæ. Tum quia ita ſentire videntur Patres, vt Ambroſ. Epiſt. 82. *Per hominem*, inquit, *& mulierem caro eiecta eſt de Paradiſo, per Virginem iuncta eſt Deo*.

Probabilius tamen eſt Beatiſſimā Virginem non concurriſſe inſtrumētaliter ad vnionem hypoſtaticā. Ratio eſt. Tum quia, ſicut mater non dicitur concurrere inſtrumētaliter ad creationem animæ, ita neq; ad vnionem hypoſtaticam; mater enim poſita anima, & materia concurrit ad illarum vnionem, non ad creationē animæ, vel materiæ, ſed illas ſupponit. Tum quia Scriptura, & Patres adſcribunt Beatiſs. Virgini illū ſolū concurſum, qui neceſſarius eſt, vt Beatiſs. Virgo verè ſit Mater Dei, & hominis; vt autem dicatur Mater Dei, & hominis, non eſt neceſſarius, nec ſufficit concurſus inſtrumentalis, nā concurſus matris nō eſt inſtrumētalis, ſed principalis in ſuo genere.

Dices, Hinc ſequi, Beatiſſimam Virginem non eſſe Matrē Dei, & hominis.

Reſpondeo, Beatiſſimam Virginem concurriſſe ad vnionem animæ, & corporis, & conſequenter eſſe Matrē Chriſti Dei, & hominis; ſicut .n. Iudęi dicuntur Chriſtum occidiſſe, quia in cauſa fuerunt, vt vnio corporis ad animam diſſolueretur. Ita Beatiſſima Virgo dicitur Mater Chriſti, quia concurrit ad vnionem animæ, & corporis. Vide dicta diſp. 1. quæſt. 4. pun. 3. n. 10.

5 Ex dictis colligi poteſt ſolutio alterius difficultatis, quā quæritur, vtrum humanitas Chriſti tanquam inſtrumentum efficienter produxerit vnionem partiū materiæ ad perſonam Verbi, quæ ſucceſſiuè fiebat vſque ad finem vitæ. Becanus loc. cit. Tannerus n. 227. & alij, putant id eſſe valde probabile, quia humanitas Chriſti particeps quodāmodo erat diuinæ omnipotentiæ. Oppoſitum ſentire videtur Aluarez loco citato.

Ego reſpondeo, nihil certi definiri poſſe. Tum quia ex Scriptura, vel Patribus non conſtat humanitatem effectiuè attigiſſe vnionem partium ad perſonam Verbi. Tum quia naturalis, & vitalis nutritio, & augmentatio corporis Chriſti fieri poterat, etiamſi humanitas non influeret ad vnionem cum Verbo; poſita enim conuerſione materiæ in materiam hominis, Deus poterat illam efficienter vnire perſonæ Verbi. Ita Suarez loco citato.

Punctum Quintum.

Vtrum ad vnionem hypoſtaticam neceſſaria fuerit aliqua diſpoſitio, ſeu cauſa diſpoſitiua.

1 *Vnio hypoſtatica non indiguit aliqua diſpoſitione, nec vllam habuit.*
2 *Gratia habitualis non fuit diſpoſitio in anima Chriſti ad vnionem cum Verbo.*

VNI-

VNICA PROPOSITIO.

1 AD vnionem hypoſtaticam naturæ humanæ cum Verbo nulla præceſſit, vel neceſſaria fuit diſpoſitio. Quod nulla diſpoſitio neceſſaria fuerit, patet, quia vel fuit neceſſaria ex parte Dei, vel ex parte humanitatis aſſumptæ, vel ex parte ipſius vnionis; ſed non fuit neceſſaria ex parte Dei, quia Deus virtutē habet infinitam, conſequenter potuit naturam humanam vnire perſonæ Verbi abſque vlla diſpoſitione. Neq; fuit neceſſaria ex parte humanitatis, quia res creatæ potentiam obedientialem habent, ob quam eleuari poſſunt ad faciendum quicquid non implicat contradictionem. Neque fuit neceſſaria ex parte vnionis, quia ſe ipſa immediatè vnit extrema abſque præuia diſpoſitione; vnio enim eſt modus quidā ſubſtantialis immediatè coniungens extrema ſubſtantialia, vt benè argumentatur Becanus cap. 2. quæſt. 6. num. 2. Suarez diſp. 10. ſect. 2.

Quod verò nulla diſpoſitio præceſſerit vnionem hypoſtaticam, probatur, quia natura humana aliorum hominum prius natura ſubſiſtit, quā accidentaliter perficiatur; ſubſiſtentia enim eſt modus magis intrinſecus formæ ſubſiſtentis, quam vllum accidens, cum ipſa ſit complementum ſubſtantiæ. Ergo etiam natura humana à Verbo aſſumpta prius habuit ſubſiſtentiam, quam accidentia, ſeu diſpoſitiones accidentales; ſubſiſtentia enim Verbi locum gerit ſubſtantiæ naturæ humanæ. Ita S. Thomas quæſt. 2. art. 10. Aluarez ibid. Scotus in 3. diſt. 2. quæſt. 2. Durandus quæſt. 3. Suarez, & Becanus locis citatis, Tannerus quæſt. 4. dub. 5. num. 175. & Thomiſtæ communiter contra Alenſem 3. par. q. 7. memb. 2. art. 1. & alios.

2 Hinc colligi poteſt primo, gratiā habitualem non præceſſiſſe in anima Chriſti, tanquam diſpoſitionem ad vnionem animę cum perſona Verbi. Ratio eſt. Tū quia anima prius ſubſiſtit, quam accidentaliter perficiatur. Tum quia humanitas non ideo aſſumpta fuit, quia ornata eſſet gratia, ſed ideo ornata fuit tanta gratia, quia aſſumpta fuit iuxta illud Ioann. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis*. Ex quo fit, vt Chriſtus non dicatur filius adoptiuus, ſicut nos ſumus, per gratiam habitualem, quia gratia habitualis Chriſti nō fuit collata perſonæ extraneæ, ſed animæ Chriſti ſubſiſtenti perſonalitate Verbi; Adoptio autem fit per aſſumptionem extraneæ perſonæ ad hęreditatem, vt clarius conſtabit ex infra dicendis de adoptione. Ita Scotus, Durandus, & alij apud Vaſquez diſp. 40. cap. 2. num. 4.

Secundò, colligitur ex parte corporis non præceſſiſſe vllam propriā diſpoſitionem ad vnionem corporis cum perſona Verbi, vt in propoſitione probatum fuit. Verum tamen eſt materiam illam corporis, quæ ſimul cum anima aſſumpta fuit à Verbo, habuiſſe diſpoſitiones neceſſarias ad vnionem ipſius materiæ cum anima rationali, nam anima rationalis non informat materiam, niſi diſpoſitam, & organizatam; illa tamen organizatio, & diſpoſitio materiæ non diſpone-

ponebat materiā proximè ad vnionem hypoſtaticam, ſed ad animam rationalem; remotè verò inſeruiebat vnioni hypoſtaticæ, quatenus vnio hypoſtatica facienda erat in humanitate, quæ conſtat anima rationali, & corpore organizato, & diſpoſito. Vide Suarez loco citato col. 4. verſ. vlt. & col. 6. verſ. ad primum.

Obijcies primo, omne quod eleuatur ad aliquid excedens ſuam naturam, diſponi debet aliqua diſpoſitione, qua ei accomodetur; ob id intellectus creatus indiget lumine gloriæ, quo diſponatur, & eleuetur ad viſionem beatificam. Sed vnio hypoſtatica perfectior eſt, & magis excedit naturam humanam, quam viſio beatifica. Ergo natura humana diſponi debet aliqua diſpoſitione ad vnionem hypoſtaticā; ſicut enim humanitas exaltari non poteſt ad viſionem beatificam abſque diſpoſitione; ita multo minus ad vnionem hypoſtaticam, ſeu ad eſſe perſonale Verbi.

Reſpondeo, in eo, quod eleuatur ad eſſe ſubſiſtens, ſeu ad eſſe ſimpliciter, non requiri aliquam diſpoſitionem, nam diſpoſitio ſupponit eſſe; natura autem humana per vnionem hypoſtaticā eleuatur ad eſſe ſubſiſtens, & res prius ſubſiſtit, quam accidentaliter perficiatur; intellectus verò creatus, dum eleuatur ad viſionem beatificam, non eleuatur ad eſſe ſubſiſtens, ſed ad operationē, quę ſupponit eſſe. Ita Aluar. q. 2. a. 10.

Obijcies ſecundo, fieri potuit, vt humana natura prius diſponeretur ad vnionem, quam aſſumeretur, nā prius natura extitit, quam aſſumeretur, & fuit capax actionis, & paſſionis, antequam aſſumeretur; aſſumpta enim fuit per actionem vnitiuam, quæ eſt actio tranſiens prior ipſamet vnione in facto eſſe. Ergo prius diſpoſita fuit ad vnionem hypoſtaticam.

Confirmatur, quia decuit vt humana natura prius diſponeretur; nā ex ſe non erat ſufficienter præparata ad donū adeo excellens, & eximium.

Reſpōdeo non potuiſſe prius diſponi, vt iam probatum eſt, quia natura prius ſubſiſtit, quam accidentaliter perficiatur; nec eſt par ratio iſtius actionis vnitiuæ, & reliquarum actionum, quia iſta actio vnitiua neceſſariò pręcedit ipſam vnionem ſubſtantialem, cum ſit via ad ſubſiſtendum in alieno ſuppoſito, & ad impediendum propriam ſubſiſtentiam. Sicut ergo nulla dipoſitio præcedit ſubſiſtentiam res; quæ diſponenda, & perficienda eſt, ita neque præcedere poteſt vnionem, quæ eſt cauſa illius ſubſiſtentiæ.

Ad confirmationem Reſpondeo potius decuiſſe, vt vnio Verbi cum humanitate præcederet quamcunq; perfectionem accidentalem, vt hinc colligeretur à Verbo proficiſci omnem humanitatis perfectionem.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO TERTIA.

De perſona aſſumente naturam Humanam.

IN hac Quæſtione quinque principaliter explicabo. Primò, quænam perſona Sanctiſſimę Trinitatis aſſumpſerit naturam humanam. Secundò, Vtrum natura diuina abſtractis per intellectum perſonalitatibus, ſeu ſubſiſtentijs relatiuis poſſit aſſumere naturam humanam, aut aliam naturam creatam. Tertiò, An plures perſonę diuinæ poſſint ſimul eandem naturam aſſumere. Quartò, Vtrum vna perſona diuina aſſumere poſſit plures naturas. Quintò, An perſona creata aſſumere poſſit alienam naturam.

Punctum Primum.

Quænam perſona Sanctiſſimæ Trinitatis aſſumpſerit naturam humanam.

1 *Perſona filij ſola aſſumpſit naturam humanam.*

2 *Vnio terminari poteſt ad vnam perſonam, non verò cognitio.*

3 *Incarnatio quo ad efficientiam eſt communis tribus perſonis, quo ad terminationem verò eſt propria illius perſonæ, per quam natura humana ſubſiſtit.*

4 *Subſiſtentia non eſt effectiua, ſed terminatiua.*

5 *Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis peculiari quadam ratione dicuntur eſſe in humanitate, quàm in reliquis rebus.*

VNICA PROPOSITIO.

1 SOla perſona filij naturam humanam aſſumpſit. Hæc propoſitio certiſſima eſt. Primò, quia eſt de fide, definita in quinta Synodo collat. 8. can. 4. & 10. Lateranen. ſub Martin. 1. conſultat. 5. canon. 4. in cap. firmiter de ſum. Trinit. & fid. Cathol. in Conc. Toletano 6. vbi dicitur, *Solus Filius aſſumpſit humanitatem in ſingularitate perſonæ, non in vnitate naturæ; ideſt in eo. quod eſt proprium filij, non quod eſt commune Trinitati.* Secundò, quia nullibi in Scriptura habetur, Patrē, vel Spiritum Sāctum fuiſſe incarnatum,

ſed

ſed ſolum filium. Ioann. 1. *Et Verbũ caro factum eſt*. Tertiò, in Scriptura dicitur, Patrem eſſe maiorem filio; *Pater maior me eſt*; id autem verum eſſe non poſſet, ſi Pater naturam humanam aſſumpſiſſet; tunc enim eſſet æqualis filio non ſolum ratione diuinæ eſſentiæ, verum etiam naturę humanæ. Ita communiter Doctores Catholici cum S. Thoma q. 3. art. 3. contra Sabellianos, alioſq; hæreticos vocatos Patripaſſianos, exiſtimantes totam Sanctiſſimam Trinitatem incarnatam fuiſſe, eo quod arbitrarentur Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum non eſſe tres perſonas, ſed vnam, quæ ratione diuerſorum officiorum vario nomine nuncuparetur.

2 Obijcies primò, non poteſt vna perſona terminare viſionẽ ſine alia, ideſt videri ſine alia, cum ſint vna, & eadem entitas. Ergo neq; terminare poteſt humanitatem ſine alia.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, tum quia relatio dicit eſſentialem habitudinẽ ad terminum; conſequenter cognoſci non poteſt ſine termino, conſequenter vna perſona cognoſci non poteſt ſine alia; vniri verò poteſt ſine alia, quia vnio per ſe primò terminatur ad ſubſiſtentiam Verbi, quatenus diſtinguitur à ſubſiſtẽtia Patris, & Spiritus ſancti. Tum quia clara viſio fertur in rem ſicut in ſe eſt; cum autem res, id eſt eſſentia diuina ſit idem cum perſonis, ſequitur cognoſci non poſſe eſſentiam ſine perſonis.

Obijcies ſecundo, vna perſona nõ poteſt operari ſine alia; opera enim ad extra communia ſunt tribus perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis. Ergo vna perſona incarnari non potuit ſine alia; Incarnatio enim eſt opus Sanctiſſimæ Trinitatis ad extra, cum incarnatio non ſit opus in Deo.

3 Reſpondeo, Incarnationem quoad efficientiam eſſe communem tribus perſonis, cum ſit actio ad extra; terminationem verò naturæ humanæ non eſſe cõmunem tribus perſonis, ſed eſſe propriam illius perſonæ, per quam natura humana ſubſiſtit; natura autem humana ſubſiſtit ſolum ſubſiſtentia Verbi; nam humanæ naturæ communicata fuit ſolum ſubſiſtentia Filij, non verò ſubſiſtentia Patris, aut Spiritus Sancti, ratio enim terminandi eſt relatio, quæ realiter diſtinguitur ab alijs; conſequenter relatio, ſeu ſubſiſtentia filij terminat humanitatẽ, vt diſtincta à relatione Patris, & Spiritus Sancti; conſequenter terminat naturam humanam ſine illis.

Obijcies tertio, ſi aliæ perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis non dicuntur incarnatæ, maximè quia vnio naturę humanæ terminata fuit ad ſubſiſtentiam, ſeu relationem Verbi, quæ eſt terminatiua tantum, non verò effectiua; ſed falſum videtur relationẽ, ſeu ſubſiſtentiam non eſſe effectiuã, nam etiã vt relatio habet propriam perfectionem, quæ maior eſt omni alia perfectione creaturæ, & eſt idẽ realiter cum diuina eſſentia; ſicut ergo diuina eſſentia efficit, ita etiam ſubſiſtentia. Ergo etiam aliæ perſonæ dicuntur incarnatæ, cum actiones ad extra ſint communes tribus perſonis.

4 Reſpondeo, relationem, ſeu ſubſiſtentiam nõ eſſe effectiuam, ſed terminatiuam ſolum; quod non ſit effe-

effectiua, Ratio eſt, quia non cõuenit relationi operari, ſed naturæ propriũ eſt operari; & in re intellectuali, vt eſt Deus, omnis operatio aliquo modo proficiſcitur ab intellectu, & voluntate; cum autem intellectus, & voluntas in diuinis idem ſint cum natura, & eſſentia diuina, ſequitur quidem eandem eſſe operationem omnium perſonarum, cum eandem eſſentiam intellectum, & voluntatẽ habeant; non tamen eſſe eandem terminationem; cum enim ſingulæ perſonæ ſingulares, & proprias ſubſiſtentias habeant, quarum vna eſt oppoſita alteri, terminatio, quæ fit ab vna perſona, non fit ab alia; terminare enim non eſt agere.

Neq; obſtat relationem idem eſſe cum diuina eſſentia, aut dicere perfectionem, quia adhuc relatio, vt relatio non agit, ſed conſtituit ſuppoſitum; quamquam Carolus Franciſcus Raconis de Incarnatione q. 3. pluribus oſtendere conetur Verbum per Incarnationem prebere peculiarem influxum ad conſeruandam humanitatem ſine ſubiecto, & incarnationem in hoc conſiſtere.

Obijcies quarto, Omnes tres perſonę Sanctiſſimę Trinitatis ſunt idem prorſus cum eſſentia diuina, & cum ea ſunt vna, & eadem res ſimpliciſſima; intelligi autem non poteſt, quomodo res ſimpliciſſima terminet naturam humanam, quin etiam omne id, quod eſt omninò idem cũ eadẽ re ſimpliciſſima, terminet eandem naturam humanam.

Reſpondeo perſonas eſſe omninò idem cum eſſentia; perſonalitates verò, ſeu relationes eſſe realiter diſtinctas inter ſe, conſequenter naturam humanam terminati poſſe ab vna perſona, licet ab alia non terminetur; terminatiò enim non conuenit naturæ diuinæ, vt natura eſt, ſed ratione perſonæ; quod autem conuenit naturę ratione perſonæ, non neceſſario cõmunicatur alijs perſonis.

Obijcies quinto, tota natura diuina incarnata eſt: Ergo omnes perſonæ incarnatæ ſunt, cum eſſentia diuina idem ſit cum perſonis.

Reſpondeo, totam naturam diuinam dici incarnatam, non quia incarnata ſit in omnibus perſonis, ſed quia in perſona, quæ incarnata fuit, nihil deeſt perfectionis diuinæ.

5 Quæres, Verum aliæ perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis, licet non ſint incarnatæ, ſaltem ratione Incarnationis dicantur eſſe in humanitate Chriſti maiori quadam ratione, quã ſint in cęteris rebus.

Reſpondeo affirmatiuè. Primò, quia vbi eſt Verbum, ibi etiam eſſe debet diuinitas, quæ à Verbo non diſtinguitur. Ergo etiam vbi eſt diuinitas, ibi debent eſſe perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ à diuinitate non diſtinguntur. Ergo vbi adeſt perſona filij, ibi etiam adeſſe debent aliæ perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis, iuxta illud Ioannis 14. *Pater in me eſt, & ego in Patre*; In humanitate autem Chriſti adeſt perſona filij.

Secundò, quia vbi Deus ſingulari modo operatur, ibi etiam ſingulari modo exiſtit; Sed Sanctiſſima Trinitas ſingulari modo operatur in humanitate Chriſti, & eam ſanctificat, & excellentiori modo efficit tẽplum ſuum, quàm per gratiam habitualem. Ergo Sanctiſſima Trinitas ſingulari modo in humanitate Chriſti exiſtit.

Tertiò, quia Sanctiſſima Trinitas peculiari quadam ratione exiſtit per concomitantiam ſub ſpeciebus Euchariſtiæ. Ergo etiã in humanitate.

Quartò, quia id clarè ſuſtinent multi Patres, vt Auguſtinus ſermone 3. de tempore ibi, ***Filius ſuſcepit carnem, & non deſeruit Patrem, nec ſe diuiſit à Patre, ſuſcepit carnem in proprietate; ſed tamen Pater, & Spiritus Sanctus non defuit in maieſtate***, &c. Cyrillus Alexandrinus lib. 9. in Ioannem capit. 47. & alij. Idemque docent Gabriel lect. 42. concl. 2. Viguerius in ſum. cap. 16. §. 3. verſ. 4. Suarez diſp. 12. ſect. 1. Puteanus quæſt. 3. art. 2. dub. 2. Becanus de Incarnat. cap. 4. q. 1. & alij contra Didacum Aluarez de Incarnat. diſp. 20. & contra eos, qui dicunt patrem, & filium non eſſe per concomitantiam in Sacramento Euchariſtię; hęc .n. sũt inter ſe cõnexa; nam ſi Pater, & Spiritus Sanctus ſunt per concomitantiam in humanitate Chriſti, debent etiam eſſe per concomitantiam in Euchariſtię Sacramento, in quo ex vi verborum Chriſti corpus exiſtit.

Ex dictis ſequitur tres perſonas Sanctiſſimę Trinitatis exiſtere in humanitate Chriſti, non ſolum ratione immẽſitatis, ratione cuius dicuntur eſſe in omnibus rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, verum etiam alia ſpeciali ratione, ita vt ſi Deus per impoſſibile non eſſet in omnibus alijs rebus per immenſitatem; ad huc tamen Pater, & Spiritus Sanctus eſſent in humanitate Chriſti ratione myſterij incarnationis.

Punctum Secundum.

Vtrum natura diuina abſtractis per intellectum perſonalitatibus, ſeu ſubſiſtentijs relatiuis, poſſit aſſumere naturam humanam, aut aliam naturam creatam.

1 ***Natura diuina non poteſt præciſis perſonalitatibus aſſumere naturã.***

2 ***Aſſumptio naturæ fieri non poteſt pręcisè per virtutem infinitam, ſed opus eſt, vt aſſumens naturã, vniatur naturæ, ipſamque incommunicabiliter terminet.***

3 ***Exiſtentia Dei non poteſt per ſe pręcisè vniri humanitati.***

4 ***Subſiſtentia abſoluta in Deo non datur, & ſi daretur, non potuiſſet vniri humanitati, illamque terminare, & perſonam conſtituere.***

VNICA PROPOSITIO.

1 NAtura diuina non poteſt abſtractis perſonalitatibus, ſeu ſubſiſtentijs aſſumere naturam humanam. Ratio eſt, quia ad aſſumptionem naturę requiritur primo, vt aſſumens vniatur naturæ aſſumptæ; aſſumptio enim eſt ſumptio ad ſe; intelligi autem non poteſt ſumptio ad ſe ſine vnione. Secundò, vt terminet naturam incommunicabiliter; ***Perſona enim eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, id eſt incommunicabilis***, ex Boetio in libro de duabus naturis. S. Thom. p. 1. q. 29. art. 1. & alijs communiter; ſed natura diuina ſecluſis perſonalitatibus non poteſt vniri naturę humanę, nec poteſt illã ter-

terminare. Ergo natura diuina præciſis ſubſiſtentijs non poteſt aſſumere naturam humanam. Minor quoad primam partem, quod ſcilicet natura diuina vniri nequeat naturæ humanæ, probatur, quia quoties duæ naturæ præcisè ſpectatæ inter ſe vniuntur, conſtituitur ex ipſis vna totalis natura; impoſſibilis enim eſt vnio ſubſtantialis, ex qua non exiſtat aliqua ſubſtantia vna, ſicut ex anima, & corpore conſtituitur humanitas, ſeu totalis natura hominis; implicat autem ex natura diuina, & humana conflari vnam totalem naturam; illa enim totalis natura, neq; eſſet Deus, neque homo, ſed quid tertium, quod implicat, Deus enim per huiuſmodi mixtionem mutatus eſſet.

Probatur deinde eadem minor quoad ſecundam partem, quod ſcilicet natura diuina non poſſit, ſecluſis perſonalitatibus, terminare naturā humanam. Primo quia ſoli ſubſiſtentiæ competit terminare ſubſtantiam indiuiduam; ſicut enim effectus formalis non eſt, niſi à cauſa formali; ita etiam terminatio naturæ ſubſtantialis non eſt, niſi à ſubſiſtentia; cauſa enim formalis ſuppleri nō poteſt. Secundo, quia eſſentia diuina non eſt incommunicabilis, alioquin non eſſet in tribus perſonis diuinis. Ergo non poteſt terminare naturam humanam incōmunicabiliter, ideſt, vt natura humana per ipſam ſubſiſtat; nam ex ſubſiſtentia, & humanitate conſtituitur perſona, quę incommunicabilis eſt. Ita Capreolus in 3. diſt. 1. quæſt. 1. Alenſis 3. par. quæſt. 2. memb. 3. Bonauent. in 3. diſt. 1. art. 1. quæſt. 3. Vaſquez de Incarnatione diſp. 27. cap. 2. Tannerus diſp. 1. quæſt. 4. dub. 1. num. 16. Becanus de Incarnatione cap. 4. q. 2. Puteanus de Incarnat. quæſt. 3. art. 3. & alij contra S. Thomam q. 3. art. 3. Suarez de Incarnat. diſp. 13. ſect. 3. Valentiam tom. 4. diſp. 1. quæſt. 3. pun. 5. Aluarez de Incarnatione quæſt. 3. art. 3. Peſantium de Incarnatione q. 3. art. 3. diſp. vnica.

Obijcies primo, licet natura diuina præcisè ſpectata non poſſit naturam humanam aſſumere, vt patet ex ratione allata in propoſitione, nihilominus id facere poteſt ſaltem vt exiſtens, vel ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta; natura enim diuina ſecluſis perſonalitatibus, ſeu ſubſiſtentijs relatiuis infinitam virtutem, & perfectionem habet, conſequenter terminare poteſt naturam creatam. Tū quia *Non eſt impoſſibile apud Deū omne verbum*, Lucæ 1. Tum quia, quod infinitè perfectum eſt, eminenter cōtinet omnem perfectionem, quæ in ſubſiſtentia creata continetur; conſequenter ſupplere poteſt officium ſubſiſtentiæ creatæ. Tum quia ſicut ſubſiſtentia diuina relatiua terminare poteſt naturam, & ſubſtantiam creatam, ita etiam illam terminare poteſt ſubſiſtentia diuina abſoluta. Tum quia abſtractis perſonalitatibus adhuc remanet in natura diuina omnipotentia, per quā facta eſt Incarnatio.

2 Reſpondeo, ad aſſumptionem non ſufficere virtutem infinitā, alioquin intellectus diuinus, ſapientia diuina, aut alia attributa Dei poſſent naturam humanam aſſumere, cum infinitam perfectionē habeant; ad aſſumptionem igitur non ſufficit

virtus infinita, ſed neceſſe eſt, vt aſſumens naturam, vniatur naturæ, illamque incommunicabiliter terminet; hoc autem fieri non poteſt ſine ſubſiſtentia, cum ſit effectus formalis ſubſiſtentiæ, & effectus formalis fieri non poſſit, niſi à cauſa formali.

Obijcies ſecundò, abſtractis ab eſſentia diuina perſonalitatibus, remanet hic Deus, qui viſionem beatificam terminare poteſt; homo enim viſione ipſius beatus eſſet. Ergo etiã terminare poteſt naturam humanã.

Reſpondeo, dato antecedente, de quo magna eſt inter Doctores cõtrouerſia, negandam eſſe conſequentiam; alia enim eſt terminatio viſionis, alia naturæ. Ad illam non requiritur vnio ſubſtantialis, & conſtitutio naturæ in eſſe ſubſiſtentis incommunicabiliter, ſicut requiritur in iſta.

Obijcies tertiò, Deus in Sacramẽto Euchariſtiæ ſupplet inhærentiam ſpecierum panis, & vini. Ergo etiã ſupplere poteſt ſubſiſtentiam in natura humana, etiamſi propriam ſubſiſtentiam ei non communicet.

Reſpondeo, Deum in Sacramento Euchariſtiæ non ſupplere inhęrentiam formaliter per aliquid gerens vices ſubiecti, ſed efficienter, conſeruando ipſas ſpecies ſine ſubiecto; ſicut ergo Deus non poteſt eſſe ſubiectum accidentium, ita nec efficere poteſt, vt natura humana per ipſum Deum formaliter ſubſiſtat, ſi ſpectemus Deum præciſis ab ipſius eſſentia perſonalitatibus; efficienter tamen facere poſſet, vt natura humana conſeruetur ſine vlla perſonalitate, quia præciſa humanitas propriè vocari non poſſet vnus homo, ſed vna natura humana, nam ad vnitatem termini ſubſtantiui completi requiritur vnitas formæ, & vnitas ſuppoſiti, vt nunc ſuppono iuxta probabiliorem Doctorum ſententiam.

Ex dictis colligi poteſt primo, naturam diuinã non poſſe per ſe ipſam ſubſtantialiter, & immediatè vniri humanitati, alioquin inde conflaretur alia natura totalis diſtincta à natura diuinà, & humana, vt dictum eſt in propoſitione.

3 Dices naturam diuinam non poſſe vniri humanitati per ſe præciſè, ſed per ſuam exiſtentiam.

Reſpondeo, id dici non poſſe in noſtra ſententia, quia exiſtentia Dei nihil eſt aliud quam ipſa eſſentia, ſeu natura Dei per ſe ipſam exiſtens. Tum quia eſſentia Dei eſſentialiter, & intrinſecè eſt infinitè perfecta, conſequenter intrinſecè, & eſſentialiter exiſtit, conſequenter per ſe ipsã exiſtit. Ergo eſſentia diuina non poteſt per ſe ipſam ſubſtantialiter, & immediatè vniri humanitati, illamque terminare ſecundum exiſtentiã; ſic enim vniretur per ſe ipſam. Tum quia per hoc diſtinguitur natura diuina à natura humana, ſeu à re creata, quod res creata ſpectari poteſt, vel vt poſſibilis, vel vt exiſtens; natura verò diuina intelligi poteſt ſolum vt actualiter exiſtens; nam ſi concipi, & ſpectari poſſet vt poſſibilis, neceſſario conciperetur vt creabilis, vel factibilis ab aliqua cauſa effectiua, & productiua, quod implicat. Si ergo concipitur ſolum vt actu exiſtens, neceſſe eſt, vt per ſe ipſam exiſtat, conſequenter ſi vniretur humanitati per ſuam exiſtentiã, vniretur per eſſentiam, quę nihil aliud eſt,

Digitized by Google

ud eſt, quam ipſa natura diuina exiſtens; conſequenter ſicut vniri non poteſt humanitati immediatè, & ſubſtantialiter per eſſentiam, ita neq; vniri poteſt per exiſtentiam.

4 Rurſus Dices, licet admitteretur naturam diuinam abſtractis perſonalitatibus non vniri humanitati per ipſammet eſſentiam, vel exiſtentiam; negari tamen non debet, quin ſaltem vniri poſſit per ſubſiſtentiam Dei abſolutam; eſſentia enim diuina abſtractis perſonalitatibus remanet hic Deus ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta.

Reſpondeo, eſſentiam diuinam non poſſe vniri naturæ humanæ, illamque terminare per ſubſiſtentiam abſolutam. Primò, quia in ſententia plurimorum Doctorum, in Deo non datur huiuſmodi ſubſiſtentia abſoluta; nam in Sacris Concilijs definitum fuit dari tantum tres ſubſiſtentias relatiuas; ſic habetur in Concil. Calced. actione 5. Conc. Conſtantinopolit. can. 5. & 8. Synodo 6. act. 4. 11. & 18. & in alijs Concilijs apud Cyrillum Alexandrinum Ep. 10. ſed de hac re Deo fauente ex profeſſo agam in prima parte.

Secundò, quia etiamſi admitterē dari in Deo ſubſiſtentiam abſolutā, tamen illa non poſſet vniri humanitati, illamq; terminare, & cū ea perſonam conſtituere. Tum quia huiuſmodi ſubſiſtentia abſoluta non conſtituit perſonam cum diuina eſſentia. Ergo neque conſtituere poteſt cum natura humana; nulla enim ratio aſſignari poteſt, cur potius perſonam conſtituat cum natura humana, quam cum diuina eſſentia. Tum quia de ratione ſubſiſtentiæ eſt, vt faciat naturam ſubſtātialem incommunicabilem ex communi Metaphyſicorum ſententia; ſed iſta abſoluta ſubſiſtentia non facit, nec facere poteſt, vt eſſentia diuina ſit incommunicabilis. Ergo neque id facere poteſt cū natura humana; ergo vniri nō pōt naturæ humanæ, illamq; terminare. Tum quia huiuſmodi ſubſiſtentia abſoluta, ſi datur, eſt abſoluta perfectio diuina; impoſſibile autem eſt, vt vlla abſoluta perfectio Dei vniatur, & communicetur humanitati, nam quælibet abſoluta perfectio diuina intrinſecè, & neceſſariò includit omnes alias perfectiones diuinas, conſequenter ſi vna vnitur, & communicatur, vniri, & communicari etiam debent omnes aliæ; ſed impoſſibile eſt omnes alias vniri, & communicari humanitati (inter cęteras enim perfectiones, quæ in Deo reperiuntur, ſunt. Primò eſſe actum purum. Secundo eſſe æternum. Tertiò eſſe omnipotentem, quæ perfectiones communicari non poſſunt humanitati, nam humanitas conflata, & cōpoſita eſt ex materia, & forma, conſequenter non poteſt eſſe actus purus, creata eſt in tempore, conſequenter non poteſt eſſe æterna; habet virtutem finitam, limitatam, & dependentem à Deo, conſequenter non poteſt eſſe omnipotens, & independens.) Ergo impoſſibile etiam eſt iſtam perfectionem cōmunicari humanitati. Ergo humanitas ſubſiſtere non poteſt ſubſiſtētia Dei abſoluta. Vide Vaſquez diſp. 27. c. 2. & alios præcit. DD.

Digitized by Google

Punctum Tertium.

An plures perſonæ diuinæ poſſint ſimul eandem naturam aſſumere.

1. *Perſonæ diuinæ poſſunt eandem naturam aſſumere, etiamſi ipſæ perſonæ plures ſint.*
2. *Si plures perſonæ diuinæ aſſumerent eandem naturam, idem effectus nō penderet à pluribus cauſis.*
3. *Si tres perſonæ Sanctiſsimæ Trinitatis aſſumerent eandem naturam, non ſequeretur Patrem eſſe Filiū, & Spiritum Sanctum.*
4. *Natura creata aſſumpta à perſona diuina non terminatur adęquatè ab ipſa perſona diuina, ſicut terminatur à propria ſubſiſtentia.*
5. *Perſonæ plures eandem naturam aſſumentes nō eſſent plures homines, quia eſſet vnica forma.*

VNICA PROPOSITIO.

1 Plures perſonæ diuinæ poſſunt ſimul eandem naturam aſſumere. Ratio eſt. Primò, quia nulla eſt repugnantia, neq; ex parte naturę, cum res creatæ potentiam habeant obedientialem, per quam aſſumi poſſunt à Deo ad faciendū quicquid non implicat cōtradictionem; neque ex parte Dei, quia Deus eſt omnipotens, & in hoc myſterio, inquit Auguſtinus Epiſt. 3. ad Voluſianum, *tota ratio facti eſt potentia facientis.* Secundò, quia ſubſiſtentiæ diuinæ relatiuæ ſunt omninò inter ſe æquales, iuxta illud, quod in Symbolo Athanaſij habetur, *In hac Trinitate nihil maius, aut minus; ſed tota tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coęquales;* Sicut ergo vna perſona poteſt vnam naturam aſſumere, ita etiam plures poſſunt eandem aſſumere, alioquin non viderētur æquales. Tertiò, quia natura diuina terminatur tribus perſonis diuinis. Ergo etiam natura humana terminari poteſt iiſdem perſonis diuinis. Quartò, quia natura humana terminari poteſt à perſona Verbi. Ergo etiam terminari poteſt ab alijs perſonis; quamuis enim ex eo, quod terminetur etiam ab alijs perſonis, ſequatur ipſam terminari à maiori virtute terminandi intenſiuè, & extenſiuè, quam opus eſſet ad terminandum; tamen impoſſibile non eſt naturam terminari à maiori virtute terminandi intēſiuè, & extenſiuè, quam opus eſſet; nam dum natura humana aſſumitur ab vnica perſona diuina, terminatur à maiori virtute intenſiuè, quàm opus eſſet; ſed maior ratio aſſignari non poteſt, cur ſi terminari poteſt à maiori virtute intenſiuè, quam opus eſſet, non poſſit etiam terminari à maiori virtute extenſiuè. Ergo impoſſibile non eſt naturam humanam terminari intenſiuè, & extenſiuè à pluribus perſonis diuinis. Ita S. Thom. 3. p. q. 3. art. 6. Halenſis 3. p. q. 2. memb. 4. Durand. in 3. diſt. 1. q. 3. Suarez de Incarnat. diſp. 13. ſect. 2. Valentia d. 1. q. 3. pun. 3. Puteanus q. 3. art. 6. Becanus de Incarnat. c. 4. q. 3. Vaſq. de Incarnat. diſp. 29. c. 2. Cabrera d. 1. art. 6. Tannerus diſp. 1. q. 4. dub. 1. quæſito 3. & alij Thomiſtæ communiter contra Scotum in 3. diſt. 1. q. 2. & alios apud præcit. DD.

Obij-

Obijcies primò, proprium eſt ſolius Dei ſubſiſtere triplici ſubſiſtentia, cum eſſentia Dei ſit infinita. Ergo natura humana, cum ſit finita, aſſumi non poteſt à pluribus perſonis diuinis, alioquin ſubſiſtere poſſet triplici ſubſiſtentia.

Reſpondeo, proprium eſſe ſolius Dei ſubſiſtere triplici ſubſiſtētia intrinſecè, & connaturaliter; extrinſecè verò, & ſupernaturaliter per potentiam obedientialem poſſe id etiā naturæ creatæ competere.

Obijcies ſecundò, Patres, vt Cyrillus in Epiſtola ad Eulogium, & in lib. contra Neſtorium, Auguſt. tr. 27. in Ioannem cap. 17. & alij diſputantes contra Neſtorium, & Eutichetum, ſic argumentabantur, & cōcludebant. In humana Chriſti natura adeſt perſona increata. Ergo abeſt creata. Ergo etiam cōcludere debemus ex eo quod in humana Chriſti natura adeſt perſona Verbi increata, abeſſe alias perſonas increatas.

Reſpondeo, negando hanc ſecundam conſequētiam; Patres enim colligebant primam conſequentiam, nō ſecundā; cur aūt colligi poſſit prima conſequentia, non verò ſecunda, conſtabit ex infrà dicendis.

Obijcies tertiò, Anſelmus in lib. 2. cur Deus homo cap. 9. ſic ait, *Plures perſonæ nequeunt vnum, & eundem hominem aſſumere in vnitatem perſonæ.*

Reſpondent aliqui Doctores, Anſelmum loqui de potentia ordinaria, non de abſoluta. Ita Valentia loco citato, Tannerus loco citato num. 39. & Puteanus de Incarnat. q. 3. art. 6. Alij reſpondent plures perſonas poſſe quidem aſſumere vnam, & eandē humanitatem, non tamē eundem hominem, quia homo includit perſonam, quæ aſſumptibilis non eſt. Ità S. Thom. q. 3. art. 6. & alij, quorum reſponſio vera eſt. Sed magis iuxta mentem Anſelmi reſpondendo dicendum eſt, non poſſe plures perſonas aſſumere vnam humanitatem in vnitatem perſonę, ita vt fiant vna perſona; nam ſi plures perſonæ aſſumunt, remanent plures perſonæ, & non fit vna perſona. Ita Becanus cap. 4. q. 3. n. 4. & alij.

2 Obijcies quartò, Idem effectus dependere nō poteſt à pluribus cauſis totalibus principalibus; nā ſi dependet ab vna cauſa totaliter, illa ſublata non conſiſtet; hoc enim eſt dependere totaliter ab alia. Quod ſi dependeat totaliter etiam ab alia cauſa, poterit illa ſublata conſiſtere per alteram, & ſic dependebit, & nō dependebit totaliter à qualibet. Ergo eadem natura humana terminari non poteſt à pluribus perſonis, quià ſingulæ eſſent cauſa totalis, & ſufficiens ad terminandam naturam humanam.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia tunc non eſſet vnica terminatio, ſed plures; conſequenter idem effectus non penderet à pluribus cauſis totalibus, ſed ſingulę perſonæ terminarent, & terminatio vnius non eſſet terminatio alterius; cōſequenter ſublata terminatione vnius, non auferretur terminatio alterius; quia ſingulę perſonę eſſent cauſa ſuę terminationis, nō verò terminationis alterius. Ita Suarez, Tannerus, & alij locis cit.

3 Obijcies quintò, ſi Pater, Filius, & Spiritus Sanctus eandem naturam

humanam aſſumeret, ſequeretur Patrem eſſe Filium, & Spiritum Sanctũ; nam ſi hæc natura per aſſumptionẽ eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Ergo Pater, Filius, & Spiritus Sãctus ſunt idem, iuxta vulgatam regulam, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.

Reſpondeo negando, id ſequi, ſicut non ſequitur in diuinis, in quibus tres perſonæ terminant eandem eſſentiam: ad regulam illam, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadẽ inter ſe. Reſponderi poteſt primo, eſſe eadem inter ſe in eo, in quo ſunt eadem tertio; ſi enim habent eandẽ naturam, ſunt eadem in eadem natura. Reſpondetur ſecundò, illam regulam procedere, dum ſunt eadem vni tertio conuertibiliter, & adequatè. Ob id in diuinis Pater non eſt Filius, aut Spiritus Sanctus, licèt habeat eandem eſſentiam, quia eſſentia non conuertitur cum Patre, ſed latius quodammodo patet, quam Pater, cum communicetur etiam Filio, & Spiritui Sancto. Ita S. Thomas quæſt. 3. art. 6. ad 3. Tannerus diſp. 1. q. 4. dub. 1. num. 47. & alij.

4 Obijcies ſexto, natura creata aſſũpta ab vna pſona diuina, terminatur ab ipſa perſona diuina adæquatè, ideſt omni modo, quo terminabilis eſt; ſicut enim adequatè terminatur à perſona creata, ita etiam à diuina, cum non minus terminetur à perſona diuina, quam à creata. Ergo terminari non poteſt à pluribus perſonis diuinis.

Reſpondeo negando antecedens; natura enim creata non terminatur à perſona diuina adequatè, ſicut terminatur à propria perſonalitate, conſequenter à propria perſonalitate magis terminatur quoad modum ſubſiſtendi, quam à perſonalitate diuina. Ratio differentiæ eſt, quia propria perſonalitas efficit naturam creatã ſeparatim ſubſiſtere in ſe, & ſeorſim ab omni externa ſubſtantia; ſubſtãtia verò diuina nõ facit illam ſubſiſtere ſeorſim in ſe, ſed in alio; cũ autem fieri non poſſit, vt eadẽ natura ſubſiſtat ſeorſim in ſe, & ſimul in alio; fieri verò poſſit, vt ſimul ſubſiſtat in alijs duobus ſuppoſitis, ſequitur naturam humanam in ratione ſubſiſtẽtię magis terminari à propria perſonalitate, quam à perſonalitate diuina. Ita Vaſquez diſp. 33. cap. 2. Cabrera art. 6. diſp. 1. ad 6. Tannerus quæſt. 4. dub. 1. num. 44. & alij.

5 Obijcies ſeptimo, ſi plures perſonæ aſſumerent eandem humanitatem, ſequeretur illas plures perſonas, aut eſſe vnum hominẽ, aut plures, (alterum enim horum dicendum eſt, quia vnum, & multa ſunt immediatè oppoſita,) ſed intelligi non poteſt, quomodo plures perſonę aſſumentes eandem humanitatem dici poſſint plures homines, vel vnus homo. Ergo plures perſonæ eandem humanitatem aſſumere nequeunt.

Reſpondeo non fore plures homines, ſed vnum hominem; ſicut enim in diuinis plures perſonę Sanctiſſimę Trinitatis terminantes eandem eſſentiam non ſunt plures Dij, ſed vnus Deus, ita plures perſonæ terminantes eandem naturam humanam non eſſent plures homines, ſed vnus homo. Ratio à priori eſt, quia nomina ſubſtantiua, vt eſt homo, non multiplicantur niſi multiplicetur forma ſigni-

ſignificata; hic autem non multiplicatur forma ſignificata,cũ ſit eadem natura humana, vt ſupponimus. Ita S. Thomas quæſt. 3. art. 6. Valentia diſp. 1. quæſt. 3. pun. 3. Suarez diſp. 13. ſect. 2. Becanus de Incarnatione cap. 4. quæſt. 3. Tannerus num. 46. Puteanus quæſt. 3. art. 6. Aluarez quæſt. 3. art. 6. Peſantius ibidem,& alij Thomiſtæ cõmuniter teſte Suarez,contra Caietanum 3. par. quæſt. 3. art. 6. Gabrielem in 3. diſt. 1. q. 1. art. 3. dub. 3. & alios affimantes eſſe plures homines, & contra Durandum in 3. diſt. 1. quæſt. 3. ad 3. & alios aſſerentes non poſſe dici vnum hominem, aut plures.

Punctum Quartum.

Vtrum vna perſona diuina aſſumere poſſit plures naturas.

1 *Perſona diuina poteſt ſimul plures naturas aſſumere.*

2 *Perſona aſſumẽs plures naturas humanas vocabitur vnus homo.*

3 *Terminus ſubſtãtiuus vocatur vnus, ſi fuerit vna forma, & vnum ſuppoſitum; vocabitur verò plures, ſi fuerit plures formæ, & plura ſuppoſita.*

4 *Perſonæ plures aſſumentes plures humanitates ſimul vocabũtur plures homines facta comparatione inter diſtinctas perſonas, & diſtinctas humanitates.*

VNICA PROPOSITIO.

1 VNa perſona diuina poteſt ſimul aſſumere plures naturas humanas. Ratio eſt primò, quia Verbum diuinum de facto terminat duas naturas,diuinam & humanam. Ergo etiam terminare poteſt duas naturas humanas. Secundò, quia illud à Deo fieri põt,quod nõ implicat contradictionem. Sed non implicat vnam perſonam Diuinam aſſumere plures naturas; (non enim implicat ex parte naturarum,cum ipſæ aſſumptibiles ſint, & terminabiles, & inter eas non ſit formalis repugnantia ex parte perſonæ; neque repugnat ex parte Dei, cum Deus potentiam habeat infinitam.) Ergo fieri poteſt, vt vna perſona diuina plures naturas aſſumat. Ita communiter Doctores.

Obijcies,Pater æternus habet infinitam vim generandi, & nihilominus non poteſt generare niſi vnam perſonam. Ergo perſona diuina,licet habeat potentiam infinitam,non poteſt terminare niſi vnam naturam.

Reſpondeo cum Suarez de Incarnatione diſp. 13. ſect. 3. Becano c. 4. quæſt. 4. & alijs negando conſequẽtiam. Ratio diſparitatis eſt, quia ideo Pater non poteſt generare niſi vnam perſonam, quia infinita ipſius vis generatiua expletur vno actu perfecto,& adęquato, cui reſpondet vnus terminus adęquatus; infinita verò vis terminatiua non expletur terminatione vnius naturæ creatæ, cum natura creata, & ipſius teminatio ſit finita, & conſequenter non adęquatè reſpondeat infinitæ virtuti terminatiuæ Dei.

Dices, hinc ſequi nullam naturam humanam aſſumi poſſe ab vlla perſona Sanctiſſimæ Trinitatis, quia licet perſona Sanctiſſimæ Trinitatis infinitam habeat vim terminatiuã,

nihilominus illa vis terminatiua expletur terminãdo naturam diuinam. Ergo ſicut Pater Æternus non poteſt plures filios generare, quia virtus ipſius generatiuã expletur vno actu perfecto, & adęquato, ita neq; vlla perſona Sãctiſs. Trinitatis terminare poteſt naturam creatam, cum ipſius vis terminatiua expleatur terminatione naturæ diuinæ.

Reſpondeo negando ſequelam. Ad probationem dico in diuinis duplicem eſſe terminationem, prima eſt ad intra, ſecunda ad extra. Infinita vis terminatiua Sanctiſſimę Trinitatis expletur terminãdo ad intra naturam diuinam infinitam, non verò terminando ad extra naturam creatam finitam; ſicut enim Deus amando ſe ipſum, amat bonum adęquatum, conſequenter infinita vis amandi expletur ad intra, nõ tamen ad extra. Ita & cæt.

2 Sed modo difficultas eſt, Vtrũ perſona aſſumens plures naturas humanas, vocanda ſit vnus homo, vel plures homines.

Reſpondeo, vocandam eſſe vnum hominem. Ratio eſt primo, quia ad multiplicitatem termini ſubſtantiui non ſufficit pluralitas formarum, ſed requiritur etiam pluralitas ſuppoſitorum, ſeu habentium formam; ſic enim communi loquendi vſu receptum eſt ex S. Thoma de Incarnat. quæſt. 2. art. 7. ad 2. ob id Titius habens plures artes, aut plures paternitates, non vocatur plures artifices, aut plures patres, & Pater Æternus eſt vnum principium Filij, & Spiritus Sancti, licet habeat plures proprietates, ſeu relationes, iuxta Sanctum Thomam 1. par. quæſt. 36. art. 4. ad 2. quia nõ adeſt pluralitas ſuppoſitorum, ſeu habentium formam. Ergo perſona aſſumens plures humanitates vocanda non eſt plures homines, ſed vnus homo, quia non adeſt pluralitas ſuppoſitorum. Secundò, quia plures homines dicuntur illi, quorum vnus non eſt alius; ſed ſi perſona Verbi aſſumeret plures humanitates, & ſub vna vocaretur Petrus, & ſub alia Paulus, Petrus non eſſet alius à Paulo; ſicut enim Verbum vocaretur Petrus, & Paulus, ita Petrus vocari poſſet Paulus, & Paulus vocari poſſet Petrus, quandiù humanitas vtriuſque ſubſiſteret eadem ſubſiſtentia, conſequenter Petrus non eſſet alius à Paulo, conſequentet vocari nõ poſſent plures homines. Tertiò, quia ſicut vnitas ſignificat vnionem, ſeu indiuiſionem, ratione cuius poteſt aliquid vocari vnum, ita multitudo ſignificat diuiſionem, & negationem vnionis; conſequenter ea dicuntur multa, quæ ſunt diuiſa, & non vnita; ſed plures humanitates in eodẽ ſuppoſito exiſtentes ſunt vnitæ in eodem ſuppoſito. Ergo vocari non poſſunt plures homines. Ita S. Thomas de Incarnat. quæſt. 3. art. 7. Suarez diſp. 13. ſect. 3. Tannerus diſp. 1. quæſt. 4. dub. 1. quæſito 2. n. 50. Valentia diſp. 1. q. 3. pun. 4. Aluarez quæſt. 3. art. 7. Becanus cap. 4. quæſt. 4. & Thomiſtæ communiter contra Scotum in 3. diſt. 1. quæſt. 3. Durandum, & alios.

3 Obijcies primo, ad vnitatem termini ſubſtantiui ſufficit vnitas formæ. Ergo etiã ad multiplicitatẽ termini ſubſtãtiui ſufficit pluralitas formarum; vt enim ſe habet vnũ ad

vnum

nū, ita duo ad duo; ſicut ergo tres perſonæ aſſumentes vnam humanitatem vocantur vnus homo, ita vna perſona aſſumens plures humanitates dicetur plures homines.

Reſpondeo, negando conſequentiam, quia ad pluralitatem termini ſubſtantiui nō ſufficit pluralitas formæ, ſed requiritur etiam pluralitas ſuppoſitorum.

Obijcies ſecundo, ſi Verbum aſſumpſiſſet duas naturas humanas, quarum vna vocaretur Petrus, altera Ioannes, ſi moreretur Ioannes ſuperſtite Petro, diceretur mortuus vnus homo, & alter ſuperſtes eſſet. Ergo erant duo homines.

Præterea dum vterq; ſuperſtes eſſet, poſſet vnus exiſtere Romæ, & alter Mediolani; cum enim humanitas Petri, & humanitas Pauli non ſit idem cum ſuppoſito Verbi, non poteſt humanitas vtriusq; eſſe vbicunque eſt Verbum, nec eſt neceſſe, vt vbi eſt vna humanitas, ſit etiam altera. Ergo ſunt duo homines.

Ad primum reſpondeo, dici mori vnum hominem, idest Ioannem, qui tamen, dum viueret, non erat alius à Petro, cum idem ſuppoſitum vterque haberet.

Ad ſecundum, reſpondeo ex diſtantia vnius humanitatis ab alia non argui multiplicitatem, & pluralitatem hominum ex ſuppoſitione, quod vtraq; humanitas terminetur eadem ſubſiſtētia Verbi. Ita Valentia, & Suarez locis citatis.

4 Ex dictis colligi poteſt ſolutio illius difficultatis, qua quæritur, Vtrum vocandi eſſent tres homines, vel vnus homo, ſi tres perſonæ aſſumerent tres humanitates, ita vt omnes tres humanitates ſubſiſterent in ſingulis perſonis.

Reſpondeo, diuerſis reſpectibus eſſe tres homines, comparando ſcilicet diſtinctas perſonas ad diſtinctas humanitates; ſi verò fiat comparatio trium perſonarum ad eandē humanitatem, aut trium humanitatum ad eandem perſonam, non ſunt tres homines, ſed vnus homo, quia ad pluralitatem termini ſubſtantiui requiritur pluralitas ſuppoſitorum, & formarum. Ita Suarez d. 13. ſect. 3. ſub finem. Becanus cap. 4. quæſt. 4. num. 7. & alij.

Punctum Quintum.

An perſona creata aſſumere poſſit alienam naturam.

1 *Perſona creata non poteſt virtute propria hypoſtaticè, aſſumere alienam naturam.*

2 *Angeli non aſſumunt carnem, dum hominibus apparent, & homines, qui in ſcriptura vocantur Angeli, verè non erant Angeli, & Antichriſtus verè non erit Dæmon.*

3 *Perſona creata poteſt virtute diuina alienam naturam aſſumere, illamq; virtute propria terminare.*

DVo principaliter explicabo in hoc puncto. Primo, an perſona creata poſſit propria virtute aſſumere alienam naturam. Secundò, an id poſſit virtute ſupernaturali.

PRIMA PROPOSITIO.

1 NVlla perſona creata poteſt virtute propria aſſumere hypo-

hypoſtaticè alienam naturam. Ratio eſt primo, quia myſterium Incarnationis iam factum, cenſetur valdè admirabile, eo quod perſona diuina aſſumpſerit naturā creatam; huiuſmodi autem myſterium non cenſeretur admirabile, ſi perſona creata poſſet virtute propria aſſumere alienam naturam. Secundò, quia nulla perſona creata efficere poteſt, quin ſubſiſtentia emanet, ac reſultet ex aliena natura; ſubſiſtentia enim eſt modus quidam ſubſtantialis, qui à ſubſtantia ſeparari non poteſt. Ergo non pôteſt alienam naturam aſſumere; cum aliena natura aſſumi non poſſit, non impedita ſubſiſtētia alienæ naturæ; implicat enim aſſumere naturam cum propria ipſius naturæ ſubſiſtentia. Ita S. Thomas quæſt. 3. art. 1. ad 2. & omnes ipſius commentatores ibidem.

2 Obijcies, Angeli ſępius carnem aſſumpſerunt, vt dum apparuerunt Abrahæ, & alias ſæpè, & Origenes apud D. Hieronimum in prologo ſuper Malachiam, cenſuit Malachiam, & Ioannem Baptiſtam fuiſſe Angelos; in ſcriptura enim vocantur Angeli; Idem de Aggo propheta quidam ſenſerunt apud Sanctum Hieronimum in capit. 1. Agæi circa finem, vbi Agęus vocatur nūcius Domini; aliqui etiam exiſtimarunt Antichriſtum futurum Dæmonem incarnatum. Denique Angeli qui in corporibus apparuerunt, in ſcriptura vocantur viri, & apud Danielem cap. 8. & 9. ibi, *Ecce vir Gabriel*, &c.

Reſpondeo Malachiam, & alios, qui in ſcriptura vocantur Angeli, appellatos fuiſſe hoc nomine, vel ob vitæ puritatem, vel propter officium, quia ſcilicet fuerunt nuntij à Deo miſſi. Ad id quod dicitur de Antichriſto, reſpōdeo Antichriſtum non futurum Dæmonem. Tum quia Dæmon nō poteſt proprijs viribus hanc vnionem facere. Tum quia veroſimile non eſt Deum facturum huiuſmodi vnionem ad tam prauum finē. Tum quia nullus Sanctorum Patrum id aſſerit; licet nonnulli dicant Antichriſtum futurum inſtrumētū Dęmonis, & Dęmonem futurum ipſius pedagogū. Ita S. Ambr. 2. ad Teſſalon. 2. & alij apud Suarez diſp. 13. ſect. 4. ad finem. Neque obſtant apparitiones Angelorum, quia factæ non fuerunt per aſſumptionem corporum, vt ſuppono ex tract. de Angelis, vbi oſtendam huiuſmodi Angelos vnitos fuiſſe illis corporibus tanquam motores mobili, & formaſſe illa corpora ex aere condenſato. Ita Valentia diſp. 1. quæſt. 3. pun. 6. & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Perſona creata poteſt virtute diuina alienam naturam aſſumere, illamque virtute propria terminare. Ratio eſt primo, quia id non implicat contradictionem; non enim implicat ex parte naturæ, cum ipſa ſeparabilis ſit à proprio ſuppoſito, & poſſit per potentiam obediētialem vniri alteri ſuppoſito, & ab eo terminari; neque implicat ex parte ſuppoſiti, cum ſuaptè natura vim habeat terminandi naturā ſibi vnitam; neque opus eſt virtute infinita, quia terminatio actualis non eſt infinita, nec eſt adeò perfecta, & nobilis, vt virtutem, & perfectionem infinitam requirat.

Secundo, quia vt perſona creata aſſumat alienam naturam, tria requiruntur. Primò, vt natura ſeparari poſſit à propria ſubſiſtentia, & perſonalitate. Secundò, vt natura ſeparata à propria ſubſiſtentia vniri poſſit alienæ ſubſiſtentiæ, ſeu perſonæ. Tertiò, vt perſona, ſeu ſubſiſtentia vim habeat terminandi; hæc autem poſſibilia ſunt; natura enim ſeparari poteſt à propria ſubſiſtētia, vt de Chriſti humanitate perſpicuum eſt; quāuis enim iſta ſeparatio viribus naturæ fieri non poſſit, vt probatum eſt prima propoſitione; fieri tamen poteſt à Deo. Præterea natura ſeparata à propria ſubſiſtentia vniri poteſt à Deo alienæ perſonę, ſicut eam vnire poteſt ſuæ propriæ perſonæ, facilius enim videtur naturam creatam vnire alienæ ſubſiſtentię creatę, quā ſubſiſtentiæ Dei, nam ſubſiſtentia Dei remotior eſt à compoſitione, & vnione, quam ſubſiſtentia, ſeu perſona humana. Denique omnis ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas habet uim terminandi, quia hæc eſt ipſius natura; neque opus eſt augmento virtutis, ſeu virtute infinita, vt probatum eſt in prima ratione; quamobrem ſi Deus ſepararet naturam humanam à propria ſubſiſtentia, illamque vniret alteri ſubſiſtentiæ, ſeu perſonæ, poſſet iſta perſona virtute propria terminatiua naturam illam terminare; ſicut enim anima rationalis, ſi pluribus corporibus miraculosè coniungeretur, poſſet ſingula illa corpora informare virtute propria, & naturali informatiua minimè aucta; & ſicut candela, ſi pluribus tenebroſis locis applicaretur, ſingula virtute propria illuminaret; & ſicut vox eūdem ſonū in ſingulis efficit, ad quorum aures non impeditas pertingit; & ſicut quælibet figura, ſiue rotunda, ſiue quadrata, ſiue triangularis ex ſe eſt terminus quantitatis, conſequenter afficere, & terminare poteſt quamlibet quantitatem, cui vniri poteſt; ita quælibet ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas terminare poteſt quālibet naturam, cui vniri poteſt. Ita Gabriel 3. ſentent. diſt. 1. quæſt. 2. art. 3. dub. 5. Maior. ibid. q. 5. Baſſolis q. 6. Scotus qu. 4. Ocham q. 1. dub. vlt. ad 13. Becanus cap. 4. q. 5. Alexander Peſantius q. 3. diſp. 1. ſub finem, & alij contra S. Thomam 3. p. q. 1. art. 1. Durandum in 3. diſt. 1. q. 2. Sotum in 4. diſt. 9. q. 2. art. 2. Suarez d. 13. ſect. 4. Vaſq. diſp. 25. cap. 3. & 4. Valentiam diſp. 1. q. 3. pun. 6. Puteanum q. 3. art. 2. dub. 1. concluſ. 2. Tannerum d. 1. q. 4. dub. 1. num. 16. Aluarez diſp. 18. & alios Thomiſtas communiter aſſerentes id fieri non poſſe etiam de potentia Dei abſoluta.

Obijcies primo, ſi perſona creata terminaret alienam naturam, id faceret vt cauſa principalis, & non vt purum inſtrumentum (perſona enim non poteſt alienam naturam terminare, niſi communicet illi ſuum proprium eſſe perſonale; conſequenter debet illam terminare, & ſuſtentare vt cauſa principalis; illa .n. eſt cauſa principalis, quæ concurrit per propriam virtutem, ſeu propriam formam, & proprium eſſe, ad diſtinctionem cauſæ inſtrumentalis, quæ agit per motionem principalis agentis) ſed perſona creata non poteſt etiam de potentia Dei abſoluta terminare alienam naturam tanquam

cau-

cauſa principalis (nam caret virtute infinita, quæ neceſſaria videtur ad huiuſmodi terminationem; ſicut .n. ad facienda miracula requiritur in cauſa principali virtus infinita, cum miracula excedant vires, & facultatem potentiæ creatæ; ita etiam virtus infinita requiri videtur ad terminandam alienam naturam, vt cauſa principalis, cum id etiam ſuperet facultatē naturæ creatæ; ob id Sanct. Thomas loco cit. ad 2. ait proprium eſſe diuinæ perſonæ propter eius infinitatem, vt fiat in ea concurſus naturarum ſecundum ſubſiſtentiam; cum aūt virtus infinita communicari non poſſit perſonæ creatæ, ita vt ſit propria illius forma, ſequitur perſonam creatam non poſſe tanquā cauſam principalem terminare alienam naturam.) Ergo perſona creata terminare non poteſt alienam naturam, etiam de potentia Dei.

Reſpondeo, ſi perſona creata terminaret alienam naturam, id faceret tanquam cauſa principalis terminatiua, ad quam non requiritur virtus infinita, vt ſupra oſtenſum eſt. Vt hoc melius intelligatur, obſerua in aſſumptione alienę naturę duo ſpectanda eſſe. Primò, cauſam effectiuā, ſeu actionem ipſam vnitiuam. Secundò terminationem. Si perſona creata aſſumeret alienam naturam, non efficeret iſtam actionem aſſumptionis virtute propria, ſeu tanquam cauſa principalis, ſed virtute effectiua Dei, ſeu tanquam cauſa inſtrumentalis; illam tamen terminaret virtute propria, & naturali, ſeu tanquam cauſa principalis; Sanctus autē Thomas, dum ait proprium eſſe Dei, vt ſubſiſtat in duabus naturis, intelligi poteſt. Primo, de potentia ordinaria. Secundo, de extraordinaria quo ad efficientiam, ſeu actionem vnitiuam, non verò quoad terminatiuā; nam quælibet perſona poteſt virtute propria quamlibet naturam terminare, ſi ea ſibi per potentiam diuinam vniatur.

Obijcies ſecundo, perſona terminans alienam naturam debet eminenter cōtinere perfectionem illius perſonalitatis, quam ſupplet, vt patet in perſona Verbi, quæ eminenter continet perfectionem perſonalitatis naturę humanæ, quam terminat; ſed impoſſibile eſt, vt perſona creata eminenter contineat perfectionē perſonalitatis alterius naturæ. Ergo non poteſt alienam naturam terminare.

Reſpondeo negando, opus eſſe, vt perſona terminans alienam naturam eminenter contineat perfectionem alterius perſonalitatis, quia nō ſupplet perſonalitatem quoad perfectionem, ſed quoad terminationem, quæ ipſi connaturalis eſt, & quam facere poteſt cum qualibet natura, cui vnitur.

QVÆ-

QVÆSTIO QVARTA.

De natura aſſumpta.

IN præcedenti Quæſtione egimus de perſona, quæ naturam humanam aſſumpſit; modo agendum eſt de natura ipſa aſſumpta, vel aſſumptibili. Circa quam explicabo; Primò, quænam partes humani corporis à Verbo aſſumptæ fuerint. Secundò, quo ordine aſſumptæ fuerint. Tertiò, an aliæ naturæ, etiam irrationales, aſſumi poſſint à Deo. Quartò, an natura ſubſiſtens in propria perſonalitate aſſumi poſſit. Quintò, an accidens ſit aſſumptibile.

Punctum Primum.

Quænam partes humani corporis aſſumptæ fuerint à Verbo.

1 *Partes omnes humani corporis pertinentes ad integritatem, & perfectionem humanæ naturæ, aſſumptæ fuerunt à Verbo.*

2 *Caput, brachia, & aliæ partes integrantes naturam humanam, aſſumptæ fuerunt à Verbo.*

3 *Sanguis immediatè aſſumptus fuit à Verbo.*

4 *Sanguis totus non facta diſtinctione alimentitij & perfecti, aſſumptus fuit à Verbo.*

5 *Sanguinis pars nulla à Verbo dimiſſa fuit, ſed totus ſanguis à Chriſto reaſſumptus fuit iuxta S. Thomã. Sed oppoſitum probabiliter defendi poteſt.*

6 *Sanguis Chriſti, qui modo in terris reperitur, multis de cauſis adoratione latriæ adoratur.*

7 *Sanguis Chriſti in Paſſione effuſus corruptus non fuit.*

8 *Sanguis hominis ſubſiſtit ſubſiſtentia creata, quæ non eſt vna, & ſimplex, ſed compoſita.*

9 *Communicatio Idiomatum non datur inter Verbum, & ſanguinem.*

10 *Humores nempè pituita, bilis, & melancolia aſſumpti fuerũt à Verbo.*

11 *Spiritus vitales, & animales aſſumpti fuerunt à Verbo.*

12 *Vngues, & dentes aſſumpti fuerũt à Verbo.*

13 *Pili, & capili aſſumpti fuerunt à Verbo in ſententia nonnullorum.*

VNI-

VNICA PROPOSITIO.

1 OMnes illę partes humani corporis à verbo aſſumptę fuerunt, quę pertinent ad integritatem, ſeu veritatem, ac perfectionem humanę naturę. Ratio eſt, quia Chriſtus fuit verus, & perfectus homo. Ergo in eo reperiuntur omnes illæ partes, quæ requiruntur ad veritatem, & perfectionem hominis. Ita S. Thomas quæſt. 54. art. 2. ad 3. & alij Doctores ferè communiter.

Hinc ſequitur primo, animam, & corpus aſſumpta fuiſſe à Chriſto; primo, quia hæ maximè ſpectant ad veritatem humanæ naturę; cum natura humana conſtet anima, & corpore. Secundò, quia Ioannis primo, dicitur, *Et Verbum caro factum eſt*, & in ſimbolo Niceno dicitur, *Et homo factus eſt*; Homo autem conſtat anima, & corpore. Tertiò, quia in Concilijs Ehpeſino primo, Calcedonenſi primo, Florent. primo, Toletano 1. & alijs definitur, veram carnem humanam, non verò phantaſticam, vel aeream à Verbo aſſumptam fuiſſe. Ita S. Thomas quæſt. 5, art. 3. & alij commentatores communiter.

2 Secũdò, ſequitur omnes partes integrantes naturæ humanæ, vt caput, brachia, pedes, & cæt. immediatè aſſumptas fuiſſe à Verbo. Tum quia iſtæ pertinent ad veritatem, & integritatem naturæ humanæ. Tum quia Verbum illas partes aſſumpſit, quæ informantur anima rationali; omnes autem partes integrantes informantur anima rationali, cum tota anima rationalis exiſtat in toto corpore, & in qualibet ipſius parte, iuxta vulgatum, & commune axioma. Tum quia iſtę partes adorantur adoratione latriæ; ideo autem adorantur, quia ſunt vnitæ Verbo.

3 Tertiò, ſequitur ſanguinem immediatè aſſumptum fuiſſe à Verbo. Ratio eſt primo, quia pertinet ad veritatem naturæ humanæ, vt patebit ex quarta ratione. Secundò, quia redẽptio hominis facta fuit mediante aliqua corporis parte à Chriſto aſſumpa; ſed redemptio hominis facta fuit per ſanguinem Chriſti 1. Petri 1. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti*, & Matth. 26. *Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamẽti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, ad Epheſios 1. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem*, & 1. Ioannis 1. *Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato*. Ergo sãguis aſſumptus fuit à Chriſto. Tertiò, quia Clemens VI. in Extrauag. Vnigenitus de pęnitentijs, & remiſſionibus definiuit, minimam ſanguinis guttam potuiſſe ſufficere ad redimenda quęlibet humani generis peccata propter vnionẽ ad Verbum. Quartò, quia Chriſtus aſſumpſit humanam naturam, vt nos redimeret, & pro nobis pati poſſet, ad Hebręos 2. non potuiſſet autem nos redimere, & pati, ſi ſanguinem non aſſumpſiſſet, cum homo ſine ſanguine operari non poſſit; caro enim ſentire non poteſt, niſi ſanguine, qui calidus, & humidus eſt, ad ſentiendum diſponatur. Addo hominem ſine ſanguine (ſiue ſanguis ſit animatus, vt nonnulli recentiores arbitrantur, ſiuè ſit inanimatus, vt benè Vaſquaz d. 36. num. 20. & alij Doctores communiter

ter docent) naturaliter eſſe non poſſe, Leuit. 17. *Anima omnis carnis in ſanguine eſt*, & ita docent Ariſtotel. lib. 2. de part. animalium cap. 2. & 8. & alij communiter. Quintò, quia in Concilio Trident. ſeſſ. 13. cap. 2. definitur ſanguinem eſſe ſub ſpeciebus conſecratis; id autem eſſe non poſſet, ſi Chriſtus ſanguinem non aſſumpſiſſet. Ita S. Thomas de Incarnat. quæſt. 5. art. 2. Valentia d. 1. quæſt. 5. pun. 1. vbi hoc fusè probat Vaſquez de Incarnat. diſp. 36. c. 4. & 5. num. 13. & ſeqq. Cabrera diſp. 1. quæſt. 5. art. 2. Puteanus q. 5. dub. 2. Tanarus diſp. 1. quæſt. 4. dub. 3 num. 89. & ſeqq. Suarez diſp. 13. ſect. 6. concluſ. 1. vbi ait contrariam ſententiam non poſſe ſine errore defendi, Aluarez diſp. 28. Becanus cap. 5. quæſt. 1. contra Durandum in 4. diſt. 10. quæſt. 1. num. 19. & alios.

4 Quæres, vtrum totus ſanguis in Chriſti corpore exiſtens aſſumptus fuerit à Verbo.

Reſpōdeo affirmatiuè cum communi Doctorum ſententia contra Caiet. 3. p. q. 5. art. 2. & q. 54. art. 2. & alios aſſerentes duplicem eſſe ſanguinem; alterum alimentitium, ſeu nutrimentalem, qui nondum conuerſus eſt in ſubſtantiam viuentis, alterum perfectum, qui iam conuerſus eſt in ſubſtantiam viuentis. Hunc aſſumptum fuiſſe à Verbo, non verò nutrimentalem; ſed ratio noſtra eſt, tum quia Concilia, Patres, & Scriptura abſolutè, & indiſtinctè loquũtur de Chriſti ſanguine. Tum quia hæc idem probant rationes in tertia illatione nuper allatæ.

Obijcies primo, ſi Chriſtus aſſũpſiſſet ſanguinem, nunquam illum deſeruiſſet, iuxta illud axioma Damaſceni cõmuniter receptum, *Quod Deus ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*; ſed conſtat Chriſtum deſeruiſſe ſanguinem, aut ſaltem aliquas ſanguinis partes. Tum quia ſanguis in paſſione Chriſti effuſus ſanguinis formam amiſit, cū fuerit corruptus per actionem contrariorum agentium. Tum quia aliquibus in locis extant nonnullæ ſanguinis partes, teſte Platina in vita Leonis Tertij, Surio in vita D. Magdalenæ, & alijs. Ergo Chriſtus non aſſumpſit ſanguinem.

Reſponderi poteſt primo, Chriſtū deſeruiſſe aliquas ſanguinis partes, nec obſtat axioma Domaſceni, quia intelligendum eſt de præcipuis partibus, anima ſcilicet, & corpore, quæ per ſe primò, ac principali intentione aſſumptæ fuerunt; non verò de alijs partibus, quæ per ſe primò aſſumptæ non fuerunt, vt ſunt partes corporis, & ſanguinis materiales, quæ continuè in aerem, aut aliam materiam reſolui conſueuerunt. Ita Vaſquez 3. par. tom 1. d. 36. cap. 8. num. 43. & alij.

5 Reſpondet ſecundo, S. Thomas 3. par. quæſt. 54. art. 2. ad 3. Chriſtum nunquam dimiſiſſe vllam ſanguinis partem, ſed totum ſanguinē in reſurrectione reaſſumpſiſſe, nec aliquem in terris extare Chriſti ſanguinem, niſi miraculoſum. Conſequenter ſanguinem, qui in Eccleſijs aſſeruatur, & adoratur, non eſſe verum Chriſti ſanguinem, nec profluxiſſe ex Chriſti corpore, ſed ex imagine percuſſa; quanquam oppoſita ſententia probabilis eſt ex Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 47. ſect. 3. eamque

Digitized by Google

que ſequitur Vaſq. loco cit. cap. 8. num. 42. Valentia loco citato, Tanne ro loco citato quæſt. 4. dub. 3. n. 103. & alijs aſſerentibus probabiliter defendi poſſe, aliquas ſanguinis Chriſti guttas in terris extare, quę à Chriſto reaſſumptæ non fuerunt. Idem dic de præputio Chriſti, qđ anno 1557. miraculosè inuentum fuit, & Romæ aſſeruatur, teſte Toleto in Lucam c. 2. annot. 51. Tannero de Incarnat. d. 1. q. 4. dub. 3. n. 104.

6 Dices huiuſmodi ſanguis adoratur adoratione latriæ. Ergo eſt verus Chriſti ſanguis, alioquin hoc pacto non adoraretur.

Reſpondeo, adorari, vel ob præcedentem coniunctionem, quam habuit cum perſona Verbi, vel ob contactum cum Chriſti corpore, vel ob repreſentationẽ veri ſanguinis Chriſti ſubſiſtentis ſubſiſtentia Verbi.

7 An autem Chriſti ſanguis in Paſſione effuſus corruptus fuerit; Durandus in 4. diſt. 44. quæſt. 2. n. 9. Suarez loco citato, & alij, putant in triduo corruptum non fuiſſe, ſed miraculosè præſeruatum, ſicut in triduo mortis à corruptione præſeruatum fuit Chriſti corpus.

Obijcies ſecundò, Verbum diuinum aſſumpſit naturam humanam, ſupplendo locum ſubſiſtentiæ hominis creatæ, conſequenter aſſumpſit id, quod ſubſiſtebat ſubſiſtẽtia creata hominis; ſed ſanguis non ſubſiſtit ſubſiſtentia hominis creata. Tum quia ſubſiſtentia hominis eſt perſonalitas, quæ conuenit ſolum naturæ intellectuali. Tum quia ſubſiſtentia eſt vna, conſequenter non poteſt eſſe partim naturæ animatæ, partim inanimatæ; ſanguis autem eſt pars inanimata, ex communi ſententia contra nonnullos recẽtiores Theologos teſte Vaſq. d. 36. n. c. 5. 18. & ſeqq.

8 Reſpondeo, data maiori propoſitione, negatur minor; ſanguis n. ſubſiſtit ſubſiſtentia hominis creata, quæ ſubſiſtentia non eſt vna, & ſimplex, ſed compoſita, ſicut eſt ipſa hominis natura, vt benè Suar. d. 13. ſect. 6. in reſponſione ad 2. & 3. ſubſiſtentia autem hominis vocatur perſonalitas non reſpectu cuiuſlibet partis; ſed reſpectu totius naturæ intellectualis, cuius eſt ſubſiſtentia; conſequenter opus non eſt, vt ſubſiſtentia cuiuſlibet partis vocetur perſonalitas, vt benè Tannerus diſp. 1. q. 4. dub. 3. n. 99. Becanus ca. 5. q. 3. n. 5. & alij.

9 Obijcies tertio, non datur cõmunicatio idiomatum inter Verbũ, & ſanguinem; non enim Chriſtus dicitur ſanguis, aut inanimatus; Ergo ſanguis non fuit aſſumptus à Verbo, nam inter perſonam aſſumentem, & naturam aſſumptam datur communicatio idiomatum.

Reſpondeo negando conſequentiam, nam communicatio idiomatum datur inter perſonam aſſumentẽ, & naturam totalem aſſumptam, non inter naturam partialem, vt eſt ſanguis. Ita Suarez, & Tannerus locis cit. Vaſq. d. 36. cap. 7. num. 36. & alij.

10 Quartò ſequitur non ſolum ſanguinem, verum etiam alios tres humores, nempè pituitam, bilem, & melancholiã, aſſumptos fuiſſe à Verbo. Tum quia iſti connexionem habent cum ſanguine, cum eo intermiſcentur, & ſanguinis nomine cõiter cõprehenduntur. Tũ quia pertinent ad

ad veritatem, & perfectionem naturæ humanæ, vt patet ex Damaſceno lib. 2. de fide cap. 12. & alijs aſſerentibus corpora animaliũ ex quatuor humoribus conſtare. Ita Suarez 3. p. tom. 1. diſp. 15. ſection. 7. Cabrera de Incarnat. q. 5. art. 2. diſp. 1. n. 20. Vaſq. de Incarnat. diſp. 36. cap. 8. Becanus de Incarnat. cap. 5. q. 1. nu. 10. Tannnerus diſp. 1. q. 4. dub. 3. num. 109. Puteanus quæſt. 5. dub. 2. concl. 2.

11 Quinto, ſpiritus vitales, & animales aſſumptos fuiſſe à Verbo. Tũ quia iſti pertinent ad veritatem naturæ humanæ. Tum quia iſti ſpiritus nihil aliud ſunt, quam pars quædam purior, & ſubtilior ſanguinis proximior ſubſtantiæ hominis, & proximior cauſa operationis. Ita Suarez loco citato ſect. 6. Vaſq. loco cit. cap. 7. num. 33. Cabrera loco citato num. 22. Becanus loco citato n. 10. Tannerus nu. 110. Puteanus loco citato concl. 3. Raconius de Incarnatione q. 3. Idem de Rore, & Cãbio docent Vaſq. & Tannerus locis cit. contra Suarez loco cit. quia ſanguis in has ſubſtantias prius mutatur, quam in viuam hominis ſubſtantiam, conſequenter iſtę ſubſtãtię proprius accedunt ad ſubſtantiam carnis, quam ſanguis.

Obijcies, Deus quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit. Ergo à contrario ſenſu, quod dimiſit, non aſſumpſit; ſed dimiſit ſanguinem, humores, & ſpiritus. Ergo illos nunquam aſſumpſit.

Reſpondeo diſtinguendo minorẽ, Chriſtus dimiſit ſanguinem, & alios humores quoad ſeparationem à corpore, concedo; quoad ſeparationem à Verbo, nego; ſicut enim anima ſeparata fuit à corpore, non tamen à Verbo; ita etiam ſanguis, & alij humores, ſeu vitales ſpiritus.

12 Sexto, Vngues, & dentes aſſumptos fuiſſe à Verbo. Tum quia pertinent ad veritatem, & perfectionem naturæ humanæ. Tum quia vngues, & dentes animati ſunt anima rationali, iuxta ſententiam S. Thomæ 1. p. quæſt. 27. art. 7. & aliorum; partes autem animatæ corporis aſſumptæ ſunt à Verbo. Ita Suarez, Cabrera, Tannerus, & Becan. locis cit. Puteanus loco cit. concl. 4. contra Vaſquez loco cit. cap. 7. num. 34. aliter ſentientem de vnguibus.

13 Septimo, pilos, & capillos iuxta ſententiam multorum Doctorum aſſumptos fuiſſe à Verbo. Tum quia capilli in ſententia Sancti Thomæ 1. par. quæſt. 27. artic. 2. ſunt animati. Tum quia extabũt in corporibus reſurgentium ex S. Auguſt. in Henchirid. cap. 88. & alijs. Tum quia pertinent ad ornatum, & ad maiorẽ corporis perfectionem. Ita Suarez, Cabrera, Becanus, & alij locis cit. contra Vaſquez cap. 7. n. 34. & Tannerus num. 114.

Obijcies, pili, & capilli ſunt veluti excrementa corporis. Ergo non faciunt ad veritatem, & perfectionem corporis. Ergo aſſumpti non fuerũt à Verbo.

Reſpondeo, non eſſe propriè excrementa corporis, ſed partem quandam corporis ad ornatum, & ad maiorem corporis perfectionem à Deo factam: exiſtimo tamen pilos, capillos, & vngues reſectos non permanſiſſe

fuiſſe Verbo vnitos; cum enim huiuſmodi partes reſectæ abijciantur, & negligantur, nec faciant ad veritatem, & ornatum corporis, non poteſt afferri ſufficiens ratio, cur dicamus illas remanſiſſe Verbo vnitas, vt benè in hac parte Vaſquez, & Tānerus locis cit. Sicut neque vnita remanſerunt corporis excremēta, quæ ob quotidianam nutritionem, & caloris actionē quotidiè reſoluebātur.

Octauo, ſudorem naturalem, ſaliuam, vrinam, & lacrimas non fuiſſe Verbo vnitas, quia per ſe non faciūt ad perfectam integritatem hominis, ſed ſunt inutiles partes excernendę, & mera corporis excrementa. Ita Doctores citati. Dixi, ſudorem naturalem, quia ſi loquamur de ſanguineo Chriſti ſudore, alia ratio eſt; cōſtat enim ex ſupradictis ſanguinem Chriſti hypoſtaticè vnitum fuiſſe Verbo.

An autem Intellectus, Voluntas, & alia corporis, aut animæ accidentia aſſumpta fuerint à Verbo, conſtabit ex infra dicendis.

Punctum Secundum.

Quo ordine aſſumptæ fuerint partes humanæ naturæ.

1 *Corporis partes omnes eodem tempore inter ſe vnitæ, & aſſumptæ fuerunt à Verbo.*

2 *Humanitas tota ordine intentionis prius aſſumpta fuit, quam partes.*

3 *Humanitas aſſumpta fuit antequā accidentibus informaretur.*

4 *Humanitatis partes ordine intentionis prius inter ſe vnitæ fuerunt, quam aſſumptæ à Verbo; ordine verò executionis prius aſſumptæ fuerunt, & vnitæ Verbo, quam inter ſe.*

5 *Anima ordine intentionis, & dignitatis prius aſſumpta fuit, quam corpus.*

IN hoc Puncto explicandum eſt Primò, Vtrum omnes humanitatis partes eodem tempore vnitę fuerint inter ſe, & aſſumptæ à Verbo. Secundò, Vtrum intenta, & aſſumpta prius fuerit tota humanitas, quam eius partes. Tertiò, Vtrum prius intenta, & aſſumpta fuerit anima, quā corpus.

Pro ſolutione præmittendum eſt prioritatem, aut eſſe durationis, ſeu temporis, aut naturæ, aut intentionis, aut executionis, quæ omnia in philoſophia communiter explicari ſolent.

PRIMA PROPOSITIO.

1 OMnes corporis partes eodem prorſus tēpore inter ſe vnitę fuerunt, & aſſumptæ à Verbo. Ratio eſt primo, quia partes non prius fuerunt vnitæ, quam ſubſiſterent propria, vel aliena ſubſiſtētia; ſed prius non ſubſtiterunt propria ſubſiſtentia; cum veroſimiliter credi nō poſſit Deum voluiſſe, vt natura ſubſiſteret ſubſiſtentia creata, quam ſtatim ablaturus erat. Ergo ſtatim ſubſtiterunt ſubſiſtentia Verbi. Ergo eodem prorſus tempore inter ſe vnitæ fuerunt, & aſſumptæ, ſeu ſuſtentatæ à diui-

diuino Verbo, cum ſubſtantia non exiſtat ſine ſubſiſtentia. Secundò; quia Sophorinus in 6. Synodo actio. 11. & alij Patres aſſerunt corpus Chriſti in inſtanti creatum fuiſſe, & animam ſimul creatam, & infuſam corpori, ſimulque corpus, & animã vnita fuiſſe Verbo. Tertiò, quia ſi prius tempore extitiſſet corpus, & anima, quam vnio ad verbum, Beatiſſima Virgo dici non poſſet Mater Chriſti, quia prius fuiſſet homo, vnitis partibus, quam Deus per aſſumptionem illarum partium vnitarum; falſum autem eſt Beatiſſimam Virginem non fuiſſe Matrem Dei. Lucę 1. *Quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei*; & ad Galatas 4. *Vbi venit plenitudo temporis, miſit filium ſuum factum ex muliere*. Ita S. Thomas q. 6. art. 3. & 4. & cum eo omnes Doctores Catholici.

Hinc ſequitur primò, formationem corporis, creationem animæ, coniunctionem animæ cum corpore, & aſſumptionem animæ, & corporis eodem tempore factam fuiſſe.

Secundò ſequitur, falſam eſſe Cerinti, & Neſtorianorum ſententiam, qui arbitrantur Chriſtum prius fuiſſe purum hominem, & poſtea ſuis meritis aſſecutum fuiſſe vnionem cũ Verbo; hæc ſententia falſitatis conuincitur. Tum ex rationibus in propoſitione allatis. Tum ex Concilio Epheſino 1. can. 13. Calcedonen. act. 1. Tolet. 11. & ex alijs Concilijs, & Patribus apud Tannerum d. 1. quæſt. 4. dub. 4. n. 120. apud Puteanum q. 6. art. 6. dub. 1.

Tertio ſequitur, falſam eſſe Origenis opinionem lib. 2. Periarcon. c. 6. aſſerentis omnes animas, & conſequenter etiam animã Chriſti ab initio mundi creatam fuiſſe, ſuiſq; meritis conſecutam fuiſſe vnionem cũ Verbo. Hæc opinio refellitur rationibus in propoſitione allatis, & dãnatur à Leone ep. 11. in 6. Synodo apud Nicephorum lib. 17. Hyſtor. cap. 28. & alibi pluribus in locis. Et ratio generalis eſt, quia cũ Dei perfecta ſint opera, conueniens non erat, vt animæ crearentur ante generationem corporum, præſertim cum animæ operari nequeant ſine corpore. Ita Vaſq. diſp. 37. cap. 4. nu. 29. & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 ORdine intentionis tota humanitas prius fuit aſſumpta, quam partes; ideo enim partes aſſumptæ fuerunt, vt aſſumeretur totum. Ergo aſſumptio totius humanitatis eſt veluti finis aſſumptionis partium; finis autem in intentione prior eſt medijs. Ordine verò executionis prius aſſumptę fuerunt partes, quam tota humanitas; nam tota humanitas aſſumi non poterat niſi aſſumptis partibus. Ergo ordine exequutionis aſſumptio partium prior fuit aſſumptione totius humanitatis. Ita Puteanus q. 6. art. 6. dub. 2. Raconius de Incarnatione q. 4. Suarez d. 17. ſect. 5. Becanus cap. 5. q. 2. Valentia q. 6. pun. 2. Tanner. diſp. 1. quæſt. 4. dub. 5. quæſito 2. & alij.

3 Sed modo dubium eſt primò, Vtrum humanitas prius aſſumpta fit, quã accidentibus informaretur.

Reſpondeo, prius aſſumptam eſſe humanitatem, quam recepta ſint in humanitate aliqua accidentia. Ratio

tio eſt, quia natura prius ſubſiſtere debet, quam accidentaliter perfi- ciatur, vt benè Suarez diſp. 17. ſect. 3. & alij, quos ſupra retuli quæſt. 2. puncto 5.

4 Quæres, Vtrum partes huma- nitatis prius inter ſe vnitæ fuerint, quam aſſumptæ à Verbo.

Reſpondeo, iuxta dicta in propoſi tione, ordine intentionis prius vni- tas fuiſſe inter ſe, quam cum Ver- bo. Ratio eſt, quia aſſumptio to- tius humanitatis eſt primario in- tenta; aſſumptio enim partium in- tenta fuit propter totam humani- tatem. Ergo ordine intentionis pri- or eſt aſſumptio totius humanita- tis, quam aſſumptio ſingularum par- tium, conſequenter ordine intentio- nis prius inter ſe vnitæ ſunt, quam aſ- ſumptæ à Verbo; ordine verò exe- cutionis prius aſſumptæ fuerunt partes, & vnitæ verbo, quam inter ſe. Ratio eſt. Primò, quia in execu- tione partes remanent vnitæ Verbo, etiamſi inter ſe non remaneant vni- tæ, vt patet in triduo mortis, in quo anima, & corpus vnita erant Verbo, & non inter ſe. Ergo in executione vnio partium cum Verbo non pen- det ab vnione partium inter ſe. Er- go in executione vnio partium inter ſe eſt poſterior vnione ipſarum par- tium ad Verbum; nam poſterius na- tura eſt illud, quod ab alio pendet; vnio autem partium inter ſe pendet ab vnione partium ad Verbum. Se- cundò, quia prius eſt rem aliquam, atque adeo humanitatem ipſam exi- ſtere, & ſubſiſtere, quam vniri alte- ri; (credibile enim eſt illum ordinem, quantum fieri potuit, à Verbo ſer- uatum fuiſſe in aſſumptione huma- nitatis, qui ſeruari ſolet in genera- tione hominis, iuxta quẽ prius ſubſi- ſtit anima, quam corpori vniatur) ſed anima Chriſti nunquam ſubſtitit propria ſubſiſtentia, ſed ſola ſubſi- ſtentia Verbi, per quam aſſumpta fuit; cum enim eodem inſtanti tem- poris creata, & aſſumpta fuerit, non potuit habere propriam ſubſiſten- tiam, alioquin in eodem inſtanti ha- buiſſet duas ſubſiſtentias, propriam ſcilicet, & alienam; aut in eodem in- ſtanti accepiſſet, & amiſiſſet propriã ſubſiſtentiam. Ergo anima prius aſ- ſumpta fuit à verbo, & terminata verbi ſubſiſtentia, quam vnita cor- pori. Idem cum proportione dici poſſe videtur de corpore; quamuis enim ſubſiſteret propria ſubſiſtẽtia, antequam aſſumeretur, (erat enim puriſſimus Immaculatæ Virginis ſanguis) tamen cum anima iam ha- beret ſubſiſtentiam Verbi, decebat, vt etiam ipſum corpus eandem ſub- ſiſtentiam haberet, dimiſſa propria ſubſiſtentia; conſequenter in execu- tione corpus, ſeu partes humanitatis prius aſſumptæ fuerunt à Verbo, quã inter ſe vnitæ. Ita Suarez diſp. 17. ſect. 2. Becanus loco citato. Valen- tia diſp. 1. quæſt. 6. pun. 2. Puteã- nus loco citato. Tannerus loco cit. num. 148. & 151. & alij contra Vaſ- quez diſput. 37. cap. 7. & ſeqq. & diſput. 39. cap. 3. & alios aſſerentes animam, & carnẽ prius natura vni- tas fuiſſe inter ſe, quam aſſumptas à Verbo.

TERTIA PROPOSITIO.

5 ORdine intentionis, & digni- tatis prius aſſũpta fuit ani- ma,

ma, quam corpus. Ratio eſt. Tum quia in 6. Synodo act. 12. dicitur, *Carnem ſibi mediante anima rationali compaginaſſe Verbum Dei*. Tum quia anima perfectior eſt corpore, & corpus congruitatem habuit ab anima, vt aſſumeretur; corpus enim cum ſit irrationale, non habet congruentiam, vt per ſe aſſumatur, ſed in ordine ad animam. Ita communiter Doctores contra Durandum in 3. diſt. 2. quęſt. 2. In executione verò in genere cauſæ materialis, prius aſſumptum videtur corpus, quam anima. Ratio eſt. Tum quia veroſimile eſt illum ordinem à Verbo, quantum fieri potuit, ſeruatum fuiſſe in aſſumptione, qui ſeruatur in generatione; ſed in generatione materia præexiſtit formæ. Ergo etiam in aſſumptione. Tum quia creatio animæ, & conſequenter aſſumptio, quę poſterior eſt creatione, præſupponit corpus diſpoſitum, in quo creatur, & corpus comprehendit materiam ſubſiſtentē. Ergo in executione prior eſt aſſūptio carnis in genere cauſę materialis. Ita Suarez diſp. 17. ſect. 3. Valentia d. 1. quæſt. 6. pun. 2. Tannerus diſp. 1. q. 4. dub. 4. num. 134. & 156. Raconius loco citato, & alij contra Vaſquez diſp. 37. cap. 7. num. 46. Cabreram quæſt. 6. art. 5. Didacum Aluarez diſp. 30. concluſ. 1. num. 5. & alios.

Obijcies primo, Anima fuit medium, propter quod aſſumpta fuit caro; mediū aūt prius aſſumitur, quā id, cuius eſt medium. Ergo prius aſſumpta fuit anima.

Reſpondeo, Animam dici mediū, vt quo, non verò vt quod; illud enim eſt medium, vt quo; quod licet prius aſſumptum non fuerit, nihilominus fuit diſpoſitio, aut conditio, aut ratio aſſumendi alterum; quod accidit in aſſumptione animæ reſpectu corporis; aſſumptio enim animæ fuit ratio, ſeu conditio aſſumendi corpus, vt probatum fuit in tertia propoſitione; medium verò, vt quod, dicitur illud, quod prius aſſumptum fuit, quam alterum; cum autem corpus prius aſſumptum fuerit, quam anima, nō poteſt anima dici mediū, vt quod, aſſumptionis corporis. Ita Suarez, Vaſquez, Valentia, Tannerus, & alij contra Cabreram loco citato, aſſerentem animam reſpectu carnis dici medium aſſumptionis, vt quod.

Obijcies ſecundo, generaliter contra ea, quæ diximus de ordine, quo partes naturę humanę vnitę ſunt Verbo. Quando vnum vnitur duobus, quatenus vnum ſunt, æqualiter vnitur ipſis abſque vllo ordine prioris, vel poſterioris. Sed Verbum vnitum fuit animæ, & corpori, quâtenus vnū ſunt, ideſt quatenus vnam naturam humanam conſtituunt. Ergo Verbum æqualiter, & ſine ordine prioritatis, & poſterioritatis vnitum fuit animæ, & corpori.

Reſpondeo, Verbum vniri animę, & corpori non ſolum vt ſunt vnum, ſed etiā vt ſunt diſtincta, & diuerſa.

Punctum Tertium.

An aliæ naturæ, etiam irrationales aſſumi poſſint à Deo.

1 *Naturæ irrationales aſſumi poſſunt à Deo.*

2 *Terminus primarius vnionis hypoſtaticæ eſt terminatio perſonalis, quoties vnio fit cum natura rationali.*

3 *Prædicata naturæ irrationalis affirmari poſſunt de Deo, cùm debita tamen reuerentia, & circumſpectione, ſi Deus aſſumeret naturam irrationalem.*

4 *Materia prima per ſe aſſumi poteſt à Deo.*

5 *Forma cum materia, aut etiam ſine materia aſſumi poteſt à Deo.*

6 *Caro, oſſa, & aliæ partes integrantes aſſumi poſſunt a Deo.*

VNICA PROPOSITIO.

1 NAturę etiam irrationales aſſumi poſſunt à Deo per potentiam ipſius abſolutam. Ratio eſt. Tum quia licet natura irrationalis non habeat intrinſecam congruentiam, & dignitatem, vt aſſumatur, tamen non implicat ipſam aſſumi à Deo. Tum quia corpus Chriſti in triduo mortis manſit vnitum hypoſtaticè Verbo; ſed illud tunc temporis erat creatura irrationalis. Ergo natura irrationalis aſſumi poteſt à Deo per potentiam ipſius abſolutam. Ita S. Thomas quæſt. 4. art. 1. Vaſquez diſp. 30. cap. 2. num. 5. Valentia diſp. 1. q. 4. pun. 1. Suarez diſp. 14. ſect. 2. Becanus cap. 5. q. 3. & 4. Tannerus diſp. 1. quæſt. 4. dub. 2. num 61. & alij apud Vaſquez loc. citato num. 5. & apud alios pręcitatos Doctores.

Obijcies primo, effectus primarius vnionis hypoſtaticæ eſt terminatio perſonalis; terminus enim vnionis hypoſtaticæ eſt perſona diuina; ſed natura irrationalis non eſt capax terminationis perſonalis, cum non poſſit conſtituere perſonam. Ergo natura irrationalis non poteſt hypoſtaticè vniri Verbo, ſeu aſſumi à Verbo.

2 Reſpondeo, terminum primarium vnionis hypoſtaticæ eſſe terminationem perſonalem, quoties vnio hypoſtatica fit cum natura rationali; ſi verò fiat cum natura irrationali, non eſt vnio perſonalis; ſed hypoſtatica, ſeu ſuppoſitalis, vt benè Suarez diſp. 14. ſect. 2. col. 3. & alij.

Obijcies ſecundo, ſi Deus per potentiam abſolutam aſſumeret naturam irrationalem, ſequeretur prædicata naturę irrationalis attribui poſſe Deo per communicationem idiomatum, conſequenter ſi aſſumeret naturam bouis, aut leonis, aut ligni, vocari poſſet bos, leo, lignum, & his ſimilia; ſed hoc implicare videtur. Ergo etiam implicat Deum aſſumere naturam irrationalem.

3 Reſpondeo pręfata prędicata poſſe quidem prędicari de perſona diuina ob communicationem idiomatum; vtendum tamen eſſe debita reuerentia, & circunſpectione. Ob id Caietanus quæſt. 4. art. 1. admonet hanc ſententiam quidem tenendam eſſe, ſed linguam cohibendam; quam tamen Gabriel in 3. diſt. 1. quæſt. 2. art. 1. nō cohibuit aſſerens ob vnionem hypoſtaticam fieri poſſe, vt iſtæ propoſitiones verificentur, Deus eſt homo damnatus, Deus eſt Diabolus; hoc tamen falſum eſt, cum Deus aſſumere nequeat naturam peccato infectam.

4 Ex dictis colligi poteſt primo, materiam primam per ſe aſſumi poſſe à

ſe à Deo. Ratio eſt, tum quia materia prima eſt ſubſtantia per ſe ſubſiſtens. Ergo Deus poteſt ipſius ſubſiſtentiam auferre, & ipſam ſua ſubſiſtentia ſuſtentare, ſiue illam relinqueret cum ſua forma, ſiue eam conſeruaret ſine forma. Tum quia corpus Chriſti in triduo mortis ſubſiſtebat ſubſiſtentia Verbi, & tamen nonnulli Doctores putant corpus Chriſti vnitũ fuiſſe ſuppoſito diuino abſque omni forma. Ita Scotus, Gabriel, & alij, quos ſequitur Suarez diſp. 14. ſect. 2. ſub finem, & prolixius ſect. 2. concl. 1. Tannerus diſp. 1. quæſt. 4. dub. 2. num. 65. Becanus cap. 5. q. 4. & alij contra Cabreram quæſt. 4. art. 1. diſp. 4. §. 2. Didacum Aluarez d. 21. concl. 3. num. 11. & alios.

5 Secundò, colligitur formam aſſumi poſſe à Deo cum materia, aut ſine materia. Ita Doctores citati.

Obijcies, forma actu informans materiam actu dependet à materia tanquam à ſuſtentãte. Ergo non poteſt actu per ſe ſubſiſtere. Ergo non poteſt immediatè aſſumi, & ſubſiſtere ſubſiſtentia Dei.

Reſpondeo, Deum poſſe auferre dependentiam formæ à materia, manente informatione, & ſuſtentare formam ſua ſubſiſtentia; ſicut .n. anima rationalis de facto non dependet à materia in ſuſtentãdo, cum ſubſiſtat propria ſubſiſtentia, licet informet materiam; ita fieri poteſt, vt animæ brutorum, aut rerum inanimatarum informent materiam, à qua tamen non dependerent quoad ſubſiſtentiam, ſi Deus ſua ſubſiſtentia suppleret ſubſiſtentiam materiæ. Ita Suar. ſect. 3. concl. 2. & Becan. lo. cit. Aluar. lo. cit. concl. 4. & alij contra Vaſquez diſp. 30. c. 5. num. 21. aliter ſentientem de formis corruptibilibus.

6 Tertiò, colligitur partes integrantes, vt carnem, oſſa, & ſimiles partes integrales humani corporis aſſumi poſſe à Deo, vt patet ex rationibus ſuperius allatis. Ita Suarez diſp. 14. ſect. 3. concl. 3. Tannerus diſp. 1. quæſt. 4. dub. 2. aſſertione 7. num. 67. contra Cabreram q. 4. art. 1. diſp. 4.

Punctum Quartum.

An natura ſubſiſtens in propria perſonalitate aſſumi poſſit à perſona Diuina.

1 *Natura creata non poteſt aſſumi ſimul cũ perſonalitate naturę creatę.*

2 *Natura creata terminata propria ſubſiſtentia non poteſt aſſumi etiam non aſſumpta perſonalitate creata.*

3 *Humanitas terminata propria ſubſiſtentia poteſt terminari aliena ſubſiſtentia, ſi ponatur in aliquo loco abſque propria ſubſiſtentia.*

VNICA PROPOSITIO.

1 Natura creata non poteſt aſſumi ſimul cum perſonalitate naturæ creatæ. Ratio eſt, tum quia perſonalitas eſt vltimus terminus naturæ. Ergo non poteſt vlterius terminari; alioquin nõ eſſet vltimus terminus naturæ. Tũ quia Patres diſputantes contra Neſtorium, & alios admittẽtes duas pſonas in Chriſto, ſic argumentabantur. In humana

Chriſti naturæ adeſt increata ſubſiſtentia Verbi. Ergo abeſt ſubſiſtentia propria naturæ humanæ. Hæc conſequentia falſa eſſet, ſi ſubſiſtentia propria naturæ creatæ exiſtere poſſet ſimul cum ſubſiſtentia increata. Ita communiter Doctores apud Vaſquez 3. par. diſp. 33. cap. 2.

2 Maior difficultas eſt, vtrum ipſamet natura creata terminata propria ſubſiſtentia, aſſumi poſſit à perſona diuina, non aſſumpta perſonalitate, & ſubſiſtentia creata.

Reſpondeo non poſſe aſſumi, vt patet. Tum ex rationibus allatis. Tum quia de ratione perſonalitatis eſt primò, vt ipſa ſit terminus incommunicabilis, ſeu in communicabiliter terminans naturam, cuius eſt perſonalitas. Secundò, vt faciat naturam creatam, quam terminat, in ſe ſubſiſtere, & ſeorſim ab omni alia ſubſiſtẽtia. Hoc poſito, ſic argumentor. Implicat naturam creatam ſubſiſtere ſeparatim in ſe, & non ſubſiſtere ſeparatim, ſeu exiſtere in ſe ſeorſim ab alio, & exiſtere in alieno ſuppoſito. Ergo implicat naturam creatam terminari propria ſubſiſtẽtia, & ſimul aſſumi à perſona diuina; quia ſic ſubſiſteret ſeparatim in ſe, & non ſubſiſteret ſeparatim in ſe, quod implicat; nam iſti modi ita repugnant inter ſe, vt vnus proximè includat negationem alterius, & ſicut implicat eandem virgam ſimul eſſe curuam, & rectam, & idem accidens ſimul per ſe eſſe, & actualiter inhęrere, cum iſti modi immediatã repugnantiã in ſe contineant; ita ẽt implicat ſubſiſtere ſeparatim, & non ſubſiſtere ſeparatim. Ita Suarez diſp. 14. ſect. 1. Puteanus quæſt. 4. art. 6. dub. 2. vbi alias rationes afferunt, & refellunt Becanus cap. 5. quæſt. 6. Aluarez diſp. 16. Vaſquez diſp. 33. cap. 2. Tannerus quæſt. 4. dub. 1. num. 44.

Obijcies primo, eadem natura ſubſiſtere poteſt duplici ſubſiſtentia aliena; eadem enim natura aſſumi poteſt ab omnibus perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis, vt ſupra probatum eſt. Ergo etiam ſubſiſtere poteſt ſubſiſtentia propria, & ſimul aliena, cum par ratio ſit ſubſiſtẽtię propriæ, & alienæ. Ergo natura terminata ꝓpria ſubſiſtẽtia aſſumi pôt à Deo.

Reſpondeo, eandem naturam poſſe virtute ſupernaturali ſubſiſtere duplici ſubſiſtentia aliena, non verò propria, & ſimul aliena. Ratio diſparitatis eſt, quia ſubſiſtentia propria facit naturam ſeorſim in ſe ſubſiſtere, & ſeparatim ab omni ſubſtantia extranea; ſubſiſtentia verò aliena non facit ſeorſim in ſe ſubſiſtere, ſed facit ſubſiſtere in alio; fieri autem non poteſt, vt natura ſubſiſtat in ſe ſeparatim, & ſimul ſubſiſtat in alio; fieri verò poteſt, vt natura ſubſiſtat in pluribus alijs ſuppoſitis, vt benè Suarez, & Becanus locis citatis.

Obijcies ſecundo, Deus facere poteſt, vt idem accidens inhæreat ſimul duobus ſubiectis, & vt calor, & frigus exiſtant ſimul in eodem ſubiecto. Ergo etiam facere poteſt, vt eadem natura ſubſiſtat duplici ſubſiſtentia.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia poſito accidente in duobus ſubiectis, aut calore, & frigore in eodem ſubiecto, nulla ſequitur cõtradictio; ſequitur verò contradictio, ſi pona-

mus naturam ſubſiſtere propria, & ſimul aliena ſubſiſtentia, quia ſubſiſteret in ſe ſeparatim ab extranea ſubſiſtentia, & non ſubſiſteret ſeparatim, quod implicat, ſicut implicat idem accidens eſſe ſimul per ſe, & eſſe in alio.

Obijcies tertiò, eſſentia diuina iā terminata perſonalitate Patris, & Filij, terminatur, & ſubſiſtit in perſona Spiritus Sancti; eſſentia enim diuina prius prioritate rationis intelligitur ſubſiſtere ſubſiſtentia Patris, & Filij, quam ſubſiſtentia Spiritus Sancti, cum Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio tanquam à principio originis. Ergo non implicat naturam terminatam propria perſona, terminari etiam aliena.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia nō implicat eandem naturam terminari pluribus ſubſiſtentijs proprijs, cuiuſmodi ſunt tres perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis reſpectu diuinæ naturæ; implicat verò terminari ſimul propria, & aliena ſubſiſtentia. Ratio diſparitatis eſt, quia, dum eadem natura pluribus ſubſiſtentijs proprijs terminatur, plures illæ ſubſiſtentiæ non tribuunt ipſi naturæ cōtradictorium effectum, ſed potius eundem, cum omnes illæ faciant, vt natura ſiſtat in ſe. Si verò natura exiſtens in propria perſona ſimul vniretur alteri perſonæ, illa natura haberet effectus formales contradictorios; ſiſteret enim in ſe ſeorſim ab alieno ſuppoſito, & ſiſteret in ſe non ſeorſim ab alieno ſuppoſito. Hac de cauſa propria perſona naturæ humanę in Chriſto non remanſit, vt Eccleſia definiuit in Concilio Epheſino can. 13. & alibi, Sed ſola perſona verbi.

3 Quæres, Vtrum humanitas terminata propria ſubſiſtentia, poſſit ſubſiſtere, & terminari aliena ſubſiſtentia, ſi ponamus humanitatem eſſe in pluribus locis.

Reſpondeo affirmatiuè, ſi ponamus humanitatē in aliquo loco abſque propria ſubſiſtentia; ibi enim terminari poteſt aliena ſubſiſtentia, quia nulla ſequitur contradictio, ſicut neque ſequitur pro diuerſis temporibus; nam eadem natura pro tēpore, quo propriam habet ſubſiſtentiam, terminari nō poteſt aliena ſubſiſtentia; poteſt verò pro tempore, quo propriam non habet ſubſiſtentiam; ſicut vnum accidens poteſt in vno loco per ſe eſſe, & in alio inhærere, & vna linea in vno loco eſſe recta, & in alio curua, iuxta Suarez d. 14. ſect. 1. ad finem, & alios; quamquam in his exemplis non leuis diſſenſio eſſe ſoleat inter Doctores, dum quęrunt, an idem numero corpus in pluribus locis conſtitui poſſit.

Punctum Quintum.

An accidens aſſumi poſſit.

1 *Accidens immediatè aſſumi poteſt à perſona Diuina.*

2 *Subſiſtentia diuina licet ſit infinitæ perfectionis, non poteſt accidens aſſumere.*

VNICA PROPOSITIO.

1 NVllum accidens immediatè aſſumi poteſt à perſona diuina, conſequenter immediatè coniungi non poteſt cum ſubſiſtētia diuina,

uina, & per ipſam immediatè ſubſiſte re. Ratio eſt, primo, quia ſubſtantia nõ poteſt inhærere alteri per modum accidentis, alioquin eſſet accidens, & non ſubſtantia, cuius proprium, & eſſentiale eſt per ſe ſubſiſtere. Ergo neq; accidens poteſt per ſe ſubſiſtere, cum de eſſentia accidẽtis ſit inhærere, & non per ſe ſubſiſte re ſubſiſtentia ſubſtantiali. Secundò, quia ſubſiſtentia, vel exiſtentia cuiusq; rei debet eſſe illi proportionata; ſubſiſtentia autem diuina non eſt proportionata accidenti, cum nõ ſit ſubſiſtentia accidentalis. Ita S. Thomas de Incarnat. quæſt. 4. art. 8. Valentia diſp. 1. q. 4. pun. 1. Vaſq. d. 30. cap. 5. num. 10. Suarez diſp. 14. ſect. 4. Becanus de Incarnat. cap. 5. q. 5. Tannerus diſp. 1. q. 4. dub. 2. nu. 54. & alij apud Suarez loco citato, & apud Vaſq. loco cit. contra Didacũ Aluarez de Incarnat. quæſt. 4. art. 1. diſput. 22. concluſ. 5. Medinam, & alios apud præfatos Doctores.

Obijcies primo, nulla apparet repugnantia, cur id fieri non poſſit. Deus enim de facto conſeruat accidentia panis, & vini ſine ſubiecto, itaut habeant modum per ſe eſſendi ſimilem ſubſiſtentiæ. Ergo Deus poteſt per ſuam ſubſiſtentiam efficere, vt accidentia ſubſiſtant.

Reſpondeo, repugnare naturę accidentis, vt ſubſiſtat ſubſiſtẽtia ſubſtantiali, vt in propoſitione probatũ fuit; & accidentia ſpecierum Eucha riſtiæ ſeparata à ſubſtantia panis, & vini, licet habere videantur modum eſſendi per ſe; tamen per ſe non exiſtunt, ſed Deus efficienter ſupplet locum ſubiecti, non communicando accidentibus ſuam ſubſiſtentiam.

2 Obijcies ſecundò, ſubſiſtentia diuina eſt infinita, & eminenter con tinet omnem perfectionem ſubiecti. Ergo ſupplere poteſt locum ſubiecti, terminando ipſa accidentia, & efficiendo, vt illa per ſe ſubſiſtant.

Reſpondeo, ſubſiſtentiam diuinam eſſe quidem infinitæ perfectionis, non tamen poſſe formaliter ſupplere, quod naturæ rei aduerſatur; naturæ autem accidentis aduerſatur, vt ſubſiſtat. Poteſt quidem Deus in genere cauſæ efficientis dare exiſtentiam accidenti, quam alioquin accidens non haberet abſque ſubiecto; non tamen efficere poteſt, vt accidens ſubſiſtat ſubſiſtentia diuina, vel etiam creata, cum ſubſiſtẽtia neceſſariò ſit terminus ſubſtantialis.

Obijcies tertiò, Deus de facto facit, vt anima Chriſti ſubſiſtat ſubſiſtentia increata Verbi. Ergo etiam efficere poteſt, vt accidens Chriſti, aut alterius ſubſiſtat eadem ſubſiſtentia.

Reſpondeo, negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia anima Chriſti eſt ſubſtantia; ſubſiſtentia autem eſt terminus ſubſtantiæ; non verò accidentis.

Obijcies quartò, Chriſtus non ſolum aſſumpſit carnem, & animam, verum etiam potentias animæ, vt intellectum, & voluntatem, & alia corporis accidentia. Ergo accidens aſſumi poteſt à Deo.

Reſpondeo, Chriſtum aſſumendo animam, & corpus aſſumpſiſſe accidentia mediatè, non verò immediatè; Chriſtus enim aſſumendo animã, & carnem, non terminauit accidentia, ſed animam, & carnem, quibus accidentia inhærebant. Quamobrẽ

dum

dum Patres, & Concilia aſſerunt Verbum aſſumpſiſſe animam, intellectum, & operationes humanas, intelligendi ſunt de aſſumptione immediata, vel mediata iuxta naturam eiuſque rei. Vide Suarez diſput. 14. ſect. 4. & diſp. 15. ſect. 8. Tannerum loco citato dubio 3. aſſertione 6. num. 116. & alios præcitatos Doctores.

QVÆSTIO QVINTA.

De termino totali, & adæquato incarnationis, qui eſt Chriſtus Dominus; conſtans perſona aſſumente, & natura aſſumpta.

IN hac Quæſtione quattuor principaliter explicabo. Primò, An terminus principalis Incarnationis ſit Chriſtus, conſtans natura diuina, & humana. Secundò, Vtrum in Chriſto poſt Incarnationem remanſerint duæ naturæ, & duæ perſonæ. Tertiò, Vtrum perſona Chriſti ſit compoſita. Quartò, Vtrum perſona Chriſti ſit creata, & conſequenter Chriſtus vocari poſſit creatura.

Punctum Primum.

Vtrum terminus principalis Incarnationis ſit Chriſtus, prout conſtat natura diuina, & humana.

1 *Terminus principalis Incarnationis eſt Chriſtus.*

2 *Perſona Verbi precisè non eſt terminus Incarnationis.*

DE termino vnionis egi Quæſtione præcedente, puncto 2. Hic iterum ex profeſſo explicabo terminum completum, & principalem Incarnationis, ſeu vnionis hypoſtaticę.

VNICA PROPOSITIO.

1 TErminus principalis Incarnationis, proueniens ex vnione, eſt Chriſtus prout eſt perſona diuina ſubſiſtens in duabus naturis, diuina, & humana. Ratio eſt, tum quia lo-

Ioann. 1. dicitur *Verbum caro factum eſt*. Tum quia ille eſt terminus Incarnationis, quem concepit, & peperit Beatiſſima Virgo Maria; ſed Beatiſsima Virgo Maria peperit, & concepit Chriſtum, ideſt perſonam filij Dei, vt ſubſiſtentem in humanitate, vt patet ex verbis Angeli, Lucæ 1. *quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur filius Dei*. Ergo &c. Tum quia ille eſt terminus principalis Incarnationis, qui prouenit, & reſultat ex actione Incarnationis, & ex vnione; ſed ex huiuſmodi actione, & vnione, reſultat Chriſtus, ideſt perſona Verbi ſubſiſtens in duabus naturis, diuina, & humana. Ergo & cæt. Ita Caietanus de Incarnatione, quæſt. 2. art. 1. Suarez diſp. 7. ſect. 3. concl. 3. Tannerus diſp. 1. quæſt. 3. dub. 2. aſſert. 4. num. 59. & alij communiter contra Durandum in 3. diſt. 5. quæſt. 2.

2 Hinc ſequitur primo, perſonam Verbi prçcisè non poſſe dici terminum Incarnationis, cum ipſa perſona Verbi in tempore produci non poſſit; ipſam verò perſonam Verbi, vt exiſtentem in duabus naturis per Incarnationem vnitis, eſſe terminum Incarnationis, hic enim eſt Chriſtus pro vt eſt perſona diuina in duabus naturis ſubſiſtens.

Obijcies cum Durando loco cit., terminus actionis ſubſequitur actionem, non verò præexiſtit actioni; ſed perſona Chriſti prçexiſtit actioni Incarnationis, perſona enim Verbi non accepit eſſe per Incarnationē. Ergo non pōt eſſe terminus Incarnationis.

Reſpondeo perſonam Verbi, vt ſubſiſtentem ſolum in natura diuina, præexiſtere actioni Incarnationis, conſequenter vt ſic non eſſe terminum Incarnationis; vt verò terminat aliam naturā, & cum ea conſtituit hunc hominem, non præexiſtit actioni incarnationis, ſed ſubſequitur, & hoc pacto eſt terminus principalis incarnationis, vt benè Suarez, & Tannerus locis citatis, Becanus cap. 6. quæſt. 2. num. 6. & alij communiter, cum S. Thoma q. 2. art. 2. & 3. dum aſſerunt vnionem Verbi cum natura humana factam fuiſſe in perſona.

Punctum Secundum.

An in Chriſto poſt Incarnationem remanſerint duæ perſonæ, & duæ naturæ, diuina, & humana.

1 *Naturæ duæ remanſerunt in Chriſto poſt Incarnationem.*
2 *Natura diuina per Incarnationem conuerſa non fuit in humanam, neque humana in diuinam, neque facta fuit vna ex duabus.*
3 *Per Incarnationē ex natura diuina, & humana facta non fuit vna ſubſtantia per aggregationem, ſeu per accidens.*
4 *Natura Verbi diuina incarnata fuit.*
5 *Chriſtus per Incarnationem continet vnam perſonam, & duas naturas.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 DVæ naturæ, diuina, & humana, integræ, & inconfuſæ remanſerunt in Chriſto poſt Incarnationem. Ratio eſt primo, quia ita expreſsè definitum eſt in Concilio Calce-

cedonen. action. 5. anno 451. vbi dicitur, *Confitemur in nouiſſimis diebus filium Dei vnigenitum in duabus naturis inconfuſè, immutabiliter, indiuiſè, inſeparabiliter agnoſcendum, nunquam ſublata differentia naturarum propter vnionem.* Idem habetur in Cõcilio Epheſino, & in 5. Synodo act. 1. in ſimbolo Athanaſij, ibi *Vnus omnino, non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ*, & in pluribus alijs Cõcilijs apud Suarez diſp. 7. ſect. 2. concl. 1. apud Bellarminum lib. 3. de Chriſto. Vaſquez de Incarnatione diſp. 14. ca. 2. num. 2. & ſeqq. Tannerum diſp. 1. quæſt. 3. dub. 2. Puteanum quæſt. 2. art. 1. & ita ſuſtinent Patres apud præfatos Doctores. Secundò, quia Chriſtus eſt verus Deus, & verus homo; ſed non eſſet verus Deus, & verus homo, niſi vtraque natura in Chriſto integra, & inconfuſa permanſiſſet. Ergo in Chriſto permanſerunt duæ naturæ, diuina, & humana, integræ, & inconfuſæ.

Maior probatur quoad primam partẽ, quod Chriſtus ſit verus Deus, Iſaiæ 35. *Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos*, Ioann. 1. *In principio erat Verbum.* Ioannis 10. *Ego, & pater vnum ſumus.* Deinde probatur eadẽ minor quoad ſecundam partem, quòd Chriſtus ſit verus homo; Ioannis 1. *Verbum caro factũ eſt.* Ioan. 4. *Omnis ſpiritus qui cõfitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ideſt factum ex carne, ideſt factũ hominem, ex Deo eſt*, & alibi. Tertiò, quia Chriſtus in Euangelio aliquãdo vocat ſe æqualem Patri, aliquando minorem Patre; id autem verificari non poſſet, niſi natura diuinã, & humana ſalua, & integra in Chriſto remãſiſſet. Ita communiter Doctores Catholici contra Eutichetem, Dioſcorum, & Acephalos Hæreticos aſſerentes in Chriſto vnam tantum eſſe naturam.

2 Hinc ſequitur primò, naturam diuinam per Incarnationem conuerſam non fuiſſe in humanam. Tum quia per Incarnationem non remanſiſſet in Chriſto vtraq; natura ſalua, & integra. Tũ quia Chriſtus nõ eſſet verus Deus, cũ Deus incapax ſit omnis mutationis. Tum quia tota Trinitas eſſet homo, cum natura diuina idem ſit cum Sanctiſſima Trinitate.

Secundò, ſequitur naturam humanam per incarnationem conuerſam non fuiſſe in diuinitatem. Tum quia alioquin non remanſiſſet vtraque natura integra. Tum quia Chriſtus non eſſet verus homo. Tum quia Chriſtus paſſus, & mortuus fuiſſet ſecundum diuinitatem; nam ſecundũ illam naturam paſſus fuit, quam per incarnationem retinuit.

Tertiò, ſequitur per Incarnationem factam non fuiſſe vnam naturam ex duabus, ſicut fit ex materia, & forma, ſeu anima, & corpore. Tũ quia Chriſtus ſimpliciter nec eſſet Deus, nec homo, ſicut homo ſimpliciter nec eſt anima, nec corpus; differentia .n. alicui rei addita, & totum in ratione totius conſtituens, variat ſpeciem, ſicut vnitas numerũ, ex Ariſt. 8. Methaph. 10. Tum quia vtraque natura diuina, & humana, ſalua, & integra in Chriſto remanſit. Tum quia natura diuina eſt actus purus immutabilis, & independens. Ergo non poteſt conſtituere vnam naturam cum alia tanquam materia, vel forma.

3 Rogabis, Verum per Incarna-

tio-

tionem, ex natura diuina, & humana dici poſſet factam fuiſſe vnam ſubſtantiam per aggregationem, ſeu per iuxta poſitionē, ſeu per accidens, ſicut ex multis lapidibus per ſolam coniunctionem localem fit aceruus, & ex lapidibus, ac lignis iuxta regulam artis diſpoſitis, fit domus.

Reſpondeo negatiuè, quia licet in compoſitione per aggregationem componentia remaneant integra, tamen ex ipſis non fit vnum per ſe, ac ſimpliciter, ſed per accidens, & ſecundum quid; per incarnationem verò fit vnum ens per ſe, & ſimpliciter. Ita S. Thomas q. 2. art. 1. Suar. ibidem in Commentario, Tannerus diſp. 1. quæſt. 3. dub. 2. num. 34.

Obijcies contra propoſitionem primam, in Concilio Calcedonenſi Action. 1. referuntur hęc verba Cyrilli. *Non oportet intelligere duas naturas, ſed vnam naturam Verbi Dei incarnatam.* Ergo ex ſententia Cyrilli non extant in ſubſiſtētia Verbi duæ naturæ, ſed vna.

4 Reſpondeo primo, ex illis verbis præcisè, & ſecundum ſe ſolum ſpectatis, colligi ſolum diuinam Verbi naturam incarnatam fuiſſe; cum enim per carnem intelligatur natura humana, certum eſt ſolum naturam diuinam dici poſſe incarnatam, ſeu factam carnem, non verò naturam humanam; cum nulla res fieri poſſit id, quod iam re ipſa eſt; nomine tamen naturæ diuinæ hoc in loco intelligitur ipſum Verbum diuinum ex Damaſceno lib. 3. cap. 6. vbi ait, *Cum Verbi naturam dicimus, Verbum ipſum ſignificamus.*

Reſpondeo ſecundo, Cyrillum loqui de natura habēte proprium ſuppoſitum, ſola enim natura diuina retinuit proprium ſuppoſitum, non verò natura humana, quæ vnita fuit ſuppoſito diuino; Cyrillus enim diſputat contra hæreticos diſtinguentes naturas in Chriſto ſecūdum ſuppoſitum, quod tamen eſt falſum.

Reſpondeo tertio, illa priora verba, *Non oportet intelligere duas naturas*, non extare apud Cyrillum, ſed illi affingi, & imponi. Vide Vaſquez diſp. 14. cap. 3. num. 59. & ſeqq. Suarez diſp. 7. ſect. 2. col. 6. & 7. obiect. 3. Tannerum diſp. 1. q. 3. dub. 2. num. 38. Puteanum q. 2. art. 1. num. 1. Becanum cap. 6. quæſt. 1. num. 11.

Obijcies ſecundo, in Chriſto eſt vna tantum perſona. Ergo etiam vna tantum natura; idem enim ſunt natura indiuidua, & perſona.

Reſpondeo negando conſequentiam; aliud enim eſt natura, & aliud perſona, vt patet ex ſupra dictis.

Obijcies tertio, Ioannis 1. dicitur *Verbum caro factum eſt.* Ergo natura Verbi conuerſa eſt in carnem; ſicut enim ex illo Ioannis 2. *Aqua vinum facta*, colligitur aquam conuerſam fuiſſe in vinum, ita etiam cum proportione colligi poteſt ex illo Ioannis 1. cum ex ſimilibus verbis conſimilis ſignificatio deducenda ſit.

Reſpondeo, non ſemper ex illis verbis, in quibus dicitur aliquid factum eſſe aliud, colligi conuerſionem illius rei in aliud; ſed acceſſionem, ſeu acquiſitionem; vt quando Chriſtus dicitur factus annorum duodecim, aut cum quis dicitur factus ſanus, Magiſter, Doctor, Princeps, & cæt. quamuis ergo verba ſimilia ſint, non tamen eſt eadem ſigni-

gni-

Digitized by Google

gnificatio; ſignificatio enim trahenda nō eſt ex ſimilitudine verborum, ſed ex re ipſa, & ex antecedentibus, & conſequentibus.

Obijcies tertio, Patres, vt Athanaſius in ſimbolo, Leo Papa Epiſt. 11. & alij comparant vnionem diuinitatis, & humanitatis cum vnitate corporis,& animæ, *Sicut anima rationalis,& caro vnus eſt homo,ita Deus,& homo vnus eſt Chriſtus*, ſed vnio corporis, & animæ conſtituit vnam naturā. Ergo etiam vnio diuinitatis, & humanitatis conſtituit vnam naturam. Ergo per Incarnationē in Chriſto non remanſerunt duæ naturæ.

Reſpondeo cum S. Thoma quæſt. 2. art. 1. & alijs, duplicem eſſe vnitatem, naturæ, & perſonæ. Athanaſius loquitur de vnitate perſonæ, non de vnitate naturæ. Sicut enim ex anima rationali, & carne conſtituitur vnus homo, quod non eſt nomen naturæ abſtractæ, ſed ſuppoſiti, & perſonæ; ita etiam ex Deo, & homine conſtituitur Chriſtus, ideſt perſona Chriſti exiſtens in natura diuina,& humana; cum natura humana propriam amittat ſubſiſtentiam,& ſubſiſtat ſubſiſtentia Verbi.

Obijcies quartò, *Ita Verbum per Incarnationem factum eſt caro, ſicut panis in Eucharistia fit corpus Chriſti*; ſic .n. loquitur Iuſtin. Martyr in Apol. 2. pro Chriſtianis; ſed panis conuertitur in corpus Chriſti. Ergo etiam Verbum per Incarnationem conuerſum eſt in carnem.

Reſpondeo, negando maiorem propoſitionem; ſimilitudo autem, & comparatio Patrum non procedit in modo mutationis, vel vnionis, ſed in rebus ipſis præſentibus; ſicut enim ſub ſpeciebus panis, & vini eſt vera Caro, & Sanguis Chriſti; ita etiam Verbum Incarnatum veram habet carnem,& Sanguinem. Ita Suarez loco citato ad finem primæ obiectionis, Becanus loco citato num. 9. & alij.

Obijcies quintò, Chriſtus ad Philippen. 2. dicitur *Factus ad ſimilitudinem hominum*. Ergo non eſt verus homo. Ergo in Chriſto non remanſit verè natura humana.

Reſpondeo, Chriſtum dici factum ad ſimilitudinem hominum, quia non habuit imperfectionem hominum, licet haberet eandem eſſentiā; Chriſtus enim non contraxit ignorantiam, morbum,& alias huius generis imperfectiones, quę comitantur, ſeu conſequuntur peccatū. Ideò Chriſtus non dicitur ſimpliciter factus homo, quia non fuit obnoxius peccato, ignorantiæ, morbo, & his ſimilibus; verè tamen fuit,& eſt homo, ſed expers præfatę humanæ imperfectionis, vt alibi tradit idē Apoſtolus, *Voluit per omnia fratribus aſſimilari pro ſimilitudine abſq; peccato.*

Obijcies ſexto, Chriſtus dicitur homo cęleſtis,& de Cœlo; Adam verò homo terrenus,& de terra factus, 1. Corinth. cap. 15. *Primus homo*, inquit, *de terra terrenus, ſecundus homo de cælo caleſtis*. Ergo in Chriſto non reperitur natura humana, alioquin vocari poſſet homo terrenus.

Reſpondeo, Chriſtum vocari cœleſtem primo ratione originis, quia conceptus fuit de Spiritu Sancto, nō per ſeminalem generationem. Secundo, quia cæleſtem habuit viuendi rationem. Tertiò, quia habuit ſubſiſtentiam diuinam; & in hunc ſenſum expli-

explicatur locus ille Ioannis 3. *Nemo aſcendit in cælum, niſi filius hominis, qui deſcendit de cęlo.*

Obijcies ſeptimò, Chriſtus fuit impaſſibilis. Ergo non retinuit naturam humanam, cui competit paſſibilitas.

Reſpondeo primò, Chriſtum fuiſſe paſſibilem; pro nobis enim paſſus, & mortuus eſt.

Reſpondeo ſecundo negando cōſequentiam; quamuis enim Chriſtus paſſibilis non fuiſſet ratione beatitudinis, quam ab inſtanti Cōceptionis habuit; nihilominus hinc non ſequitur ipſum non habuiſſe naturam humanam, cum beati in cœlis naturam humanam non amittant.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 IN Chriſto poſt Incarnationem reperitur vna tantum perſona in duabus naturis ſubſiſtens. Hæc propoſitio eſt de fide, & probari poteſt rationibus allatis à Suarez q. 2. diſp. 7. ſect. 3. concl. 1. à Becano c. 6. q. 2. Vaſquez d. 15. & alijs; primò quia in Symbolo Athanaſij ſic habetur, *Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo, ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus;* ſicut autē nomen, *Homo*, accipitur perſonaliter, ita accipitur nomen, *Chriſtus*. Ergo in Chriſto eſt vna tantum perſona. Secundò, quia dum Epiſcopus conſecratur, interrogari ſolet hoc pacto. Credis Chriſtū in duabus naturis, & ex duabus naturis ſubſiſtentē? Reſpondet, Credo. Profitendo Chriſtum in duabus naturis, deteſtatur errorem Eutichetis negantis duas in Chriſto naturas; profitendo Chriſtum ex duabus naturis, deteſtatur errorem Neſtorij exiſtimantis Chriſtum, id eſt humanam Chriſti naturam ſubſiſtere ex ſola natura humana; putabat .n. naturam humanam per Incarnationem non fuiſſe ſubſtantialiter vnitā Verbo, ſed ſolum accidentaliter per ſingularem quēdam affectum, & peculiaria gratiæ dona; conſequenter Chriſtum ſubſiſtere ſolum in natura humana, & naturam humanam non ſubſiſtere ſubſiſtentia Verbi. Tertiò quia Chriſtus eſt verus Deus, & verus homo; ſed non poſſet dici verus Deus, & verus homo, niſi eſſet vna tantum perſona ſubſiſtens in natura humana, & diuina. Ergo in Chriſto eſt vna tantum perſona. Minor probatur, quia duæ formæ, quæ in abſtracto non prædicantur inter ſe, nō poſſunt etiam in concreto de ſe inuicē prędicari, niſi cōiungātur in eodē ſuppoſito; ſed natura diuina, & humana ſunt duæ naturæ, quæ de ſe inuicem non prędicantur in abſtracto; humanitas enim non eſt diuinitas, vel è contra. Ergo non poſſunt inuicem prædicari in concreto, niſi ſubſiſtant eadē ſubſiſtētia. Ergo Chriſtus non poteſt dici verus Deus, & verus homo, niſi ſit vna tantū perſona ſubſiſtens in natura humana, & diuina.

Hinc ſequitur primo, in Chriſto non eſſe duas perſonas accidentaliter vnitas, iuxta falſam Neſtorij ſententiam, vt patet, tum ex rationibus allatis. Tum quia Deus non diceretur homo, & homo Deus, ſed homo diceretur Deifer, & Deus humanatus; nam duæ ſubſtantiæ accidentaliter vnitæ, non denominant ſe ſubſtantialiter, ſed denominatiuè tantum. Ob id homo nō dicitur veſtis,

ſed

ſed veſtitus; cum ergo Deus dicatur homo, & homo Deus, ſequitur in Chriſto non eſſe duas perſonas accidentaliter vnitas, ſed duas naturas in vno, & eodem ſuppoſito exiſtẽtes.

Secundò ſequitur vnionem Verbi cum natura humana non conſiſtere ſolum in vnione accidentali per conſenſionem voluntatum, aut per inhabitationem filij in Chriſto per eximia dona; nã hinc ſequeretur non ſolum Filium, verum etiam Patrem, & Spiritum Sanctum incarnatos fuiſſe, cum hæc efficiãtur ab omnibus perſonis diuinis per naturam, & voluntatem omnibus communem, vt benè Suarez loco citato.

Tertiò, ſequitur in Chriſto eſſe vnam tantum hypoſtaſim; idẽ enim eſt ſuppoſitum, hypoſtaſis, & perſona, vt ex Concilio Alexandrino tradit Nicephorus lib. 10. Hyſtor. cap. 15. Nazianzenus orat. 21. ſub finẽ, & alij; cum hac tamen differentia, quod perſona eſt ſubſiſtentia naturę rationalis; ſuppoſitum verò, vel hypoſtaſis poteſt eſſe ſubſiſtentia cuiuſlibet naturæ ſubſtantialis.

Obijcies contra dicta in ſecunda propoſitione. In Chriſto ſunt duę naturæ. Ergo etiam duæ ſubſiſtentiæ, ſeu perſonæ, cum ſubſiſtentia ſit modus à natura inſeparabilis.

Reſpondeo negando conſequentiam, vt patet ex dictis in præcedentibus.

Punctum Tertium.

Vtrum perſona Chriſti ſit compoſita.

1 Perſona Chriſti ſecundum ſe præciſè eſt ſimplex, vt verò ſubſiſtit in natura humana eſt compoſita.

2 Perſona Verbi non componit cum eſſentia diuina, componit verò cum natura humana.

3 Compoſitio quid requirat.

VNICA PROPOSITIO.

1 PErſona Chriſti, præcisè, & ſecundum ſe conſiderata, eſt quidem omnino ſimplex, vt ſuppono ex tractatu de Trinitate; perſona .n. Verbi idem eſt cum diuina eſſentia, quæ omnis compoſitionis expers eſt; perſona tamen Chriſti conſiderata vt ſubſiſtens in natura humana, ſeu vt eſt terminus reſultans ex vnione, non eſt ſimplex, ſed compoſita, ſicut ipſa vnio incarnationis eſt vera cõpoſitio. Ratio eſt primo, quia ita definitum eſt in ſynodo 5. canon. 4. vbi dicitur, *Sancta Dei Eccleſia vnitionem ſecundum compoſitionem confitetur, ideſt ſecundum ſubſiſtentiam*, & canone 7. *Chriſtus vocatur compoſitus ex duabus naturis*, & ſynodo 6. action. 4. *Confitemur Chriſtũ ex duabus naturis compoſitum*; Idem conſtat ex pluribus alijs locis apud Doctores proximè citandos, qui etiam in hanc ſententiam referunt plures Patres. Secundò, quia illud non eſt ſimplex, ſed compoſitum, cui aliquid additur; ſed perſonæ Verbi additur aliquid per Incarnationem, nempè natura humana. Ergo perſona Verbi, vt eſt terminus reſultans ex vnione, non eſt ſimplex, ſed compoſita. Tertiò, quia terminus vnionis, ſeu reſultans ex vnione eſt aliquid vnũ; omnis enim vnio dirigitur, & ordinatur ad vnum conſtituendum; ſed huiuſmodi terminus non eſt aliquid vnum ſimplex;

de ratione enim vnionis eſt, vt plura vniantur. Ergo eſt aliquid compoſitum. Quartò, quia compoſitum dicitur illud, quod conſtat ex multis rebus; ſed Chriſtus, ſeu perſona Chriſti, vt ſubſitens in humana natura, conſtat ex multis rebus, proximè quidē, & immediatè ex humanitate, & ſubſiſtentia Verbi, mediatè verò, & conſecutiuè ex natura diuina, & humana, quæ ſunt realiter diſtincta inter ſe. Ergo Chriſtus, ſeu perſona Chiſti, vt ſubſiſtēs in natura humana eſt compoſita. Ita S. Thom. de Incarnat. qu. 2. art. 4. Suarez d. 6. ſect. 4. Valentia tom. 4. diſp. 1. quæſt. 2. pun. 4. Puteanus quæſt. 2. art. 4. Becanus cap. 6. q. 3. Tannerus diſp. 1. quæſt. 3. dub. 3. num. 63. Vaſquez de Incarnat. diſp. 16. cap. 2. 3. & ſeqq. contra Scotū in 3. diſt. 6. & alios apud Vaſquez diſp. 16. c. 1. num. 1. & apud alios præcit. Doctores.

Obijcies primo, S. Thomas 1. par. quæſt. 3. art. 8. expreſſe docet Deum non poſſe venire in compoſitionem alterius; ſed Chriſtus eſt Deus. Ergo non poteſt venire in compoſitionem. Ergo non eſt aliquid compoſitum.

Reſpondeo S. Thomam docere, Deum non poſſe venire in compoſitionem per modum materiæ, & formæ, ſeu per modum principij formalis, vel materialis; poſſe verò venire in compoſitionem ex natura, & ſuppoſito.

2 Obijcies ſecundo, Perſona Verbi non componit cum natura, & eſſentia diuina. Ergo neque componit cum natura humana.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia cōpoſitum conſtare debet partibus realiter, aut formaliter diſtinctis; cum autem perſona Verbi ſit idem prorſus cum eſſentia, ſeu natura diuina, ſequitur ex perſona Verbi, & natura diuina non conſtitui compoſitum; conſtitui verò ex perſona diuina, & natura humana; cum hæc inter ſe realiter diſtinguantur, & ſimul vniantur per Incarnationem.

3 Obijcies tertio, ad compoſitionē requiritur primo, vt conſtet partibus cōponētibus. Secūdò, vt ſingulæ partes ſint minus perfectæ, quā totū compoſitum; compoſitum enim continet perfectionem omniū partium, quarum vna non eſt alia; hæc autem non reperiuntur in vnione, ſeu in perſona Verbi, vt eſt terminus reſultans ex vnione; perſona enim Verbi non eſt aliquid minus perfectum, quam totum compoſitum conſtans ex perſonalitate diuina, & natura humana. Præterea Verbum non poteſt dici pars, nam partes mutuo ſe perficiunt, & ex ſua natura diriguntur ad conſtituendum totum; Verbum autem, ſeu perſona diuina non poteſt perfectionem recipere à natura humana, cum ſit infinitè, & eſſentialiter perfectum; neque ex natura ſua dirigitur ad conſtituendum aliud totum, ſeu ad componendum. Ergo &c.

Reſpondeo negando ad compoſitum ſimpliciter, & in genere requiri, vt conſtet partibus, ſed ſufficit, vt conſtet rebus diſtinctis, etiamſi rationem partium non habeāt; quamuis enim compoſitum vt plurimum, conſtet partibus, quarum ſingulæ ſunt minus perfectæ, & ſe mutuò perficiunt;

Digitized by Google

ficiunt; id tamen non eſt verum in omni compoſitione, nec eſt de eſſentia compoſitionis; compoſitio enim eſſentialiter,& ex natura ſua nihil eſt aliud quã vnio, ſeu cõiunctio pluriũ, ex quibus conſtituitur aliud vnum; Chriſtus igitur eſt compoſitum ex natura humana, & perſona diuina, tanquam ex rebus diuerſis, non tanquam ex partibus; nomen enim partis accomodati non poteſt perſonæ diuinæ, ſeu Verbo, cum Verbum ſit infinitę perfectionis,nec ſit minus perfectum, quam totum compoſitum; infinita enim perfectio eſt illa, qua maior dari non poteſt. Ita communiter interpretes S.Thomę quæſt. 2. art. 4.

Ex dictis ſequitur perſonam Chriſti, vt terminantem, & ſuſtentantem naturam humanam, eſſe compoſitam; ipſa enim perſona, vt ſubſiſtens preciſè cum natura diuina, eſt extremum cõponens; vt ſubſiſtens verò in natura diuina, & humana, eſt terminus reſultans ex vnione, & eſt ipſummet compoſitum. Neque tamen hinc ſequitur eſſe duplicẽ perſonam, vnam ſimplicem componentem,alteram compoſitam. Reſpondetur enim eſſe vnam tantum perſonam, quæ dupliciter conſiderari poteſt; ſi ſpectetur præcisè, vt eſt perſona Verbi, eſt perſona ſimplex; ſi conſideretur vt terminans, & ſuſtentans alienam naturam, eſt perſona compoſita.

Dices hinc colligi poſſet hoc ſophiſma. Hoc compoſitum eſt perſona; ſed hoc compoſitum eſt aliquo modo diſtinctum à Verbo,ſeu perſona componente. Ergo eſt diſtincta perſona.

Reſpondeo falſam eſſe conſequẽtiam,quia variatur ſignificatio; compoſitum enim in minori propoſitione accipitur pro natura, & ſic diſtinguitur à Verbo; in concluſione verò accipitur pro perſona, & ſic non eſt diſtincta perſona, cum eadem ſit perſona naturæ diuinæ, & humanę. Ita Becanus cap. 6. quęſt. 3. num. 7. Tannerus loc. cit. num. 73. & alij.

Punctum Quartum.

Vtrum perſona Chriſti ſit creata, & conſequenter Chriſtus vocari poſſit creatura.

1 *Creationis nomen quot modis accipiatur.*

2 *Perſona Chriſti preciſè non eſt creata, nec creatura.*

3 *Perſona diuina, vt ſubſiſtens in natura humana lato nomine vocatur creatura.*

4 *Chriſtus cur potius dicatur creatus, quam increatus.*

1 PRo ſolutione præmittendum eſt primo, nomen creationis dupliciter accipi poſſe,primo ſtrictè, & propriè, quatenus eſt productio alicuius rei ex nihilo. Secundò, magis latè, & quaſi impropriè, quatenus ſignificat effectionẽ alicuius rei in tempore; ita Vaſquez diſp. 65. n. 11. & alij DD. proximè citandi.

Pręmittendũ eſt ſecundo,Chriſtũ dupliciter conſiderari poſſe. Primò, vt eſt perſona diuina ſubſiſtens in natura diuina. Secundò, vt eſt perſona ſubſiſtens in natura humana,&

Digitized by Google

diuina, ſeu quatenus eſt terminus reſultans ex vnione. Prius loquar de Chriſto accepto primo modo, deinde ſecundo modo.

PRIMA PROPOSITIO.

2. PErſona Chriſti præciſè non eſt creata, nec vocari poteſt creatura, ſiue nomen creationis accipiatur ſtrictè, ſiuè latè. Ratio eſt; tum quia perſona Chriſti non eſt producta ex nihilo, aut in tempore; tum quia omnis creatura aliquando non fuit; ſed Chriſtus ſemper fuit. Ergo non eſt creatura. Tum quia de fide eſt, Verbum non eſſe creaturam, vt patet ex ſimbolo Athanaſij, *Filius à patre ſolo eſt, non factus, nec creatus*; ſed perſona Chriſti ſubſiſtens in natura diuina eſt Verbum. Ergo perſona Chriſti non eſt creatura. Ita Magiſter in 3. diſt. 11. S. Thomas, Durandus, & alij ibidem, Suarez diſp. 7. q. 7. ſect. 5. & quæſt. 16. in comment. art. 8. Becanus cap. 6. quæſt. 4. Peſantius quæſt. 16. diſp. vnica. Puteanus quæſt. 16. art. 8.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 CHriſtus, ſeu perſona diuina, vt ſubſiſtens in natura humana, ſeu vt terminus reſultans ex vnione, licet non ſit creatura ſtrictè loquendo, cum non acceperit eſſe ex nihilo; latè tamen loquendo vocatur creatura, ſi nomine creaturæ intelligatur aliquid productum in tempore. Ratio eſt primo, quia Chriſtus factus eſt in tempore, cum antea nō eſſet; humanitas enim producta fuit in tempore, & vnita Verbo per veram actionem incarnationis. Ergo Chriſtus ſecundum humanitatē eſt creatura. Secūdò, proprietates creaturæ prædicantur de Chriſto; Chriſtus enim dicitur mutabilis, & paſſibilis. Ergo Chriſtus dici poteſt creatura. Tertiò, quia Patres ipſi Chriſto nomen creaturæ adſcribunt, Auguſt. in Henchirid. c. 38. *Illam creaturam, quam Virgo concepit*; Leo Papa ſerm. 3. Pentecoſtes, *ſi homo ad imaginem Dei factus legem Dei ſeruaſſet, creator hominum creatura non fieret*. Nazianzenus orat. 34. *O nouam miſtionem, & admirandam temperationem, qui eſt, fit, & qui non eſt creatus, creatur*. Ita S. Thomas q. 16. art. 8. Suarez ibidem, Vaſq. diſp. 65. cap. 2. num. 4. & ſeqq. & diſp. 66. cap. 2. num. 5. Becanus cap. 7. q. 2. num. 19. Tannerus d. 1. q. 6. dub. 2. num. 67.

Obijcies primò, Sanctus Baſilius lib. 1. contra Eunomium, S. Ambroſ. lib. 1. de fide cap. 6. & alij ſimpliciter negant Chriſtum eſſe creaturam. Ergo non poteſt dici creatura.

Reſpondeo, non eſſe creaturam ſecundum diuinitatem, vt aſſerebant Arriani, contra quos Patres loquuntur.

Obijcies ſecundò, Verbum, ſeu Filius Dei non poteſt dici creatura. Ergo Chriſtus, ſeu perſona Chriſti non poteſt dici creatura.

Reſpondeo, Verbum, ſeu filium Dei non poſſe dici creaturam, quia hæc nomina accipiuntur pro perſona, vt præexiſtit vnioni, quæ eſt perſona increata, & non producta in tēpore, vt dictum eſt in prima propoſitione; poſſet tamen Verbum alio ſenſu vocari creatura, quatenus factus eſt homo, ſeu naturam humanam aſ-

ſump-

ſumpſit, iuxta illud Ioannis 1. *Verbum caro factum eſt.*

Obijcies tertio, creatura aliquando nõ fuit; ſed Chriſtus ſemper fuit. Ergo non eſt creatura.

Reſpondeo, creaturam aliquando non fuiſſe iuxta id, quo eſt creatura, & quia Chriſtus aliquando non fuit terminus vnionis, ſicut modo eſt, propterea vocatur creatura.

4 Quæres, cur Chriſtus potius dicatur creatus, quam increatus, cũ non minus conſtet ſubſiſtentia diuina increata, quam natura creata, quibus Chriſtus conſtituitur.

Reſpondeo cum Suarez loco citato verſ. dices, & alijs, compoſitum non denominari à partibus ſecundũ ſe conſideratis, ſed vt vnitis, ſeu ex vnione partium; iſta autem vnio, ſeu vnitio partium eſt aliquid creatum, ſeu factum in tempore.

QVÆSTIO SEXTA:

De communicatione Idiomatum, ideſt proprietatum, ſeu attributorum conſequentium vnionem hypoſtaticam.

IN hac Quæſtione explicabo primò in quonam conſiſtat communicatio Idiomatum, & quænam regulæ in ea ſeruandæ ſint. Secundo, Vtrum prędicata diuinæ eſſentiæ prædicari poſſint de natura humana. Tertio, Vtrum humanitas Chriſti per communicationem idiomatum dici poſſit eſſe vbique.

Punctum Primum:

In quonam conſiſtat communicatio Idiomatum, & quænam regulæ in ea ſeruandæ ſint.

1 *Communicatio Idiomatum in hoc conſiſtit, vt prædicata alterius natura dicantur de eadem perſona.*

2 *Prædicata naturæ diuinæ, vel humanæ poſt Incarnationem prædicari poſſunt de perſona Verbi in concreto.*

3 *Homo prædicatur vniuocè de Chriſto, & de nobis.*

4 *Deus propriè loquẽdo dicitur factus homo.*

5 *Quænam differentia ſit inter has pro-*

propoſitiones, Deus eſt homo, Ieſus eſt homo, Chriſtus eſt homo.

7 *Prædicata quæ requirunt perſonam creatam, & excludunt diuinam, non poſſunt prædicari de perſona Chriſti.*

7 *Prædicata quæ conueniunt Chriſto, vt ſubſiſtenti in vtraque natura, non poſſunt de ipſo prædicari, vt ſubſiſtenti in vna tantum natura.*

VNICA PROPOSITIO.

1 Communicatio Idiomatũ in hoc conſiſtit, vt prædicata, ſeu nomina, vel attributa vnius naturæ, diuinæ ſcilicet, vel humanæ prędicentur de eadem perſona Verbi. Ratio eſt, quia cum per vnionem hypoſtaticã natura humana vniatur perſonæ Verbi, quæ idem eſt cum natura diuina, ſequitur, vt duæ naturæ, diuina, & humana, dicantur, & ſint vnitæ in eadem perſona, & per ipſam ſubſiſtant, & conſequenter vt duæ naturæ, & ipſarum prædicata, & attributa prædicentur de eadem perſona.

Ex quo patet falſam eſſe hæreticorum ſententiam aſſerentium communicationem Idiomatum conſiſtere in communicatione diuinarum perfectionum naturę humanæ facta; putant enim humanæ naturæ communicatam fuiſſe non ſolum ſubſiſtentiam diuinam, ſed etiam omnes alias diuinas perfectiones, quod tamen falſum eſſe oſtendam puncto ſequenti. Vt autem ſciatur, quandonã prædicata vnius naturæ prædicari poſſint de perſona Verbi, in ſequentibus regulis explicabo cum S. Thoma q. 16. art. 1. Suarez diſp. 35. ſec. 1. & ſeqq. Vaſquez diſp. 62. & ſeqq. Tannero d. 1. q. 6. dub. 2. Becano c. 7. q. 1. & 2. Puteano quæſt. 16. art. 1. dub. 1.

2 Prima Regula, Prædicata, ſeu nomina, proprietates, & attributa propria naturæ diuinæ, vel humanæ poſſunt poſt Incarnationem prędicari de perſona Verbi in concreto. Ratio eſt quia prædicata cuiuſlibet naturæ in concreto, verè, ac propriè dici poſſunt de perſona ſuſtentante talem naturam; cum enim in eadem perſona vniantur, prædicari etiam debent de eadem perſona, ſeu ſuppoſito; ſed vi Incarnationis eadẽ perſona ſubſiſtit in natura diuina, & humana. Ergo prædicata naturæ diuinæ, & humanæ dici poſſunt de eadẽ perſona in concreto, ſeu etiam de ſe inuicem in concreto, quatenus terminus concretus ſupponit pro ſubiecto, vel ſuppoſito habente formam. Confirmatur à ſimili in formis accidentalibus; nam duæ formæ accidentales exiſtentes in eodem ſuppoſito, poſſunt de ſe inuicem in concreto, aut de eodem ſuppoſito in concreto prædicari, vt album eſt calidum, calidum eſt dulce, dulce eſt nigrum, & ſimilia.

Hinc ſequitur has propoſitiones veras eſſe, perſona Verbi eſt Deus, & perſona Verbi eſt homo, Verbum eſt Deus, & Verbum eſt homo, homo eſt Deus, & Deus eſt homo, Filius Dei eſt Deus, & Filius Dei eſt homo, Ieſus eſt Deus, & Ieſus eſt homo, ſeu Chriſtus eſt Deus, & Chriſtus eſt homo, immortalis eſt mortuus, & mortuus eſt immortalis, impaſſibilis factus eſt paſſibilis, & paſſibilis eſt impaſſibilis, Chriſtus eſt æternus, infinitus, immortalis,

Chri-

Chriſtus eſt temporalis, finitus, & mortalis; hæc enim verificantur ſecundum diuinam, vel humanam naturam, & de Chriſto ratione diuerſarum naturarum in eadem perſona ſubſiſtentium; & ſicut de Chriſto dicitur, quod ſit æqualis Patri, videlicet ſecundum diuinitatem, & minor Patre, videlicet ſecũdũ humanitatẽ; ita ẽt de eodem Chriſto dici poteſt, quod ſit immortalis ratione diuinitatis, & mortalis ratione humanitatis, & ſic de cæteris.

Dixi, in concreto, vt innuerem prædicata, ſeu nomina, vel attributa vnius naturæ in abſtracto ſumpta non poſſe verè, & propriè prædicari de eadem perſona, niſi fortè identicè, aut de altera natura in abſtracto, vel in concreto. Ratio eſt. Tum quia ſunt duæ naturæ. Ergo vna non eſt altera. Tum quia prædicata diuina non conueniunt in abſtracto naturæ humanæ, & prædicata humana non conueniunt naturæ diuinæ in abſtracto, cum ſint omninò diuerſa, & infinitè diſtent. Ergo non poſſunt ad inuicem prædicari.

Hinc patet falſas eſſe iſtas propoſitiones, diuinitas eſt paſſibilis, humanitas eſt diuinitas, diuinitas eſt infirma, humanitas eſt omnipotens. Vide Suarez loco citato ſect. 2. Puteanum, & alios præcitatos Doct.

Idem dico primo de hac propoſitione, Deitas eſt paſſa; hęc enim propoſitio eſt falſa, niſi accipiatur identicè pro eo, quod eſt idem cum ſuppoſito diuino, aut niſi aliquid addatur, vt ſi dicatur diuinitas ſecundum carnem paſſa eſt, vt loquitur Fulgentius Epiſt. 2. ad Fulgentium.

Idem dico ſecundò de hac propoſitione, Deitas eſt incarnata, vel aſſumpſit humanitatem; ſi enim accipiatur diuinitas abſolutè, & formaliter, vt dicit naturam diuinam, propoſitio eſt falſa. Tũ quia natura diuina non poteſt alienam naturam aſſumere, & terminare. Tum quia ſequeretur tam Patrem, & Spiritum Sanctum incarnatos fuiſſe, quam Filium, quia diuinitas eſt communis omnibus perſonis Sanctiſſimę Trinitatis. Secus ſi diuinitas identicè accipiatur pro ſuppoſito diuinæ naturæ, ſeu ſi aliquid addatur reſtringens ipſam diuinitatem ad perſonã Verbi, vt ſi dicatur, diuinitas in filio incarnata eſt, cum hac tacita adiectione intelligẽdi ſunt S. Bernardus, S. Thomas, & alij, dum hanc propoſitionem ſine diſtinctione admittere videntur. Vide Suarez diſp. 7. ſect. 2. ad finem, & diſp. 30. ſect. 2. col. 3. Vaſq. diſp. 14. c. 4. n. 63. & 64.

Dices, hæc propoſitio eſt vera, Vita mortua fuit, iuxta id quod ab Eccleſia canitur, *Mors mortua tunc eſt in ligno, quando mortua vita fuit.* Ergo etiam iſta propoſitio eſt vera, Deitas mortua eſt, aut incarnata, aut humanata &c.

Reſpõdeo negando cõſequentiã. Ratio diſparitatis eſt, quia illa propoſitio, vita mortua fuit, accipitur methaphoricè pro ipſo Verbo, ſeu Deo, quod Vita nuncupatur.

Idem dico tertio, qñ prædicata enuntiãtur reduplicatiuè; hæc enim non poſſunt de Chriſto prędicari. Ratio eſt, quia reduplicatio reduplicat formam, ſeu naturam ſubiecti, & aſſignat rationem, ſecundum quam prædicatum conuenit ſubiecto; ſicut ergo prædicata diuina non conueniũt

in abſtracto naturæ humanæ, & prædicata humana non conueniunt naturæ diuinæ in abſtracto, vt dictum eſt; ita neque poſſunt reduplicatiuè accepta prędicari ad inuicem, ſeu de Chriſto, ſeu de perſona Chriſti, vt bene Suarez ſect. 2. ad finem, Tannerus loco citato n. 72. & alij.

Ex quo patet has propoſitiones falſas eſſe, Chriſtus vt homo eſt omnipotens, Chriſtus vt Deus eſt paſſus, homo vt homo eſt Deus, Deus vt Deus eſt homo; verificantur verò, ſi accipiantur ſimpliciter, & ſine reduplicatione; Chriſtus eſt omnipotens, Chriſtus eſt paſſus, homo eſt Deus, & Deus eſt homo.

Quæres primo, Vtrum prædicatum, homo, dicatur vniuocè de Chriſto, ſeu de Verbo diuino incarnato, & de nobis.

Reſpondeo dici vniuocè. Ratio eſt primò, quia illa dicuntur vniuoca, quorum eſt idem nomen, & eadē ratio formalis ſignificata per nomē; ſed ratio formalis ſignificata per nomen, homo, eſt humanitas, quæ eſt eiuſdem rationis, & eſſentiæ in Chriſto, & in nobis. Ergo nomen, homo, eſt vniuocum in Chriſto, & in nobis, & vniuocè de Chriſto, & de nobis prædicatur. Secūdò, quia Chriſtus eſt perfectus homo, vt patet ex Symbolo Athanaſij, vbi vocatur, *Perfectus Deus, perfectus homo*. Præterea eſt nobis conſubſtantialis, vt patet ex Synodo 6. vbi Chriſtus vocatur, *Conſubſtantialis Patri ſecundum diuinitatem, & conſubſtantialis nobis ſecundum humanitatem*. Ergo eadem perfectio, & ſubſtantia, ſeu eſſentia humanitatis eſt in Chriſto, & in nobis. Ergo nomen, homo, eſt prædicatum vniuocum reſpectu Chriſti, & noſtri. Tertiò quia alioquin ſequeretur Chriſtum non eſſe verè, & propriè filium Beatiſſimæ Virginis; nā de ratione filij eſt, vt habeat eādem ſpecie eſſentiam cum eo, cuius eſt filius. Ita Suarez q. 16. in comment. art. 1. dub. 2. Tanner. d. 1. q. 6. dub. 2. num. 83. Becanus cap. 7. q. 2. nu. 5. & alij Theologi communiter cum S. Thoma de Incarnat. q. 16. art. 1. cōtra Durandum in 3. diſt. 4. q. 2. Scotum diſt. 7. q. 1. & alios.

Obijcies primò, homo prædicatur de Deo denominatiuè, de nobis intrinſecè, & eſſentialiter. Ergo non eſt vniuocum reſpectu Dei, & noſtri.

Reſpondeo, hominem prædicari vniuocè, ſubſtantialiter, & eſſentialiter de Chriſto, ſeu de Deo, quatenus Deus eſt ſuppoſitum ſubſiſtens in natura humana.

Obijcies ſecundo, homo, non tantum ſignificat naturam, ſed etiam ſuppoſitum; ſed Chriſtus, & alij homines non conueniunt vniuocè in ratione ſuppoſiti, ſeu perſonæ; Chriſtus enim includit perſonam diuinā, & infinitam, alij homines humanā, & finitā. Ergo Chriſtus, & alij homines non conueniunt vniuocè in ratione hominis.

Reſpondeo, hominem, quando eſt ſubiectum propoſitionis, ſupponere pro ſuppoſito; quando verò eſt prædicatum, ſupponere pro natura humana, quæ cum ſit eiuſdem rationis in Chriſto, & in nobis, ſequitur vt vniuocè prædicetur de Chriſto, & de nobis; in prędicationibus igitur vniuocis non eſt habenda ratio ſuppoſi-

poſi-

poſiti; ſed naturæ, quæ prædicatur, alioquin albedo non poſſet vniuocè prædicari de pariete, de equo, & Petro homine, quod eſt falſum, quãuis enim aliud ſit ſuppoſitum, imò etiam alia natura parietis, equi, & Petri, quia tamen eſt eadem ratio albedinis in omnibus, ideo albedo de his omnibus vniuocè prędicatur, non habita ratione diuerſitatis ſuppoſiti.

4 Quæres ſecundo, Vtrum iſta propoſitio ſit vera, & propria, Deus factus eſt homo.

Reſpondeo eſſe verã, & propriam, primo, quia ſcriptura ſic loquitur Ioann. 1. *Verbum caro factum eſt*, & in ſimbolo Niceno, *Et homo factus eſt*; non eſt autem dicendum ſcripturam impropriè loqui, niſi aſſignari poſſit ratio improprię locutionis, quæ hic aſſignari non poteſt, cum Deus, qui antea ſimpliciter ſubſiſtebat in natura diuina; & non erat homo, modo ſubſiſtat etiam in natura humana, & ſit homo, & conſequenter prędicata vtriuſque naturæ de ipſo prędicari poſſint in concreto.

Ex quo licet etiam inferre, hanc propoſitionem veram eſſe, Deus factus eſt hic homo. Ratio eſt, tum quia Deus factus eſt homo; ſed non eſt factus homo in communi. Ergo factus eſt hic homo. Tum quia factus eſt filius Beatiſſimæ Virginis; ſed filius Beatiſſimæ Virginis nõ eſt alius, quam hic homo. Ergo factus eſt hic homo. Vide S. Thomam quæſt. 16. art. 6. Suarez in comment. eiuſdem articuli, Vaſquez diſp. 64. cap. 3. & alios præcitatos Doctores.

Obijcies primo, hic homo deſignat hoc ſuppoſitum; ſed Deus non eſt factus hoc ſuppoſitum, cum per incarnationẽ non acquſierit nouum ſuppoſitum, ſed retinuerit diuinum. Ergo non eſt factus hic homo.

Reſpondeo, hic homo, quando eſt prędicatum propoſitionis, non ſignificare hoc ſuppoſitum, ſed hanc humanitatem ſubſiſtentem; ſenſus igitur iſtius propoſitionis, Deus factus eſt hic homo, hic eſt, Deus aſſumpſit humanitatem ſubſiſtentem, aut factum eſt; vt Deus ſubſiſtat in hac humanitate.

Obijcies ſecundo, ſi iſta propoſitio, Deus factus eſt homo, eſſet vera, & propria, ſequeretur admittendam eſſe aliquam mutationem in Deo; ſicut enim hæc propoſitio, lignum factum eſt calidum, ſignificat lignum mutatum fuiſſe, ita etiam ſignificaretur Chriſtum mutatum eſſe, ſi illa propoſitio in propria ſignificatione acciperetur; ſed falſum eſt Deum per incarnationem mutatum fuiſſe. Ergo etiã falſum videtur hanc propoſitionem eſſe veram, & propriam, Deus factus eſt homo.

Reſpondeo, ex hoc argumento colligendam eſſe aliquam mutationem in aliquo extremorum, non quidem in Deo, cum incapax ſit cuiuſlibet mutationis, ſed in humanitate per vnionem hypoſtaticam in ipſa receptam, vt dictum eſt quæſt. 2.

Dices, prædicata vnius naturę in concreto prædicantur de alia in concreto, ſeu de perſona in vtraque natura ſubſiſtente; ſed de natura humana, ſeu de homine prædicatur mutatio; homo enim dicitur mutatus per incarnationem. Ergo etiam prędicari poteſt de natura diuina in concreto, idest de Deo, ſeu de perſona Verbi.

Re-

Reſpondeo ad maiorem propoſitionem, illa ſolum prædicata, ſeu nomina vnius naturæ dici de alia, ſeu de perſona in concreto, quæ ſupponunt vnionem naturæ humanæ cum perſona Verbi; iſta autem mutatio ordine naturæ eſt prior vnione, nam eſt actio, per quam fit vnio, conſequenter nō poteſt prædicari de Deo. Ita Becannus cap. 6. quæſt. 2. num. 13. & alij.

Dices, Deus dicebatur comedere, ambulare, & ſimiles actiones facere, quæ ſignificant mutationem. Ergo dici etiam poteſt mutatus per Incarnationem.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia ambulatio, & comeſtio ſupponunt vnionem naturæ humanæ cum Verbo; conſequenter per cōmunicationem Idiomatum prædicari poſſunt de Verbo, ſeu Deo; mutatio verò, per quam facta eſt vnio, non ſupponit vnionem, ſed præcedit vnionem.

Inſtabis contra iſtā reſpōſionem, Deus dicitur genitus ex Beatiſſima Virgine Maria per communicationem Idiomatum, & tamen generatio præcedit vnionem ad Verbum; natura .n. humana prius facta fuit, quam vnita Verbo. Ergo etiam Deus dici poteſt mutatus per incarnationem, licet mutatio præcedat vnionem cum Verbo.

Reſpondeo negando conſequentiam, Ratio diſparitatis eſt primo, quia generatio denominat terminū, qui eſt ipſum ſuppoſitum, non verò denominat ſubiectum, quod eſt humanitas. Secundò, quia iſta generatio nihil eſt aliud, quam vnio formę cum materia; vnio autem formæ cum materia ſupponit vnionem ipſarum partium ad Verbum; partes enim naturæ humanæ prius aſſumptæ fuerunt à Verbo, quam vnitæ fuerint inter ſe, vt docui q. 4. pun. 2.

Obijcies tertio, iſta propoſitio non eſt vera, Homo factus eſt Deus. Ergo neq; iſta eſt vera, Deus factus eſt homo; par enim ratio videtur.

Reſpondeo negādo conſequentiā. Ratio diſparitatis eſt, quia variatur ſuppoſitio; homo enim quādo eſt ſubiectum propoſitionis ſupponit pro ſuppoſito humano, ſeu perſona naturæ humanæ; quando verò eſt prædicatum, ſupponit pro natura humana; nulla autem perſona naturæ humanæ facta eſt Deus.

Ex quo patet primo, hanc propoſitionem, homo genitus eſt Deus, non eſſe veram, ſi ſermo ſit de homine genito in tempore. Secus ſi ſermo ſit de æterna generatione Verbi; tūc .n. homo non ſupponit pro perſona humana; & ſenſus illius propoſitionis eſt. Hic homo, ideſt perſona ſubſiſtens in hac humanitate, genitus eſt Deus per æternam generationem, vt benè Becanus cap. 7. quæſt. 2. num. 16. Suarez quæſt. 16. in comment. art. 7. & alij.

Secundò, patet non poſſe ritè per ſimplicem cōuerſionem fieri hoc argumentum. Deus factus eſt homo. Ergo homo factus eſt Deus. Ratio eſt, quia variatur ſuppoſitio; & licet Patres aliquando dicant, Deum factum hominem, & hominem Deum, vt Damaſcenus lib. 3. cap. 11. *Verbum caro factum eſt, & caro Verbum, Deus homo, & homo Deus*, tamen non ſunt propriè, & ſtrictè intelligendi; ſed hoc pacto, Deus factus eſt homo,

&

Digitized by Google

& is, qui factus eſt homo, eſt Deus; vt patet à ſimili in hac propoſitione, hic homo factus eſt Medicus, Princeps, vel Imperator, Ergo is, qui factus eſt Medicus, Princeps, vel Imperator, eſt hic homo; non verò ſic, Medicus, Princeps, vel Imperator factus eſt hic homo, vt benè Becan. loco cit. contra Aluar. q. 16. art. 2.

Tertiò, patet hanc propoſitionem, homo factus eſt Deus, non eſſe veram, non ſolum ſi ponamus humanitatem à Deo aſſumptam extitiſſe in proprio ſuppoſito, vel in alio ſuppoſito creato; nullum enim ſuppoſitum creatum factum eſt Deus, ſed ſuppoſitum deſijt per vnionem hypoſtaticam naturæ humanæ cū perſona diuina. Verum etiam ſi ponamus humanitatem extitiſſe in alio ſuppoſito diuinò vt in perſona Patris, vel Spiritus Sancti; tunc enim non poſſet dici, homo factus Deus, quia antea verè fuiſſet Deus; ſuppoſitum enim diuinum per ſe ex natura ſua eſt Deus.

5 Quæres tertio, Vtrum iſtæ propoſitiones inter ſe differant, Deus eſt homo, Ieſus eſt homo, Chriſtus eſt homo.

Reſpondeo non differre ex parte prædicati, cum ſit idem prædicatum in omnibus; differre verò ex parte ſubiecti; quāuis enim ſubiectum ſit eadem perſona, non tamen eodem modo enunciatur, nec ſignificatur, nā in hac propoſitione, Deus eſt homo, indicatur perſona Verbi, vt eſt perſona diuinæ naturę, & eſt propoſitio libera, & contingēs, quia cōtingens eſt Deū, ſeu perſonā diuinæ naturæ eſſe hominem: In hac propoſitione, Ieſus eſt homo, ſignificatur perſona Verbi, vt eſt perſona naturæ humanæ præcisè, & eſt propoſitiò neceſſaria, quia perſona humanæ naturæ non poteſt non eſſe homo. In hac propoſitione, Chriſtus eſt homo, ſignificatur perſona vt ſubſiſtēs in vtraque natura, & hæc propoſitio eſt neceſſaria, quia neceſſe eſt perſonam humanæ, & diuinæ naturæ, eſſe Deum, & hominem. Vide S. Thomam q. 16. art. 1. Becanum c. 7. q. 2. num. 2. & ſeqq. & alios Doctores citatos.

Et hæc circa primam regulam. Circa quam aduertendum eſt, quod licet prædicata vtriuſq; naturæ affirmari poſſint de eadem perſona, abſtinendum tamen eſt ab huiuſmodi locutione, quoties periculum eſt, vt videamur conſentire errori eorum, qui illis prædicatis, ſeu propoſitionibus vſi ſunt ad malum; niſi fortè addantur verba, quibus tollatur periculum ſcandali, ſeu abuſus, ideo vitanda eſt illa propoſitio, Chriſtus eſt minor Patre, qua Arriani abuſi ſunt, niſi fortè addatur reſtrictio, ſecundum humanam naturam. Ita S. Thomas quæſt. 16. art. 8. & ſeqq.

6 Secunda Regula eſt; Illa prædicata, quæ requirunt perſonā creatam, & excludunt diuinam, non poſſunt prædicari de perſona Chriſti. Ratio eſt, quia in Chriſto non eſt ſuppoſitum creatum. Ergo neceſſe eſt, vt prædicationes, ſeu affirmationes requirentes ſuppoſitum creatū, aut excludentes diuinum, affirmari non poſſit de Chriſto. Ita Suarez d. 35. ſect. 4. concluſ. 4.

Hinc ſequitur, has propoſitiones falſas eſſe, Chriſtus eſt purus homo, Chriſtus eſt peccabilis, Chriſtus eſt filius

filius adoptiuus, Chriſtus eſt alius à Deo, Chriſtus eſt perſona creata. Si verò dicatur, Chriſtus eſt perſona humana, controuerſia eſt inter Doctores, an iſta propoſitio ſit vera. Ego cenſeo veram eſſe, ſi nomine perſonæ humanæ intelligatur perſona ſubſiſtens in natura humana; perſona enim Chriſti ſubſiſtit in natura diuina, & humana.

7 Tertia Regula eſt. Ea prædicata, quæ conueniunt Chriſto reſpectu vtriuſque naturæ, ſeu potius tãquam ſuppoſito ſubſiſtenti in vtraque natura, non poſſunt de Chriſto prædicari, vt ſubſiſtẽte in vna tantum natura. Ratio eſt, quia attributa prædicari debent, vt conueniunt rei; prædicatio enim, & affirmatio debet eſſe conformis rei; ſed conueniũt Chriſto ſecundum vtramque naturam. Ergo prædicari debent, vt conueniunt Chriſto ſecundum vtramq; naturam. Ergo prædicari non poſſunt de Chriſto, vt ſubſiſtit in vna tantum natura. Prædicata, quæ conueniunt Chriſto ſecundum vtramq; naturam, ſunt, eſſe redemptorem humani generis, aut eſſe mediatorem inter Deum, & homines; hæc enim requirunt vtramque naturam, quia Chriſtus redemit genus humanum merendo, & ſatisfaciendo; principium autem meriti, & ſatisfactionis fuit natura diuina, & humana; humana fuit principium immediatum afficiens ipſum opus quoad ſubſtantiam; diuina fuit principium morale tribuens valorem operi. Vide Suarez diſp. 35. ſect. 4. concluſ. 2. Tannerum diſp. 1. quæſt. 6. dub. 2. regula 9. num. 81. Becanum c. 7. q. 1. n. 4. & alios præcitatos Doctores.

Punctum Secundum.

An prædicata, ſeu attributa diuinæ naturæ dici, & prædicari poſſint de natura humana.

1 *Prædicata, ſeu attributa diuina prædicari non poſſunt de natura humana, ſeu de Chriſto ſecundum humanitatem.*

2 *Subſiſtentia diuina communicata fuit humanitati, non verò alia attributa; vnum enim attributum eſt de eſſentia alterius, conſequenter vnum communicari non poteſt ſine alio.*

3 *Dextera Dei Patris, ſeu ſeſſio ad dexteram Dei quid ſignificet.*

Multi hæretici affirmant prædicata, ſeu attributa naturæ diuinæ prædicari poſſe de natura humana, quia putant diuina attributa communicata fuiſſe naturæ humanæ; exſtimant enim non ſolum diuinam ſubſiſtentiam, verum etiam naturam diuinam, omnia diuina attributa, & diuinas operationes ita collata fuiſſe immediatè humanę naturæ, vt humana natura, ſeu Chriſtus ſecundum humanitatẽ verè ſit, & dicatur primo ſubſiſtentia perſonæ diuinæ. Secundo, Deus. Tertio, omnipotens, æternus infinitus, & immenſus, ſeu vbiq; preſens. Quartò, Mundi rector, conſeruator, &c. & quãuis falſitas huius opinionis ſufficienter colligatur ex dictis in præcedenti puncto, nihilominus hic ex pro-

Digitized by Google

profeſſo refellenda, & reijcienda eſt.

VNICA PROPOSITIO.

1 PRædicata, ſeu attributa diuina prædicari non poſſunt de natura humana, ſeu de Chriſtô ſecundum humanitatem. Ratio eſt, quia natura diuina, ſeu attributa diuina communicata non fuerunt naturæ humanæ. Ergo de ipſa prædicari non poſſunt; prædicatio enim ſupponit communicationem, ſeu immediatam vnionem. Antecedens, quod ſcilicet natura diuina, & eius attributa communicata non fuerint naturæ humanæ, probatur, quia non poteſt vnum attributum communicari ſine alio; cum enim vnum attributum intrinſecè, & eſſentialiter includat reliqua, non poteſt vnum communicari ſine alio; ſed omnia non poſſunt communicari; perſpicuum enim eſt hæc tria communicari non poſſe. Primò, eſſe actum purum, nam humanitas eſſentialiter eſt compoſita; humanitas enim conſtat natura humana, cuius eſſentia eſt compoſita ex anima, & corpore. Secundò, eſſe æternam, cum enim in tempore producta ſit, non poteſt eſſe æterna. Tertiò, eſſe independentem, cum enim habeat eſſe à Deo, ab eoque conſeruetur, non poteſt eſſe independens. Ergo nullum attributum communicari poteſt naturæ humanæ. Ita communiter Doctores Catholici.

2 Obijcies primo, ſubſiſtentia diuina communicari poteſt, & re ipſa communicata fuit humanitati; humanitas enim formaliter ſubſiſtit ſubſiſtentia Verbi. Ergo eidem humanitati cõmunicari poſſunt etiam reliqua attributa, cum par ratio videatur.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt. Primò, quia ſubſiſtentia diuina non repugnat humanitati, ſicut repugnant attributa; cum enim omnia attributa eidem humanitati communicari non poſſint, ſequitur nullum attributum ei cõmunicari poſſe; quia vnum eſt de eſſentia alterius. Secundò, quia ſubſiſtentia non eſt attributum diuinum. Tum quia ſubſiſtentia eſt aliquid relatiuũ, attributum eſt aliquid abſolutum in Deo. Tum quia vnum attributum eſt de eſſentia alterius, & eſſentialiter alterum includit; ſubſiſtentia verò non eſt de intrinſeca ratione attributorum, aut aliarum ſubſiſtentiarũ; conſequenter ſubſiſtentia Verbi communicari potuit ſine ſubſiſtentia Patris, aut Spiritus Sancti; vna enim ſubſiſtentia, vt iam dixi, non includit eſſentialiter, & intrinſecè aliam, ſed realiter diſtincta eſt ab alia; & licet ſubſiſtentia ſit idem realiter cum eſſentia, & attributis; tamen communicata non fuit ſub ratione eſſentiæ, & attributorum; ſed ſolum in ratione ſubſiſtentiæ, quæ eſt aliquid relatiuum realiter diſtinctum ab altero correlatiuo, ideſt ab alijs ſubſiſtentijs diuinis, & in ſuo conceptu, ſeu intrinſecè, & eſſentialiter non includit attributa.

Obijcies ſecundo, ſubſiſtentia eſt idem cum eſſentia, & attributis. Ergo ſi ſubſiſtentia communicata fuit humanitati, neceſſe eſt, vt eidem etiam communicata fuerit eſſentia, &

& attributa; quoties enim duo ſunt inuicem inſeparabilia, vbi eſt vnum, eſt etiam aliud, & cui communicatur vnum, communicari etiam debet alterum.

Reſpondeo, ſubſiſtentiam, eſſentiam, & attributa eſſe idem realiter, ſed non omnia communicata fuiſſe humanitati eodem modo; ſola enim ſubſiſtentia formaliter, proximè, & immediatè communicata fuit humanitati; attributa verò mediatè, conſecutiuè, & identicè, quia ſubſiſtentia idem eſt realiter cum eſſentia, & attributis; non tamen hinc ſequitur, humanitati conuenire prędicata, & attributa diuinæ naturæ, quia hæc formaliter, & immediatè communicata non fuerunt humanitati; conſequenter de ipſa prædicari nõ poſſunt; prædicari verò poſſunt de Chriſto, ſeu de perſona Verbi, quatenus ſubſiſtit in natura diuina, & humana, vt dictum eſt puncto 1. Quamobrem Chriſtus dici poteſt omnipotens, omniſcius, infinitus, immenſus, æternus; humanitas verò dici non poteſt omnipotens, omniſcia, immenſa, infinita, æterna, vt benè Valentia de Incarnat. diſp. 1. quæſt. 2. pun. 3. §. 3. vbi refellit ſententias Vbiquiſtarum, Becanus de Incarnat. cap. 7. q. 3. num. 3.

Obijcies tertio, ſcriptura, & Patres attribuunt naturæ diuinę, & humanæ mutuam communicationem idiomatum, S. Auguſtinus contra Felicianum cap. 11. ait *Carnem glorificatam fuiſſe Maieſtate Deitatis*, & Niſſenus tract. de anima, ait *Verbum tradidiſſe animæ, & corpori ſuæ diuinitatis virtutem*, & ad Coloſſenſes ſecundo ſic habetur, *In ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, ideſt realiter, & ſubſtantialiter.

Reſpondeo, Patres, & ſcripturam multipliciter intelligi poſſe; primo, de communicatione immediata, & de ipſo Chriſto, de quo perſpicuum eſt, verè, & propriè prædicari poſſe attributa, non ſolum humana, verum etiam diuina, vt patet ex dictis puncto præcedenti in prima Regula. Hoc pacto intelligi poteſt locus ille ad Coloſſenſes 2. *In ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*; ibi enim ſermo eſt de Chriſto, vt cõſtat ex illis verbis, *In ipſo*; dicitur autem plenitudo diuinitatis habitare in Chriſto, vel quia Chriſtus conſtabat ipſamet natura diuina, conſequenter in ipſo erat plenitudo diuinitatis corporaliter, ideſt realiter, & ſubſtantialiter; in alijs verò per participationem; vel quia animæ Chriſti collata fuerat maxima gratiarum copia, ſeu plenitudo; alijs verò minor pars, & diuiſim.

Secundò intelligi poſſunt de ipſa humanitate cum communicatione idiomatum mediata, ſeu identica, & conſecutiua facta ipſimet humanitati per ſubſiſtentiam; ſubſiſtentia enim formaliter communicata fuit humanitati; conſecutiuè verò, & mediatiuè cũ ſubſiſtẽtia cõmunicata fuit natura diuina, & eius attributa, nõ quidẽ in ipſa humanitate, ſed in perſona diuini Verbi, cum qua identificantur. Ex quo patet differentia inter ſubſiſtentiam, & attributa, quod ſubſiſtentia eſt veluti forma humanitatis, cum humanitatas formaliter per ipſam ſubſiſtat; attributa verò communicata non fuerunt, nec communicari poſſunt huma-

Digitized by Google

humanitati per modum formæ informantis; conſequenter de ipſa humanitate verè, & propriè prædicari non poſſunt, ſed ſolum impropriè.

Tertiò, intelligi poſſunt impropriè; Patres enim non ſemper loquuntur iuxta exactam dialecticorum regulam, ſed abſtracta pro concretis, & concreta pro abſtractis aliquando vſurpant. Vide Valentiam loco citato, Tannerum diſp. 1. quæſt. 6. dub. 1. num. 43. & ſeqq. Bellarminum lib. 3. de Chriſto cap. 15. Becanum cap. 7. quęſt. 3.

Obijcies quarto, operationes diuinæ tribui ſolent humanæ naturæ Chriſti; ſed id fieri non poſſet, niſi humanitati Chriſti dicamus communicatam fuiſſe naturam diuinã, & eius attributa. Ergo &c. Maior probatur ex Concilio Epheſino can. 12. vbi caro Chriſti vocatur viuificatrix. *Si quis non confitetur*, inquit, *carnem Domini viuificatricem eſſe, quia facta eſt propria Verbi cuncta viuificare valentis anathema ſit.*

Reſpondeo, operationes diuinas tribui humanitati Chriſti, non tanquam cauſæ principali, ſed tanquam inſtrumento coniuncto perſonæ Verbi, quod huiuſmodi inſtrumento vtitur ad opera ſuę omnipotentiæ. Ideò caro vocatur viuificatrix, quia verbum, quod cuncta viuificare poteſt, illam adhibuit, tanquam inſtrumentum ad viuificandum, & redimendum. Ita Tannerus num. 44. alij tamen ad hunc locum alias afferunt expoſitiones.

Obijcies quinto, Matth. 11. dicitur, *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, & Ioannis 13. *Omnia dedit mihi Pater in manus*. Ergo attributa diuina communicata ſunt naturæ humanæ, alioquin dici non poſſet omnia illi communicata fuiſſe.

Reſpondeo, in his locis ſermonem non eſſe de humanitate Chriſti præcisè, ſed de ipſo Chriſto, cuius perſonæ per ęternam generationem omnia tradita fuerunt; in tempore omnia dicũtur tradita Chriſto per vnionem hypoſtaticam, non quidem formaliter in natura humana, ſed conſecutiuè, & mediatè, quatenus perſona Verbi, cui ab æterno tradita ſunt omnia, communicata fuit humanitati, atque adeo omnia dicuntur tradita Chriſto in perſona Verbi, non in ipſa humanitate; eodem pacto explicari poſſet locus ille, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*. Vel dic eo loci ſermonem eſſe de Imperio, quod humanitas Chriſti habuit ſuper omnes creaturas, cum dependentia tamen, & ſubordinatione ad potentiã Dei; ad Hębreos 7. *Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, omnia ſubieciſti ſub pedibus eius*. Vide Tannerum loco citato num. 51. Becanum loco citato quæſt. 3. num. 11. & alios præcit. Doct.

3 Obijcies ſexto, Chriſtus dicitur ſedere ad dexteram Dei Patris, ad Romanos 8. *Chriſtus Ieſus, qui eſt ad dexteram Dei*, & ad Coloſſ. 3. *Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens*; ſed ſedere ad dexteram Dei, eſt eſſe æqualẽ Deo in potentia, virtute, gloria, & maieſtate, iuxta S. Athanaſium, Baſilium, Ambroſium, & alios apud Suar. loco proximè citando, & apud Bellarminum lib. 3. de Chriſto cap. 15. Ergo Chriſtus eſt æqualis Patri in potentia, virtute, gloria, & maieſtate. Ergo

go illi communicata fuerunt diuina attributa.

Reſpondeo primo, nomine dexteræ Dei intelligi poſſe beatitudinem, iuxta illud, *Statuit oues à dextris, hædos autem à ſiniſtris.* Et ex hac expoſitione nihil colligitur pro hęreticis, quia etiamſi Chriſtus ſit beatus, non tamen hinc ſequitur humanitati ipſius collatas eſſe diuinas perfectiones.

Reſpondeo ſecundò, nomine ſeſſionis ad dexteram intelligi etiam poſſe æqualitatem in potentia, gloria, & maieſtate; ſed hinc non ſequitur ipſam collatam fuiſſe humanitati, quia in præfatis locis non eſt ſermo de humanitate, ſed de Chriſto, cui per communicationem idiomatum competunt diuina attributa; nō verò humanitati, niſi mediatè, conſecutiuè, & identicè, quatenus illi cōmunicata fuit ſubſiſtentia Verbi, quæ idem eſt realiter cum attributis diuinis; & licet pręfata æqualitas, ſeu maieſtas, & potentia collata fuerit Chriſto ab inſtanti Conceptionis, tamen non fuit agnita ab omnibus ante Aſcenſionem, ſed quo ad exteriora ſigna cępit cognoſci dum Chriſtus triumphator ſolemniter in Cælum aſcendit; & hoc pacto intelligendus eſt S. Paulus loco citato loquens de ſeſſione ad dexteram Dei, quæ facta fuit media aſcenſione. Vide S. Thomam 3. p. q. 58. art. 4. Valentiam tom. 4. qu. 6. pun. 2. Tannerum quæſt. 6. dub. 1. num. 47. Becanum cap. 7. q. 4. num. 13. Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 51. ſect. 3.

Ex dictis in hoc puncto manifeſtè liquet, falſam eſſe Luteranorū, aliorumq; Hæreticorum ſententiam affirmantium, humanitatem Chriſti per communicationem idiomatum eſſe vbique; putant enim humanitati communicatum fuiſſe attributum diuinę immenſitatis, quod falſum eſſe patet ex rationibus in propoſitione allatis. Vt autem hoc clarius intelligatur, fuſius explicabo, & probabo in §. proximè ſequenti.

Paragraphus Vnicus.

Vtrum humanitas Chriſti per communicationem idiomatum ſit vbiq;.

1 *Humanitas Chriſti non eſt vbique.*
2 *Chriſtus quomodo dicatur impleuiſſe omnia.*
3 *Humanitas dum mouetur, nō defert ſecum perſonam Verbi, ſed vnionē cum perſona Verbi.*

VNICA PROPOSITIO.

1 HVmanitas Chriſti nō eſt vbiq;. Ratio eſt primo, qui a immenſitas non eſt communicata humanitati; nullum enim attributum diuinum poteſt formaliter communicari vlli creaturæ, alioquin omnia communicari deberent, cum vnum ſit de eſſentia alterius; falſum autem eſt omnia communicari, vt probatū eſt puncto pręcedenti. Secundo, quia manifeſtè habetur in Scriptura, Chriſtum nō fuiſſe in omni loco, nam Marci 16. dicitur, *Surrexit non eſt hic*, Matth. 28. *Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis, non eſt hic: ſurrexit enim ſicut dixit.* Io. 6. *Cum vidiſſet turba, quod Ieſus non eſſet ibi*; & Ioannis 11. *Gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non erã*

bi, ſed eamus ad eum. Tertiò, quia de fide eſt Chriſtũ natum fuiſſe ex vtero Beatiſſimæ Virginis, deſcendiſſe ſecundum animam ad inferos, reſurrexiſſe de ſepulcro, aſcendiſſe ad cęlos, venturum eſſe ad iudicium; hęc autem verificari non poſſent, ſi Chriſtus eſſet vbique, non enim dici poteſt natus ex vtero Beatiſſimæ Virginis, ſi in eo ſemper permanſit; neq; poteſt dici ſepultus, ſi iam exiſtebat in ſepulchro; neque anima Chriſti dici poteſt ad inferos deſcendiſſe, ſi iã ibi erat: neque poteſt dici Chriſtum reſurrexiſſe, aut cælos aſcendiſſe, aut venturum ad iudicium, quia intelligi non poteſt, quomodo dicatur venire, aut aſcendere, vel deſcendere ad aliquem locum is, qui eſt in omni loco; nam aſcenſus, aduentus, vel reditus ad aliquem locum indicat dimiſſionem prioris loci; alter enim locus acquiri non poteſt, niſi prior deſeratur. Ita communiter Catholici, præſertim Valentia diſp. 1. q. 2. pun. 3. §. 2. vſq; ad 11. vbi de hac re fuſiſſimè agit Bellarminus lib. 3. de Chriſto cap. 1. & ſeqq. Becanus cap. 7. q. 4. Tannerus diſp. 1. q. 6. dub. 1.

Neque obſtat dicere cum Luteranis, Chriſtum non eſſe, vel fuiſſe vbique localiter; fuiſſe tamen illocaliter, & inuiſibiliter.

Reſpondeo enim id falſum eſſe. Primò, quia ſequeretur Chriſtum in inſtanti Conceptionis fuiſſe in vtero Beatiſſimæ Virginis localiter, extra vterum illocaliter, in Cruce mortuũ fuiſſe localiter, alibi illocaliter, & inuiſibiliter, imò in eodem loco fuiſſe conceptum, & paſſum localiter, & illocaliter; nam ſi illocaliter erat vbiq; debebat eſſe illocaliter in vtero, & in Cruce; conſequenter duplici titulo erat in vtero, & in Cruce, localiter ſcilicet, & illocaliter. Secundò, quia anima Chriſti in triduo mortis nullibi fuit localiter, & viſibiliter, ſed ſolum illocaliter, & inuiſibiliter; ſed tunc non fuit vbique; nam ſi deſcendit ad inferos, & ab inferis reſurrexit, neceſſe eſt, vt non permanſerit in corpore, ſeu loco, à quo diſceſſit.

Obijcies primò, Chriſtus ſedere dicitur ad dexteram Dei, ad Romanos 8. & ad Coloſſ. 3. Marci 16. Lucæ 22. & alibi, ſed Deus eſt vbique, Ergo Chriſtus eſt vbique.

Reſpondeo, Chriſtum dici ſedere ad dexteram Dei, vel quia gaudet æterna beatitudine, vel quia habet æqualem maieſtatem cum Patre non collatam humanitati; ſed in perſona Verbi, vt dictum eſt puncto præcedenti num. 3.

Obijcies ſecundo, ad Epheſ. 4. ſic dicitur, *Qui deſcendit ipſe eſt qui aſcendit ſuper omnes Cælos, vt impleret omnia.* Ex quo loco ita argumentantur Luterani. Chriſtus aſcendit ſuper omnes cęlos, vt impleret omnia. Ergo Chriſtus poſt Aſcenſionem impleuit omnia. Ergo eſt vbique.

Reſpondeo primo, illum locum intelligi poſſe de impletione vaticiniorum, extabat enim prophetia etiam de Aſceſione Chriſti, Pſal. 67. quam impleri opportebat. Ita S. Bernardus ſermone 2. de Aſcenſione, Valentia tom. 4. diſp. 2. q. 6. pun. 1. & alij.

2 Reſpondeo ſecundo, intelligi de impletione non ſimultanea, ſed ſucceſſiua; par enim erat, vt Chriſtus, qui ad Inferos deſcenderat, ter-

ram inhabitauerat, aquam pedibus calcauerat, in aere cruci confixus pependerat, cęlum quoque conſcederet, vt omnia loca, infima, media, & ſuprema ſucceſſiuè impleret; ad hoc autem verificandum non opus fuit, vt Chriſtus actu exiſteret in omnibus omninò locis; ſed ſuceſſiuè in aliquibus; quo pacto is, qui in omnibus alicuius Regni caſtris fuit, dicitur fuiſſe in toto regno; hęc .n. propoſitio verificatur non de ſingulis generum, ſed de generibus ſingulorum, vt benè Tannerus diſp. 1. quęſt. 6. dub. 1. num. 53.

Obijcies tertio, Verbum eſt inſeparabiliter vnitum naturę humanę. Ergo vbicunque eſt Verbum, eſt etiam natura humana. Hęc conſequentia probatur, nam quando duę res inſeparabiliter inter ſe vnitę sũt, vbi eſt vna, ibi etiam debet eſſe altera, alioquin non eſſent vnitæ inſeparabiliter; ſed Verbum eſt vbique. Ergo etiam humanitas eſt vbique.

Reſpondeo negãdo primam conſequentiam, ad probationem neganda eſt maior; illa enim verificatur ſolum, quando duo ſunt inter ſe inſeparabiliter vnita totaliter adęquatè, & non inadæquatè tantum; natura autem humana non eſt vnita Verbo totaliter, & adæquatè, ſed inadæquatè; paruitas enim naturæ humanæ non poteſt æquari immenſitati Verbi diuini; & ſicut anima quandiù informat corpus, eſt vnita capiti, & pedibus, & tamen non vbicunque eſt anima, ibi eſt etiam caput, vel pedes, alioquin caput in pedibus exiſteret, & pedes in capite. Ita licet Verbum ſit vnitũ humanitati, non tamen humanitas eſt vbicunque eſt Verbum, ſed ſatis eſt, vt alicubi ſit ſimul, & non diſtet.

Obijcies quarto, Verbum, vbicunque exiſtat, eſt homo. Ergo vbique habet humanitatem; homo .n. non eſt ſine humanitate. Ergo humanitas eſt vbique, cum Verbum ſit vbique.

Reſpondeo negando vtramque conſequentiam; vt enim Verbum dicatur homo, non eſt neceſſe, vt vbicunque eſt Verbum, ibi ſit etiam humanitas, ſicut anima dicitur forma capitis, etiãſi caput non ſit vbicunq; eſt anima. Ideo aliud eſt Verbum alicubi eſſe ſine humanitate, quod eſt verum; aliud Verbum alicubi non eſſe hominem, quod eſt falſum; nam vt Verbum dicatur homo, ſatis eſt, vt alicubi habeat humanitatem.

Obijcies quinto, Verbum eſt vbique; ſed Chriſtus homo eſt Verbum. Ergo Chriſtus homo eſt vbique. Ergo humanitas eſt vbique, cum homo eſſe non poſſit ſine humanitate.

Reſpondeo, Chriſtum hominem dici eſſe vbique per communicationem idiomatum; humanitatem tamen non eſſe vbique, quia Chriſtus non eſt vbiq; propter humanitatem; ſed propter perſonam Verbi.

Dices Chriſtus vbique eſt homo. Ergo vbique habet humanitatem, cum homo eſſe nequeat ſine humanitate.

Reſpondeo, ſi dictio, vbique, tenet ſe ex parte prædicati, falſa eſt illa propoſitio, Chriſtus vbique eſt homo; prædicatum enim ſupponit pro formali ſignificato, conſequenter homo in illa propoſitione ſupponit pro humanitate; falſum autem eſt Chriſtum vbique habere ſuam hu-

Digitized by Google

humanitatem. Si verò dictio, vbiq; tenet ſe ex parte ſubiecti, propoſitio illa eſt vera, Chriſtus vbique (ideſt vbicunque exiſtens, vel qui eſt vbique) eſt homo.

Ex quo licet etiam inferre, an hęc propoſitio ſit vera, Chriſtus non eſt vbique homo, ſeu Chriſtus alicubi non eſt homo; nam ſi dictio illa, alicubi, vel vbique, cadat ſuper prædicatum, quod ſupponit pro formali, & cõſequenter pro humanitate, propoſitio vera eſt, quia Chriſtus alicubi non habet humanitatem. Si verò dictio, alicubi, vel vbique, tenet ſe ex parte ſubiecti, propoſitio non eſt vera, ſed falſa; nam vt Chriſtus vbique dicatur eſſe homo, ſatis eſt, vt alicubi habeat humanitatem ſibi vnitam. Ita Scotus, Durandus, Gabriel, & alij apud Bellarminum lib. 3. de Chriſto cap. 19. Tannerus d. 1. quæſt. 6. dub. 1. num. 56. Becanus cap. 7. quæſt. 4.

Obijcies ſexto, ſi humanitas non eſſet vbique, ſequeretur Verbum diuinum moueri localiter; nam ſi humanitas non eſt vbique. Ergo poteſt moueri de loco, in quo eſt, ad locum, in quo non eſt. Ergo dum mouetur, vel defert ſecum perſonam Verbi ſibi vnitam, vel non. Si defert perſonam Verbi. Ergo perſona Verbi mouetur ſimul cum humanitate. Si non defert perſonam Verbi. Ergo deſinit eſſe vnita Verbo; dum enim aliquid inſeparabiliter vnitum eſt alteri, non poteſt vnum moueri, remanente altero immobili, niſi vnio ipſorum ſoluatur; abſurdum eſt autem Verbum moueri, & humanitatem, dum mouetur, amittere vnionẽ ad Verbum.

3 Reſpondeo negãdo ſequelam, nam dum humanitas mouetur, non defert ſecum perſonam Verbi, cum perſona Verbi ſit vbiq; ſed defert ſe cum vnionem cum perſona Verbi, quæ vnio recipitur in humanitate, & non eſt vbique. Ita Becanus loco citato num. 10.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De gratia Chriſti, tàm habituali, & ſanctificante, quàm actuali, & gratis data, alijsq; eius donis, & virtutibus.

IN hac Quæſtione primo loco explicabo, an Chriſtus habuerit gratiam ſanctificantem. Secundò, An præter gratiam habitualem ſanctificantem, habuerit etiam actualem. Tertiò, an habuerit gratias gratis datas. Quartò, An habuerit virtutes præſertim Theologicas, & morales, ac denique dona Spiritus Sancti.

Punctum Primum.

An Chriſtus habuerit gratiam habitualem ſanctificantem.

1 *Chriſtus fuit Sanctus, & iuſtus.*
2 *Chriſtus ſecundum humanitatem habuit gratiam habitualem.*
3 *Gratia habitualis cur collata fuerit Chriſto.*
4 *Chriſtus habuit etiam gratiam vnionis, conſequenter fuit ſanctus, non ſolum per gratiam habitualem, verum etiam per gratiam vnionis.*
5 *Gratia habitualis ſanctificat accidentaliter, gratia vnionis ſubſtantialiter.*
6 *Natura humana ſi viniretur Angelicę, non ſanctificaretur ab ipſa natura Angelica.*
7 *Chriſtus mereri potuiſſet etiam per ſolam gratiam vnionis.*
8 *Deus poſſet de potentia abſoluta animæ vnitę Verbo denegare gloriã.*
9 *Chriſtus an dicendus ſit magis ſanctus ob vtramq; gratiam ſimul, quam ſi vnam tantum haberet.*
10 *Gratia habitualis ſanctificãs in Chriſto fuit eiuſdem rationis cum gratia noſtra.*
11 *Gratia habitualis, & vnionis collata fuit Chriſto in inſtanti Conceptionis.*
12 *Gratia habitualis in Chriſto fuit poſterior ordine naturæ gratia vnionis.*
13 *Gratia habitualis non fuit effectiuè producta ab vnione hypoſtatica.*
14 *Gratia habitualis dici poteſt connaturalis Chriſto.*

15 *Gra-*

Digitized by Google

15 *Gratia Chriſti habitualis non fuit infinita quo ad eſſentiam, neque quo ad entitatem, ſed moraliter tantum.*

16 *Gratia habitualis Chriſti de potentia ordinaria non potuit augeri.*

17 *Chriſtus quomodo profecerit ſapientia, & ætate.*

18 *Gratia Chriſti habitualis de potentia Dei abſoluta augeri potuit.*

19 *Gratiæ plenitudo quomodo dicatur fuiſſe in Chriſto.*

20 *Gratia vnionis non potuit augeri.*

PRæmittendum eſt primò, nomine gratiæ habitualis intelligi qualitatem ſupernaturalem animæ inhærentem, per quam Chriſtus more hominum iuſtorum fuit Deo gratus, atque adeò iuſtus.

Præmittendum ſecundò, Chriſtũ ſecundum humanitatem dupliciter potuiſſe eſſe ſanctum. Primò, per gratiam habitualem. Secundò, per gratiam vnionis hypoſtaticæ; nam eo ipſo, quod natura humana vnitur perſonæ diuinæ, non poteſt non eſſe ſancta. Hoc poſito explicandum, & probandum eſt primò, Vtrum Chriſtus verè fuerit sãctus, iuſtus, & Deo gratus. Secũdò, Vtrum fuerit sãctus per gratiam habitualem. Tertiò, Per gratiam vnionis. Quartò, an gratia habitualis Chriſti ſit eiuſdem rationis cum noſtra. Quintò, quandonam collata fuerit. Sextò, An fuerit infinita. Septimò, An potuerit augeri.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus fuit ſanctus, iuſtus, & Deo gratus, Iſaiæ 1. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini*, Lucæ 1. *Ideoque & quod naſcetur ex te, ſanctũ, vocabitur filius Dei*, Ioannis 1. *Plenũ gratiæ, & veritatis*. Matth. 3. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 CHriſtus ſecundum humanitatem habuit gratiam habitualem, conſequenter fuit ſanctus, iuſtus, & Deo gratus per gratiam habitualem. Ratio eſt, primò, quia in Chriſto fuit charitas, Ioannis 15. *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione*; & ad Epheſios 3. *Scire ſupereminentem ſcientiæ Charitatem Chriſti*; ſed charitas ſeparari nõ poteſt à gratia habituali, vt alibi probaui. Ergo in Chriſto fuit gratia habitualis. Secundò, quia quo ſubiectum eſt propinquius cauſæ influenti, tanto maiorem recipit influxum; ſed Chriſtus per vnionem hypoſtaticam eſt intimè coniunctus Deo, qui eſt author gratiæ habitualis, Pſal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Ergo Chriſtus perfectiſſimum recepit gratiæ influxum. Tertiò, quia Chriſtus confert, & tribuit gratiam alijs hominibus, iuxta illud Ioannis 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus*. Ergo debet gratiam habitualem in ſe habere; nemo enim dat, quod nõ habet. Ita S. Thomas q. 7. art. 1. Suarez d. 18. ſect. 2. vbi ait hanc propoſitionem eſſe de fide. Vaſq. diſp. 41. cap. 1. num. 11. Valentia diſp. 1. q. 7. puncto 1. Becanus cap. 8. quæſt. 1. Tannerus diſp. 1. q. 5. dub. 1. num. 4. &

& alij communiter contra Paludanum in 3. diſt. 13. q. 2. & alios.

Obijcies, gratia habitualis eſt quędam participatio diuinitatis, iuxta illud 2. Petri 1. *Per quem maxima, & pretioſa promiſſa nobis donauit, vt diuinæ ſimus conſortes naturæ*; ſed Chriſtuş eſt Deus, nõ participatione, ſed ſecundum veritatem. Ergo Chriſtus non habuit gratiam habitualem.

Reſpondeo ad minorem propoſitionem, Chriſtum eſſe verum Deum ſecundum perſonam, & naturam diuinam; non verò ſecundum humanam naturam; conſequenter animã Chriſti potuiſſe effici diuinam per participationem, ideſt per gratiam habitualem, vt benè S. Thomas de Incarnat. q. 7. art. 1. ad primum, & cum eo Commentatores communiter.

3 Quæres, cur Chriſto collata fuerit gratia habitualis.

Reſpondeo, gratiam habitualem, ſanctificantẽ animam, collatã fuiſſe Chriſto, vt nõ ſolũ eſſet ſanctus ſubſtantialiter per gratiam vnionis perſonaliter coniunctam, verum etiam accidentaliter per qualitatem animæ inhærentem. Si verò loquamur in genere de gratia habituali, vt in genere ſignificat habitum gratuitũ, & ſupernaturalem, dico huiuſmodi gratiam collatam fuiſſe ad faciendos actus ſupernaturales; intellectus enim, & voluntas elicere nõ poſſunt actus ſupernaturales, niſi per habitus ſupernaturales efficiantur habiles ad illos eliciẽdos, vt alibi docui. Ita Suarez diſp. 16. ſect. 1. ad finem. Becanus cap. 8. q. 1. num. 11. Vaſq. diſp. 41. c. 5. n. 27.

TERTIA PROPOSITIO.

4 CHriſtus nõ ſolum habuit gratiam habitualem ſanctificantem, verum etiam gratiam vnionis, conſequenter nõ ſolum fuit Sanctus per gratiam habitualem, verum etiã ob gratiam vnionis. Hæc propoſitio certa eſt. Primò, quia Chriſtus dicitur vnctus, Pſal. 44. *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*. Iſaiæ 61. & Lucæ 4. *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me*. Danielis 9. *Et vngatur Sanctus Sanctorum*. Act. 10. *Vos ſcitis & cęt. quomodo vnxit eum Deus Spiritu Sancto, & virtute*; hæc autem vnctio facta fuit, inquiunt Patres, per vnionem hypoſtaticam, per quam natura humana immediatè vnita fuit perſonæ Verbi, & conſequenter diuinitati; conſequenter per illam vncta, ſanctificata, & quaſi deificata fuit, vt benè Nazianzenus orat. 36. & 42. Damaſcenus lib. 3. cap. 3. Cyrillus lib. 4. in Ioannem cap. 29. Sanctus Auguſtinus lib. 15. de Trinitate cap. 26. & in Enchirid. c. 40. & alij apud Suarez diſp. 18. ſect. 1. concl. 1. apud Tannerum diſp. 1. q. 5. dub. 1. apud Becanum cap. 8. q. 1. & apud Vaſquez diſp. 41. c. 4. Secundò, quia reliqui homines ſanctificantur per participationem diuinitatis, quæ eſt ſanctitas per eſſentiam; ſed nulla eſt maior participatio diuinitatis, quã per vnionem hypoſtaticam, cum per ipſam humanitas ſubſtãtialiter vniatur perſonæ diuinę. Ergo humanitas maximè ſanctificatur per vnionem hypoſtaticam.

5 Obijcies primò, effectus formalis non põt eſſe niſi à cauſa formali;

ſed

ſed cauſa formalis ſanctitatis eſt gratia habitualis. Ergo ſanctitas non poteſt eſſe, niſi à gratia habituali. Ergo Chriſtus non fuit ſanctus, niſi ob gratiam habitualem, non verò ob vnionem hypoſtaticam.

Reſpondeo cum Suarez ſect. 1. ad finem, Vaſq. diſp. 41. cap. 4. nu. 23. & alijs, gratiam habitualē eſſe quidem cauſam formalem ſanctitatis, ſed præter ipſam eſſe etiam aliam cauſam; duplex enim eſt cauſa ſanctitatis in Chriſto, vna accidentalis, quæ eſt gratia habitualis, altera ſubſtantialis, quæ pendet à diuinitate, ſeu perſona Verbi mediante vnione; nam perſona Verbi mediāte vnione vnitur naturæ humanæ, illamque ſanctificat. Quamobrem dum Patres aiunt humanitatem vnitam, & ſanctificatam fuiſſe per diuinitatem, vel per vnionem hypoſtaticam, ita intelligendi ſunt, non quod vnio formaliter effecerit Chriſtum ſanctum (vnio enim formaliter non eſt ſanctitas, ſed coniunctio cum perſona Verbi) ſed quod diuinitas mediante vnione naturę humanę ad perſonam Verbi, quaſi formaliter ſanctificauerit animam Chriſti.

6 Obijcies ſecundò, ſi natura humana vniretur naturæ Angelicæ ſanctę, & iuſtę, nō ſanctificaretur ab ipſa. Ergo neque natura humana ſanctificatur à perſona diuina per vnionem ipſius perſonę diuinę cum natura humana; par enim ratio videtur.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia natura Angelica non eſt per ſe ſancta, ſed ſolum per accidens ratione gratię habitualis; conſequenter per ſe ipſam non neceſſariò excludit peccatum; perſona autem Verbi per ſe ipſam eſt ſancta, & ipſamet ſanctitas, neceſſariò excludens peccatū, quod perſona Angeli neceſſario non excludit. Ita Suarez diſp. 18. ſect. 1. col. 4. verſ. dices, Becan. loco cit. n. 9.

Obijcies tertio, ſi perſona Verbi aſſumeret naturam irrationalem, non ſanctificaret illam. Ergo neque ſanctificat animam Chriſti.

Reſpondeo negando conſequentiam; ideo enim non ſanctificaret naturam irrationalem; quia natura irrationalis non eſt capax ſanctitatis, cuius tamen capax eſt natura rationalis.

Ex dictis ſequitur primo, Chriſtū duplici titulo ſanctum fuiſſe. Primò, ſubſtantialiter per gratiam vnionis. Secundò, accidētaliter per gratiam ſanctificantem, & vtrumq; effectum ſanctitatis eſſe à ſua cauſa formali, vel quaſi formali.

7 Ex quo vlterius infertur Chriſtum potuiſſe mereri abſque gratia habituali; Chriſtus enim erat Deo gratus per gratiam vnionis, & cum ipſe eſſet perſona diuina, quilibet ipſius actus fuiſſet infiniti valoris, qui non proceſſiſſet à gratia habituali, cum ſupponamus Chriſtum illa deſtitutum eſſe, ſed à gratia vnionis, per quam anima Chriſti erat Deo grata, & ſubſtantialiter ſanctificata, vt benè Vaſquez diſp. 41. cap. 3. & alij.

Secundò, ſequitur non potuiſſe humanitatem vniri Verbo hypoſtaticè, quin eſſet ſancta, & impeccabilis; nam perſona Verbi, quatenus hypoſtaticè vnita humanitati, non poteſt non illam deificare, & ſanctificare.

Digitized by Google

Dices, poſſet illam non acceptare ad gloriam, ideſt ſtatuere gloriam ei nunquam conferre. Ergo etiam poteſt non ſanctificare.

8 Reſpondeo negādo conſequentiam; ſicut enim Deus habenti gratiam habitualem poſſet de potentia abſoluta non conferre gloriam, etiāſi alioquin huiuſmodi anima dignitatem, & proportionem habeat cum gloria; ita animæ vnitæ perſonæ Verbi poſſet de potentia abſoluta denegare gloriam; Ratio differentię eſt, quia ſanctitas prouenit à gratia habituali tanquam ex cauſa formali, & à ſubſiſtentia Verbi, tanquam à cauſa quaſi formali mediāte vnione ad ſubſiſtentiam Verbi. Vide Suarez diſp. 16. ſect. 1. col. 4. verſ. ex quo, & Becanum cap. 8. quæſt. 1. Vaſquez diſp. 41. cap. 4.

9 Quęrès, Vtrum Chriſtus dicendus ſit magis Sanctus, admiſſa in ipſo vtraque gratia, vnionis ſcilicet hypoſtaticæ, & habituali, vel an dicendus ſit æquè ſanctus, ſi ſolum in ipſo eſſet gratia vnionis.

Reſpondeo extenſiuè dici magis ſanctum ob vtramq; gratiam ſimul; intenſiuè verò non minus eſſe ſanctum ob ſolam gratiam vnionis, ac propter vtramque; nā Verbum per ſe perfectè confert ſanctitatem, quæ eminenter continet ſanctitatem gratiæ habitualis; ita Suarez loco citato verſ. dices ſecundò, Becanus loco citato num. 13. contra Vaſquez diſp. 41. cap. 4. num. 26.

QVARTA PROPOSITIO.

10 Gratia habitualis ſanctificās in Chriſto, quoad eſſentiam, fuit eiuſdem rationis, & ſpeciei cum gratia noſtra. Ratio eſt primo, quia Chriſtus eſt exemplar noſtræ gratiæ, & iuſtificationis, iuxta illud ad Rom. 8. *Nā quos præſciuit, & prædeſtinauit cōformes fieri imaginī filij ſui*; iſta aūt conformatio poſita videtur in participatione gratiæ eiuſdē rationis, & ſpeciei, alioquin non eſſemus conformes noſtro exēplari. Secundo, quia Charitas Chriſti erat eiuſdē rationis cum noſtra; habet .n. idem obiectum, & eundem modum tendendi in obiectū, ideſt in Deum, ſummum bonum. Ergo etiam gratia, quæ inſeparabilis eſt à Charitate, eſt eiuſdem rationis. Tertiò, quia nullo ſufficienti fundamento probari poteſt eſſe diuerſæ ſpeciei, cum ſcriptura, & Patres eodem modo loquantur de gratia Chriſti, & noſtra. Quartò, quia S. Thomas quæſt. 7. & alij affirmant gratiam Chriſti habitualem, ad gratiam aliorum habere ſe ſicut lumen ſolis ad alia lumina; ſed lumen ſolis, vt lumen, eſt eiuſdē ſpeciei cū alijs luminibus. Ergo gratia Chriſti eſt eiuſdem ſpeciei cum gratia aliorū hominum. Quintò, quia vbi eſt idem effectus formalis, ibi debet eſſe cauſa formalis eiuſdem rationis; ſed gratia habitualis eundem effectum formalem habebat in Chriſto, cum illius animam accidentaliter ſanctificaret, ipſamque Deo gratam efficeret, vt dictum eſt in ſecunda propoſitione. Ergo gratia, quæ fuit in Chiſto, fuit eiuſdem rationis cum noſtra. Ita Caietanus quæſt. 7. art. 11. Suarez diſp. 18. ſect. 2. col. 5. verſ. ex quibus. Valentia quæſt. 7. pun. 1. queſito 3. Tannerus diſp. 1. q. 5. dub. 1. num. 15. & alij.

Dixi,

Dixi, quo ad eſſentiã fuiſſe eiuſdem ſpeciei, quia quoad aliquem modum, uel habitudines fuit diuerſa; in Chriſto enim erat ſumma gratia, in nobis magis limitata, & reſtricta; in Chriſto erat tanquam in filio ſuo naturali, in nobis tanquam in filijs adoptiuis, vt infra ſuo loco oſtendam; hæc tamen non arguunt diuerſitatem ſpecificam gratiæ in nobis, & in Chriſto.

QVINTA PROPOSITIO.

11 Gratia habitualis, & vnionis collata fuit Chriſto in inſtanti conceptionis. De gratia vnionis res clara eſt, quia natura humana in inſtanti conceptionis aſſumpta fuit. De gratia vero habituali probatur, primò, quia in inſtanti conceptionis anima Chriſti fuit beata, vt infra probabo. Ergo habuit ius ad beatitudinem. Ergo habuit gratiam ſanctificantem, per quam confertur ius ad gloriam. Secundò, quia Lucæ 1. dicitur, *Quod naſcetur ex te ſanctum* (nempè interna generatione, & conceptione) *Vocabitur filius Dei*; & Iſaiæ 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcẽdet, & requieſcet ſuper eũ Spiritus Dñi*, in primo ſcilicet ortu eiuſdem floris. Tertiò, quia hæc gratia data fuit animæ Chriſti ratione vnionis hypoſtaticę, & ratione ipſius vnionis connaturaliter animę Chriſti debita erat. Ergo data fuit ſimul cum ipſa vnione. Ita S. Thomas q. 7. art. 12. & 13. Suarez diſp. 18. ſect. 3. Valentia diſp. 1. q. 7. pun. 1. quęſito 1. Tannerus loco citato num. 16. Becanus cap. 8. q. 2. & alij Scholaſtici communiter teſte Suarez loco citato.

Obijcies, Chriſtus creſcebat ætate, ſapientia, & gratia apud Deum, & homines. Ergo non habuit gratiã in inſtanti conceptionis, alioquin non diceretur creuiſſe.

Reſpondeo, creuiſſe quoad exercitium, aut quoad opinionem hominum, vt infra clarius explicabo. Vide S. Thomam quæſt. 7. art. 12. ad 3. Suarez ibid. Valentiam quæſt. 7. pun. 2. ad finem, Becanum cap. 9. quæſt. 6.

12 Quæres primo, Vtrum gratia habitualis ſanctificans in Chriſto fuerit ſaltem aliquo modo poſterior gratia vnionis.

Reſpondeo eodem quidem tempore vtramque gratiam collatam fuiſſe, ſed gratiam habitualem poſteriorem fuiſſe ordine naturæ. Ratio eſt. Tum quia gratia habitualis eſt accidens animæ. Ergo ſupponit animam ſubſiſtentem; prius enim eſt rem exiſtere, quam accidentaliter perfici. Ergo ſupponit vnionem hypoſtaticam; per hanc enim factũ eſt, vt anima ſubſiſtat ſubſiſtẽtia Verbi. Tum quia gratia habitualis data fuit intuitu vnionis in Chriſto. Ergo ſupponit vnionẽ. Ergo eſt poſterior natura gratia vnionis. Ita S. Thomas, Caietanus, Sotus, & alij quos citat, & ſequitur Suarez loc. citato ſect. 3. concluſ. 2.

13 Quæres ſecundo, Vtrum gratia habitualis effectiuè, & phyſicè producta ſit ab vnione hypoſtatica.

Reſpondeo negatiuè, nam in vnione hypoſtatica vel ſpectatur ipſamet vnio præciſè, quæ in humanitate Chriſti exiſtit, vel ſpectatur ſubſiſtentia Verbi, qui eſt terminus vnionis. Sed vnio non eſt effectiua, ſed

ſed ſolum, eſt formalis, & actualis coniunctio naturæ humanæ cũ Verbo. Præterea ſubſiſtentia ipſa eſt entitas relatiua, quæ non eſt actiua; vis enim agendi in Deo eſt abſoluta, & eſt communis tribus perſonis; cum omnia opera ad extra ſint communia Sanctiſſimæ Trinitati. Ergo gratia habitualis effectiuè, & phyſicè producta non fuit ab vnione. Ita Becanus quæſt. 2. n. 3. Suarez diſp. 18. ſect. 3. ad finem. Vaſquez diſp. 24. cap. 2. num. 7.

14 Quæres tertio, Vtrum gratia habitualis dici poſſit connaturalis Chriſto.

Reſpondeo dici connaturalem Chriſto, ſeu animæ Chriſti, ſi anima Chriſti ſpectetur, vt vnita Verbo. Ratio eſt, tum quia, vt ſic, digna eſt, vt illi gratia habitualis conferatur; humanitas enim in maximo dignitatis gradu conſtituitur propter vnionem, & capax efficitur cæleſtiũ donorum, ita vt denegatio gratiæ aduerſari videatur ordini connaturali, & proportionato tali vnioni. Tum quia ſicut viſio beatifica dicitur connaturalis intellectui informato lumine gloriæ, licet intellectui ſumpto ſit ſupernaturalis, ita etiam gratia habitualis, licet ſit ſupernaturalis animæ Chriſti per ſe conſideratæ, & præcisè ſumptæ, eſt tamen ei connaturalis, quatenus vnita eſt Verbo hypoſtaticè; ei enim debebatur ratione vnionis. Ita S. Auguſtinus in Enchirid. cap. 40. vbi dicit gratiam quodammodo factam eſſe Chriſto naturalem ratione vnionis, quem locum S. Thomas q. 7. art. 13. ad 2. intelligendum putat de gratia habituali. Suarez diſp. 18. ſect. 3. concluſ. 2. Becanus cap. 8. quæſt. 2. num. 2. Vaſquez 3. par. diſp. 24. cap. 2. num. 8.

SEXTA PROPOSITIO.

15 Gratia Chriſti habitualis non fuit infinita quoad eſſentiam, neque quoad entitatem phyſicam, ſeu quoad intenſionem graduum, ſed moraliter tãtum. Hęc propoſitio tres continet partes.

Prima eſt, gratiam Chriſti habitualem non fuiſſe infinitam quoad eſſentiam. Ratio eſt, quia ſolius Dei proprium eſt eſſe infinitũ quoad eſſentiam, nam eſſentiali perfectione non poteſt dari maior; implicat autem creaturam eſſe infinitam quoad eſſentiam, cum perfectio creaturæ ſit minor perfectione Dei; ita Doctores ſtatim citandi.

Secũda pars eſt, perfectionẽ Chriſti nõ fuiſſe infinitam entitatiuè, ſeu quoad intenſionem graduum. Ratio eſt. Tum quia gratia vnionis eſt finita entitatiuè; eſt enim modus ſubſtantialis accomodatus naturæ createę. Ergo multo magis gratia habitualis, quæ collata fuit Chriſto intuitu gratiæ vnionis, entitatiuè finita eſt. Tum quia anima Chriſti quoad entitatem eſt finita; ſed entitas finita, naturaliter loquendo, non eſt capax entitatis infinitæ. Ergo anima Chriſti nõ eſt capax gratię infinitę. Ita Doctores ſtatim citandi.

An autem anima Chriſti ſupernaturaliter, ſeu per potentiam obedientialem fuerit capax gratiæ entitatiuè infinitæ, alia quæſtio eſt, quæ in phyſicis agitari conſueuit, dum quęritur, Vtrum Deus producere poſ-

poſſit infinitum actu. Ego quidem ſemper adhæſi opinioni affirmatiuę, quamuis pro contraria ſententia non deſint magni Doctores, & grauiſſima argumenta, quorum explicatio non eſt huius loci.

Obijcies primo contra hanc ſecundam partem. Chriſto data fuit perfectiſſima gratia, ſed non implicat dari gratiam infinitã intenſiuè. Ergo Chriſto data fuit gratia infinita intenſiuè, alioquin data ei non fuiſſet gratia perfectiſſima. Confirmatur quia Chriſtus dicitur habuiſſe plenitudinem gratiæ, Ioannis 1. *Plenum gratiæ, & veritatis.*

Reſpondeo Chriſto datam fuiſſe perfectiorem gratiam, quam vllus hominum receperit, vel recepturus ſit; non tamen hinc ſequitur Chriſtum recepiſſe gratiam infinitam, cum id gratis dicatur, & ſine miraculo fieri non poſſit; non ſunt autem multiplicanda miracula abſque neceſſitate.

Obijcies ſecundo, ſi gratia Chriſti eſt actu finita quoad entitatem, ſequitur aliquem hominem poſſe in gratia ita augeri, creſcere, & proficere, vt perueniat ad gradum gratię Chriſti, vel etiam progrediatur, ſuperet, & excedat; quilibet enim in hac vita poteſt ſemper proficere, & plures, & plures gratiæ gradus ſẽper acquirere, conſequenter peruenire poteſt ad gradũ gratiæ alterius; quodlibet enim finitum poteſt per continuum augmentũ alterius finiti æquari, & ſuperari; ſed falſum eſt hominẽ poſſe ita in gratia proficere, vt æquet, vel ſuperet gradum gratiæ Chriſti, vt patet ex Clement. ad noſtrum, de hæret. Ergo etiam falſum eſt gratiam Chriſti eſſe finitam quoad entitatem, ſeu quo ad intenſionẽ.

Reſpondeo aliquem hominem, inſpecta ſolum natura ipſius gratiæ præciſè, poſſe in gratia ita proficere, vt æquet, vel ſuperet gratiam Chriſti. Verum ſi ſpectemus latitudinem gratiæ poſſibilem ſecundum legem ordinariam, nullus poteſt peruenire ad gradum gratię Chriſti; cum enim Deus præuiderit gradum gratiæ, ad quem ſinguli Angeli, & homines, et ſanctiſſimi peruenturi ſunt, Deus decreuit Chriſto gradum gratiæ longè maiorem, & ſuperiorem, ad quem homines de lege Dei ordinaria peruenire non poſſunt, inſpecta latitudine gratiæ ſecundum legem ordinariam. Ita Valentia diſp. 1. q. 7. pun. 2. col. 5. verſ. ſed contra, & alij.

Tertia pars eſt, gratiam Chriſti fuiſſe infinitam quo ad æſtimationẽ moralem. Ratio eſt, tum quia ſicut Chriſti humanitas propter vnionem cum Verbo fuit infinitæ cuiuſdam dignitatis, & infinitè placuit Deo, ita etiam gratia, quæ mediante vnione vnitur perſonæ Verbi, recepit ſuo modo infinitam dignitatem. Tũ quia gratia habitualis ratione vnionis fuit principium infiniti meriti, quod infinitis hominibus prodeſſe poteſt. Ergo moraliter eſt infinita. Ita S. Thomas q. 7. art. 11. & 12. Caietanus, & Medina ibid. Vaſquez de Incarnat. diſp. 46. cap. 2. & 3. Valentia tom. 4. diſp. 1. quęſt. 7. pun. 2. verſ. 2. quæſito. Suarez diſp. 22. ſect. 1. Becanus cap. 8. q. 3. Tannerus diſp. 1. q. 5. dub. 1. aſſert. 5. nu. 17. Peſantius q. 7. art. 11. diſp. 1.

SEP-

SEPTIMA PROPOSITIO.

16 GRatia habitualis Chriſti de potentia ordinaria Dei non potuit augeri, poteſt verò per potentiam Dei abſolutam. Quod non potuerit augeri per potentiam ordinariam probatur, tum quia decretum Dei mutari non poteſt; ſed Deus tot gratiæ gradus decreuit Chriſto. Ergo non potuit plus gratiæ conferre. Tum quia gratia beatorum non augetur. Ergo neque augeri potuit gratia Chriſti, cum Chriſtus ab inſtanti Conceptionis fuerit beatus. Tũ quia gratia habitualis collata fuit Chriſto intuitu vnionis hypoſtaticæ. Sed vnio hypoſtatica non potuit eſſe maior; nulla enim maior vnio inter creaturas aſſignari poteſt, quam naturæ creatæ ad perſonam Sanctiſſimæ Trinitatis incarnatam. Tum quia maior eſſe debet gratia in capite, & fonte, quam in alijs; Chriſtus autem eſt caput, & fons omnis gratiæ, à quo omnis gratia emanat, iuxta illud, *De plenitudine eius nos omnes accepimus*. Ergo & cæt. Ita Doctores proximè citandi.

17 Dices, *Chriſtus proficiebat ſapientia, ætate, & gratia apud Deum, & homines*, Lucæ 2. Ergo gratia Chriſti de potẽtia Dei ordinaria augeri potuit, & aucta fuit.

Reſpondeo primo cum S. Thom. art. 12. ad 3. Vaſq. d. 47. ca. 1. Tannero num. 26. & alijs, Chriſtum non profeciſſe quoad intenſionem habitus ipſius gratiæ, ſed quoad effectus gratiæ, quos in dies præſtabat, ſeu quoad opera, quæ apta ſunt efficere animam Deo gratam, ſi à puro homine viatore præſtentur.

Reſpondeo cum S. Athanaſio, Cyrillo, & alijs, profeciſſe non re ipſa, ſed opinione hominum, ſeu manifeſtatione; ex operibus enim Chriſti gratia ipſius manifeſtior fiebat, & de gratia ipſius magis apud homines percreſcebat opinio.

18 Quod verò gratia Chriſti augeri potuiſſet per potẽtiam Dei abſolutam, probatur, tum quia gratia Chriſti non fuit ſumma, ſed finita. Ergo potuit augeri, & re ipſa aucta fuiſſet, ſi Deus ab æterno maiorem gratiæ gradum conferre decreuiſſet. Tũ quia gratia ex ſua natura nõ habet terminum. Ergo magis, & magis augeri, & creſcere põt. Tũ quia potentia Dei eſt infinita, & anima potentiam habet obedientialem, per quam recipere poteſt omnem gratię gradum, qui non implicet contradictionem. Ergo Deus maiorem gratiæ gradum animæ Chriſti conferre, & anima Chriſti illum recipere potuit. Ita S. Thomas de Incarnat. qu. 10. art. 4. ad 3. Vaſq. diſp. 47. cap. 3. & 4. Valentia d. 1. q. 7. pun. 2. Suarez diſp. 22. ſect. 2. col. 5. Peſantius q. 7. art. 12. d. 1. Tannerus d. 1. quæſt. 5. dub. 1. aſſert. 6. num. 20. Becanus c. 8. q. 4. Magiſter, Capreolus, Ocham, & alij apud præcit. Doct.

Obijcies, Chriſtus habuit plenitudinem gratiæ, Ioannis 1. *Plenum gratiæ, & veritatis*. Ergo gratia Chriſti augeri non potuit, alioquin Chriſtus non diceretur habuiſſe plenitudinem gratiæ.

19 Reſpondeo, Chriſtũ habuiſſe plenitudinem gratiæ, non ſolum ratione

tione vnionis hypoſtaticæ, aut diuinitatis, quę ei communicata fuit mediante ſubſiſtentia diuina, verum etiam ratione gratiæ habitualis, & aliorum donorum, quorum copia, & abundantia Chriſto collata fuit præ cæteris. Nõ tamen hinc licet inferre, infinitũm gratiæ gradũ Chriſto collatum fuiſſe; nam etiam nonnulli alij ſancti plenitudinem gratiæ accepiſſe referuntur, vt Beatiſſima Virgo Lucæ 1. *Aue gratia plena*, & S. Stephanus Actor. 6. *Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine*; & tamen conſtat ipſos præditos non fuiſſe infinita gratia, aut eo gratiæ gradu, quem Chriſtus Dominus Ieſus habuit. Quamobrem Chriſtus comparatur fonti, cum ab ipſo omnis gratia dimanet; Beatiſſima Virgo Maria comparatur flumini, in quod aqua copioſè tranſmittitur à fonte; alij ſancti comparantur riuulis, in quos minor aquæ copia profluit. Ita S. Thomas quæſt. 7. art. 9. & 10. Suarez diſp. 22. ſect. 2. Vaſquez diſp. 45. cap. 2. num. 7. & 8. Becanus cap. 8. quæſt. 4. Tannerus d. 1. q. 5. dub. 1. n. 20. & 55. & alij.

20 Quæres, Vtrũ ſicut gratia habitualis in Chriſto augeri potuiſſet de potentia abſoluta, ita etiam augeri potuerit gratia vnionis.

Reſpondeo negatiuè, quia in creatis dari non poteſt vnio præſtantior vnione naturæ cum perſona Sanctiſſimæ Trinitatis.

Punctum Secundum.

An Chriſtus præter gratiam habitualem habuerit etiam gratiam actualem, vel ea indiguerit.

1 ***Chriſtus non habuit, nec indiguit gratia actuali excitante.***

2 ***Chriſtus non indiguit gratia adiuuante.***

PRo ſolutione præmittendum eſt, gratiam actualem aliã eſſe excitantem, aliam adiuuantem. Gratia excitãs conſiſtit in ſancta cogitatione, per quam voluntas excitatur, & mouetur ad benè operandum; gratiã verò adiuuans cõſiſtit in auxilio, ſeu concurſu ſupernaturali, quo homo adiuuatur ad benè operandum, ſiuè hoc auxilium ponatur in habitu ſupernaturali, quo potentia eleuatur ad actus ſupernaturales eliciendos, ſiue in ſupernaturali cõcurſu, vt clarius conſtabit ex dicendis de gratia. Hoc poſito prius explicabo, an Chriſtus indiguerit gratia excitante. Secũdò, an indiguerit gratia adiuuãte.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus, ſeu anima Chriſti, vt beata, non habuit gratiã actualem excitantem, nec illa indiguit. Ratio eſt, quia Chriſtus per viſionem beatam ſufficienter cognoſcebat quicquid boni faciendum erat, aut mali vitandum, & hac cognitione poſita per actũ charitatis, quo ſemper Deum neceſſario dilexit,

Digitized by Google

xit, ſufficienter excitabatur, & inflãmabatur ad benè operandum, & vitandum omne peccatum. Ergo Chriſtus, ſeu anima Chriſti vt beata, non indiguit gratia actuali excitante, nec illam habuit. Ita Suarez diſp. 18. ſect. 4. concluſ. 2. Tannerus diſp. 1. quæſt. 5. dub. 1. quęſito 3. num. 43. Becanus cap. 8. quæſt. 3. num. 4. & alij.

Dixi, anima Chriſti, vt beata, quia ſi per potentiã Dei abſolutam anima Chriſti vnita fuiſſet Verbo abſque viſione beata, ideſt relicta fuiſſet in ſimplici ſtatu viatoris, indiguiſſet gratia actuali excitante, ſicut nos indigemus. Ratio eſt, quia vnio hypoſtatica nõ immutat capacitatem naturalem, nec vires præſtat ad operandum, ipſa enim vnio per ſe, ac formaliter terminatur ad ſubſiſtendum, & tam ipſa, quam ſubſiſtentia, non eſt formale principiũ, vel ratio efficiendi aliquid, vt ſupra probatum fuit; ſed potentia naturalis nõ eſt ſufficiens ad ſupernaturaliter operandum abſque gratia excitante, vel abſque aliquo alio dono ſupplente vices gratię excitantis. Ergo anima Chriſti, præciſè ſumpta abſque ſtatu beatitudinis, non potuiſſet ſupernaturalia bona opera facere, aut peccata omnia vitare abſque gratia excitante; conſequenter indiguiſſet gratia actuali. Imò huiuſmodi auxilium, ſeu gratia excitans denegata nõ fuiſſet animę Chriſti hypoſtaticè vnitæ Verbo, quia cum Chriſtus ab intrinſeco, & ex natura rei ſit impeccabilis ex vi vnionis hypoſtaticæ, non potuiſſet hoc auxilium ei, etiam de potentia abſoluta, denegari; nobis verò denegari poteſt tam de potentia ordinaria, quam de abſoluta, quia non eſt nobis debitum, niſi ex liberalitate Dei; ita Suarez ſect. 4. citata ad finem.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 CHriſtus, ſeu anima Chriſti, vt beata, non indiguit gratia adiuuante. Ratio eſt, tum quia poſito lumine gloriæ in intellectu Chriſti, & habitu charitatis in ipſius voluntate, Chriſtus ſufficienter diſpoſitus erat ad benè operandum, & ad euitanda peccata. Ergo non indigebat ſpeciali gratia adiuuante. Tum quia beati in cęlo non indigent gratia adiuuante. Ergo neque Chriſtus indiguit, cum beatus eſſet. Tum quia gratia adiuuans, vel confertur ad ſupernaturaliter operandum, vel ad vitanda peccata; ſed Chriſtus ſupernaturaliter operari poterat cum habitu luminis gloriæ, & habitu charitatis abſq; alia gratia adiuuante. Præterea erat impeccabilis, tam vi viſionis beatificæ, quam vi vnionis hypoſtaticæ; qui autem impeccabilis eſt, nõ indiget gratia ãdiuuãte ad vitanda peccata. Ergo Chriſtus, ſeu anima Chriſti, vt beata, non indiguit gratia adiuuante. Ita Becanus loco citato contra Suarez loco citato concluſ. 1. & Tannerum loco citato, aſſerentes gratiam adiuuantem ita neceſſariã fuiſſe Chriſto ad ſupernaturales actus eliciendos, ſicut nobis.

Obijcies cum Suarez, iſti actus reſpectu animæ Chriſti, & potentiarum eius, ſunt ſupra vires naturales animæ, & potentiarum. Ergo ſunt ſupernaturales. Ergo neceſſarius eſt con-

cõcurſus ſupernaturalis ad illos actus eliciendos; ſicut enim neceſſarius eſt cõcurſus ad eliciendos actus naturales, ita multo magis neceſſarius eſt ad eliciendos actus ſupernaturales; hic autem concurſus ſupernaturalis dicitur gratia adiuuans. Ergo Chriſtus indiguit gratia adiuuante.

Reſpondeo, iſtos actus reſpectu animæ Chriſti, & potentiarum eius non informatarũ habitu luminis gloriæ, & habitu charitatis, eſſe ſupra ipſarum vires, & conſequenter eſſe ſupernaturales. Secus ſi conſiderentur, vt eleuatæ, & informatæ ipſis habitibus; actus enim ſupernaturalis elicitus à potentia informata habitu ſupernaturali, eſt veluti connaturalis ipſi potentiæ. Neque obſtat concurſus ille ſupernaturalis, quo Deus concurrit cum anima ad eliciendos actus ſupernaturales; nam hic concurſus non vocatur gratia adiuuans, tum quia huiuſmodi cõcurſus prouenit à Deo, tanquam à cauſa prima vniuerſali, quæ operatur iuxta exigentiam cauſarum ſecundarum. Tum quia hic concurſus eſt debitus animæ informatæ huiuſmodi habitibus, conſequenter nõ vocatur gratia adiuuans; ſicut enim concurſus, quem Deus præſtat cauſis naturalibus ęd naturaliter operandum iuxta ipſarum exigentiam, non vocatur gratia, quia debitus eſt cauſis naturalibus, ita &c.

Dixi in ſecunda propoſitione, Chriſtus, ſeu anima Chriſti vt beata, quia ſi anima Chriſti de potẽtia abſoluta Dei nõ fuiſſet beata, indiguiſſet gratia adiuuante; ipſa enim non habuiſſet in ſe ſufficiens principium ad ſupernaturales actus eliciendos; ſed opus fuiſſet, vt Deus ſuo concurſu ſuppleret vices habituum, & hic concurſus vocandus eſſet gratia adiuuans, vt per ſe patet.

Punctum Tertium.

An in Christo fuerint etiã gratiæ gratis datæ.

1 *Gratiæ gratis datæ fuerunt in Christo.*
2 *Dono linguarum Chriſtus veroſimiliter aliquando vſus fuit.*
3 *Fides quomodo dicatur fuiſſe in Chriſto.*
4 *Prophetia in Chriſto fuit.*

IN hoc puncto explicabo Primò, quænam ſint gratiæ gratis datæ: Secũdò, An Chriſtus illas habuerit.

PRIMA PROPOSITIO.

GRatiæ gratis datæ ſunt iſtæ nouem; videlicet, ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, fides, gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum, genera linguarum, interpretatio ſermonum, quas gratias ſingillatim hoc ordine enumerat S. Paulus 1. Cor. 12.

SECVNDA PROPOSITIO.

1 OMnes gratiæ gratis datæ in Chriſto extiterũt iuxta probabiliorem Doctorum ſententiam. Ratio eſt, tum quia prædictæ gratiæ dãtur ad vtilitatem hominum, *Vnicuique*, inquit Apoſtolus loco citato, ***datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem,***

tem, & cæt. Ergo maximè datæ ſunt Chriſto, qui totus ad vtilitatem, & ſalutem animarum deditus fuit; *Venit enim peccatores ſaluos facere*. Tum quia, *Sicut in capite ſunt omnes ſenſus*, inquit S. Auguſtinus Ep. 57. ad Dardanum, *ita & in Chriſto omnes gratiæ*: Chriſtus enim eſt caput Eccleſię. Tũ quia hominibus his gratijs carentibus imperfectioni adſcribitur priuatio, ſeu carentia iſtarum gratiarum. Ergo aſſerendum non videtur Chriſtum his gratijs caruiſſe; ita S. Tho. q. 7. art. 7. Suarez diſp. 21. Valentia quæſt. 7. pun. 5. Becanus ca. 8. quæſt. 6. Tannerus diſp. 1. quæſt. 5. num. 54. Vaſquez quæſt. 7. art. 7. & 8. num. 9. & ſeqq. & alij.

An autem iſta dona ſint habitus inter ſe verè diſtincti, videri poteſt apud Vaſquez num. 9. & Suarez loco citato.

2 Objicies primo, Chriſtus nunquam vſus fuit dono linguarum; vt colligi videtur ex loco illo Matthęi 15. *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt, domus Iſrael*, vbi ſcilicet materna lingua Chriſto ſufficiebat. Ergo Chriſtus non habuit donum linguarum; nam huiuſmodi dona maximè cõſiſtunt in vſu, vel ad vſum dirigũtur. Si ergo Chriſt⁹ vſus nõ eſt his donis, non videtur excultus, & præditus fuiſſe his donis; fruſtra enim eſt potentia, cuius nullus eſt actus; Ideò Eccleſ. 20. dicitur *Sapiẽtia inuiſa, & theſaurus abſconditus, quæ vtilitas in vtriſque?*

Reſp. non defuiſſe Chriſto notitiã omnium linguarum. Tum quia ei nota etiam erant abſcondita cordium. Tum quia non fuit inferior Apoſtolis. Tum quia Chriſtus fuit perfectiſſimus Doctor. Ergo par fuit, vt præditus eſſet donis doctrinalis muneris, vt ſunt gratiæ gratis datæ. Tum quia licet fortè in concionibus vſus non fuerit dono linguarum; credi tamen facilè poteſt ipſum hoc dono vſum fuiſſe, dum priuatim conſuetudinem cum gẽtilibus habebat, vel dum Epiſtolas ad aliquẽ alieni dogmatis ſcribebat, & licet nobis certò non conſtet Chriſtũ hoc dono vſum fuiſſe, par tamen erat, vt illo tam ipſe, quam Apoſtoli, præditi eſſent, vt illis vti poſſent, dum opus fuiſſet. Ita Doctores citati.

3 Objicies ſecundo, Chriſtus ſemper habuit claram Dei viſionem. Ergo non habuit fidem; fides enim ſtare non poteſt cum clara Dei viſione, cum fides includat obſcuritatẽ; *eſt enim argumentum non apparentium*, inquit Apoſtolus.

Reſpondeo nomine fidei, quam dicimus eſſe donum Spiritus Sancti, nõ intelligi fidem Theologicam, qua credimus myſterijs fidei à Deo reuelatis; hæc enim obſcura eſt, & aduerſatur claræ cognitioni Dei; ſed vel intelligi fidem miraculorũ, quæ conſiſtit in fiducia, qua præditus hac fide firmiter aſſentitur, & credit Deum adfuturum in patrandis miraculis, vel intelligi ſingularem quandam certitudinem, & intelligentiam rerum fidei, vel intelligi gratiam facilè, & conuenienter eloquendi, & proponendi res fidei, vt etiam à rudioribus percipi, & intelligi poſſint. Ita Suarez diſp. 21. ſect. 1. Vaſquez quæſt. 7. art. 7. Becanus cap. 8. quæſt. 6. Tanner. diſp. 1. q. 5. dub. 1. nu. 48. licet alij aliter loquantur, vt Valentia d. 1. q. 7. pun. 5.

4 Obij-

Digitized by Google

4 Obijcies tertio, Clara cognitio, & viſio, quam Chriſtus habuit, ſtare nō poteſt cum prophetia, nam Propheta non clarè cognoſcit futura. Ob id 1. Chor. 3. dicitur, Prophetias in cęlo non futuras, *ſiue prophetię ceſſabunt*, & cæt. Ergo Chriſtus præditus non fuit dono prophetiæ, cum beatitudine perfrueretur, & conſequenter claram beatorum cognitionem haberet.

5 Reſpondeo negando, claram cognitionem ſtare non poſſe cum prophetia; nam prophetia nihil aliud eſt, quam prædictio futurorum vltra humanas coniecturas, ſeu cognitio rei occultæ procul diſſitæ, ac remotæ à cognitione illius ſtatus, in quo homo reperitur; ſeu cognitio ſupernaturalis eorum, quæ diſtant, habita ratione ſtatus cognoſcentis; cum ergo Chriſtus cognouerit occulta, & prædixerit futura, quę ſecundum ſtatum viatoris, in quo etiam Chriſtus in terris exiſtebat, longè diſtabant, ſeu naturalem cognitionem ſuperabant, prophetæ nomen iure merito Chriſto adſcribitur. Quamobrem de ratione prophetiæ non eſt clara, vel obſcura cognitio; ſed cognitio, & prædictio futurorum vltra humanas coniecturas, ſiue ſit clara, ſiue obſcura cognitio. Quamquam qui clariorem habet futurarum rerum cognitionem, dicitur maior Propheta: ideò ſicut Moiſes præfertur alijs Prophetis, quia clariorem habebat futurorum cognitionem, Numer. 12. Ita Chriſtus vocandus eſt maximus Propheta, non ſolum quia Lucæ 7. dicitur, *Propheta magnus ſurrexit in nobis*, Verum etiam quia clariſſimè omnia cognouit; habebat enim beatificam viſionem, qua futura cognoſcebat, & prædicebat. Ex quo fit, vt prophetica cognitio Chriſti re ipſa diſtincta non fuerit à cognitione ſupernaturali, quam Chriſtus habebat ratione viſionis beatificæ.

Neque obſtat dicere, prophetias in patria ceſſaturas; dico enim ceſſaturas, non quoad eſſentiam prophetiæ, quæ conſiſtit in prędictione futurorū vltra humanas vires, ſed quoad vſum, & exercitium actus externi; vel quoad denominationem; nam ſicut Chriſtus, & Beati non dicuntur Prophetæ, quia cognitio futurorum, quam modò habent, non ſuperat vires, & conditionem ſtatus beatitudinis, qua perfruūtur; ita nec alij, qui futuri ſunt Beati, vocabūtur Prophetæ, quia cognitio futurorum, quam tunc habebunt, non ſuperabit conditionem ſtatus, in quo tunc exiſtent. Ita Vaſquez quæſt. 7. art. 8. Suarez diſp. 21. ſect. 1. Tannerus, Becanus, & alij locis cit.

Punctum Quartum.

An in Christo fuerint virtutes, præſertim Theologicæ & morales, & dona Spiritus Sancti.

1 *Chriſtus habuit omnes virtutes, quæ non repugnant vnioni hypoſtaticæ, aut viſioni beatificæ.*

2 *Charitas in Chriſto fuit.*

3 *Fides non fuit in Chriſto quo ad actum, vel quo ad habitum.*

4 *Spes non fuit in Chriſto quo ad actū, vel quo ad habitum.*

5 *Virtutes morales per ſe infuſæ, fuerunt in Chriſto.*

Digitized by Google

6 *Liberalitas, & magnificentia quomodo exercita fuerit à Chriſto.*
7 *Temperantia virtus in Chriſto fuit.*
8 *Continentia eſt virtus, ſed non diſtincta à temperantia.*
9 *Pœnitentiæ virtus quomodo dicatur fuiſſe in Chriſto.*
10 *Virtutes morales acquiſitæ fuerunt in Chriſto, ſicut in ipſo fuerunt virtutes morales infuſæ.*
11 *Chriſtus aliquãdo operatus eſt actus naturales, & meruit dirigendo illos ad finem ſupernaturalem.*
12 *Dona Spiritus Sãcti fuerunt in Chriſto.*
13 *Timor quomodo dicatur fuiſſe in Chriſto.*
14 *Dona Spiritus Sancti an diſtinguantur à virtutibus.*

VNICA PROPOSITIO.

1 IN Chriſto fuerunt omnes virtutes, quæ non repugnãt vnioni hypoſtaticæ, aut viſioni beatificę. Ratio eſt, quia imperfectioni adſcribitur carere virtutibus, & perfectionibus, quæ proprio ſtatui non aduerſantur. Ergo in Chriſto fuerunt omnes virtutes, quę nõ repugnant vnioni hypoſtaticæ, aut viſioni beatificæ; Chriſtus .n. nulla imputari, vel adſcribi poteſt imperfectiò. Ita S. Thomas quæſt. 7. artic. 2. Vaſquez diſp. 42. cap. 1. Iannetus diſp. 1. quæſt. 5. dubio 1. quæſito 2. num. 28. Suarez quæſito 7. in comment. artic. 2. S. Thomæ.

Obijcies, Chriſtus habuit abundantiã gratiæ, quæ ſufficit ad omnia rectè agenda, iuxta illud 2. Corinth. 12. *Sufficit tibi gratia mea*. Ergo aſſerendum non eſt in Chriſto fuiſſe virtutes, alioquin iſtæ ſuperfluæ fuiſſent, vel gratia Dei ſufficiẽs non fuiſſet.

Reſpondeo cum Sancto Thoma quæſt. 7. art. 2. ad 1. Chriſtum habuiſſe abundantiam gratiæ, quæ ſufficit ad omnia rectè agenda, vel per ſe ipſum immediatè, vel mediantibus virtutibus.

2 Ex dictis colligitur primò, in Chriſto fuiſſe charitatem. Tum quia hæc non repugnat vnioni, & viſioni beatificæ. Tum quia Ioannis 15. dicitur, *Ego Patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione*. Tum quia Chriſtus habuit gratiam habitualem ſanctificantem, vt ſupra oſtenſum fuit. Ergo etiam habuit charitatem, cum hæc ſit virtus Theologica, quæ à gratia ſeparari non poteſt, vt alibi oſtendi.

3 Secundò colligitur in Chriſto nunquam fuiſſe fidem, non ſolum quo ad actum, verum etiam quo ad habitum. Quod in Chriſto non fuerit fides quoad actũ. Ratio eſt, quia hæc repugnat ſtatui beatitudinis; Chriſtus enim ab inſtanti Conceptionis habuit claram viſionem Dei, & nunquam habuit reuelationem obſcuram, ſed ſemper claram viſionem. Ergo nunquam habuit fidem quoad actum; nam *Fides eſt obſcura cognitio rei, ſeu argumentum non apparentium*, Hebręorum 11. Fieri autem non poteſt, vt eadem res eodem tempore clarè cognoſcatur, & obſcurè; implicat .n. vnum, & idem ſimul eſſe clarum, & non clarũ, euidens, & nõ euidens, obſcurũ, & non obſcurum.

Tum

tum quia in Beatis non remanet fides. 1. Corint. 13. *Cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt; nunc videmus per ſpeculum, & in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* Ergo neque manſit in Chriſto, qui ab inſtanti Conceptionis beatus fuit.

Quod verò in Chriſto non fuerit fides quoad habitū. Ratio eſt, quia fruſtra conſeruatur habitus, cuius nullus eſt actus; (habitus enim eſt propter actum, & ob id vocatur diſpoſitio perfecti ad optimum, id eſt ad actum;) ſed Chriſtus non potuit habere actum fidei, cum ſemper claram Dei cognitionem habuerit. Ergo in Chriſto non fuit habitus fidei; fruſtra enim eſt habitus, cuius nullus eſt actus. Ita Sanctus Thomas de Incarnat. q. 7. art. 3. & alij DD. communiter teſte Suarez in comment. dicti art. 3. & patet ex ijs quæ tradidi de virtute fidei in tract. de Legibus d. 3. q. 2. punct. 1.

Obijcies primo, in Chriſto fuerunt virtutes morales, vt oſtendam propoſitione quarta. Ergo fuit etiā fides, quæ eſt virtus præſtantior virtutibus moralibus.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia fides repugnat ſtatui beatifico, quem Chriſtus ſemper habuit; virtutes autem morales illi ſtatui nō repugnāt. Ita S. Thomas art. 3. citato ad 1. Valentia, Suarez, & Tannerus ibid. & alij communiter.

Obijcies ſecundo, Iſaiæ 11. habetur, *Erit fides cinctorium renum eius*; ſed ibi ſermo eſt de Chriſto. Ergo in Chriſto fuit fides.

Reſpondeo, eo loci ſermonem nō eſſe de virtute Theologica, de qua nos hic loquimur, ſed de fide morali, quæ ſignificat fidelitatem, ſeu cōſtantiam, & veritatem in ſeruandis promiſſis. Ita Suarez loco citato. Puteanus ibidem art. 3. ad finem, & alij.

Obijcies tertio, Chriſtus nō docuit virtutes, quas ipſe non habuit, iuxta illud Actor. 1. *Cœpit facere, & docere; ſed Chriſtus fuit author, & conſummator fidei*, Hebreorum 12. Ergo in Chriſto fuit fides.

Reſpondeo primo, ad maiorem propoſitionem, Chriſtum non docuiſſe virtutem, quam ipſe nō haberet formaliter, aut eminenter, ſeu virtualiter; in Chriſto autem virtus fidei eminenter continebatur, cum ipſe per viſionem beatificam clarè videret, quæ obſcurè per fidem cognoſcuntur.

Reſpondeo ſecundo, cum S. Thoma ad 2. in Chriſto fuiſſe actū fidei quoad meritum; hoc enim conſiſtit in obſeruantia, & obediētia eorum, quæ homo non videt; Chriſtus autē pleniſſimam, & perfectiſſimam habuit obedientiam, & obſeruantiam mandatorum Dei, iuxta illud ad Philippen. 2. *Factus eſt obediens vſque ad mortem.*

Obijcies quarto, fides non ſolum verſatur circa Deum, uerum etiam circa res alias à Deo reuelatas. Ergo licet Chriſtus non habuerit fidem circa Deum, fieri tn̄ poteſt, vt illā habuerit circa alias res reuelatas.

Reſpondeo primo, iuxta ſententiam multorum Doctorum, eadem viſione, qua Deus uidetur, clarè etiā

videri creaturas,& ſic cognitionem, qua res à Deo reuelatę cognoſcuntur, non eſſe actum fidei.

Reſpondeo ſecundo, Chriſtum nō habuiſſe fidem etiam circa alias res à Deo reuelatas, quia illas non cognouit per reuelationem fide creditam, ſeu obſcurè cognitā, ſed propter authoritatem, & reuelationem Dei clarè, & intuitiuè cognitam; ſicut Beati multa in cęlis cognoſcere perhibentur, quæ tamen nō credūt. Fide Theologica; ſed actu nobiliori, quā ſit actus fidei. Quia id cognoſcunt per reuelationem clarè cognitam. Ita Becanus cap. 8. quæſt. 7. & alij quos referam de fide.

4 Tertio colligitur in Chriſto nō fuiſſe virtutem ſpei, non ſolum quoad actum ipſius virtutis præcipuum, verum etiā quo ad habitum. Quod non fuerit quoad actum pręcipuum, ratio eſt, tum quia huiuſmodi actus repugnat viſioni Dei; nam actus pręcipuus ſpei fertur in Deum tanquā abſentem, & nondum poſſeſſum; ſperamus enim, & deſideramus ea, quæ nondum adepti ſumus; Chriſtus autem ab inſtanti Conceptionis poſſedit Deum per claram viſionem. Ergo nunquam habuit ſpē quoad præcipuum ipſius actum. Tum quia in reliquis Beatis non eſt ſpes. Ergo neque in Chriſto, cum ab inſtanti Conceptionis Beatus fuerit. Ita communiter Doctores.

Dixi, quo ad actum ipſius virtutis præcipuum; nam quo ad actus quoſdam ſecundarios, vt eſt amor concupiſcentiæ erga Deum clarè viſum, gaudium, & delectatio de huiuſmodi viſione, ſpes beatitudinis alienæ, &c. dicendum eſt ſpem fuiſſe in Chriſto; iſti enim actus non aduerſantur ſtatui beatitudinis. Idem dic de actu deſiderij, quo Beatus deſiderat beatitudinem proprij corporis; hic enim eſt actus ſpei ſecundarius, quem Chriſtus habuit; nam quilibet deſiderare poteſt bonum, quod nondum habet; ſed Chriſtus ante mortem non habuit beatitudinem, & gloriam quo ad corpus. Ergo potuit illam deſiderare, & ſperare. Ita communiter Doct.

Quod verò in Chriſto non fuerit ſpes quo ad habitum. Ratio eſt, tum quia, *Vbi non eſt fides, neque eſt ſpes*, ex Auguſt. in Enchirid. cap. 7. In Chriſto aūt nō fuit fides, vt probatū eſt illatione 2. Tum quia fruſtra cōſeruatur habitus, vbi non poteſt eſſe pręcipuus ipſius actus; habitus enim eſt diſpoſitio perfecti ad optimū ipſius actum: In Chriſto autem non potuit eſſe præcipuus, & primarius actus ſpei, & alijs actus ſecundarij elici poſſunt ab anima ſupplēte Deo vicem habitus ſpei per ſuam aſſiſtētiam, vel potius ab anima informata habitu charitatis; conſequenter præfati actus reduci poſſunt ad habitū charitatis, quo Deus, & Beati prædi tiſunt. Ita S. Thomas quæſt. 7. artic. 4. & alibi, Valentia, & alij quos retuli de Legibus diſp. 3. quæſt. 2. pun. 1. num. 7. Cabtera de Incarnatione quæſt. 7. art. 4. Caietanus, Medina, & alij contra Suarez quæſt. 7. art. 4. Becanum cap. 8. quæſt. 8. num. 4. Tannerum diſp. 1. quæſt. 5. dubio 1. num. 32. & alios in Chriſto admittentes habitum ſpei.

5 Quarto colligitur, in Chriſto fuiſſe virtutes morales per ſe infuſas, uidelicet prudentiam, iuſtitiam, for-

Digitized by Google

fortitudinem, temperantiam, aliaſque virtutes annexas. Ratio eſt; tũ quia iſtæ virtutes non pugnant cum vnione hypoſtatica, & viſione beatifica; tum quia iſtæ virtutes quaſi connaturaliter ſequuntur gratiam habitualem. Tum quia Chriſtus plenus fuit omni bono; ſed omnis virtus eſt bona qualitas mentis. Ergo Chriſtus plenus fuit omni virtute. Tum quia ſicut ſe habet anima ad potẽtias ſuas, ita gratia ad alias virtutes; ſed ab anima deriuantur potentiæ. Ergo à gratia Chriſti, quæ fuit perfectiſſima, procedunt omnes gratiæ. Ergo Chriſtus habuit omnes virtutes; ita agumentari videtur S. Thomas de Incaruat. quæſt. 7. art. 2. in corpore, idemque ſentire videntur omnes alij Doctores.

Obijcies primo, virtus diſtinguitur ab habitu heroico, ſiue diuino, qui cõuenit, & tribuitur diuinis hominibus, ex Ar. 7. Eth. c. 1. Ergo habitus heroicus maximè conuenit Chriſto. Ergo Chriſtus non habuit virtutes; ſed aliquid altius virtute, alioquin virtus non contra diſtingueretur ab habitu heroico, ſiue diuino.

Reſpondeo cum S. Thoma q. 7. art. 2. ad 2. virtutem non differre eſſẽtialiter ab habitu heroico, ſed ſicut imperfectum à perfecto. Ex quo non licet inferre in Chriſto non fuiſſe virtutes, ſed fuiſſe longe perfectiori modo, quam cæteri habeant, ſicut Plotinus ait extare quendam ſublimem modum virtutum, quæ propriè ſunt animi purgati. Vide S. Thomam art. 2. citato, & Suarez in comment. eiuſdem art.

6 Obijcies ſecundo, in Chriſto non fuerunt liberalitas, & magnificentia; nam iſtæ verſantur circa diuitias, quas Chriſtus contempſit, iuxta illud Matth. 8. *filius hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet*. Ergo in Chriſto non fuerunt virtutes morales; liberalitas enim, & magnificentia inter virtutes morales recẽſentur. Idem dic de temperantia, & continentia; iſtæ enim verſantur circa cõcupiſcentias prauas, quas conſtat in Chriſto non extitiſſe. Ergo Chriſtus non habuit virtutes morales.

Reſpondeo, proprium eſſe liberalitatis, & magnificentiæ non ſolum moderari appetitũ, & poſſeſſionẽ diuitiarũ, ſed etiã illas contẽnere propter perfectionis amorẽ. Addo actũ liberalitatis, & magnificentiæ exercitum fuiſſe à Chriſto dum curauit pauperibus erogari eã, quæ ſibi tradebantur, vt colligitur ex illo Ioann. 3. *Quod facis, fac citius*, quo loco diſcipuli intellexerunt Chriſtum mandaſſe, vt aliquid egenis daret. Ita S. Thomas loco citato ad 3.

7 Ex eo verò quod Chriſtus non habuit cõcupiſcentias prauas, non ſequitur ipſum præditum non fuiſſe virtute temperantiæ; ſed hinc potius colligitur virtutem temperantiæ in eo perfectiorem fuiſſe; nam virtus temperantiæ eo perfectior eſt in homine, quo magis prauis concupiſcentijs caret. Continentia verò non dicitur, propriè loquendo, fuiſſe in Chriſto, quia continentia verſatur circa concupiſcentias prauas, quas continens patitur; Chriſtus autem non habuit concupiſcentias prauas.

8 An autem continentia ſit virtus, S. Thomas loco citato ait non eſſe virtutem, ſed aliquid minus vir-

tute. Ego cenſeo non eſſe virtutem ſpecialem diſtinctam à temperātia, ſed eſſe ipſam virtutem temperantię coniunctam cum hac imperfectione, quod continens patitur prauas concupiſcentias, quas temperatus non habet.

Obijcies tertio, in Chriſto non fuit virtus pęnitentiæ; homo enim per virtutem pœnitentiæ deteſtatur peccata à ſe commiſſa; Chriſtus autem nullum peccatum commiſit, nec committere potuit. Ergo in Chriſto non fuerunt omnes virtutes morales per ſe infuſæ, cum virtus pœnitentię inter virtutes morales recenſeatur.

9 Reſpondeo virtutem pœnitentiæ dupliciter conſiderari poſſe. Primo, vt dicit habitum, quo quis deteſtatur peccata à ſe cōmiſſa. Secundò, vt dicit habitum, quo quis deteſtatur peccata, à quocunque commiſſa fuerint, & quo quis intendit ſatisfacere pro offenſa Deo illata. In Chriſto nō fuit virtus pœnitentiæ primo modo, vt dictum eſt in obiectione; ſecūdo verò modo fuit, quia Chriſtus deteſtari poterat offenſam Dei à quocunque factam, & pro illa ſatisfactionē pręſtare. Ita Marſilius, Alexander de Ales, & alij, quos citat, & ſequitur Suarez d. 19. ſect. 1. col. 2. verſ. & hac ſententia, Becanus cap. 8. quæſt. 9. Tannerus diſp. 1. quæſt. 5. dub. 1. num. 38. & alij contra Vaſquez diſp. 42. cap. 1. Valentiam diſp. 1. quæſt. 7. pun. 3. col. 1. verſ. quamobrem, & alios.

10 Quęres, Vtrum ſicut in Chriſto fuerunt virtutes morales infuſæ; ita etiā in ipſo fuerint virtutes morales acquiſitæ, ſiue Chriſtus proprijs actibus illas acquiſierit, ſiue illas per accidens infuſas ſimul cum ipſa gratia ſanctificante acceperit.

Reſpondeo, in Chriſto fuiſſe etiā virtutes morales acquiſitas proprijs actibus. Ratio eſt, tum quia huiuſmodi virtutes nullam includunt imperfectionem cōtrariam vnioni, aut viſioni beatificæ; iſtæ enim virtutes remanent etiam in beatis. Tum quia maior perfectio eſt, virtutes propria induſtria comparabiles acquirere per ſe ipſum, mouendo ſe ad illas per proprios actus, quam eas accipere per infuſionē ab alio; ſed quod perfectius eſt, tribuendum eſt Chriſto. Ergo Chriſtus p proprios actus acquiſiuit virtutes morales, quæ acquiri poſſunt, conſequenter non accepit illas per accidens infuſas cum gratia. Tum quia Chriſtus fuit perfectus homo. Ergo præſtare potuit actiones proprias humanæ naturæ; ſed acquiſitio virtutum moralium eſt actio maximè propria humanæ naturæ. Ergo Chriſtus acquiſiuit virtutes morales. Tum quia non poteſt ſufficiens ratio afferri, cur negare debeamus Chriſtū non exercuiſſe actus naturales virtutum moralium acquiſitarum, ſunt enim ſimpliciter boni; & non repugnant actibus virtutum infuſarum. Ergo exercuit actus naturales virtutum moralium, cōſequenter acquiſiuit virtutes morales, quæ frequentatione actuum acquiruntur. Tum quia Chriſtus acquiſiuit ſciētiam per proprios actus, vt infra oſtendam. Ergo habuit etiā virtutes morales acquiſitas per proprios actus. Ita Valentia diſp. 1. q. 9. pun. 2. col. 3. Becan. c. 9. q. 6. num. 7. & alij contra S. Thomam in 3. diſt. 33. quæſt. 1. art. 4. vbi has virtutes

ait

ait non eſſe in beatis, contra Suarez diſp. 19. ſect. 2. Tannerum diſp. 1. quæſt. 5. dub. 1. num. 39. & alios affirmantes has virtutes Chriſto quidem ineſſe, ſed fuiſſe per accidẽs infuſas animę Chriſti in ſummo gradu perfectionis ab inſtanti ſuæ Conceptionis. Alij exiſtimant Chriſtum per proprios actus acquiſiuiſſe has virtutes in primo inſtanti.

Obijcies primo, Chriſtus vi vnionis hypoſtaticę nũquã potuit peccare, vel pati vllũ inordinatũ animi motũ; habebat enim perfectam affectuũ moderationem, ad quam in alijs hominibus ordinari ſolẽt virtutes morales acquiſitæ. Ergo Chriſtus nunquam habuit virtutes morales acquiſitas, vel ſi illas habuit, dicendus eſt illas recepiſſe per accidẽs infuſas in inſtanti Conceptionis.

Reſpondeo, Chriſtum vi quidem vnionis hypoſtaticæ nunquam potuiſſe peccare, nec habuiſſe inordinatos affectuum motus, vt infra oſtendam; hinc tamen inferendum non videtur, quin potuerit actiones humanas exercere, & ijs acquirere illas virtutes morales, quæ humanis actionibus acquiruntur.

Obijcies ſecundò, Chriſtus nunquam operatus fuit ex motiuo merè naturali; ſemper enim perfectiſſimè operabatur; conſequenter operabatur ex motiuo, & fine ſupernaturali; conſequenter nũquam exercuit operationes virtutum moralium acquiſitarum; conſequenter non acquiſiuit virtutes morales.

14 Reſpondeo negando, Chriſtũ nunquam operatum fuiſſe actus naturales, ſeu ex motiuo naturali; iſti enim actus ſunt ſimpliciter boni, & dirigi poterãt à Chriſto ad finem ſupernaturalem; conſequenter Chriſtus poterat ijs mereri, & ſatisfacere, non vt erant actus naturales præcisè, ſed quatenus ad ſupernaturalem finem dirigebantur.

Obijcies tertiò, Verbum conferre poterat quicquid perfectionis eſt in habitibus acquiſitis. Ergo fruſtra in Chriſto admittimus habitus, ſeu virtutes acquiſitas.

Reſpondeo, Verbum, vt præcisè dicit hypoſtaſim, terminare naturã humanam, & non eſſe operatiuum, vt ſupra dictum eſt; ſi verò Verbum conſideretur, vt prima cauſa, potuiſſet ſupplere vim habituum; ordini tamen naturali conſentaneum fuiſſe videtur, vt ſineret naturam Chriſti humanã operari iuxta propriam ipſius virtutem.

Obijcies quartò, ſi admittamus hac virtutes ſeu habitus in Chriſto acquiſitos, ſequitur Chriſtũ potuiſſe ſucceſſiuè perfici, & non fuiſſe pleniſſimè perfectum ab inſtanti Cõceptionis; iſti enim habitus ſucceſſiuè aucti fuiſſent per bonas operationes morales; hoc autem videtur falſum, tum quia Chriſtus ab initio perfectiſſimus fuit. Tum quia iſti habitus in beatis non augentur.

Reſpondeo primo, ex hac obiectione idem ſequi admittendo Chriſtum per actus ſuos acquiſiuiſſe aliquam ſcientiam, & tamen multi Doctores ſentiunt Chriſtum per actus ſuos acquiſiuiſſe aliquam ſcientiam, vt infra probabo.

Reſpondeo ſecundò, nõ repugnare perfectioni Chriſti accidentalem perfectionem ſucceſſiuam iuxta exigentiam naturæ creatæ in hac vita;

Digitized by Google

peregrinantis. Neque eſt par ratio habituum in alijs beatis; ratio enim differētiæ eſt; tum quia Chriſtus adhuc erat viator. Tum quia actus nō intendit habitum, niſi ſit intenſior illo; actus autem, quos beati in cœlis eliciunt, non ſunt intenſiores habitibus, quibus ipſi præditi ſunt.

12 Quintò colligitur in Chriſto fuiſſe dona Spiritus Sancti, ideſt, Sapientiam, Scientiam, Intellectum, Cōſilium, Fortitudinem, Pietatem, & Timorem Domini. Ratio eſt, tū quia hæc dona non repugnant vnioni hypoſtaticæ, & viſioni beatificæ, nec alia ratione dedecent Chriſtum: ſed ei, præſertim quo ad actus quoſdam internos, & quoad affectum, optimè conueniunt. Tum quia ſic apertè habetur Iſaiæ 11. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini*: quo in loco ſermo eſt de Chriſto, inquiunt Patres; cōſequenter id ſine peccato hæreſis negari non poteſt. Ita S. Thom. q.7. art.5. & 6. Vaſquez diſp. 44. ca. 1. & 2. Valentia diſp. 1. q.7. pun.4. Becanus cap.8. q.10. Tannerus diſp. 1. q.5. dub.1. num.41. & ſeqq. Suar. diſp.20. quæſt.1. & 2. & alij communiter contra Abailardum hæreticū, & nonnullos alios de errore damnatos ab Innocentio Tertio Epiſt. 194. inter Epiſtolas S. Bernardi.

13 Obijcies, inter cętera dona Spiritus Sācti enumeratur timor; ſed timor videt maximę repugnare Chriſto. Tū quia timor eſt fuga mali imminentis, & annexā habere ſolet animi triſtitiam, & anxietatē ex Ariſt. 2. Ethic. cap.5. S. Thoma 2.2. quæſt. 19. art.12. & alijs communiter; *In* Chriſto autem non fuit huiuſmodi fuga, ſeu anxietas; hæc enim prouenit à periculo ſeparationis à Deo, vel à pęna inferenda; Chriſtus autem non timuit ſeparari à Deo, vel puniri propter peccatum, quia erat impeccabilis. Tum quia in Chriſto fuit perfectiſſima charitas, iuxta illud ad Epheſios 3. *Supereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti*; perfecta autem charitas ſtare non poteſt cum timore, iuxta illud Ioannis 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem.*

Reſpondeo, nomine timoris Domini, quē in Chriſto fuiſſe dicimus, intelligi affectum, ſeu actum reuerentiæ, & venerationis erga Deum propter ipſius eminentiam, ex S. Thoma q.7. art. 6. & alijs communiter; huiuſmodi autem affectus non habet annexam anxietatem, nec timet ſeparationem, vel pęnam, ſimulque ſtare poteſt cum perfecta charitate, & ſemper permanet, Pſal. 18. *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſęculi*, & Apocalipſ. 15. *Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum?* ad diſtinctionem timoris ſeruilis, quem charitas foris mittit, quia timor ſeruilis principaliter reſpicit pęnam, vt patet ex dictis de pęnitentia; idemque in terminis docet S. Thomas loco citato ad 3. alias expoſitiones afferunt Suarez diſp. 20. ſect.2. col.3. Tannerus nu. 43. & 44. Vaſquez diſp.44. cap. 2. num. 4. & alij.

14 An autem dona Spiritus Sancti diſtinguantur à virtutibus, magna diſſenſio eſt inter Doctores, nam S. Thom. 1. 2. quæſt.68. art.1. & 3. Caietanus, Medina, & Conradus ibidē,

Va-

Digitized by Google

Valentia tom.2. q. 8. pun. 1. Suarez diſp.20. ſect.2.col.2. verſ. dicẽdum, Tannerus loco cit. num.44. ad finẽ, S. Bonauentura, & alij affirmant diſtingui. Ratio eſt, quia licet dona ſint habitus ſupernaturales, & infuſò, nihilominus diſtinguũtur à virtutibus, quia virtutes perficiunt hominem quatenus eſt aptus moueri iuxta ipſam rectam rationem, ſiue naturalem, ſiue etiam per virtutes ſupernaturales; dona verò perficiunt hominem quatenus moueri poteſt per peculiares inſpirationes, & inſtinctus Spiritus Sancti.

Scotus verò in 3.diſt.34.q. vnica, Gabriel ibid. art.2. Vaſquez 1.2. d. 89. cap. 2. & alij, exiſtimant dona non eſſe diſtincta à virtutibus, ſed ipſas virtutes quatenus à Deo donantur vocari dona. Quamobrẽm dona videntur ſeptem virtutes præcipuæ, tres Theologicæ, & quatuor Cardinales, aut certè peculiares quidam ipſarum virtutum actus. Ratio eſt, quia non poteſt afferri ſufficiens ratio, ob quam aſſeramus dona Spiritus Sancti ſpecie diſtingui à virtutibus. Verum quid ego in hac re ſentiam aperiam in prima ſecundæ.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Scientia Chriſti.

Chriſtus dupliciter conſiderari poteſt. Primò, Vt Deus. Secundò, Vt homo; Si conſideretur vt Deus, certum eſt Chriſtum ea præditum fuiſſe ſcientia increata, quę conuenit omnibus perſonis diuinis. Si conſideretur vt homo, dubium eſt primò, An Chriſtus præter ſcientiam diuinam, & increatam habuerit ſcientiam creatam, & propriam humanæ naturæ, an verò habuerit ſolum ſcientiam diuinam, ſeu intellexerit ſolum per ſcientiam Dei increatam. Secundò, An habuerit ſcientiam viſionis. Tertiò, An habuerit ſcientiam infuſam. Quartò, An habuerit ſcientiam acquiſitam, ideſt, an acquiſierit aliquam ſcientiam ſuis actionibus.

Punctum

Digitized by Google

Punctum Primum.

An Chriſtus habuerit ſcientiam aliquam creatam, præter ſcientiam diuinam, & increatam, ſeu an Chriſtus intellexerit aliquid per ſcientiam Dei increatam.

1 *Chriſtus habuit ſcientiam creatam, & nihil intellexit per increatam.*
2 *Intellectio Chriſti perfectior fuit intellectione aliorum hominum.*
3 *Intellectus Chriſti perfectior fuit intellectu Angelico.*
4 *Intellectus Chriſti nõ fuit perfectior intellectibus poſſibilibus.*

DVo principaliter quæram in hoc puncto. Primò, Vtrum Chriſtus intellexerit per intellectionem creatam. Secundò, Vtrum intellectio, ſeu cognitio, & ſcientia Chriſti perfectior fuerit intellectione, ſeu ſcientia aliorum hominum; nomine autem ſcientiæ hoc in loco intelligo quamcunque cognitionem intellectus creati.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus habuit ſcientiã creatam, & propriam humanæ naturæ, nihilq; intellexit per ſcientiam Dei increatam. Ratio eſt primo, quia ſic de fide definitum eſt in Concilio Calcedon. act. 5. in 5. Synodo Conſtantinopol. collat. 8. can. 7. & in 6. Synodo in Epiſtola Synodali Agatonis act. 4. & 8. vbi definitur, *Duas eſſe in Chriſto naturas, humanam, & diuinam, & vnamquamq; proprietates naturales habere, diuinam, quæ diuina, humanam omnia, quæ humana ſunt abſque, vllo peccato.* Idem habetur in pluribus alijs locis relatis à Suarez diſp. 24. ſect. 1. Puteano quæſt. 9. art. 1. Vaſquez 3. par. quæſt. 9. art. 1. diſp. 49. num. 54. Tannero diſp. 1. quæſt. 5. dub. 3. n. 75. Secundò, quia Chriſtus, vt homo, orauit ad Patrem; ſed oratio includit actum intellectus, qui abſq; cognitione intellectus fieri non poteſt. Ergo in Chriſto fuit actus intellectus. Ergo Chriſtus habuit intellectionem creatam propriam humanæ naturæ.

Tertiò, quia *impoſſibile eſt operationem vnius naturæ fieri operationem alterius*, inquit Agato Papa in Epiſtola Synodali citata, *Et vbi eſt ſubſtantia diuerſa, nequit eſſe operatio vna*, inquit S. Ambroſ. lib. 2. de fide c. 4.

Quartò, quia Chriſtus docebat, & loquebatur, quæ intelligebat, & ſciebat; ſicut ergo docebat, & loquebatur vt homo, ita etiam intelligebat, & ſciebat vt homo. Ergo habuit ſcientiam creatam, & propriam humanæ naturæ.

Quintò, quia anima rationalis aſſumpta fuit à Chriſto cum omnibus ſuis potentijs, quæ in corpore benè diſpoſito non potuerunt iuxta oblatam occaſionẽ non elicere ſuas operationes; potentia enim ordinatur ad operandum; operatio autem intellectus eſt intellectio. Ergo Chriſtus habuit intellectionem, ſeu cognitionem, & ſcientiam creatam. Sexto quia ſi anima Chriſti non habuit ſcientiam creatam, nullam penitus habuit cognitionẽ intellectualem;

lem; implicat enim animam Chriſti quicquã intelligere per intellectionem, ſeu ſcientiam increatam, ex S. Thoma quæſt. 9. art. 1. & alijs communiter, teſte Suarez diſp. 24. ſect. 2. concluſ. 3. Cabrera quæſt. 9. art. 1. diſp. 1. Tannero loco citato num. 77. & alijs; nam intellectio vel eſt actio vitalis ipſius intelligentis, vt accidit in nobis; vel eſt ipſa ſubſtantialis vita intelligentis ſignificata per modum actionis, vt accidit in Deo; ſed intellectio increata non eſt actio vitalis ipſius animæ intelligentis, nec ſubſtantialis vita animę. Ergo anima Chriſti non intellexit, nec potuit formaliter per ſcientiam increatam Dei intelligere. Ergo Chriſtus habuit ſcientiam creatam propriam humanæ naturæ, nihilque intellexit per ſcientiam, ſeu intellectionem increatam Dei. Ita S. Thomas, Suarez, Vaſquez, & Tannerus locis citatis, Aluarez diſp. 51. Becanus cap. 9. quæſt. 1. Puteanus quæſt. 9. art. 1. Valentia quæſt. 9. pun. 1. & alij communiter.

Obijcies primo, nihil ſuperfluum in Chriſto ponendũ eſt; ſcientia autem creata in Chriſto ſuperflua fuiſſet, tum quia ſcientia ad hoc neceſſaria eſt, vt per ipſam aliquid cognoſcatur; Chriſtus autem per ſcientiã diuinam, ſeu increatam cognoſcebat omnia. Ergo ſuperflua fuiſſet ſcientia, ſeu cognitio creata. Tum quia lux minor offunditur, & offuſcatur à maiori; ſcientia autem creata eſt veluti lux minor reſpectu ſciẽtiæ increatę.

Reſpondeo cum S. Thoma ad 1. & 3. nihil poni ſuperfluum in Chriſto admittendo ſcientiam creatam; Chriſtus enim ſi conſideretur, vt homo, indigebat ſcientia creata, quæ non offendebatur ab ſcientia increata Verbi; ſed magis illuſtrabatur, ſicut lumen aeris non tollitur, ſed augetur à lumine ſolis; quando enim duo lumina ſunt eiuſdem ordinis, maius offuſcat minus, ſicut lumen ſolis offuſcat lumen candelæ, quia vtrumque accipitur in genere illuminantis; ſi verò accipiantur duo lumina, ita vt maius ſit in ordine illuminantis, & minus in ordine illuminati; minus non læditur à maiori, ſed augetur, vt lumen aeris reſpectu luminis ſolis; hoc pacto lumen ſcientiæ creatæ non diminuitur à lumine ſcientiæ increatę, quia *hæc eſt lux vera illuminans omnẽ hominem venientem in hunc Mundum*, Ioannis 1.

Obijcies ſecundò, non implicat Chriſtum intellexiſſe per ſcientiam increatam Verbi. Imò id arguit maximã Chriſti perfectionẽ. Ergo negãdum non eſt, Chriſtũ intellexiſſe per ſcientiã Dei increatam, præſertim cum in Chriſto dicantur eſſe omnes Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.

Reſpondeo, rationem implicantiæ conſtare ex rationibus adductis in propoſitione, præſertim ex ſexta ratione; conſequenter huiuſmodi intellectio nõ poteſt pertinere ad perfectionem Chriſti, vt homo eſt, ſed vt Deus, ſeu Verbum Dei eſt; & hoc pacto dicuntur eſſe in ipſo Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.

Obijcies tertio, Eſſentia diuina tam verè, & formaliter eſt actus intelligendi, ſicut eſt obiectum actu intelligibile; ſed per ſe ipſam poteſt eſſe obiectum intelligibile reſpectu intel-

ad perfectionem ſupernaturalē perfectior fuerit intellectu Angelico, oſtendam puncto ſequenti, vbi affirmatiuè reſpondebo.

4 Quęres ſecūdo, Vtrū intellectus Chriſti fuerit perfectior non ſolum intellectibus creatis, verum etiam poſſibilibus.

Reſpondeo negatiuè, tum quia virtus Dei non eſt alligata. Tum quia aſſignari non poteſt repugnātia, cur Deus producere nequeat intellectū ornatiorem, aut cur aliquem intellectum magis perficere non poſſit. Ita Suarez loco citato, & alij.

Punctum Secundum.

An Chriſtus in hac vita habuerit ſcientiam viſionis, ideſt viſionem beatificam.

1 *Chriſtus in hac vita habuit viſionem beatificam.*

2 *Viſio beatifica fuit in Chriſto ab inſtanti Conceptionis.*

3 *Chriſtus habuit viſionem diuinæ eſſentiæ perfectiorem cæteris beatis.*

4 *Chriſtus vidit Deū perfectius quam omnes beati ſimul ſumpti.*

IN hoc puncto explicabo primo, Vtrum Chriſtus habuerit viſionem beatificam. Secundò, an illam habuerit ab inſtanti conceptionis. Tertiò, Vtrum habuerit viſionem beatificā pfectiorem cęteris beatis.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus in hac vita viſionem beatificam habuit. Ratio eſt primo, quia ſic apertè colligitur ex pluribus ſcripturæ locis, Ioannis 3. verſ. 10. *Amen Amen dico vobis, quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus, teſtamur.* Chriſtus autem loquebatur, & teſtabatur de viſione beatifica. Ergo habebat viſionem beatificam, & verſ. 13. *Nemo aſcendit in Cælum, niſi qui deſcendit de Cælo, filius hominis, qui eſt in Cælo;* Chriſtus autem non deſcendit de Cœlo per motum localem, ſed per aſſumptionem naturę humanę, vt obſeruant Patres, neq; aſcendit in Cælum per motum localem ante reſurrectionem, ſed per viſionem eſſentiæ diuinæ. Ergo habuit viſionem beatificā, quæ conſiſtit in viſione eſſentię diuinæ, Ioannis 12. verſ. 26. *Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit,* & Ioannis 17. verſ. 24. *Volo, vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum, vt videant claritatem meā, quam dediſti mihi.*

Secundò, quia decebat, vt cauſa, & auctor beatitudinis in primis, & ante alios beatus eſſet; Chriſtus autē fuit cauſa, & auctor beatitudinis hominum. Ita S. Thomas quæſt. 9. art. 2. & alij communiter. Videri poteſt Suarez diſp. 25. ſect. 1. concl. 1. Puteanus quæſt. 9. art. 2. Tannerus diſp. 2. quæſt. 5. dub. 3. num. 85. Valentia quæſt. 9. Vaſquez, & alij Commentatores S. Thomæ quæſt. 9.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 CHriſtus ab inſtanti conceptionis habuit viſionem beatificam. Ita communiter Doctores teſte Suarez diſp. 25. ſect. 1. concl. 2. Ratio eſt, primo, quia Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit

filius

filius Dei naturalis, Matth. 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite*; ſed filius naturalis eſt etiam hæres; *Si filius, & hæres*, inquit Apoſtolus. Ergo Chriſtus ab inſtanti Conceptionis fuit hęres; huc ſpectat locus ille Pauli ad Hębreos cap. 1. *Nouiſſimè autem locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula*. Ergo Chriſtus ab inſtāti Conceptionis habuit beatitudinem, hæreditas enim precipuè conſiſtit in viſione beatifica.

Secundò, quia Chriſto ab inſtanti Conceptionis data eſt omnis gratia, quam habere potuit. Ergo etiam dari debuit gloria, quam habere potuit in eo ſtatu.

Tertiò, quia beatitudo ex natura rei debetur Deo; Chriſtus autem ab inſtanti Conceptionis fuit Deus.

Quartò, perſpicuum eſt Chriſtum ante reſurrectionem habuiſſe beatitudinem, vt dictum eſt in prima propoſitione, & cōfirmatur ex loco illo Lucæ 22. *Hodiè mecum eris in Paradiſo*, ideſt videbis diuinam eſſentiam, ſicut ego illam video. Ergo etiam certum videtur habuiſſe beatitudinem in primo inſtanti conceptionis; nam ratio, cur habuerit viſionem beatificam antè mortē, fuit vnio hypoſtatica; ſed ab inſtanti conceptionis habuit vnionem hypoſtaticam. Ergo ab inſtanti cōceptionis habuit viſionem beatificam. Ita communiter Doctores cum S. Thoma quæſt. 9. art. 2. & quamuis hæc propoſitio non ſit de fide, negari tamen non poteſt ſine temeritatis nota, cum à Patribus, & Doctoribus communiter ſuſtineatur.

Obijcies primo, ſi Chriſtus habuiſſet viſionem beatificam ab inſtanti conceptionis, fuiſſet comprehenſor, nō autem viator, conſequenter nihil nobis meruiſſet; ſtatus enim viatoris requiritur ad meritū, vt probabo in Tr. de gratia; ſed faſum eſt Chriſtum nō fuiſſe viatorē, aut nihil meruiſſe. Ergo etiam falſum eſt, Chriſtū ab inſtanti conceptionis habuiſſe viſionem beatificam.

Reſpondeo Chriſtum eodem tempore fuiſſe comprehenſorem. & viatorem, vt infra ex profeſſo oſtendā, conſequenter Chriſtus fuit in ſtatu merendi, & nobis meruit.

Obijcies ſecundo, Chriſtus pati, & mori debuit, vt beatitudinem aſſequeretur, Lucæ 24. *Opportebat Chriſtum pati, & ita intrare in gloriā ſuam*. Ergo Chriſtus non habuit beatitudinem ab inſtanti conceptionis, quia tunc nondum paſſus, aut mortuus fuerat.

Reſp. locum illum Lucæ intelligendum eſſe de beatitudine corporis; ad aſſequendam enim beatitudinē corporis opportuit prius Chriſtum pati, quamuis antea cōſecutus fuiſſet gloriam animæ. Eodem pacto intelligendus eſt locus ille Ioannis 17. *Ego te clarificaui ſuper terram, opus conſumaui, quod dediſti mihi, vt faciam, & nunc clarifica me tu Pater*.

Obijcies tertio, ſi Chriſtus beatus fuiſſet à primo inſtanti Conceptionis, & toto vitæ ſuæ tempore, transfiguratio Chriſti non fuiſſet miraculoſa; *Gloria enim corporis neceſſario conſurgit ex gloria animæ*, inquit S. Auguſt. epiſt. 56. ſed falſum eſt, & contra documenta Patrum tranſfigurationē non fuiſſe miraculoſam.

Ergo

Ergo falſum etiam videtur, Chriſtum habuiſſe gloriam ab inſtanti Conceptionis.

Reſpondeo, transfigurationem fuiſſe miraculoſam, quamuis enim ex gloria animæ neceſſario conſurgat gloria corporis, dum corpus non eſt conſtitutum in ſtatu paſſibili, & mortali, tamen fulgor ille Chriſti in trasfigurationes miraculoſus fuit, cum emanauerit ex corpore adhuc paſſibili, & mortali. Præſertim cum emanauerit non per modum permanentis, ſed per modũ tranſeuntis, & ſine alijs dotibus corporis glorioſi; quamuis enim corpori Chriſti debita fuerit gloria, non ſolum ratione gloriæ animæ, verum etiam ratione vnionis hypoſtaticę; nihilominus diuina diſpenſatione factum eſt, vt gloria animę non transfunderetur in corpus, ſed Deus voluit ſolum illam transfundi tempore transfigurationis, quaſi ex accidenti, & per modũ tranſeuntis abſq; alijs dotibus corporis glorioſi. Ita Suarez d. 25. ſect. 1. ad finem, & Puteanus q. 9. art. 2. ad vltimum.

TERTIA PROPOSITIO.

3 CHriſtus habuit viſionem diuinæ eſſentiæ clariorem, & perfectiorem cęteris beatis, ſiue ſint homines, ſiue Angeli. Ratio eſt. Tũ quia Chriſtus eſt filius Dei naturalis, reliqui ſunt filij adoptiui; filio autem naturali perfectior hęreditas debetur; ob id Hebræor. 1. dicitur, *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.* Tum quia ſic expreſſum videtur ad Colloſſ. 1. *Ipſe in omnibus primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare*, & ad Epheſ. 1. *Suſcitans eum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cęleſtibus ſuprà omnem principatum, & poteſtatẽ.*

4 Quæres, Vtrum Chriſtus non ſolũ perfectius viderit Deum, quam ſinguli alij beati, verum etiam quam omnes ſimul ſumpti.

Reſpondet Becanus cap. 9. quęſt. 2. num. 5. nihil certi in hac re definiri poſſe; mihi tamen probabilior videtur opinio affirmatiua. Ratio eſt, tum quia ſicut multi exiſtimant tormenta, & dolores Chriſti ſuperaſſe tormenta omnium Martyrum, & Sanctorum, ita etiam dicendum videtur gloriam Chriſti perfectiorẽ eſſe gloria omnium Sanctorum. Tum quia ipſe eſt caput omnium Sanctorum, & plus gratiæ habet, quam omnes Sancti ſimul. Ergo etiam perfectius videt Deum, quam omnes Sancti ſimul; viſio enim, ſeu gloria commenſuratur gratiæ. Vide ſupra dicta diſp. 1. quæſt. 2. pun. 2. num. 8. de gratia Beatiſſimæ Virginis.

Dices, hinc ſequitur viſionẽ beatificam Chriſti eſſe infinitam; nam viſio beatifica Chriſti reſpondet, & commenſuratur gratiæ Chriſti; ſed gratia Chriſti fuit infinita. Ergo viſio Chriſti beatifica fuit infinita.

Reſpondeo, gratiam Chriſti fuiſſe finitam entitatiuè, & conſequenter gloriam, ſeu viſionem beatificam illi reſpondentem fuiſſe entitatiuè finitam.

An autem gratia Chriſti aliunde dici poſſit infinita, conſtat ex dictis quæſt. præcedenti pun. 1. propoſit. 6. num. 15.

Pu-

Punctum Tertium.

An Chriſtus habuerit ſcientiam infuſam distinctam à viſione beatifica, quandonam illam habuerit, quid per ipſam intellexerit, an fuerit ſupernaturalis, & quo pacto Christus ea vſus fuerit.

1 *Sientia infuſa nomine quid intelligatur.*

2 *Scientia indita non eſt idem quod ſcientia infuſa.*

1 PRæmittendum eſt primo, nomine ſcientiæ infuſæ intelligi habitum aliquem, qui ex ſe, & ſua natura poſtulat, vt producatur à Deo, & conferatur creaturæ rationali independenter à ſpeciebus acquiſitis, & acceptis à rebus intellectis, ſiue res intellectę ſint naturales, ſiue ſupernaturales. Ex quo patet differentia inter ſcientiā infuſam Chriſto, & ſcientiam infuſam primis parētibus in primo inſtanti creationis, quod ſcientia infuſa Chriſto, dicitur infuſa per ſe, & ex ſua natura, quia ex natura ſua poſtulat illum productionis modum; infuſa verò primis parentibus circa res maximè naturales, non dicitur infuſa per ſe, & ex ſua natura, ſed per ſe acquiſita, & per accidens infuſa, quia talis ſcientia ex ſua natura acquiri poteſt, ſed ex accidenti infunditur. Vide Suar. quæſt. 9. in commentario art. 3. initio, Puteanum ibid. verſ. aduerte. Valentiam tom. 4. diſp. 1. quæſt. 9. pun. 2. col. 4. verſ. 2. autem.

2 Præmittendum eſt ſecūdo, non idem eſſe ſcientiam inditam, & ſcientiam infuſam; ſcientia infuſa dicitur illa, quæ datur ſupra naturæ debitum; indita verò, quæ ſimul datur cum producitur ipſa natura, quia eſt connaturalis, & quaſi debita ipſi naturæ, vt benè Suarez loco cit. Caiet. & alij; ſæpè tamen verbum, indita, accipitur pro infuſa, & verbum, infuſa, accipitur pro indita.

His poſitis explicandum eſt primo, Vtrum Chriſtus habuerit ſcientiam infuſam. Secundò, an illam habuerit ab inſtanti conceptionis. Tertiò, quid Chriſtus cognouerit per ſcientiā infuſam, ſeu quodnam ſit obiectum ſcientiæ per ſe, infuſæ animæ Chriſti. Quartò, an hæc ſcientia fuerit ſupernaturalis. Quintò, quo pacto Chriſtus vſus fuerit ſcientia infuſa.

Paragraphus Primus.

An Chriſtus præter viſionem beatificam habuerit ſcientiam infuſam.

1 *Chriſtus præter viſionem beatificam habuit ſcientiam infuſam.*

2 *Cognitio imperfecta non excluditur à cognitione magis perfecta, dum cum ipſa non eſt incompoſſibilis.*

VNICA PROPOSITIO.

1 ANima Chriſti præter viſionem beatificam, habuit etiam ſcientiam infuſam. Ratio eſt primo,

primo, quia id colligitur ex multis ſcripturæ locis ad Col. 1. *In quo ſunt oẽs theſauri ſapientiæ, & ſcientię Dei reconditi.* Ergo in Chriſto recondita eſt etiam ſcientia infuſa; alioquin in ipſo reconditi non eſſent omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei; Ioann. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis*, & Ioann. 7. *Vnde hic literas ſcis, cum non didicerit?* Lucæ 2. *Plenus ſapientia, & gratia &c. adhuc infans ſedebat in medio Doctorum, & ſtupebant omnes ſuper prudentia, & reſponſis eius.* Hi textus non poſſunt cõmodè explicari, niſi admittamus ſcientiam Chriſto infuſam; quãquam ab aliquibus exponuntur de viſione beatifica. Secundò, quia Iſaiæ cap. 11. dicitur *Requieſcet ſuper eum Spiritus ſapientiæ, & ſcientiæ*; cum autem Iſaias generaliter loquatur, intelligendus etiam eſt de ſcientia infuſa, præſertim in ſententia S. Thomę aſſerentis dona Spritus Sancti diſtingui à virtutibus. Tertiò, quia Chriſtus non ſolum erat comprehenſor, verum etiam viator; ſed vt comprehenſor habebat viſionem beatificã. Ergo vt viator debuit habere aliquã cognitionem ſupernaturalem. Quartò, quia hæc ſcientia poſſibilis eſt, & decebat Chriſtum, vt tanquam rex, & gubernator ſupernaturali cognitione cognoſceret creaturas, non tantum in Verbo, verum etiam in ſe ipſis per proprias ipſarum ſpecies. Ob id etiam in Angelis duplex cognitio admittitur, matutina, & veſpertina; matutina, qua cognoſcuntur res ſecundum eſſe, quod in Deo habent. Veſpertina verò, qua cognoſcuntur in ſe ipſis, vt patebit ex dicendis in tractatu de Angelis, Ita Sanctus Thomas quæſtione 9. artic. 3. Vaſquez diſputat. 53. capit. 2. Suarez diſputat. 25. ſection. 3. concluſ. 1. Puteanus quæſtione 9. art. 3. Valentia ibidem puncto 2. verſic. præterea, & Aluarez ibidem, Tannerus quæſt. 5. dub. 3. numero 88. & dub. 5. num. 128. Becanus cap. 9. quæſt. 3. & alij communiter contra Scotum in 3. diſtinct. 14. & Durandum quæſtione 3. & 4. exiſtimantes Chriſtum non habuiſſe ſcientiam infuſam circa res naturales, quæ naturali ſcientia cognoſci poſſunt, & contra alios aliter ſentientes.

2 Obijcies, omnes aliæ ſcientiæ comparatæ viſioni beatificæ, habent ſe ſicut imperfectum ad perfectum; ſed præſente cognitione perfecta excluditur cognitio imperfecta, ſicut clara viſio Dei excludit obſcurã cognitionem fidei, 1. Cor. 13. & ſicut habita perfectione nõ eſt neceſſaria diſpoſitio, & habito termino nõ eſt neceſſarius motus; ſed in Chriſto erat viſio beatifica. Ergo non potuit in eo eſſe ſcientia infuſa.

Reſpondeo, minorem propoſitionem veram eſſe, dum cognitio perfecta incompoſſibilis eſt cũ cognitione minus perfecta, vt eſt viſio beatifica, & aſſenſus fidei; ſcientia autem infuſa non eſt incompoſſibilis, & oppoſita viſioni beatæ, vt benè Sanctus Thomas artic. 3. citato ad primum, vbi etiam in reſponſione ad ſecundum benè ait ſcientiam infuſam non eſſe viam ad beatitudinem, ſed quaſi per beatitudinem magis confirmari, conſequenter vtramque benè ſimul cohærere.

Paragraphus ſecundus.

An Chriſtus ab inſtanti Conceptionis habuerit ſcientiam infuſam.

1 Chriſtus ab inſtanti Conceptionis habuit ſcientiam infuſam.

VNICA PROPOSITIO.

1 Anima Chriſti habuit ſcientiam infuſam à primo inſtāti ſuæ Conceptionis. Ratio eſt primò, quia Chriſtus ab inſtanti Conceptionis cognouit Deum Patrem nolle placari humano generi per holocauſta, & ſacrificia Moſaica, ſed per cruentam ipſius Chriſti mortē, & paſſionē, ideò ſe ipſum ſubiecit voluntati Dei, ſeq; in ſacrificiū obtulit, vt habetur Heb. 10. *Ideo ingrediens mundum, dicit, hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi; holocauſtomata pro peccato non tibi placuerunt; tūc dixi, Ecce venio, vt faciā Deus voluntatem tuam;* ſupponit ergo Apoſtolus Chriſtum hæc cognouiſſe, & acceptaſſe; ſed non cognouit ſolum per viſionem beatificam. Ergo cognouit per ſcientiam infuſam; nā per illam ſcientiam debuit id ſcire, quæ conuenit ſtatui viatoris, iuxta quem Chriſtus hæc ſciebat, & acceptabat.

Secundo, quia hæc ſcientia data fuit animæ Chriſti ratione vnionis. Ergo illam habuit ſimul cum ipſa vnione, vt in ſimili argumentatus ſum de viſione beatifica.

Tertio, quia Angeli ab initio ſuæ creationis acceperunt ſcientiam inditam, ſeu infuſam ipſis connaturalem. Ergo etiam Chriſtus ab inſtanti ſuæ creationis accepit ſcientiā infuſam, cùm etiam ipſi hæc connaturalis cenſeatur ratione vnionis, licet ſit ſupra naturæ debitum, ſi natura ipſa ſecundum ſe conſideretur.

Quarto, quia Chriſtus non ſolum erat comprehenſor, verum etiā perfectè viator; ſed vt comprehenſori debebatur ſcientia viſionis. Ergo, vt viatori debebatur ſcientia infuſa. Ita Vaſquez diſputat. 52. capit. 1. Becanus cap. 9. quęſtione 3. Tannerus diſput. 1. quæſtione 5. dubio 5. num. 144. & alij communiter, teſte Suarez loco citato concl. 2.

Paragraphus Tertius.

Quidnam Chriſtus cognouerit per ſcientiam infuſam, ſeu quodnam fuerit obiectum ſcientiæ infuſæ Chriſti.

1 Chriſtus per ſcientiam infuſam cognouit omnia, quæ ad ipſius ſtatum pertinebant.

2 Chriſtus per ſcientiam infuſam cognouit omnes res naturales.

3 Chriſtus per ſcientiam infuſam cognouit occultas cordium cogitationes, & actus liberos.

4 Chriſtus per ſcientiam infuſam cognouit omnes res ſupernaturales creatas, vt viſionem beatificam aliorum beatorum, vnionem ipſam hypoſtaticam, actus fidei aliorum hominum, &c. Imò cognouit omnia præterita, præſentia, & futura circa ſe ipſum, Angelos,

Digitized by Google

lo, & Homines.

5 *Ignorantia propriè dicta in Chriſto non fuit.*

6 *Chriſtus vt homo, ſeu vt præceptor non cognouit Iudicij diem; cognouit verò vt Iudex.*

7 *Chriſtus per ſcientiam infuſam non cognouit omnia poſsibilia.*

8 *Theſauri omnes ſapientiæ, & ſcientiæ fuerūt in Chriſto per communicationem idiomatum; aut etiam collectiuè, ſi conſiderētur theſauri ſapientiæ, qui in alijs diuiſim reperiuntur.*

9 *Chriſtus per ſcientiam infuſam ſemper aliquid cognouit, non obſtante ſomno, aut viſione beatifica.*

10 *Chriſtus non ſemper actu cognouit omnia obiecta ſcientiæ infuſæ.*

11 *Chriſtus in inſtanti Conceptionis cognouit ſimul omnia obiecta ſcientiæ infuſæ iuxta probabilem nonnullorum ſententiam.*

12 *Chriſtus non cognouit præfata obiecta vnica cogitatione.*

13 *Chriſtus ſcientia infuſa vtebatur ſpeciebus ſpecie diuerſis.*

VNICA PROPOSITIO.

1 ANima Chriſti per ſcientiam infuſam cognouit ea omnia, quæ pertinebant ad ipſius ſtatum. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia quilibet ea noſse debet, quæ ad proprium ſtatum pertinent, & imperfectioni adſcribitur ea ignorare. Sed Chriſtus perfectiſſimus fuit. Ergo ea omnia nouit, quæ ad proprium ipſius ſtatum pertinebant; ſed hæc non ſolum cognoſcere debebat per ſcientiam viſionis, quia non ſolum erat cōprehenſor, verum etiam perfectiſſimus viator. Ergo nouit etiam per ſcientiam infuſam, quæ datur viatori.

Vt autem ſciatur quænam pertinerēt ad ſtatum, conſiderandum eſt officium Chriſti, & finis propter quem ipſe naturam humanam aſſumpſit; officium Chriſti erat præeſſe naturę Humanæ, & Angelicæ, eſſe caput Eccleſiæ, eſſe mediatorem, Sacerdotem, Prophetam, Regem, Legiſlatorem, Magiſtrum, & Præceptorem, Iudicē, & his ſimilia, de quibus infra in proprijs locis.

2 Hinc colligi poteſt primo, Chriſtum per ſcientiam infuſam habuiſſe cognitionem omnium rerum naturalium, quæ ab Angelis cognoſcuntur per ſpecies inditas, non ſolum quoad eſſentiam, verum etiam quoad exiſtentiam. Tum quia cognitio iſtarum rerum pertinebat ad ſtatum Chriſti; Chriſtus enim erat Caput, & quodammodo Dominus omnium rerum creatarum; conſequenter par erat, vt illas cognoſceret in proprio genere perfectius, quam Angeli, qui eas per ſpecies inditas cognoſcunt. Tum quia quò ſcientia eſt nobilior, & etiam eſt vniuerſalior; ſed ſcientia infuſa Chriſti erat nobilior ſcientia Angelorum. Ergo ſcientia Chriſti infuſa fuit vniuerſalior. Ergo extenſa fuit ad cognitionem rerum naturalium, quas Angeli cognouerunt per ſpecies inditas. Ita Sanctus Thomas quæſtione 11. artic. 1. Suarez diſp. 27. ſectione 1. & alij communiter ibidem contra Scotum in 3. diſtinct. 14. quæſtione 3. & alios exiſtimantes rem naturalem cognoſci nō poſſe per ſcientiam infuſam.

Dices, actus ſcientię Chriſti infu-

ſæ erat ſupernaturalis; talis enim eſt actus, qualis eſt habitus. Ergo verſari non poteſt circa res naturales, ſeu circa obiecta ex ſe naturalia.

Reſp. negando conſequentiã; ſicut enim habit' fidei verſari põt circa obiecta naturalia, & materialia; ita etiam habitus ſcientiæ infuſæ; ad cognitionem enim ſupernaturalem non requiritur, vt obiectum ſit ſupernaturale, ſed ſufficit, vt formale obiectum, quo, ſeu ratio cognoſcendi ſit ſupernaturalis.

3 Secundo, colligitur Chriſtum per ſcientiam infuſam cognouiſſe occultas cogitationes cordium, ſeu actus liberos hominum, vel etiam Angelorũ. Ratio eſt, tum quia Chriſtus illas reuelauit aliquando hominibus. Ergo illas cognoſcebat; id enim reuelari non poteſt, quod ignoratur. Tum quia cognitio occultarum cogitationum maximè decebat Chriſtum, quia Chriſtus eſt ſupremus Iudex, qui iudicium facere debet etiam de occultis cogitationibus. Ergo cognouit occultas cogitationes. Tum quia Chriſtus fuit perfectiſſimus Propheta, Caput, & Gubernator Hominum, & Angelorum. Ergo opus fuit, vt ea cognoſceret, ſine quibus nec perfectus Propheta, nec perfectus Gubernator extitiſſet. Ergo opus fuit, vt hæc cognoſceret. Ita Suarez diſput. 27. ſectione 2. concluſione 1. Valentia diſputat. 1. quæſtione 10. puncto 2. Becanus capit. 9. quæſtione 3. num. 7. Puteanus quæſtione 11. artic. 6. dubitat. vnica concluſ. 2. Tannerus diſputat. 1. quæſtione 5. dubio 5. num. 120. & alij communiter teſte Suarez loco citato, vbi de hac re prolixius diſſerit. Ex quo patet differentia inter Chriſtum, homines, & Angelos, quod homines, & Angeli nequeunt abſque ſpeciali auxilio Dei cognoſcere occultas cordis cogitationes.

4 Tertio, colligitur Chriſtum per ſcientiam infuſam cognouiſſe omnes res ſupernaturales creatas, ſeu omnia myſteria ſupernaturalia creata. Ratio eſt, tum quia iſta cognitio non excedit ipſius ſtatum; Imò eſt illi valdè conformis, & accomodata; res enim ſupernaturales ſunt obiectum maximè accommodatum ſcientiæ infuſæ, & ſupernaturali. Tum quia Chriſtus eſt Auctor gratiæ, & donorum ſupernaturalium. Ergo habere debuit perfectam illorum ſciẽtiam. Ita communiter DD.

Quarto, ſequitur animam Chriſti per ſcientiam infuſam, diſtinctam à cognitione, qua Deum videbat viſione beatifica, vidiſſe viſionem beatificam aliorum beatorum, vt patet ex rationibus proximè allatis. Nam huiuſmodi viſio eſt res ſupernaturalis non excedens rationem obiecti ſcientiæ infuſæ, vt benè Suarez ſectione 3. col. 2. Tannerus num. 120. & alij.

Dices, ſi viſio beatifica aliorum beatorum caderet ſub obiectum ſcientiæ Chriſti infuſæ, ſequeretur animam Chriſti per ſcientiam infuſam vidiſſe Deum, ſeu Diuinam eſſentiã; nam viſio Dei includit tranſcendentalem ordinem ad Deum; Imò eſt ſimilitudo Dei repræſentans Deum; falſum autem videtur per ſcientiam infuſã videri Deum, alioquin ſcientia infuſa efficeret beatũ, aut vana,

&

& inutilis eſſet viſio beatifica,poſita ſcientia infuſa.

Reſpondeo, Animam Chriſti videndo per ſcientiam infuſam actum viſionis beatificæ aliorum beatorũ, non videre Deum intuitiuè, ſed abſtractiuè tantum; nam Deus eſt terminus ſolum quaſi extrinſecus illius habitudinis, quam dicit viſio beatifica aliorum Beatorum; præterea ipſa viſio beatifica non eſt obiectum ſimpliciter repreſentans Deum, ſed ſolum eſt ratio,per quam is, qui talẽ actum habet, videt Deũ; viſio enim Dei dupliciter ſpectari poteſt. Primo,vt obiectum viſionis in altero,& ſic non repreſentat Deum, niſi abſtractiuè.Secundò,vt eſt actus videndi Deum,& ſic non repreſentat Deũ, niſi illi,qui talem actum habet.Vide Suarez diſp.27. ſect.3.concl.2.& Becanum in ſimili cap.9. q.3. num.13. Puteanum q.11. dubit. vnica.

Quinto ſequitur vnionem ipſam hypoſtaticam fuiſſe obiectum ſcientiæ infuſæ Chriſti, vt patet ex rationibus in tertia illatione allatis; quãuis enim ipſa vnio ſit donum ſuperans alia dona gratiæ, nihilominus ſimpliciter eſt res creata; conſequenter continetur intra limites ſcientiæ infuſæ, vt benè Suarez ſect. 3.ad finem, Tannerus loco citato.

Dixi,vnionem ipſam, nã ſi loquamur de vnione, prout dicit terminũ completum vnionis includẽtem perſonam filij, certum eſt non potuiſſe videri per ſcientiam infuſam, quia perſona diuina videri non poteſt,niſi viſione beatifica. Ex quo licet inferre ſolutionem illius quæſtionis, qua quæritur, vtrum per ſcientiam infuſam cognoſcatur Deus.Reſpondetur enim non cognoſci intuitiuè per ſcientiam infuſam, alioquin illa ſcientia,ſeu cognitio eſſet viſio beatifica;cognoſci tamen poteſt abſtractiuè,quia per ſcientiã infuſã quidditatiuè cognoſcuntur creaturæ; ſed creaturæ non poſſunt quidditatiuè cognoſci,niſi cognoſcatur dependẽtia à prima cauſa, qui eſt Deus. Ergo per ſcientiam infuſam non poſſunt quidditatiuè cognoſci creaturæ,niſi ſimul abſtractiuè, ſeu à poſteriori,ſeu ſciẽtia, Quia, cognoſcatur prima cauſa, ideſt,Deus,à quo creaturæ eſſentialiter depẽdent, vt benè Suarez diſp.27. ſect.5.concl.1.Becanus cap.9. q.3.num.9.Tannerus d.1. q.5. dub.5. num. 127. & alij, quicquid in contrarium ſentiat Vaſq. de Incarnat. d. 53. cap.1.

Sexto ſequitur Chriſti animã per ſcientiam infuſam cognouiſſe actus fidei, quibus homines myſterijs fidei aſſentiebantur,vt patet ex rationibus in propoſitione, & in tertia illatione allatis.Ex quo patet animam Chriſti cognouiſſe actum fidei, quo quis credebat Deum eſſe vnum, & Trinum.

Obijcies, ſi Anima Chriſti per ſcientiam infuſam cognouiſſet actus fidei,cognouiſſet etiam Trinitatem, & alia myſteria, quæ actu fidei creduntur; hoc admittendum non videtur.

Reſpõdeo,cognouiſſe myſterium Trinitatis, ſeu alia fidei myſteria, non intuitiuè, quia Sanctiſſima Trinitas non poteſt clarè videri,niſi per viſionem beatificam; cognouiſſe tamen illam per diſcurſum,quia Chriſtus quidditatiuè cognoſcebat aſſenſum fidei, quo homo credit myſte-

rium Sanctiſſimæ Trinitatis. Ergo ēt cognoſcebat Sanctiſſimam Trinitatem; cognoſcebat enim aſſenſum illum non eſſe falſum, ſed verum, conſequenter euidenter concludere debebat verum eſſe, Deum eſſe Trinū.

Dices, aſſenſus fidei circa aliquē fidei articulum non repreſentat illum articulum, niſi illi, qui habet illum aſſenſum. Ergo aſſenſus myſterij Trinitatis non repreſentat Trinitatem, niſi illi, qui talem habet aſſenſum; in Chriſto autem non erat aſſenſus fidei circa Trinitatem.

Reſp. aſſenſum fidei dupliciter ſpectari poſſe. Primò, vt eſt actus vitalis, quo credimus aliquem fidei articulum; & hoc pacto aſſenſus fidei nō repreſentat articulum fidei, niſi illi, in quo eſt aſſenſus. Secundò, vt eſt obiectum, quo cognito, ducimur in cognitionem alterius. Hoc pacto Chriſtus cognoſcendo quidditatiuè aſſenſum fidei circa Trinitatem, euidenter cognoſcere poterat Sanctiſſimam Trinitatem exiſtere.

Dices, aſſenſus fidei, E. Gr., Sanctiſſimæ Trinitatis, eſt obſcurus; fides enim eſt ſubſtantia rerū ſperandarum, argumentum non apparentium. Ergo non poteſt clarè, & euidenter repreſentare articulum creditum E. G. myſterium Sanctiſsimę Trinitatis. Ergo Chriſtus cognoſcere non poterat euidenter exiſtentiā Sanctiſſimæ Trinitatis, ſeu myſterij fide crediti.

Reſpondeo, aſſenſum fidei, vt eſt actus vitalis, eſſe obſcurum; nititur enim reuelatione obſcura, conſequēter obſcurè repreſentat articulum creditum. Si verò aſſenſus fidei conſideretur, vt eſt obiectū ab alio quidditatiuè cognitum, poteſt eſſe mediū euidenter cognoſcendi id, quod ille aſſenſus repreſentat; Inde enim ſumi poteſt hoc argumentum. Id, qđ obſcurè repreſentatur per aſſenſum fidei ſupernaturalem, neceſſariò eſt verum; nititur enim authoritati diuinæ infallibili; ſed exiſtentia Sanctiſſimæ Trinitati, ſeu hic articulus fidei repreſentatur per hunc aſſenſum. Ergo neceſſario eſt verum, Trinitatem eſſe. Ita Becanus loco cit. q. 3. ad finem, & alij; licet Suarez d. 25. ſect. 5. Tannerus diſp. 1. q. 5. dub. 5. num. 124. & Puteanus q. 11. ad finē, alios modos afferant, quibus Chriſtus cognoſcere potuit Deum eſſe Trinum.

Septimo, ſequitur Chriſtum per ſcientiam infuſam cognouiſſe omnia præterita, pręſentia, & futura circa ſe ipſum, Angelos, & Homines. Ratio eſt, tum quia huiuſmodi cognitio pertinebat ad ſtatum, & officium Chriſti; ipſe enim erat caput Hominum, & Angelorum, Legiſlator, & Magiſter, & futurus erat omnium Iudex. Tum quia Chriſtus habuit plenitudinem prudentiæ; ad prudentiam autem requiritur memoria præteritorum, cognitio præſentium, & prouidentia futurorum, vt benè argumentatur S. Thomas 3. p. q. 11. art. 1. ad 3. idemq́; ſuſtinent communiter alij Doctores Catholici contra Luteranos, & Caluiniſtas, aſſerentes Chriſtum multa ignoraſſe, quæ paulatim didicit.

5 Ex quo fit, vt in Chriſto non dicatur fuiſſe ignorantia propriè dicta; ignorantia enim propriè dicta dicit priuationem ſcientiæ debitæ ineſſe alicui; Chriſtus autem non habuit

buit huiuſmodi priuationem; & licet non cognoſceret omnia poſſibilia, vt infra oſtendam, tamen cognitio omnium poſſibilium non erat ei debita, conſequenter dici non poteſt propriè loquendo habuiſſe illorum ignorantiam, ſed impropriè, quatenus ignorantia dicit negationem ſcientiæ, per quã aliquid neſcitur abſq; vlla imperfectionis nota. Vide Vaſquez diſp. 51. cap. 2. num. 8. Tannerum num. 116. & alios locis proximè citandis.

6 Obijcies primo, Christus non cognouit diem iudicij, Marci 13. *De die autem illa, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, niſi Pater*. Ergo Chriſtus non cognouit omnia futura.

Reſpondeo primo, Chriſtum non cognouiſſe diem Iudicij, ſi conſideretur Chriſtus formaliter, & reduplicatiuè, quatenus homo, ſeu ex virtute humana, ſeu naturali; id enim humana, & naturali ſcientia à nemine cognoſci poteſt.

Reſpondeo ſecundo, Chriſtum non cognouiſſe diem Iudicij ea cognitione, quã Chriſtus, vt homo ad alios tranſmittere poſſet. Dupliciter enim Chriſtus conſiderari poteſt. Primò, vt Iudex. Secundò, vt Præceptor; ſi conſideretur vt Iudex, Iudicij diem cognouit; ſi conſideretur vt Præceptor Apoſtolorum, non cognouit diẽ Iudicij, vt illum ipſis manifeſtaret. Quo pacto quis dicere poteſt, ſe neſcire ea, quæ ſub ſecreto naturali, vel ſub ſigillo confeſſionis accepit.

Dices, Chriſtus manifeſtauit Apoſtolis omnia, quę ipſe nouerat, Io. 15 *Omnia quæcunq; audiui à Patre, nota feci vobis*. Ergo non nouerat diem Iudicij, alioquin illum manifeſtaſſet Apoſtolis.

Reſpondeo, Chriſtum manifeſtaſſe Apoſtolis omnia, quæ manifeſtare poterat, non verò omnia abſolutè, iuxta illud Ioannis 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo*; non poterat autem manifeſtare diem Iudicij, quia non ſciebat illum, vt alijs manifeſtaret. Ita S. Ambroſius lib. 5. ad Gratianum, Chriſoſt. hom. 14. in Marcum, S. Hieronymus in Matthæum c. 24. S. Thomas q. 10. art. 2. ad 1. & alij Patres, & Doctores apud Valentiam de Incarnatione diſp. 1. q. 10. pun. 2. col. 3. apud Vaſq. diſp. 51. apud Maldonatum cap. 24. in Matth. Salmeronem tom. 4. p. 3. ſect. 4. Bellarminum lib. 4. de Chriſto c. 1. & ſeqq. Becanum cap. 9. quæſt. 8. num. 3. Suarez de Incarnat. q. 10. in comment. art. 2. Tannerum diſp. 1. quæſt. 5. dub. 4. n. 107.

Obijcies ſecundo, Chriſtus fuit ſimilis nobis, Hębreor. cap. 2. *Debuit per omnia fratribus aſsimilari*, & cap. 4. *Tẽtatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*; ſicut ergo nos multa ignoramus, ita dicendum videtur Chriſtum aliqua ignoraſſe, ſed abſque peccato.

Reſpondeo, Chriſtum aſſimilatũ fuiſſe nobis, quo ad naturam humanam, non quoad omnes imperfectiones naturæ humanę, & tentatũ fuiſſe per omnia, idest expertum fuiſſe omnia aduerſa inſtar hominis, ſed non peccaſſe, vt benè Becanus quæſt. 8. citata num. 8.

Obijcies tertio, Chriſtus rogabat Patrem, vt à ſe auferret paſſionis calicem, Matthei 26. *Pater ſi poſsibile*

Digitized by Google

eſt *tranſeat à me calix iſte*. Ergo videbatur dubitare, an ipſe deberet pati, vel an calix poſſet auferri. Ergò Chriſtus non nouit omnia futura.

Reſpondeo negando conſequentiã; Chriſtus enim illa verba protulit, nõ quia ignoraret futurũ, ſed vt indicaret naturalem affectum, quò mortem refugiebat, & nihilominus paratum ſe exhibebat ad ſubeundã mortem, quam ſe ſubiturum nõ ignorabat; *verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*.

Obijcies quartò, Lucæ 2. *Ieſus proficiebat ætate, & ſapientia apud Deũ, & homines*. Ergo non ſciebat omnia, alioquin non profeciſſet.

Reſpondeo profeciſſe acquiſitione ſcientiæ humanæ, vel manifeſtatione ſcientiæ, vel opinione, non autem profeciſſe quoad ſcientiam infuſam.

7 Quæres primò, Vtrum Chriſtus per ſcientiam infuſam, non ſolum cognouerit omnia præterita, præſentia, & futura, verum etiam omnia poſſibilia.

Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt primò, quia Chriſtus non plus cognouit per ſcientiam infuſam, quam per beatam, ſed per beatam non cognouit omnia poſſibilia iuxta ſententiam plurimorum Doctorũ. Imò Becanus q. 7. n. 9. putat Chriſtum non vidiſſe vllas creaturas poſſibiles in eſſentia diuina viſionis beatificæ. Ergo neque cognouit omnia poſſibilia per ſcientiam infuſam. Secundò, quia ſi Anima Chriſti per ſcientiam infuſam videret omnia poſſibilia, ſequeretur Deum comprehendi ab anima Chriſti; cum enim anima Chriſti per ſcientiam beatam euidenter videat omnia, quæ ſunt formaliter in Deo, & per ſcientiam infuſam ex facta ſuppoſitione videat omnia, quæ ſunt in Deo eminenter, ideſt, quæ à Deo fieri poſſunt, ſequitur Deum comprehendi; Deus enim dicitur comprehendi iuxta ſcientiã multorum Doctorum, (quam alibi diſcutiam, & hanc abſolutè non admittam) dum videntur omnia, quæ ſunt in Deo formaliter, & eminenter; ſed impoſſibile eſt Deum comprehendi. Ergo impoſſibile eſt per ſciẽtiam infuſam videri omnia poſſibilia. Tertiò, quia nulla ſufficienti ratione probatur cognitionem omnium poſſibilium neceſſariam fuiſſe Chriſto, aut multum contuliſſe ad ipſius perfectionem. Ergo non eſt, cur illam Chriſto attribuamus. Ita Vaſquez diſp. 53. cap. 2. Suarez d. 27. ſect. 4. ad finem, Tannerus quæſt. 5. dub. 5. num. 126. Becanus cap. 9. quæſt. 7. num. 10. & alij ferè communiter contra Magiſtrum in 3. diſt. 14. Durandum ibid. quæſt. 2. Alex. de Ales, & alios, quorum ſententia non eſt improbabilis.

8 Obijcies primò, *In Chriſto ſunt omnes Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*, ad Coloſſ. 2. Ergo in Chriſto eſt cognitio omnium poſſibiliũ, alioquin in ipſo non eſſent omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ.

Reſpondeo primò, per communicationem idiomatum dici eſſe in Chriſto omnes theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ; in ipſo tamen ſunt huiuſmodi theſauri, vt eſt Deus, non vt eſt homo; ſicut Chriſtus per communicationem idiomatum dicitur eſſe omnipotens, æternus, infinitus, & tamen non eſt omnipotens, æternus;

&

Digitized by Google

& infinitus ob humanitatem, ſed ob diuinitatem.

Reſpondeo ſecũdo, omnes theſauros ſapientiæ, & ſcientię eſſe in Chriſto, ſi loquamur de theſauris ſcientiæ, quæ in hominibus, & Angelis diuiſim reperiuntur; iſti enim collectiuè reperiuntur in Chriſto. Hoc etiam pacto explicari poteſt locus ille Ioannis 3. *Quem miſit Deus, verba Dei loquitur; non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum*, quo in loco ſermo videtur eſſe de ſapientia Chriſto data, quæ dicitur ei data ſine menſura; dicitur autem ſapientia data Chriſto ſine menſura, quia theſauri ſcientiæ, qui in alijs hominibus diuiſim, & diſiunctim reperiuntur, in Chriſto coniunctim exiſtunt. Ita S. Thomas quæſt. 7. art. 11. ad 2. vbi etiam alias affert expoſitiones, quę huic accomodari poſſunt.

Obijcies ſecundo, cognitio omnium creaturarum poſſibilium non implicat contradictionem; imò de facto admittitur in omnibus beatis; cum enim beati clarè, & intuitiuè videant diuinam eſſentiam, neceſſario etiam vident ea, quæ repreſentantur in diuina eſſentia; ſed omnes creaturæ poſſibiles repreſentãtur in diuina eſſentia. Ergo beati vident omnes creaturas poſſibiles; conſequenter non implicat Chriſtum videre omnes creaturas poſſibiles.

Reſpõdent aliqui Doctores primo, cognitionem omnium creaturarum poſſibilium implicare contradictionem, quia cum implicet Deũ ab homine comprehendi, implicat etiam omnes creaturas poſſibiles à Chriſto ſecundum humanitatẽ cognoſci; neque obſtat viſio beatorum, quia beati videndo Deum, non vident creaturas ſecundum ſuum eſſe formale, ſed ſecundum eſſe eminens, quod in Deo habent, & quod eſt ipſe Deus.

Reſpondeo ego ſecundo, etiamſi admitterem cognitionem omnium creaturarum non implicare contradictionem in Chriſto ſecundum humanam naturam, non tamen hinc ſequitur in Chriſto admittendam eſſe cognitionem omnium creaturarũ poſſibilium; in Chriſto enim admittendum non eſt omne id, quod apertè non implicat contradictionẽ, ſed id quod magnam arguit perfectionem, & pertinet ad ipſius ſtatum, vt dictum eſt in 5. propoſitione; cognitio autem omnium creaturarum poſſibilium nõ arguit perfectionem in Chriſto conuenientem ipſius ſtatui ſecundum humanitatem.

Obijcies tertio, Chriſtus cognouit aliqua poſſibilia. Ergo cognouit omnia, cum par ratio omnium eſſe videatur.

Reſpondeo negando conſequentiam; nam etiam puri homines cognoſcunt aliqua poſſibilia, & tamen non cognoſcunt omnia poſſibilia. Ita S. Thomas quæſt. 11. art. 1. Puteanus q. 11. art. 6. dub. vnica concluſ. 3. & alij.

Obijcies quarto, ſi anima Chriſti per ſcientiam infuſam non cognouit omnia poſſibilia, maximè quia intellectus non poteſt intuitiuè cognoſcere rem, quæ actu non exiſtit; ſed hoc eſt falſum, ſaltem in ſententia eorum, qui putant beatos intuitiuè videntes Diuinam eſſentiam, videre etiam intuitiuè in ipſa creaturas poſſibiles, cum actu repreſententur in eſſen-

eſſentia diuina iuxta ipſorum ſententiam. Ergo anima Chriſti per ſcientiam infuſam cognouit omnia poſſibilia.

Reſpõdeo, Rationes, cur Chriſtus per ſcientiam infuſam non cognouerit omnia poſſibilia, eſſe illas, quas attuli in reſponſione ad quæſitum. An autem creaturæ videantur in eſſentia diuina, alibi explicandũ eſt.

Obijcies quinto, ſi Chriſtus per ſcientiam infuſam nõ cognouit omnia poſſibilia, maximè quia non poterant dari ſpecies, quæ omnia poſſibilia repreſentarẽt; ſed hoc eſt falſum, quia licet omnes creaturæ poſſibiles ſint ſimpliciter infinitæ, tamen non opus fuiſſet ſpeciebus infinitis, aut finitis in infinitum ad cognoſcendum omnes creaturas poſſibiles; nam cognoſci potuiſſent per vnam ſpeciem à Deo infuſam; ſicut enim in ſententia multorum Doctorum dari poteſt vna ſpecies infuſa intuitiuè repreſentans diuinam eſſentiam eſſentialiter infinitam, ita multo magis dari poteſt vna ſpecies repreſentans omnes creaturas poſſibiles. Ergo Chriſtus per ſcientiam infuſã cognoſcere potuit omnes creaturas poſſibiles.

Reſpondeo, hanc non eſſe rationem, ſed illas à me allatas in reſponſione quæſiti; deinde probandum eſſet, huiuſmodi ſpeciem repreſentantem creaturas poſſibiles, à Deo infuſam fuiſſe animæ Chriſti, quod ab aduerſarijs nondum probatum eſt.

9 Quæres ſecundo, An Chriſtus ſemper aliquid cognouerit per ſcientiam infuſam.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia homo nunquam ceſſat ab actu intelligendi, niſi dum per ſomnum impeditur. Ergo Chriſtus ſemper fuit in actu intelligendi, quia reſpectu ſcientiæ infuſæ, aut viſionis beatificæ nunquam fuit impeditus per ſomnum, nam vſus ſcientiæ infuſæ, aut viſionis beatificæ non dependet à ſenſibus corporeis, & à phantaſia, & conſequenter per ſomnum impediri non poteſt.

Dices, impeditum fuiſſe per viſionem beatificam.

Reſpondeo, negando impeditum fuiſſe per viſionem beatificam. Tum quia per viſionem beatificam in ſententia multorum Doctorum non cognoſcũtur creaturæ; ſed ſolus Deus. Ergo viſio beatifica impedire non potuit vſum ſcientiæ infuſæ, per quẽ cognoſcuntur creaturæ. Tum quia ſequeretur Chriſtum nũquam vſum fuiſſe ſcientia infuſa; cum enim per viſionem beatificam non ſolum cognoſcatur Deus, verum etiam creaturæ, vt alij Doctores ſentiunt, ſequitur Chriſtum nunquam vſum fuiſſe ſcientia infuſa, cum viſio beatifica Dei nunquam interrupta fuerit; ſed falſum eſt Chriſtum nunquã vſum fuiſſe ſcientia infuſa. Ergo etiã falſum eſt vſum ſcientiæ infuſæ impeditum fuiſſe per viſionem beatificam. Ita S. Thomas 3. par. q. 11. art. 5. ad 2. Suarez diſp. 28. ſect. 1. concluſ. 3. Becanus cap. 9. quæſt. 5. num. 8. Tannerus diſp. 1. quæſt. 5. dub. 5. num. 145.

10 Quæres tertio, Vtrum Chriſtus ſemper actu cognouerit omnia obiecta ſcientiæ infuſæ.

Reſpondeo negatiuè, quia non eſt aſſerendum miraculum ſine ratione, vel neceſſitate. Ergo neque aſſe-

aſſerendum eſt Chriſtũ ſemper clarè, & diſtinctè cognouiſſe omnia obiecta iſtius ſcientiæ; cùm hæc ſint infinita, & ſine miraculo ſemper cognoſci non poſſint clarè, & diſtinctè in ſuo proprio genere, & ꝑ proprias ſpecies. Ita S. Thomas, Suarez, & Tannerus locis citatis, quamquam Becanus, & alij aſſerant in hac re nihil certi ſtatui poſſe.

Obijcies, Chriſtus non habuit ignorantiam aliquorũ obiectorum. Ergo ſemper cognouit omnia obiecta ſcientiæ infuſæ, alioquin diceretur ignorantiam eorum, quæ actu non cognoſcebat, habuiſſe.

Reſpondeo negando conſequentiam; Chriſtus enim nõ habuit ignorantiam vllius rei, quia habebat lumen ſcientiæ infuſæ, quo vti poterat ad cognoſcenda obiecta, quoties volebat, licet illa ſemper actu non cognoſceret; ille enim non dicitur aliquid ignorare, qui illud cognoſcit, quoties vult, etiamſi illud non ſemper actu cognoſcat; ignorãtia enim eſt priuatio ſcientiæ habitualis, & non actualis tantum.

11 Quæres quarto, Vtrum Chriſtus aliquando cognouerit ſimul omnia obiecta ſcientiæ infuſæ vno, vel pluribus actibus.

Reſpondeo, iuxta probabilẽ nonnullorum ſententiam cognouiſſe omnia in inſtanti Conceptionis, quia id non eſt impoſſibile, & conuenire videtur perfectioni Chriſti, vt ſaltẽ aliquando cognouerit omnia obiecta ſcientiæ infuſæ. Ita Vaſquez d. 53. cap. 2. num. 13. Tannerus num. 148. & alij contra Scotum, Gabrielem, & alios apud Tannerum, & Suarez locis cit.

12 An autem cognouerit omnia per vnicam cogitationem, Marſilius in 3. q. 10. art. 2. affirmat, quia hæc perfectio poſſibilis eſt, & non excedit dignitatem Chriſti; Suarez diſp. 28. ſect. 1. quæſito 1. & alij rectius negant, quia plures ſunt ſpecies, quibus vtitur ſcientia infuſa ad cognoſcenda ſua obiecta; actus autem alicuius ſcientiæ multiplicari ſolent ſaltem iuxta numerorum ſpecierum intelligibilium.

Paragraphus Quartus.

An ſcientia infuſa Chriſti fuerit ſupernaturalis.

1 *Scientia infuſa eſt ſupernaturalis.*
2 *Species ſcientiæ infuſæ repreſentantes res ſupernaturales, ſunt ſupernaturales; repreſentantes verò res naturales ſunt naturales.*
3 *Species ſcientiæ infuſæ ſunt plures.*
4 *Species ſcientiæ infuſæ quot ſint, incertum eſt.*
5 *Lumen ſcientiæ infuſæ eſt ſupernaturale.*
6 *Lumen ſcientiæ infuſę diſtinctum eſt à lumine gloriæ.*
7 *Lumen ſcientiæ infuſæ eſt vnum.*

VNICA PROPOSITIO.

1 Scientia infuſa Chriſti eſt ſupernaturalis. Ratio eſt, quia illa ſcientia eſt ſupernaturalis, quæ naturæ vires ſuperat, & non exit in actum, niſi per potentiam ſupernaturalem eleuatus; talis autem eſt ſcientia infuſa.

Vt hæc propoſitio clarius intelligatur, aduertendum eſt in ſcientia infu-

infuſa duo ſpectari poſſe. Primum ſunt ſpecies, quæ ſe tenent ex parte obiecti, & repreſentant illa omnia, quæ à Chriſto cognoſcuntur per ſciẽtiã infuſam. Secundum eſt lumen infuſum, tenens ſe ex parte intellectus, & ipſum eleuans ad cognoſcenda ea, quæ per ſpecies repreſentantur; cum enim intellectus creatus non habeat vires naturales ſufficientes ad percipienda myſteria ſupernaturalia, futura contingentia, & occultas animi cogitationes, dari debet lumẽ ſupernaturale, quo iuuetur, & eleuetur ad illa intelligenda, vt benè S. Thomas quæſt. 11. art. 6. ad 3. S. Bonauentura in 3. diſt. 14. art. 3. quæſt. 2. & alij apud Suarez diſp. 29. ſect. 2. ſub finem.

Neque obſtat dicere cũ Vaſquez diſp. 64. cap. 2. ſufficienter iuuari, & eleuari per ſpecies infuſas. Reſpondetur enim id falſum eſſe, quia ſpecies non ſupplent defectum principij cognoſcentis, ſed obiecti; nam tenent ſe ex parte obiecti, illudque proximè reddunt intelligibile, & repreſentant intellectui; conſequenter requiritur aliquid aliud ex parte intellectus, adiuuans, & eleuans ipſũ intellectum ad intelligendum; ſicut enim ad viſionem beatificam opus eſt lumine gloriæ, quo intellectus eleuetur, & adiuuetur ad cognoſcẽdam diuinam eſſentiam, & non ſufficit, vt diuina eſſentia concurrat per modum obiecti intelligibilis, ita ad alia obiecta ſupernaturalia cognoſcenda per ſcientiam infuſam neceſſarium eſt lumen eleuans intellectũ, & non ſufficiunt ſpecies infuſæ. Ita S. Thomas quæſt. 11. art. 6. ad 3. Suarez diſp. 29. ſect. 2. Becanus c. 9. quæſt. 4. num. 5. Tannerus diſp. 1. quæſt. 5. dub. 5. n. 135. Peſantius q. 11. art. 1. dub. 2. & alij contra Vaſquez loco citato.

Hoc poſito explicandum eſt primo, Vtrum ſpecies infuſæ ſint ſupernaturales, & quot illæ ſint. Secundo, An ipſum lumen ſit ſupernaturale, an diſtinguatur à lumine gloriæ, & quotuplex illud ſit.

2 Quæres igitur primo, Vtrum ſpecies infuſæ animæ Chriſti ſint ſupernaturales quo ad entitatem.

Reſpondeo ſpecies repreſentantes res ſupernaturales debere eſſe ſupernaturales, quia talis debet eſſe ſpecies, quale eſt obiectum, quod per ipſam ſpeciẽ repreſentatur; ſpecies verò repreſentantes obiecta naturalia, quoad entitatem ſunt naturales, quia talis eſt ſpecies, quale eſt obiectum; ſed obiectum eſt naturale, vt ſuppono. Ergo etiam ſpecies eſt naturalis. Ita Vaſquez diſp. 52. cap. 1. num. 5. Becanus cap. 9. q. 4. num. 2. & alij Contra Suarez diſp. 29. ſect. 1. Tannerum diſp. 1. quæſt. 5. dub. 5. num. 131. & alios.

Obijcies primo, ſpecies debent eſſe proportionatæ habitui, cui inſeruiunt; ſed habitus eſt lumen ſcientię infuſæ, quod eſt ſupernaturale. Ergo ſpecies debent eſſe ſupernaturales.

Reſpondeo ſpecies tenere ſe ex parte obiecti, & conſequenter debere illi proportionatas eſſe.

Obijcies ſecundo, in Chriſto dantur ſpecies repreſentantes naturam Angelicam, occultas cogitationes cordium, & futura contingentia; ſed iſtæ ſpecies non videntur naturales, vel faltẽ viribus naturæ acquiri non poſſunt. Ergo videntur ſupernaturales,

Digitized by Google

rales, & per ſe infuſæ.

Reſpondeo eſſe naturales quoad entitatem; ſupernaturales verò extrinſecè, & quoad principium efficiens, quia naturæ viribus effici non poſſunt. Ita Vaſquez diſp. 52. cap. 1. num. 5. & Becanus cap. 9. quæſt. 4. num. 2. & alij.

Obijcies tertio, dari poteſt ſpecies ſupernaturalis expreſſa, repreſentans res naturales. Ergo etiam dari poteſt ſpecies impreſſa ſupernaturalis, repreſentãs res naturales. Ergo ſpecies ſcientiæ infuſæ Chriſti repreſentãtes res naturales videntur ſupernaturales.

Reſponderi poteſt negando conſequentiam. Ratio differentiæ eſt, quia ſpecies expreſſa debet eſſe proportionata ſuo principio proximo, à quo elicitur; cum autem eliciatur ab intellectu, vt eleuato per lumen ſupernaturale, ſeu vt operante viribus ſupnaturalibus, ſpecies expreſſa debet eſſe ſupernaturalis.

3 Rogabis, Vtrum ſpecies ſcientiæ infuſæ animæ Chriſti ſint plures.

Reſpondeo eſſe plures. Ratio eſt. Tum quia ſcientia infuſa eſt minus perfecta, minus ſimplex, & vnita, quam ſcientia beata. Ergo non cognoſcit ſua obiecta per vnam ſpeciẽ, ſed per plures. Tum quia ſcientia infuſa quo ad modum cognoſcẽdi videtur proportionata ſubiecto, ſeu animæ rationali; proprium autem naturę rationalis eſt cognoſcere plura genera per plures ſpecies. Ita communiter Doctores contra Marſilium in 3. quæſt. 10. art. 2. aſſerentem vnicam eſſe ſpeciem ſcientiæ infuſę.

Obijcies, non implicat dari vnam ſpeciem repreſentantẽ omnia obiecta ſcientiæ infuſæ. Ergo fruſtra admittimus plures ſpecies in Chriſto.

Reſpondeo negando conſequentiam. Non enim tenemur tribuere animæ Chriſti quicquid impoſſibile non eſt; præſertim quando ad hoc ei tribuendum nulla cogit neceſſitas, & aliquæ rationes oppoſitũ ſuadẽt, vt benè Suarez diſp. 29. ſect. 1. col. 2. concluſ. 1.

4 Maior difficultas eſt, quotnam fuerint ſpecies ſcientię infuſæ animę Chriſti.

Reſpondeo nihil certi ſtatui poſſe, Vaſquez enim diſp. 53. cap. 2. Tannerus loco citato, & alij exiſtimant tot eſſe, quot ſint ſpecies rerũ, id eſt, quot ſunt naturæ ſpecificæ. Nam proprium intellectus humani eſt intelligere plures naturas ſpecificas per plures ſpecies intelligibiles; iſtæ autem ſpecies videntur proportionatæ naturali modo intelligẽdi hominis.

Ex quo fit, vt per vnam ſpeciem infuſam cognoſcatur tota latitudo naturæ ſpecificæ, & omnia ipſius indiuidua, tam exiſtentia, quam futura. Idem dic de accidentibus iuxta Vaſquez, & alios; quamquam Tannerus, & alij putant per eandem ſpeciem, qua cognoſcitur aliqua ſubſtantia, cognoſci etiam ipſius accidentia; cum enim accidentia non habeant eſſe per ſe, ita neque per ſe propriam ſpeciem exigere videntur. Addunt Suarez d. 29. ſect. 1. concl. 2. & 3. & alij ſpecies ſcientiæ infuſæ vniuerſaliores eſſe, quã ſint ſpecies Angelorum; conſequenter Chriſtum non indiguiſſe tot ſpeciebus ad cognoſcendum ſcientia infuſa, quot indiguerunt Angeli. Ratio eſt, tum

Digitized by Google

quia ſicut Anima Chriſti ſuperauit Angelos gratia, & ſcientia; ita etiã ſpeciebus.

5 Quæres ſecundo, Vtrum lumen ſcientiæ infuſæ ſit ſupernaturale.

Reſpondeo affirmatiuè, vt patet, tum ex ratione in propoſitione allata; nam ſcientia infuſa includit ſpecies ſupernaturales, tenentes ſe ex parte obiecti, & lumen ſcientiæ infuſæ tenens ſe ex parte intellectus, eleuans, & adiuuans ipſum ad intelligendum. Tum quia intellectio, qua cognoſcuntur obiecta ſupernaturalia, eſt ſupernaturalis; Ergo etiam principium per quod elicitur huiuſmodi intellectio eſt ſupernaturalis, Hoc autem eſt lumen ſcientiæ infuſæ, eleuans, & corroborans intellectum ad intelligendum. Ita communiter Doctores.

6 Rogabis primo, Vtrum hoc lumen ſcientiæ infuſæ diſtinguatur à lumine gloriæ.

Reſpõdeo affirmatiuè. Tum quia viſio beatifica diſtinguitur eſſentialiter, & ſpecificè à ſcientia infuſa. Ergo aliud eſt principium, ſeu lumen ſcientiæ infuſæ, aliud viſionis beatificæ. Tum quia lumen viſionis beatificæ non vtitur ſpeciebus creatis, ſicut vtitur lumen ſcientiæ infuſæ. Ergo lumen ſcientiæ infuſæ diſtingui videt à lumine viſionis beatificæ. Ita Suarez diſp. 29. ſect. 4. ad finem, Tannerus loco citato n. 136. S. Bonauentura, & alij: quamquam oppoſitum non videtur improbabile iuxta Becanum cap. 9. q. 4. num. 8. & Suarez loco citato.

Obijcies, lumen gloriæ ſufficit ad videndum Deum intuitiuè. Ergo multo magis ſufficit ad vidẽda alia. Ergo ad ſcientiam infuſam non eſt opus lumine diſtincto à lumine gloriæ.

Reſponderi ſolet aliam eſſe naturam luminis gloriæ, aliam luminis ſcientiæ infuſę; nam lumen glorię habet pro obiecto diuinam eſſentiam, & creaturas, quatenus in diuina eſſentia relucent, ſeu eminenter continentur; Lumen verò ſcientię habet pro obiecto creaturas, vt cognoſcibiles in ſe ipſis. Sed de hac re alibi.

7 Rogabis ſecundo, Vtrum lumen ſcientiæ infuſæ ſit vnum, an multiplex.

Reſp. eſſe vnum. Ratio eſt, tũ quia vbi eſt vnum obiectum materiale, & formale, vna ratio formalis, ſub qua, ibi etiam eſſe ſolet vnicus habitus; in ſcientia autem infuſa primo eſt vnum obiectum materiale, nimirum ens quodlibet creatum, prout ad Deum aliquo modo cognoſcendum refertur. Secundò, eſt vna ratio formalis, ſub qua, nimirum quatenus eſt euidenter cognoſcibile per ſpecies infuſas. Tum quia ſicut vnus, & idem habitus Charitatis inſeruit ad diligendum Deum, & proximũ; & vnum, & idem lumen fidei inſeruit ad fidem præſtandam rebus naturalibus, & ſupernaturalibus, quatenus altiori modo per illud lumen manifeſtantur. Ita etiam vnum, & idem lumẽ infuſum ſufficit ad intelligenda illa omnia, quæ per ſpecies infuſas repreſentantur. Ita S. Thomas quæſt. 11. art. 3. ad 3. Suarez diſp. 29. ſect. 3. verſ. nihilominus, Tannerus diſp. 1. quæſt. 5. dub. 5. Becanus cap. 9. quæſt. 4. num. 8. & alij cõtra S. Bonauent. in 3. diſt. 14. a. 3. q. 2. Cajet. 1. 2. q. 54. art. 4. & alios.

Obij-

Digitized by Google

Obijcies, ſpecies intelligibiles iſtius ſcientiæ ſunt plures. Ergo etiam habitus, ſeu lumina ſunt plura.

Reſpondeo negando conſequentiam; nam ſpecies tenent ſe ex parte obiecti materialis; plures autem res materiales poſſunt eſſe obiectum vnius habitus, & commune eſt ferè omnibus habitibus ſciẽtiarũ, vt plures ſpecies intelligibiles inſeruiant vni habitui ſcientiæ; habitus verò, ſeu lumen inſeruit potentiæ verſanti circa plura obiecta, quæ per tales ſpecies cognoſcuntur. Ita Suarez loco citato col. 1.

Paragraphus Quintus.

Quo pacto Christus vſus fuerit ſcientia infuſa.

1 *Scientia infuſa non indiget conuerſione ad phantaſmata ad ſui vſum.*

2 *Scientia infuſa dum vtitur proprijs ſpeciebus, non eſt habitus diſcurſiuus.*

3 *Christus vti non potuit diſcurſu dum aliquid cognoſcebat per proprias ſpecies. Secus dum aliquid cognoſcebat per alienas ſpecies.*

4 *Christus vtẽdo alienis ſpeciebus poterat per diſcurſũ cognoſcere perfectiones diuinas.*

IN hoc paragrapho duplex difficultas explicari poteſt. Primo, Vtrum ad vſum ſcientiæ infuſæ neceſſaria fuerit conuerſio ad phantaſmata. Secundò, Vtrum ſcientia infuſa ſit habitus diſcurſiuus, vel potius per ipſam immediatè cognoſcatur obiecta ipſius ſcientiæ infuſæ.

PRIMA PROPOSITIO.

1 AD vſum ſcientiæ infuſæ neceſſaria non fuit conuerſio ad phantaſmata, conſequenter Chriſtus vti potuit ſcientia infuſa ſine conuerſione ad phantaſmata, ſeu ſine ſpeculatione phantaſmatum, aut ſine operatione phantaſiæ. Ratio eſt, quia ſcientia infuſa vtitur ſpeciebus per ſe infuſis; ſpecies autem per ſe infuſæ non dependent à phantaſia, ſeu à phantaſmatibus. Ita S. Thomas quæſt. 11. art. 3. Caietanus, Medina, & alij Thomiſtæ ibidẽ. Vaſquez diſp. 52. cap. 2. & 3. Tannerus diſp. 1. quæſt. 5. dub. 5. num. 140. Becanus cap. 9. quæſt. 5. n. 2. & alij.

Addo Chriſtum non potuiſſe vti ſcientia infuſa dependenter à phantaſmatibus, quia Chriſtus facere nõ potuit, vt ſpecies, quę independentes ſunt à phantaſia, egeant ope phãtaſię. Ita Vaſquez, Becanus, & alij locis citatis, contra Tannerum diſp. 1. quęſt. 5. dub. 5. num. 142.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 SCientia infuſa, dum intelligit aliquid per proprias ſpecies, non eſt habitus diſcurſiuus, Quia ille eſt habitus diſcurſiuus, quo ex cognitione vnius rei venimus in cognitionem alterius; dum autem per ſcientiam infuſam cognoſcitur aliquid per proprias ſpecies, non venitur ex cognitione vnius in cognitionem alterius; ſed immediatè, intuitiuè, & quidditatiuè, & quaſi vnico intuitu cognoſcitur id, cuius ſpecies habentur. Ergo ſcientia infuſa non eſt habitus

bitus diſcurſiuus, & non indiget habitu diſcurſiuo, dum cognoſcitur aliquid per propriam ipſius ſpeciē. Ex quo patet Chriſtū non indiguiſſe diſcurſu, dum aliquid cognoſcebat per proprias ſpecies.

3 Maior difficultas eſt, Vtrum Chriſtus vti potuerit diſcurſu.

Reſpondeo non potuiſſe vti diſcurſu, dum aliquid cognoſcebat per proprias ſpecies; nā ſpecies propriè ducunt ad cognoſcendum immediatè, & intuitiuè id, cuius ſunt ſpecies; dum verò Chriſtus cognoſcere volebat aliquid per alienas ſpecies, vti poterat diſcurſu, vt ſi ex cognitione cauſę cognoſcere voluiſſet effectum illius, non per ſpeciē ipſius effectus, ſed per ſpeciem cauſę, quę diuerſa eſt à ſpecie effectus.

4 Ex quo obiter inferri poteſt, Chriſtum, vtendo alienis ſpeciebus, potuiſſe per diſcurſum cognoſcere perfectiones diuinas, quarum non habebat proprias ſpecies, ſed ſolum alienas; nam cognito intuitiuè, & quidditatiuè effectu aliquo creato, inde per diſcurſum conijcere, & cognoſcere poterat aliquod Dei attributum, vt potentiam, ſapientiam, miſericordiam, aut alia ſimilia Dei creatoris attributa; nihil enim in effectu eſt, quod aliqua ratione nō prę-exiſtat in cauſa, vt benè Suarez d. 18. ſect. 2. Tannerus loco citato n. 143. Becanus cap. 9. quęſt. 5. num. 8. S. Bonauentura, & alij apud Suarez loco citato.

Obijcies, Chriſtus cognoſcendo effectus naturales per ſcientiam infuſam, cognoſcebat etiam abſque diſcurſu Deum eſſe. Ergo etiam abſq; diſcurſu cognoſcebat ipſius perfectiones, quę idem ſunt cum entitate, & diuina eſſentia.

Reſpondeo, Chriſtum cognoſcendo creaturas, ſeu effectū aliquem creatum, cognouiſſe etiam eodem actu Deum eſſe, quia creatura cognoſci non poteſt quidditatiuè, niſi etiā cognoſcatur id, quod ad ipſius eſſentiam pertinet; ſed ad eſſentiam creaturę pertinet dependētia à creatore. Ergo creatura cognoſci non poteſt, niſi etiam cognoſcatur dependentia à creatore. Ergo creatura intuitiuè, & quidditatiuè cognoſci non poteſt, niſi etiam abſtractiuè cognoſcatur Deum eſſe; non tamen hinc ſequitur, cognoſcendo aliquid creatum, ſimul etiā eodem actu cognoſci perfectiones Dei, quia creatura non dicit eſſentialem reſpectū ad perfectiones Dei. Vide Becanum, Suarez, & alios locis citatis.

Punctum Quartum.

An Chriſtus habuerit ſcientiam acquiſitam, ideſt, an acquiſierit aliquam ſcientiam proprijs actibus.

1 *Chriſtus proprijs actibus acquiſiuit illas ſcientias, quę proprijs act. bus acquiri poſſunt.*

2 *Adamo inditi fuerūt habitus cuiuſlibet ſcientiæ naturalis, non autem Chriſto.*

VNICA PROPOSITIO.

1 CHriſtus proprijs actibus acquiſiuit illas ſcientias, ſeu habitus diſcurſiuos, qui proprijs acti-

Digitized by Google

actibus acquiri poſſunt, vt ſunt Phyſica, Methaphyſica, Moralis, & Mathematica. Ratio eſt primo, quia ſic colligitur ex multis Scripturæ locis; Hebreor. 5. *Didicit ex ijs, quę paſſus eſt, obedientiam.* Iſaiæ 6. *Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum*. Secundo, quia Chriſtus fuit perfectus homo. Ergo potuit facere id, quod eſt proprium naturæ humanæ; vnio enim hypoſtatica, & aliæ gratiæ Chriſti non deſtruunt naturam humanam, ſed illam perficiunt; cum ergo natura humana poſſit præuia actione intellectus agentis acquirere ſcientias, ſequitur etiam Chriſtum potuiſſe illas acquirere. Tertio, quia ſequeretur Chriſtum nũquam fuiſſe in puerili ætate, & infantiam Chriſti fuiſſe fictam, & ſimulatam; ſi enim Chriſtus ab inſtanti Conceptionis habuit viſionẽ beatificam, & ſcientiam infuſam, vt ſupra oſtẽſum eſt, intelligi non põt, quomodo fuerit infans, niſi dicamus ipſum caruiſſe ſciẽtia acquiſita, quã poſtea progreſſu temporis acquiſierit. Quarto, quia perfectius eſt mouere ſe ipſum in finem aliquem, quã moueri ab alio, & nobilius eſt aliquid à ſe ipſo accipere, quã ab alio. Quinto, quia ſequeretur intellectũ agentem in Chriſto inutilem fuiſſe; propria enim functio intellectus agẽtis eſt producere ſpecies intelligibiles, & his productis iudicium elicere, & habitum acquirere. Sexto, quia Chriſtus acquiſiuit virtutes morales, vt quæſtione præcedenti oſtenſum eſt. Ergo etiam acquiſiuit ſcientiam, cum par ſit omnium ratio. Septimo, quia Chriſtus eſt caput, & exemplum Beatorum, Angelorũ, & Hominũ. Ergo par fuit, vt ſcientias more Beatorum, Angelorũ, & Hominum haberet; ſed Beati habent viſionem beatificam, Angeli habuerunt inditam, ſeu infuſam, & homines acquiſitam. Ergo etiam Chriſtus non ſolum habuit viſionem beatificam, & ſcientiam infuſam, verum ẽt ſcientiam acquiſitam. Octauo, quia Chriſtus Lucæ 2. dicitur profeciſſe ſapientia; proficere autem ſapientia eſt acquirere ſapientiã; & licet multi Patres, & Doctores velint Chriſtum profeciſſe ſolum quoad oſtẽſionem, ſeu manifeſtationem, & opinionem, vel experientiam, nõ autem verè, ac realiter quoad progreſſum, & acquiſitionem ſcientiarum, nihilominus multi Patres, vt Beda, Cyrillus, & alij apud Maldonatum cap. 2. Lucæ, & apud Becanum cap. 9. quæſt. 6. n. 4. exiſtimant verè profeciſſe. Tum, quia ſcriptura dicit non ſolum profeciſſe apud homines, verum etiam apud Deum. Ergo non profecit ſolũ opinione hominum, ſed verè, ac realiter. Tũ quia ſicut proficiebat ætate, ita ſapientia, & gratia; nam Lucæ 2. dicitur *Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines*; ſed verè profecit ætate. Ergo etiam verè profecit ſapientia, & gratia, ideſt pijs operibus, quibus anima effici põt gratia, ſi à puro viatore præſtentur. Ita S. Thomas de Incarnat. quæſt. 9. art. 4. Caietanus, & Cabrera ibidem, Vaſquez diſputat. 55. cap. 2. num. 5. Valentia de Incarnatione diſput. 1. quæſtione 9. pun 2. Becanus cap. 9. quæſtione 6. num. 4. & ſequentibus, contra Suarez diſputat. 30. ſectione 1. & 2. Pateanum de Incarnatione quæſtione 9. art.

9. art. 4. Tannerum tomo 4. diſput. 1. quæſtio. 5. dub. 6. num. 158. & alios negantes in Chriſto ſcientiam acquiſitã, licet admittant in ipſo ſciẽtiam, ſeu cognitionem experimentalem, qua Chriſtus progreſſu temporis multa in particulari vidit, audiuit, & guſtauit, quæ antea illis ſenſibus non perceperat. Præterea, inquiunt, medijs ſenſibus acquiſiuit aliquas particulares ſpecies intelligibiles, & conſequenter cognitionem experimentalem, quam antea nõ habuerat; hæc tamen non vocatur propriè ſcientia, quia ſcientia non eſt de rebus particularibus, ſed de rebus vniuerſalibus; cognitio autem experimentalis verſatur circa ſingularia in particulari.

Obijcies primo, Chriſtus habebat ſcientiam infuſam, per quam cognoſcebat omnes res creatas perfectiori modo, quam cognoſci poſſint per ſcientiam acquiſitã. Ergo opus non fuit, vt Chriſtus ſuis actibus illam acquireret.

Reſpondeo, Chriſtum habuiſſe quidem ſcientiam infuſam, per quã perfectius, & euidentius cognoſcebat, quam per acquiſitam, & plura per illam cognoſcebat, quam per hanc. Nihilominus quia præter ſciẽtiam infuſam dari poterat alia, quæ non erat infuſa, & quæ poterat proprio labore acquiri; imò congruentiùs erat illam proprijs actibus comparare, quam à Deo infuſam accipere; ideò negare non debemus illam proprio labore acquiſitam fuiſſe.

2 Obijcies ſecundo, habitus cuiuſlibet ſcientiæ naturalis fuerunt in Adamo, iuxta communem Doctorum ſententiam. Ergo multo magis fuerunt in Chriſto, qui eſt verus Deus, & caput hominũ. Ergo Chriſtus non acquiſiuit ſcientias naturales; nullus enim acquirere poteſt id, quod antea habebat.

Reſpondeo, negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia primis patentibus debita erat huiuſmodi ſcientia, vt ſtatim operari, & ſua prudentia cuncta regere, & gubernare poſſent: Chriſto verò non erat neceſſaria huiuſmodi ſcientia, cùm haberet ſcientiam per ſe infuſam, per quam plura euidenter cognoſcebat, quam cognoſci poſſint per ſcientiam acquiſitã; conſequenter æquum fuit, vt Chriſto daretur facultas acquirendi hanc ſciẽtiam proprijs actibus, non verò Adamo. Alio pacto reſpondent Caietanus quæſt. 9. art. 4. & Valentia loco citato ad 2. aiunt enim Adamo inditam fuiſſe ſcientiam naturalem, quia futurus erat Doctor, & Magiſter cęterorum in diſciplinis naturalibus; Chriſtus verò non erat futurus doctor in rebus naturalibus; (Chriſtus enim nõ docuit ſcientias Mathematicas, aut alias naturales) ſed in rebus ad ſupernaturalem finẽ ſpectantibus, vt in rebus fidei; conequẽter ſatis illi fuit ſciẽtia infuſa, per quã cognoſceret, & doceret myſteria, quibus homo ad ſupernaturalem finem produci poteſt.

Obijcies tertio, *Melior eſt actus, quã potentia* ex Ariſt. 9. Methaph. Ergo melius eſt habere ſciẽtiam infuſam, quam illam acquirere; nam quæ infunditur, habetur actu, quæ acquiritur, habetur ſolùm in potentia.

Reſpondeo, actum eſſe meliorem potentia, regulariter loquendo, non

autem in omni caſu, vt in noſtro, de quo agimus; cur autem hic caſus excipiatur, patet ex rationibus in propoſitione allatis.

Obijcies quarto, ſi datur ſcientia acquiſita in Chriſto, maximè quia ſequeretur intellectum agentem in Chriſto inutilem, & fruſtratorium eſſe, vt dictum eſt in quinta ratione; ſed hęc ratio non probat dari debere ſciētiam acquiſitam; falſum enim eſt rem illicò ſuperuacaneam cenſeri, ſi careat propria operatione; nam potentia augmentatiua non dicitur eſſe fruſtra in viro, licet amplius non augeatur; & intellectus agens in beatis non dicitur eſſe fruſtra, licet in ipſis non abſtrahat ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus. Ergo non datur ſcientia acquiſita in Chriſto.

Reſpondeo, negando minorem propoſitionem; ad probationem dico potentiam non cenſeri inutilem, & fruſtratoriam, dum caret operatione, eo quod iam obtentus ſit finis operationis, vt contingit in exemplis allatis. Secus ſi nondum obtentus ſit finis, & omnibus conſideratis vtilius ſit operationem exercere, & tamen non exerceatur, vt contingeret in noſtro caſu, ſi Chriſto denegaretur ſcientia acquiſita.

Digitized by Google

QVÆSTIO NONA.

De Potentia Christi.

CHriſtus dupliciter conſiderari poteſt. Primò, Secundum diuinitatem, & ſic conſtat Chriſtum habere potentiam infinitam, ſeu omnipotentiam; nam omnipotentia eſt attributum Dei, conſequenter conuenit ſingulis perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis. Secundò, Secundum humanitatem, & ſic conſtat quidem Chriſtum habuiſſe potentiam, qua cęteri omnes pollent; in dubium tamen ab aliquibus vocatur, an habuerit omnipotentiam. Secundò, An ſaltem habuerit potentiã ad producendam gratiam, & patranda miracula. Tertiò, An fuerit cauſa principalis, vel inſtrumentalis miraculorum, & donorum ſupernaturalium.

Punctum Primum.

An Chriſtus ſecundum humanitatem fuerit omnipotens.

1 *Chriſtus ſecundum humanitatem non fuit omnipotens.*

2 *Chriſtus non habuit ſcientiam practicam eorum omnium, quorum habuit ſcientiam ſpeculatiuam.*

VNICA PROPOSITIO.

1 CHriſtus ſecundum humanitatem non fuit omnipotens. Ratio eſt primo, quia omnipotentia eſt attributum Dei; nullum autem attributum Dei cõmunicari poteſt creaturæ, vt ſuperius probatum eſt. Secundo, quia humanitas Chriſti operari non poteſt ſine depẽdentia, & concurſu Dei. Ergo non eſt omnipotens; de ratione enim omnipotentiæ eſt, vt omnipotẽs agere poſſit independenter ab alio, alioquin non videretur omnipotens. Ita S. Thomas

quæſt.

quæſt. 13. art. 1. & ſeqq. Vaſquez d. 57. cap. 1. & alij communiter.

Obijcies primo, Damaſcenus lib. 3. cap. 18. de fide, & alij Patres aſſerunt humanam Chriſti naturam eſſe omnipotentē. Ergo Chriſtus eſt omnipotens ſecundum humanitatem.

Reſpondeo, Chriſtum non poſſe dici omnipotentem, formaliter ſecundum humanitatem, ſed denominatiuè, ſeu per communicationem idiomatum, per quam proprietates vnius naturæ prædicantur de altera, vt ſuperius oſtenſum eſt. Ita Suar. d. 31. ſect. 1. Puteanus quæſt. 13. art. 1. & alij.

Obijcies ſecundo, natura humana exiſtit per exiſtentiam diuinam. Ergo habet etiam omnipotentiam, quæ cum diuina eſſentia, & exiſtentia identificatur.

Reſpondeo negādo antecedens, vt patet ex dictis in præcedētibus; aliud enim eſt exiſtentia, aliud ſubſiſtentia. Natura humana in Chriſto ſubſiſtit per ſubſiſtentiam diuinam, non verò exiſtit per exiſtentiam diuinā.

Obijcies tertio, Matth. vlt. dicitur, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra*; ſed ibi ſermo eſt de Chriſto. Ergo Chriſto data eſt omnis poteſtas.

Reſpondeo, illum locum intelligi de Chriſto ratione diuinitatis, vel per communicationem idiomatum, vt benè Suarez q. 13. art. 2. in ſolut. ad primum.

Obijcies quarto, Humanitati Chriſti communicata eſt ſubſiſtentia Verbi. Ergo etiam communicata eſt omnipotentia Verbi, cum ſubſiſtentia idem ſit realiter cum eſſentia, & attributis.

Reſpondeo, ſolam ſubſiſtentiam formaliter communicatam eſſe naturæ humanæ, non verò attributa, vt ſufficienter explicaui quæſt. 6. pun. 2. num. 2.

Obijcies quinto, Anima Chriſti poteſt omnia cognoſcere. Ergo etiā poteſt omnia facere; nam ſcientiarum alia eſt practica, alia ſpeculatiua; ſi ergo Chriſtus habet ſcientiam practicam eorum, quæ ſcit, poterit facere omnia, quæ ſcit.

Reſpondeo cum S. Thoma qu. 13. art. 1. ad 2. & 3. Chriſtum non habuiſſe ſcientiam practicam omnium, quorum habuit ſcientiam ſpeculatiuam. Præterea non tantam virtutem requiri ad aliquid cognoſcendum, quanta requiritur ad illud præſtandum; nam ad cognoſcendū ſufficit ſpecies intentionalis, ad præſtādum verò requiritur cōtinentia formalis, vel eminentialis illius, quod faciendum eſt.

Punctum Secundum.

An Chriſtus ſecundum humanitatem habuerit potētiam ad producendam gratiam, & ad patranda miracula.

1 *Chriſtus potentiam habuit ad facienda miracula, ad producendam gratiam, & remittenda peccata.*

2 *Chriſtus ab inſtanti Conceptionis habuit vim faciendi miracula.*

3 *Chriſtus anno trigeſimo primo cœpit vti facultate faciendi miracula. An autem eadem facultate antea vſus fuerit, incertum eſt.*

4 *Chriſtus ſecundum humanitatē ad-*

huc retinet facultatem faciendi miracula.

VNICA PROPOSITIO.

1 CHriſtus potentiam habuit faciēdi miracula, & ad producendā gratiā, ſeu ad remittenda peccata. Ratio eſt primo, quia Chriſto data fuit illa poteſtas, quæ conueniebat ſtatui, & fini, propter quem carnem aſſumpſit; ſtatui autem Chriſti, & fini Incarnationis cōueniebat potentia non ſolum patrandi miracula, vt illis homines ad credendum traherentur, verum etiam producendi gratiam, per quam peccata delentur, & ſalus homini confertur; Chriſtus enim *venit ſaluum facere, quod perierat*. Secūdo, quia poteſtas Chriſti ad facienda miracula apertè habetur in Scriptura Matth. 9. ibi, *Videntes autem turbæ*, (videlicet paraliticum valetudine miraculosè donatum à Chriſto) *timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus*. Ioannis 2. aquam in vinum conuertit. Ioannis 5. Dæmones à corporibus eiecit. Propterea Chriſtus hanc poteſtatem contulit Apoſtolis, Lucæ 10. *Ecce ego mitto vos*, & infra, *Curate infirmos*, & infra, *Ecce ego dedi poteſtatem*. Ergo Chriſtus habebat hāc poteſtatem. Idem etiā habetur de poteſtate cōferendi gratiam, & remittendi peccata, Matth. 9. *Vt autē ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata*.

2 Quæres, quandonam Chriſtus habere cœperit vim faciendi miracula.

Reſpondeo habuiſſe vim faciendi miracula ab initio Conceptionis. Ratio eſt. Tum quia hæc virtus illi debebatur ratione vnionis hypoſtaticæ. Ergo illam habuit ab inſtanti Cōceptionis, cum ab illo inſtanti natura humana vnita ſit verbo. Tum quia ab inſtanti Conceptionis habuit gloriam, gratiam, & alia dona. Ergo etiam ab inſtanti Conceptionis habuit virtutem faciendi miracula. Ita Suarez diſp. 31. ſect. 2. Vaſq. d. 57. cap. 3. & 4. Puteanus loco citato, & alij.

3 Maior difficultas eſt. Primo quandonam Chriſtus hac facultate vti cœperit.

Reſponderi ſolet à multis Doctoribus, cœpiſſe vti ſolum anno trigeſimo primo, ſeu ſub initium trigeſimi ſecundi anni. Ratio eſt. Tum quia primum Chriſti miraculum fuit conuerſio aquæ in vinum. Ioan. 2. *Hoc fecit initium ſignorum in Cana Galilææ*; hoc autem miraculum factum fuit ſub initium anni trigeſimi ſecundi, iuxta multos interpretes D. Thomæ. Tum quia miracula diriguntur ad comprobandam Catholicam fidem; Chriſtus autem non vulgauit fidem ante trigeſimum annum. Tum quia licet Epiphan. hæreſi 5. aſſerat Chriſtum in tenera ætate patraſſe miracula; alij tamen Patres ipſum non ſequūtur, & liber de infantia Chriſti, qui ſub nomine Matthei Euāgeliſtæ circumfertur, apocryphus eſt, teſte Gelaſio Papa in cap. Sancta Romana 16. diſt. Alij verò putant Chriſtū publicè non patraſſe miracula ante 31. annum, vt patet ex rationibus allatis; an verò priuatim aliqua miracula fecerit, non conſtare.

Obijcies, Chriſoſtomus adſcribit potentiæ, & virtuti Chriſti mirabilia

lia ſigna in Natiuitate Chriſti patrata, vt ſtellam, quæ magis apparuit, & ſimilia. Ergo Chriſtus effecit miracula in infantia.

Reſpondeo, Chriſoſtomum fortè loqui potius de Chriſto, vt Deo, quã vt homine. Ita Suarez loco citato.

4 Secunda difficultas eſt, Vtrum Chriſtus ſecundum humanitatem adhuc retineat hanc poteſtatem.

℞ Reſpõdeo affirmatiuè. Tum quia eſt qualitas debita ratione vnionis hypoſtaticę; vnio autem ſemper perſeuerat. Tum quia Deus confert dona, nec pęnitet contuliſſe. Tum quia probabile eſt, lumen, quod beatis infunditur ad videndum Deum, fieri mediante Chriſti humanitate, ex S. Thoma 3. par. quæſt. 52. art. 2. & credibile eſt reſurrectionẽ mortuorum efficiendam eſſe per Chriſti humanitatem, iuxta illud Ioannis 5. *Sicut pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & filius, quos vult, viuificat*, & licet eo in loco ſermo pręcipuè ſit de Chriſto, vt Deo, habente poteſtatem æqualem Patri; intelligi tamen etiam poteſt cum debita proportione de Chriſto, vt homine, ſicut intelliguntur illa Verba, quæ ſtatim ſubijciuntur, *Pater omne iudicium dedit filio*. Vide Suarez diſp. 31. ſect. 2. pun. 2. & quę infra dicã de iudicio.

Punctum Tertium.

An humanitas Chriſti fuerit cauſa pracipua, vel ſaltem inſtrumentalis operis miraculoſi, aut gratia.

1 *Humanitas Chriſti non fuit cauſa principalis phyſica ad efficiendũ miracula.*

2 *Magi Pharaonis non effecerunt vera miracula.*

3 *Antichriſtus non patrabit vera miracula, ſed ficta, & apparentia.*

4 *Humanitas Chriſti fuit cauſa moralis, & meritoria miraculorum; & gratia.*

5 *Humanitas Chriſti fuit cauſa inſtrumentalis miraculorum & gratia.*

6 *Humanitas Chriſti potuit agere in loco diſtanti per contactũ virtualem, aut etiam abſque vllo contactu, vt inſtrumentum Dei vbique exiſtentis.*

7 *Virtus obedientialis quid ſit.*

8 *Deus vti potuit humanitate Chriſti ad aliquid creandum, non autem ad aliquid annichilandum.*

9 *Humanitas nondum exiſtens potuit efficere effectus exiſtentes poſt ipſã humanitatem. Imò aliqui volunt potuiſſe producere etiam effectus antecedentes ipſam humanitatem, ſed hoc authori non probatur.*

PRo ſolutione pręmittendum eſt, cauſas efficientes, aut eſſe phyſicas, aut morales; Cauſa phyſica eſt illa, quæ verè ac realiter influit in effectũ, qui producitur, vt ignis eſt cauſa phyſica caloris, vel ignis, quia verè influit producẽdo calorem; cauſa verò moralis verè, ac realiter non influit in effectũ; ſed ſolũ moraliter ad illũ concurrit, vt conſulendo, hortando, attrahẽdo, deterrendo, & his ſimilibus rationibus. Ob id dãs mãdatum ad occidendũ, vel furandũ, dicitur cauſa moralis homicidij, vel furti ſubſequentis, & Concionator hortando ad faciendam eleemoſy-

 nam,

nam, dicitur cauſa moralis eleemoſynæ.

PRIMA PROPOSITIO.

1 HVmanitas Chriſti non fuit cauſa principalis phyſica ad efficienda miracula. Ratio eſt primo, quia ſolus Deus in ſcriptura dicitur eſſe cauſa miraculorũ, Pſ. 71. *Benedictus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus*, & Pſal. 76. *Quis Deus magnus, ſicut Deus noſter: tu es Deus qui facis mirabilia*. Secundò, quia Lucæ 11. dicitur, *Et in digito Dei eijcio Dæmonia*, & Ioannis 14. *Pater in me manens ipſe facit opera*. Ergo Chriſtus ſecundum humanitatem non efficiebat illa principaliter. Tertiò, quia opus miraculoſum arguit infinitam potentiã, (miraculum enim eſt opus à ſolo Deo factum, excedens vires naturæ) nulla autem creatura potẽtiam habet infinitam. Ita communiter Doctores.

Obijcies primo, Maior virtus in eſſe debuit humanitati Chriſti, quã tactui, luto, voci, ſputo, & his ſimilibus, quibus Chriſtus vtebatur ad facienda miracula; ſed his inerat virtus inſtrumentalis. Ergo humanitati inerat virtus principalis.

Reſpondeo omnia illa fuiſſe inſtrumenta miraculorum, quamuis in ipſis dari poſſit latitudo, itaut vnum dicatur principalior cauſa, aliud minus principalis, aut applicatio, ſeu conditio, vt de contactu tradit Suarez ſect. 8. aſſerens effectum ſanitatis proueniſſe à carne Chriſti; contactum verò fuiſſe applicationem, & conditionem voluntariè ad hibitam ad ſanandum ægrotum. Vide Suarez loco citato, & Tannerum à num. 180. & 220.

2 Obijcies ſecũdo, Natura Chriſti humana non fuit minoris virtutis, & efficaciæ, quam eſſet Moiſes, aut Magi Pharaonis; ſed Magi Pharaonis Exodi cap. 7. miraculosè conuertebat virgas ſuas in ſerpentes; id enim faciebant in puncto ferè imperceptibili. Ergo natura Chriſti humana potuit miracula facere.

Reſpondeo primò, conuerſionem virgarum in ſerpentes factam à Magis Pharaonis, non fuiſſe miraculoſam; facta enim fuit applicando actiua paſſiuis, vt etiam facere poſſunt Angeli, & Dæmones.

Reſpondeo ſecundo, hinc colligi non poſſe humanitatem Chriſti eſſe cauſam præcipuam, & principalem miraculorum, ſed ſolum poſſe miracula facere, ſaltẽ inſtrumentaliter.

3 Obijcies tertio, Antichriſtus patrabit miracula Matthei 24. *Surgent pſeudo Chriſti, & pſeudo prophetæ, & dabunt ſigna magna*; ſed huiuſmodi ſigna, ſeu miracula non fient à Deo tanquam à cauſa principali; cũ enim hęc ſigna dirigãtur ad ſubuerſionem Catholicorũ hominum, fieri non poſſunt à Deo, tanquam à cauſa principali; nam Deus cauſa peccati eſſe non poteſt. Ergo fient ab Antichriſto, tanquam à cauſa principali. Ergo multo magis fieri poſſunt miracula ab humana Chriſti natura, tanquam à cauſa principali.

Reſpondeo, Antichriſtum nõ patraturum miracula vera, ſed ficta, & apparentia; *Veniet enim in ſignis, & portentis mendacibus*, inquit Paulus 2. ad Teſſalonic. 2. facturus quidẽ eſt aliquas operationes, quæ videbun-

buntur miracula, vt erit ignis de cęlo; ſed re ipſa non erunt vera miracula. Hoc pacto intelligendus eſt Hippolytus Martyr in oratione de Antichriſto, aſſerēs ipſum miracula facturum.

4 Queres, Vtrū humanitas Chriſti ſaltem fuerit cauſa moralis miraculorum, & gratiæ.

Reſpondeo, fuiſſe cauſam ſaltem moralem, & meritoriam, quia Deus intuitu humanitatis, ac meritorum ipſius faciebat miracula. Addo humanitatem dici poſſe cauſam principalem in genere cauſæ moralis, ſeu meritoriæ, quia Deus intuitu ipſius, & independenter ab alia cauſa meritoria faciebat miracula, & producebat gratiam. Ita communiter Doct.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 HVmanitas Chriſti fuit cauſa phyſica, ſaltem inſtrumentalis miraculorum, & donorum gratiæ. Ratio eſt primo, quia Chriſtus fuit cauſa phyſica miraculorū, & gratiæ; ſed non fuit cauſa principalis. Ergo inſtrumentalis. Maior probatur Lucæ 6. *Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*, & Lucæ 8. *tetigit me aliquis, nam ego noui virtutē de me exiſſe.*

Neque obſtat dicere virtutem illam exiſſe à diuinitate, quatenus coniuncta erat humanitati. Reſpondetur enim exiſſe etiam ex humanitate, quia de illo exibat, quod tangebatur. Secundo, quia Chriſtus multa faciebat miracula ſua voluntate, & per modum Imperij abſque deprecatione, Matthei 8. verſ. 3. *Domine ſi uis, potes me mundare, & extendens Ieſus manum tetigit eum dicens, volo mundare*, & ibidem verſ. 26. *Tunc ſurgens imperabat ventis, & mari, & facta eſt tranquilitas magna*, Lucæ 7. *Adoleſcens tibi dico ſurge*, & Ioannis 11. *Lazare veni foras*; ſed huiuſmodi miracula non fiebant à Chriſto, tanquam à cauſa morali, ſed phyſica; nam ad efficientiam moralem per modum impetrationis neceſſaria videtur aliqua deprecatio, vel ſupplex animi affectio erga Deum. Ergo Chriſtus fuit cauſa phyſica miraculorum. Tertiò, quia ſacramenta ſunt cauſa phyſica inſtrumentalis gratiæ, vt docui de ſacramentis diſp. 1. quæſt. 4. pun. 6. num. 3. Ergo etiam Chriſtus poteſt eſſe cauſa phyſica inſtrumentalis miraculorū, & gratiæ. Addo Chriſti humanitatem, comparatam cum alijs cauſis miniſterialibus, & inſtrumentis ſubordinatis, poſſe dici cauſam principalem, non quidem abſolutè, & ſimpliciter, ſed comparatiuè. Tum quia ſicut manus dici poteſt principale agens, ſi comparatio fiat inter manum, & malleum, ita &c. Tum quia reliqua operantur dependēter à virtute Chriſti. Ergo Chriſtus principalius operatur, & reliqua minus principaliter, in genere tamen cauſę inſtrumentalis, vt benè S. Thomas in 4. diſt. 5. Suarez diſp. 31. ſect. 4. verſ. ad rationes, Tannetus quæſt. 5. dub. 7. num. 189. Puteanus q. 13. art. 2. dub. 1. num. 5. Quartò, quia ignis infernalis inſtrumētaliter cruciat animas damnatorum, iuxta ſententiam multorum Doctorum. Ergo etiam humanitas Chriſti concurrere poteſt ad patranda miracula, &

ad

ad producendam gratiam. Quintò, quia humanitati Chriſti tribui poteſt perfectiſſimus modus operãdi, niſi inde ſequatur aliqua repugnantia (ſic enim poſtulare videtur vnio hypoſtatica, per quam humanitas aſſumitur à perſona diuina, & conſequenter eleuatur ad eſſe diuinum) ſed modus operandi perfectiſſimus cauſæ efficientis eſt operari per veram cauſalitatem. Ergo humanitas Chriſti operatur per veram cauſalitatem; ſed non operatur miracula, & opera gratiæ principaliter. Ergo inſtrumentaliter. Ita S. Thomas q. 13. art. 1. & 2. Caiet. & Medina ibid. Cabrera ibidem art. 2. diſp. 1. §. 2. Suarez diſp. 31. ſect. 3. verſ. nihilominus, Valentia diſp. 1. quæſt. 13. pun. 2. Puteanus quæſt. 13. art. 2. dub. 2. Tannerus diſp. 1 quæſt. 5. dub. 7. num. 182. & alij contra Vaſquez diſp. 57. cap. 5. & 1. par. diſp. 167. cap. 3. Becanum cap. 10. num. 10. Scotum in 4. diſt. 1. quæſt. 3. & 4. S. Bonauenturam in 3. diſt. 13. a. 2. quæſt. 3. Bellarminum, & quamplures alios apud Vaſquez, & apud alios præcitatos Doctores.

Obijcies primo, Humanitas Chriſti non poteſt miracula, & dona gratiæ producere, niſi virtutem habeat ad illa producenda; cauſa enim inſtrumentalis non poteſt effectum cauſæ principalis attingere, niſi receperit virtutem aliquam ſibi connaturalem, per quam effectum cauſæ principalis attingere poſſit, vt patet in penicillo, & alijs inſtrumẽtis; ſed humanitas Chriſti ſecundum ſe ſpectata non habet in ſe virtutem connaturalem, per quam attingere poſſit miracula, & dona gratiæ, cum ſecundum ſe ſit ordinis naturalis, & miraculum, ac dona gratiæ ſint ordinis ſupernaturalis. Ergo humanitas Chriſti nõ poteſt eſſe cauſa phyſica miraculorum, & gratiæ.

Reſpõdeo iuxta dicta in ſimili de Sacramentis loco ſupra citato, humanitatem Chriſti dupliciter conſiderari poſſe. Primo, iuxta potentiã, & ordinem naturalem. Secundo, iuxta potentiam obedientialem; licet enim humanitas Chriſti ſpectata præcisè iuxtà entitatem naturalem non habeat potẽtiam proximam ad opera ſupernaturalia; illam tamen habet, ſi ſpectetur ſecundum potentiam obedientialem, ſecundum quã abſq; alio ſuperaddito aſſumi poteſt à Deo ad faciendum quicquid non implicat contradictionem; Deus .n. poteſt quaſlibet res creatas aſſumere ad faciendum quicquid nõ implicat contradictionem, etiamſi res illę creatæ affectæ non ſint alia qualitate, per quam habiles efficiantur ad illud faciendum; quicquid in contrarium ſentiat Vaſquez loco citato, aſſerens Deum non poſſe pro ſua voluntate quamlibet rem aſſumere tanquam phyſicum inſtrumentum ad producendam quamlibet rem.

Obijcies ſecundo, cauſa phyſica non poteſt operari, niſi per contactũ, ſeu coniunctionem cum paſſo, ex cõmuni Philoſophorum doctrina; ſed Chriſtus multa miracula faciebat, & modo facit abſque contactu, cum multa miracula in terris faciat, & ipſe in cęlis exiſtat, & dum in terris exiſteret aliquando diſtabat ab effectibus ſupernaturalibus, quos producebat; curabat enim ęgrotos diſtantes; dęmonia eijciebat, & ſimilia. Ergo

non

Digitized by Google

non efficiebat, nec efficit illa tanquam cauſa phyſica.

Reſpondeo primo, cauſam phyſicam non poſſe operari ſine contactu ſaltem virtuali; duplex enim eſt contactus, vnus formalis, alter virtualis, quorum alter ſufficit ad agendum, vt patet in Sole, qui intimos terræ ſinus ſua virtute penetrat, ibiq; operatur; licet ibi formaliter non exiſtat. Chriſtus igitur dum miracula operabatur, non ſemper phyſicè tangebat, vel formaliter coniungebatur paſſo, ſed virtualiter, quatenus Deus virtute ſua infinita vtebatur humanitate Chriſti ad facienda miracula.

6 Reſpondent alij ſecundo, humanitatem Chriſti potuiſſe agere ẽt in loco diſtanti, & cõſequenter abſq; vllo contactu. Ratio eſt, tũ quia contactus non eſt de intrinſeca ratione agentis, vt ſic, ſed ſolum requiritur ob defectum virtutis limitatæ; humanitas autem Chriſti non habeat virtutem limitatã, quia vis, & actio inſtrumenti metienda, & æſtimanda eſt, iuxta virtutem agentis principalis, cui inſeruit. Tum quia non apparet, quam virtutẽ humanitas tranſtulerit ad locum diſtantem, dum in diſtans operabatur, vt dum ſanabat Reguli filium, aut dum animam Lazari ad informãdum corpus reducebat. Tum quia contactus nullam virtutẽ habet ad efficienda miracula. Ergo miraculum fieri põt ſine vllo contactu. Ita Suarez diſp. 31. ſect. 7. Valentia diſp. 1. q. 13. pun. 2. Cabrera qu. 13. art. 2. diſp. 4. num. 150. Tannerus diſp. 1. q. 5. dub. 7. num. 123. & alij contra Becanum cap. 10. num. 13. aſſerentem inſtrumentum abſens non poſſe agere in diſtans; ſicut .n. Deus non poteſt hic agere, niſi ſit hic præſens, ita multo minus inſtrumentum poteſt hic agere, niſi ſit hic præſens; nec Deus poteſt hic vti aliquo inſtrumento, quod hic non eſt. Ego tamen cenſeo id fieri poſſe Deo extendente virtutem agentis ad locum diſtantẽ, in quo agit; ſicut enim Deus virtutem ſtellarum, & ſolis extendit ad imos terræ ſinus; ita etiam extendere poteſt virtutem inſtrumenti, adhibendo illud ad producendos effectus in loco remotiſſimo, in quo Deus exiſtit per ſuam immenſitatem.

7 Quæres primo, quid ſit iſta virtus, per quam humanitas Chriſti inſtrumentaliter operabatur miracula, & producebat gratiam.

Reſpondeo, fuiſſe ipſammet entitatem humanitatis à Deo eleuatam ad facienda miracula, & ad producendam gratiam; nec opus erat, vt eleuaretur per qualitatem ſuperadditam, cum per ſe ipſam immediatè inſeruire poſſit ad faciendum quicquid non implicat contradictionem, vt patet ex dictis de Sacramentis loco citato, vbi egi de potentia obedientiali.

8 Ex quo obiter colligi poteſt primo, Deum potuiſſe vti humanitate Chriſti ad aliquid creandum, quia vti poterat humanitate ad faciendum quicquid non implicat contradictionem. Id autem non implicat, vt benè Suarez diſp. 31. ſect. 8. verſ. ad difficultatem, Tannerus loco citato num. 212. & alij contra S. Thom. q. 13. art. 2.

Secundo, Deum non potuiſſe propriè loquendo vti humanitate Chriſti tanquam inſtrumento ad aliquid annichilãdum; id enim implicare videtur,

detur, cum annichilatio nõ fiat per actionem, ſed per ſubtractionem concurſus, quo res conſeruabatur; terminus enim actionis non eſt annichilatio, ſed poſitio alicuius rei. Ita S. Thomas q. 13. art. 2. Tannerus loco cit. nu. 173. Suarez diſp. 31. ſect. 8. ſub finem verſ. & ex his. Verum ſi Deus cõmunicaſſet humanitati virtutem creandi rem aliquam, & conſeruandi illam ad ſuum libitum, poſſet tunc humanitas ſubtrahere concurſum, & ſic rem illam diceretur annichilare, vt benè Suarez loco cit.

9 Quæres ſecundo, Vtrum Chriſtus potuerit per humanitatem, tanquam inſtrumentũ diuinitatis, phyſicè efficere aliquid, etiamſi humanitas ipſa non exiſteret, vel vt alij loquuntur, an humanitas potuerit efficere aliquos effectus tempore diſtantes ab ipſa humanitate.

Reſpondeo, potuiſſe efficere effectus exiſtentes poſt humanitatem, aut poſt operationes ipſius humanitatis. Ratio eſt, tum quia id non implicat contradictionem. Tum quia Sacramenta ſuſcepta cum fictione conferunt gratiam recedente fictionè, vt docui de Sacramentis d. 1. q. 6. pun. 3. ſed tunc Sacramenta non exiſtunt. Ergo fieri poteſt, vt id quod non exiſtit, ſed iam præceſſit, aliquẽ effectum producat. Ita S. Thomas q. 48. art. 6. Valentia tom. 4. diſp. 1. q. 13. pun. 2. & alij, quos retuli de Sacramentis loco citato contra Sotum in 4. diſt. 7. quæſt. 2. art. 3. & alios aſſerentes quoſlibet effectus produci potuiſſe ab ipſa humanitate tempore diſtantes, tam antecedenter, quam conſequenter, hoc eſt, tã eos, qui tempore anteceſſerunt humanitatem, quam eos, qui conſecuti sũt actionem humanitatis effectiuam miraculi, & contra Suarez diſp. 31. ſect. 8. Tannerum diſp. 1. quæſt. 5. dub. 7. num. 217. & alios aſſerentes humanitatem nõ potuiſſe immediatè efficerè niſi effectus tempore ſibi coexiſtentes, niſi fortè reliquiſſet poſt ſe aliquam virtutem ad illos efficiendos, vt patebit ex obiectionibus proximè afferendis.

Obijcies primo, id, quod non eſt, non habet actu virtutem agendi. Ergo aliquid ab eo procedere non poteſt; implicat enim aliquid phyſicè, & realiter procedere ab eo, quod non eſt in ſe formaliter, aut virtualiter, ſeu quod non habet virtutem agendi.

Reſpondeo ſufficere, vt virtus pręceſſerit, vt patet in ſacramentis.

Obijcies ſecundo, ſi humanitas non exiſtens poteſt quidpiam agere, poterit etiam ſe ipſam producere; ſed hoc eſt abſurdum. Ergo etiã abſurdum eſt humanitatem nõ exiſtentẽ poſſe producere effectus tempore diſtantes.

Reſpondeo, hinc ſolum colligi humanitatem potuiſſe producere effectus diſtantes tempore conſequenter, non autem antecedenter, ideſt nõ potuiſſe illos producere, qui exiſterẽt ante humanitatem, ſed qui eã ſubſequerẽtur, quod etiam ego concedo. Ratio autem diſparitatis, cur potuiſſet hos producere, non autem illos, eſt, quia de ratione cauſæ efficientis eſt, vt præcedat effectum.

QVÆ-

QVÆSTIO DECIMA.

De defectibus, ſeu miſerijs corporis, & animæ Chriſti.

IN hac quæſtione prius in genere quæram, quoſnam defectus Chriſtus habuerit. Secundò, an habuerit peccatum originale, vel actuale. Tertiò, an ſaltem de potentia Dei abſoluta Chriſtus potuerit habere aliquod peccatum actuale, vel habituale. Quartò, an fomes peccati, ſeu concupiſcentia fuerit in Chriſto.

Punctum Primum.

Quos defectus Chriſtus aſſumpſerit.

1 *Chriſtus aſſumpſit defectus communes non aduerſantes perfectioni ipſius, & fini Incarnationis.*
2 *Chriſtus non dicitur contraxiſſe defectus, ſed aſſumpſiſſe.*
3 *Chriſtus non aſſumpſit defectus cõmunes repugnantes perfectioni ipſius, & fini Incarnationis.*
4 *Chriſtus non aſſumpſit defectus particulares.*
5 *Fomitem Chriſtus non habuit.*
6 *Chriſtus incurrit neceſſitatem moriendi.*
7 *Chriſtus nullam deformitatē habuit.*
8 *Ignorantia in Chriſto non fuit.*

PRæmittendum eſt primo, defectus duplices eſſe, alij ſunt generales, ſeu communes, qui totam naturam ob peccatum primi parentis conſequuntur, vt fames, ſitis, laſſitudo, patibilitas, mors, peccatum, fomes peccati, ignorãtia & cæt. Alij ſunt particulares, qui à cauſis particularibus originem ducunt, vt lepra, febris, cęcitas, morbus caducus, & alij morbi.

Præmittendum eſt ſecundo, defectus communes, ſeu generales, aut aduerſari fini incarnationis, ſeu perfectiſſimæ gratiæ, & ſcientiæ Chriſto debitæ, vt eſt peccatum, fomes peccati, pronitas ad malum, difficultas ad bonum, ignorantia, & his ſimilia: aut non aduerſari, vt eſt paſſibilitas, mors, fatigatio, fomes, dolor, triſtitia, & his ſimilia.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus aſſumpſit defectus communes, qui tamen non aduer-

aduerſantur perfectioni gratiæ, & ſcientiæ ipſius Chriſti, ſeu fini Incarnationis, ſeu qui non pugnant cũ dignitate ſuppoſiti. Hæc propoſitio duas habet partes.

Prima eſt, Chriſtum aſſumpſiſſe defectus communes. Ratio eſt, primo, quia id apertè conſtat ex ſcriptura, nam Lucæ 22. habetur, Chriſtum paſſum fuiſſe; *Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriã ſuam?* Matth. 4. dicitur paſſus famẽ, Matt. 27. ſitim, Ioannis 4. defatigationem corporis. Secundò, quia hæc veritas definita fuit in 6. Synodo, & à Leone Epiſt. 10. & alibi pluribus in locis apud Damaſcenum lib. 3. cap. 28. apud Suarez diſp. 32. ſect. 1. apud Valentiã diſp. 1. quæſt. 14. pun. 1. Tertiò, quia ad Romanos 8. habetur, *Miſiſſe Deum filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati.* Ad Hebreos 2. *Debuit per omnia fratribus aſſimilari.* Quartò, quia Verbum aſſumpſit verum corpus humanũ, & conſequẽter etiam proprietates naturę humanæ, & quicquid in ea plantauit. Ergo &c. ita cõmuniter Doctores contra Phantaſiaſtos hæreticas aſſerentes, Chriſtum non verè paſſum fuiſſe, ſed ſolum apparenter; quorum error refellitur, tum ex rationibus allatis, tum ex loco illo Iſaiæ 52. *Verè Languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros; ipſe portauit &c ipſe autẽ vulneratus eſt propter iniquitates veſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra &c*

Obijcies primo, non videtur decens, vt Deus aſſumeret corpus paſſibile.

Reſpondeo maximè decens fuiſſe ad redemptionem noſtram, vt corpus paſſibile aſſumeret. Quamobrẽ S. Thomas quæſt. 14. art. 1. & alij communiter triplicẽ aſſignant cauſam, & congruentiam aſſumptionis horum defectuum. Prima eſt, vt pro nobis ſatisfacere poſſet, ſubeundo pęnam, quam nos pati debuiſſemus; ille enim dicitur pro alio ſatisfacere, qui pœnam pro peccato alterius debitam in ſe ſuſcipit; Chriſtus autem hanc pœnam in ſe ſuſcepit; nam verè languores noſtros ipſe tulit &c. Secunda eſt, vt oſtenderet ſe verum hominem, nam ſi humanam naturam ſine his defectibus aſſumpſiſſet, viſus non fuiſſet verus homo, nec veram carnem aſſumpſiſſe, ſed phantaſticam, vt falsò putarunt Manichei. Tertia eſt, vt nobis exẽplum patientiæ pręberet, fortiter ferendo humani corporis paſſiones, ac miſerias, 2. Petri 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.*

Obijcies ſecundo, Pſal. 15. & Actor. 2. verſ. 27. dicitur, *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Ibi autẽ ſermo eſt de corpore Chriſti. Ergo Chriſtus non habuit corpus corruptibile.

Reſp. illum locum non intelligi de paſſione, & morte Chriſti; ſed de corruptione, & putrefactione corporis poſt mortem, quia non decebat, vt corpus Chriſti poſt mortem putreſceret, præſertim cum iterum ferè ſtatim cum anima coniungendum eſſet. Ita Suarez d. 32. ſect. 1. verſ. ad fundamentum. Becanus cap. 11. num. 3. & alij.

2 Quæres, Vtrum Chriſtus dicendus ſit cõtraxiſſe præfatos defectus, an potius aſſumpſiſſe, ſeu voluntariè ſuſcepiſſe.

Reſ-

Digitized by Google

Reſpondeo dicendum eſſe aſſumpſiſſe, non verò contraxiſſe. Tum quia ſcriptura attribuit mortem, & paſſionē voluntati Chriſti, Iſaiæ 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*, & Ioann. 10. *Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam*. Tum quia illud propriè dicitur contrahi, quod ſimul cum ſua cauſa ex neceſſitate trahitur; ſed cauſa mortis, & aliorum defectuum humanæ naturæ eſt peccatum, iuxta illud ad Romanos 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in Mundum, & per peccatum mors*. Ergo qui non contrahit peccatum, neque contrahit defectus humanæ naturæ, qui ſunt effectus peccati; ſed Chriſtus non contraxit peccatum. Ergo neq; contraxit defectus humanæ naturæ; ſed illos voluntariè aſſumpſit ſine peccato, vt benè argumentatur S. Thomas quæſt. 14. art. 3. & cum eo Doctores communiter.

Dices, iſti defectus ſunt pœna peccati; ſed Chriſtus non peccauit. Ergo neque aſſumpſit hos defectus.

Reſpondeo, iſtos defectus non contrahi à Chriſto; ſed aſſumi, non per modum pęnæ, cum ipſe non peccauerit, ſed voluntariè per modum medij ordinati ad redemptionem generis humani.

3 Secunda pars propoſitionis eſt, Chriſtum non aſſumpſiſſe defectus communes repugnantes perfectiſſimæ ſcientiæ, & gratiæ Chriſti, ſeu fini incarnationis, ſeu pugnantes cum dignitate ſuppoſiti. Ratio eſt, quia media debent eſſe accomodata, & proportionata fini, cui inſeruire debent. Ergo par non fuit, vt Chriſtus aſſumeret defectus aduerſantes fini Incarnationis, atque adeò perfectioni ſcientiæ, & gratiæ Chriſti. Ita communiter Doctores.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 CHriſtus non aſſumpſit defectus particulares. Ratio eſt, quia iſti defectus, vel proueniunt ex imbecillitate, ac defectu generantis, ſeu virtutis formatiuæ, vel ex intemperantia ſeu inordinato victu, ſeu immoderata ratione viuendi; iſtę autem cauſæ locum non habent in Chriſto; nam corpus ipſius formatum fuit virtute Spiritus Sancti, & ipſe inordinatè non vixit, nec vllum intemperantiæ actum commiſit, vt benè argumentatur S. Thomas q. 14. art. 4. & cū eo Doctores cōmuniter.

5 Ex dictis in præcedētibus propoſitionibus colligi poteſt primo, in Chriſto non fuiſſe fomitem peccati, ſeu prauam inclinationē ad malum; & multò minus peccatum vllū, quia licet iſti ſint defectus generales cōmunes naturæ humanæ; aduerſantur tamen fini Incarnationis, & perfectioni ſapientiæ, & gratiæ Chriſti, vt clarius conſtabit ex infra dicendis. Ita Vaſquez diſp. 61. cap. 8. n. 47. & alij communiter.

6 Secundò, Chriſtum incurriſſe neceſſitatem moriendi per cōſumationem humidi, quod nunquam ita reparatur per cibum, ſicut deperditur. Ex quo fit, vt homo neceſſario mori debeat, etiamſi nulla vis, vel morbus accedat; conſequenter etiā Chriſtus præ ſenio mortuus fuiſſet, etiamſi nulla vis ipſi illata fuiſſet, vt benè Valentia quæſt. 14. pun. 2. col. 2. Vaſquez diſput. 60. cap. 3.

Tan-

Digitized by Google

Tannerus, & alij ferè communiter.

Dices, mors eſt pœna peccati. Ergo Chriſtus mortuus nō fuiſſet, cum ipſe ſubiectus non fuerit peccato, conſequenter neque pœnæ.

Reſpondeo, naturam humanam dupliciter conſiderari poſſe. Primo, ſecundum ſe, & ſic mors, & alij defectus corporis ſunt ipſi connaturales. Secundò, quatenus natura humana condita fuit cum iuſtitia originali, & ſic mors, & alij defectus ſunt pœna peccati Adami; Chriſtus igitur ſubiectus fuiſſet morti, vt eſt connaturalis naturæ humanæ primo modo conſideratæ, nō ſecūdo modo.

Tertiò, in Chriſto fuiſſe triſtitiā, dolorem, timorem, admirationem, & iram, quia iſtæ ſunt paſſiones cōmunes naturæ humanæ. Iſtæ tamen illationes clarius conſtabunt ex infra dicendis, ſicut etiam ex infra dicendis conſtabit, an Chriſtus aliquando exuerit iſtos defectus, vt in tranſfiguratione, aut poſt mortem.

7 Quartò, Chriſtum nullam deformitatem in habitu corporis, vel in figura habuiſſe; deformitas enim eſt defectus particularis, proueniens ex imbecillitate virtutis formatiuæ, aut ex inordinata ratione viuendi: Chriſtus autem nunquam inordinatè vixit, neque conceptus fuit virili ſemine, ſed virtute Spiritus Sancti; opera autem à Deo facta longè perfectiora ſunt, quam facta ab homine, vt benè Valentia d. 1. q. 14. pun. 2. verſ. porrò. Vaſq. 3. p. q. 14. art. 4. num. 23. & alij communiter.

Obijcies, multi Patres putāt Chriſtum non fuiſſe præclaræ, & elegantis formæ, ſed potius abiectæ, & deſpectibilis formæ, iuxta illud Iſaiæ 53. *Vidimus eum, quaſi deſpectum, & nouiſſimum virorum*, & Pſal. 21. *Ego ſum vermis, & non homo.* Ita Baſilius Pſal. 44. Cyrillus in Commentar. ſuper Iſaiam cap. 53. & alij.

Reſpondeo, Chriſtum præditum fuiſſe præclara, & eleganti forma, quantum decet virum. Ratio eſt primo, quia Pſal. 44. dicitur, *Speciofus forma præ filijs hominum*, & Canticor. 5. *Dilectus meus candidus, & rubicundus*; & quamuis hęc loca aliter exponi poſſint; aptè tamen accomodari poſſunt etiam Chriſto. Secūdò, quia deformitas prouenit, vel ex defectu virtutis formatiuæ, vel ex inordinato victu hominis viuentis; neuter autem defectus in Chriſto reperiri poteſt. Tertiò, quia decor, & pulchritudo Chriſtum decebat, vt homines facilius erga ipſum benè afficerentur. Quartò, quia hæc opinio veteri traditione inualuit, teſte Ioſepho lib. 18. antiquit. cap. 16. & Niceforo lib. 1. cap. 40. & hæc eſt communis Patrum ſententia, Auguſtini Pſalm. 44. Chriſoſtomi homil. 18. in Mattheum, Hier. Epiſt. 160. & aliorum apud Valentiā q. 14. pun. 2. ſub finē.

Ad id, quod dictum eſt in obiectione, reſpondeo intelligi de deformitate, quam Chriſtus habuit tempore paſſionis: quo etiam pacto intelliguntur Patres in obiectione adducti; iſti enim loquuntur de deformitate, quam Chriſtus habuit tempore cruciatuum, & paſſionis, vel de deformitate naturæ humanæ cōparatæ cum diuinitate, & nondum glorificatæ.

Quintò, colligitur in Chriſto fuiſſe paſſiones animæ, & appetitus ſenſitiui, quia iſtę sūt naturales proprie-

tates

tates naturæ humanæ; Chriſtus autẽ aſſumpſit naturales proprietates. Ita communiter Doctores.

Sexto, in Chriſto non fuiſſe ignorantiam. Tum quia aduerſatur perfectiſſimæ ſcientiæ Chriſti. Tum quia eſt contraria fini Incarnationis; Chriſtus enim venit ad illuminandos eos, qui in tenebris ſedent, & conſequenter ad expellendas noſtras ignorantias; ignorantia autem non expellitur per ignorantiam. Vide Valentiam quæſt. 15. puncto 1. & alios Commentatores S. Thomæ quæſt. 5. art. 3. & quæ ego tradidi quæſt. 8.

Punctum Secundum.

An Chriſtus habuerit vllum peccatum actuale, vel originale.

1 *Chriſtus non habuit peccatum originale.*

2 *Chriſtus nunquam habuit peccatum vllum actuale.*

3 *Chriſto adſcribuntur peccata, quia ſuſceperat obligationem ſatisfaciẽdi pro peccatis, aut quia erat hoſtia pro peccatis, aut quia peccatoris ſimilitudinem habebat.*

PRius loquar de peccato originali, poſtea de actuali.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus non habuit peccatũ originale. Ratio eſt. Primo, quia Lucæ 1. dicitur, *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei*, vbi ſermo eſt de Natiuitate in vtero Beatiſſimæ Virginis. Secundò, quia Chriſtus ab inſtanti Conceptionis fuit verus Deus. Ergo non potuit vllum peccatum habere; vnio enim hypoſtatica naturæ humanæ cum perſona Verbi incompoſſibilis eſt cum peccato, vt ſupra oſtẽſũ eſt. Tertiò, quia peccatum originale contrahitur ab iis, qui per ſeminalem generationẽ deſcendunt ab Adamo, vt docui in tract. de peccatis, dum loquerer de peccato originali; Chriſtus autem non deſcendebat ab Adamo per ſeminalem generationem, ſed conceptus erat virtute Spiritus Sancti, iuxta illud, *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Ita communiter Doctores contra nonnullos hæreticos, quos innuit Suarez d. 33. ſect. 1.

Obijcies, Chriſtus originem traxit à Dauide, Roman. 1. *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem*. Ergo etiam deſcendit ex ſemine Adami, à quo Dauid deſcendit.

Reſpondeo, Chriſtum deſcendiſſe quidem à Dauid, ſeu à ſtirpe, & progenie Dauid, ſed non per ſeminalem generationẽ; conceptus enim non fuit virtute hominis, ſed virtute Spiritus Sancti; dicitur autem eſſe ex progenie, vel ſtirpe Dauid, quia Beatiſſima Virgo erat illius ſtirpis, vt patet ex dictis diſputat. 1. quæſt. 1. pun. 2.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Chriſtus nunquam habuit peccatum vllum actuale. Probatur primo ex varijs ſcripturæ locis, Ioannis 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Hebreor. 4. *Tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*, & cap. 9. *Semetipſum obtulit immaculatum Deo*, & 1. Pet. 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius*. Secundo, quia ita definitum eſt in Concilio Epheſino canon. 10. vbi dicitur, *Chriſtum obtuliſſe ſacrificium pro peccatis noſtris, non autem pro ſuis, quia peccata non habuit*. Tertio, quia Chriſtus impeccabilis erat ratione viſionis beatificæ, & ratione viſionis hypoſtaticæ. Ergo nunquam peccauit. Ita communiter Doctores contra nonnullos hæreticos.

Obijcies primo, peccatū in Scriptura adſcribitur Chriſto, Pſal. 21. *Deus Deus meus, quare me dereliquiſti? longè à ſalute mea verba delictorum meorum*, Pſal. 68. *Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita*, Pſal. 39. *Comprehenderunt me iniquitates meæ*, & ad Gal. 3. *Factus pro nobis maledictum*.

3 Reſpondeo, peccata attribui Chriſto, non quia re vera ipſe peccauerit, ſed quia peccata membrorum vocat ſua, aut quia in ſe ſuſceperat obligationem ſatisfaciendi pro peccatis alienis, iuxta illud 1. Petri 2. *Peccata noſtra ipſe portauit in corpore ſuo ſuper lignum*; aut quia ipſe erat hoſtia pro peccatis; ſicut enim Sacerdotes, Oſeæ 4. dicebātur comedere peccata populi, quia comedebant hoſtias pro peccatis oblatas; ita Chriſtus dici poterat peccator, quia erat hoſtia pro peccatis, aut quia præferre videbatur ſimilitudinem peccatoris, iuxta illud ad Romanos 8. *Miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati*.

Ex quo licet inferre, illa verba Pſalmi 21. *Deus Deus meus quare me dereliquiſti? longè à ſalute mea verba delictorum meorum*, non continere culpam, ſed quaſi admirationem, & efficere hunc ſenſum; peccata pro quibus ego ſatisfacere debeo, longè ſunt à ſalute mea, quia mihi nocere non poſſunt, aut longè ſunt à ſalute mei corporis, quia corpus meum pro illis luere debet pœnas. Vide Sanctum Thomam quæſtione 15. artic. 1. ad quartum, Ianſenium, & Bellarminum in commentario Pſalmi 21. Suarez quæſtione 15. in commentario artic. 1. & diſput. 33. ſectione 1. & Becanum c. 12. quæſt. 2. num. 2. & 3.

Obijcies ſecundo, Chriſtus dare debuit nobis exemplum pœnitentiæ, ſed pœnitentia ſupponit peccatum. Ergo Chriſtus peccauit.

Reſpondeo Chriſtum dediſſe nobis exemplum pœnitentiæ, non quidem dolendo de peccatis proprijs, cum illa non haberet; ſed ſubeundo pœnam pro peccatoribus, & pro illis ſatisfaciendo, aut etiam dolendo de peccatis alienis, vt benè Suarez diſp. 33. ſect. 1. concluſ. 1. ad finem, & alij.

Pun-

Digitized by Google

Punctum Tertium.

Vtrum Chriſtus ſecundum humanitatem potuerit habere peccatū aliquod actuale, vel habituale, ſaltem de potentia Dei abſoluta.

1 *Chriſtus homo, ſeu ſecundum humanitatem non potuit vnquam actualiter peccare, etiam de potentia Dei abſoluta.*

2 *Chriſtus ſecundum humanitatem nō potuit vllum peccatum habituale habere.*

3 *Deus aſſumere non poteſt naturam humanam quæ peccauit remanente reatu pœnæ æternæ: aſſumere autem poteſt remanente reatu pœnæ temporalis.*

4 *Si Deus aſſumeret naturam quæ aliquando peccaſſet, non aſſumeret habitus vitioſos in ea natura exiſtentes.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 Chriſtus homo, ſeu ſecundum humanitatem non potuit vllum peccatum actuale committere, non ſolum de potentia Dei ordinaria, verum etiam de abſoluta. Ratio eſt, primo quia ita ſentiunt communiter Patres, Auguſtinus, Anſelmus, Damaſcenus, Hieronymus, Ambroſius, Hilarius, Cyprianus, Tertullianus, & alij apud Suarez, apud Vaſquez, & apud Tannerum locis proximè citandis. Secundo, quia Chriſtus erat beatus. Ergo erat impeccabilis ratione viſionis beatificæ; viſio enim beatifica eſſe non poteſt, ſaltem de potentia ordinaria, ſine amore Dei; actualis autem amor perfectiſſimus nullum admittere poteſt peccatum. Ergo in Chriſto nullum eſſe potuit peccatum ratione viſionis beatificæ, ſaltem ex ſuppoſitione, quod ſtatus beatificus eſſe non poſſit ſine amore. Sed de hac re agam in tractatu de beatitudine. Tertio, quia vnio hypoſtatica Verbi eſt ſubſtantialis ſanctitas animæ; ſed impoſſibile eſt peccatum ſimul eſſe cum ſanctitate. Ergo impoſſibile eſt naturam humanam, quandiù manet vnita Verbo, non eſſe ſanctam, ſeu committere vllum peccatum. Quarto, quia ſi Chriſtus peccaret per humanitatē, Deus ipſe peccaret. Sed impoſſibile eſt Deum peccare; peccatum enim naturæ Dei aduerſatur. Ergo impoſſibile eſt Chriſtum per humanitatem peccare. Maior probatur, quia natura intellectualis naturaliter obligatur ad gubernandam, & dirigendam naturam ſibi ſubſtantialiter vnitam. Ex quo fit, vt ſi natura ſubſtantialiter vnita peccet; peccatum imputetur naturæ, quæ illam gubernare, & dirigere tenebatur. Ideò ſi natura ſenſitiua peccet, peccatum adſcribitur naturæ intellectuali, quæ illam dirigere tenebatur, & impedire, ne peccaret. Cum ergo perſona Verbi, ſeu natura diuina ſubſiſtens ſubſiſtentia Verbi teneatur dirigere naturam humanam, ſibi ſubſtantialiter vnitam, ſi Chriſtus peccaret per naturam humanam, ipſa perſona Verbi diceretur peccare. Ob id etiam, ſi Angelus aſſumeret naturam huma-

nam, teneretur illam gubernare, & facere quantum in ſe eſſet, ne illa natura peccaret, alioquin peccatum imputaretur ipſi Angelo, ſi non faceret quantum ipſe poſſet ad impediendum peccatum. Ita Suarez diſputat. 33. ſectione 2. Vaſquez diſputat. 61. cap. 3. & 6. num. 32. & ſequentibus, Cabrera quæſtione 15. artic. 1. Becanus cap. 12. quæſtione 3. Tannerus diſputat. 1. quæſtione 5. dubio 8. num. 254. & alij contra Scotum in 3. diſtinctione 12. quæſtione 1. & alios apud Vaſquez cap. 2.

Dices contra præfatam probationem maioris propoſitionis, diuina voluntas, ſeu perſona Verbi non eſt capax præcepti, & legis. Ergo obligari non poteſt ad gubernandam naturam humanam, & conſequenter peccatum naturæ humanæ non imputabitur perſonæ Verbi.

Reſpondeo, diuinam voluntatẽ, ſeu perſonam Verbi non obligari lege, vel præcepto, ſed ſua bonitate, & natura; perſona enim Verbi natura, & bonitate ſua, ratione ſingularis habitudinis ſui ſuppoſiti ad naturam humanam, obligatur ad gubernandum naturam humanam, vt benè ratiocinantur Suarez diſputat. 33. ſectione 2. columna 7. verſiculo dices, Becanus capit. decimo quæſtione 3. numero 8. Cabrera de Incarnatione quæſtione 15. artic. 1. diſput. vnica §. 3. Tannerus diſput. 1. quæſtione 5. dubio 8. num. 257. Didacus Aluarez 3. parte quæſt. 15. art. 1. diſp. 68. num. 7. & alij.

Inſtabis, intellectus, & voluntas diuina eſt communis Patri, Filio, & Spiritui Sancto; ſed Pater, & Spiritus Sanctus non tenentur ſpeciali titulo gubernare, & cuſtodire voluntatem humanam, ſeu naturam humanam. Ergo neque tenetur Verbum.

Reſpondeo, negando conſequentiam, quia Pater, & Spiritus Sanctus non ſunt ſubſtantialiter vniti naturę humanæ; conſequenter non tenentur ſpeciali titulo illam regere, & gubernare, ſicut tenetur Filius, vt benè Suarez loco citato verſ. ſed rogabis, Becanus num. 9. & alij.

Obijcies primo cõtra propoſitionem, radix, ſeu potentia peccandi conſiſtit in imperfectionibus naturę humanæ; ſed natura humana per vnionem cum Verbo non eſt facta ſapientior, aut potentior. Ergo non eſt minus fragilis, & imperfecta, quam reliqui homines; ſed reliqui homines peccare poſſunt. Ergo etiam natura humana vnita Verbo. Ergo per vnionem nõ eſt facta impeccabilis.

Reſpondeo ad minorem propoſitionem, etiam ſi admitterem naturã humanam per vnionem cum Verbo non fuiſſe factam ſapientiorem, & potentiorem, iuxta Suarez, Becanũ, & alios. Verbum tamen ratione coniunctionis cum natura humana, obligabatur ad illam regendam, & dirigendam, conſequenter natura humana verbo vnita non poterat peccare, quia Verbum ab hoc regimine, & directione deficere non poterat.

Obijcies ſecundo, ſi Chriſtus ſecundum humanitatem peccare non poteſt, maximè quia ſequeretur Deũ peccare; ſed non videtur abſurdũ, Deum poſt vnionem cum natura humana dici peccare; nã ſicut ob cõmunicationẽ idiomatũ rectè dici poteſt mori, ita ẽt dici põt peccare, cũ pat ſit

ſit ratio peccati, & mortis; mors .n. non minus repugnat diuinæ vitæ, quam peccatum diuinæ bonitati, cũ vita ita ſit de eſſentia Dei, ſicut bonitas. Ergo Deus dici poteſt peccare. Ergo Chriſtus peccare poteſt ſecundum humanitatem.

Reſpondeo negando minorem propoſitionem; non enim eſt par ratio mortis, & peccati; Chriſtus enim per aſſumptionem naturæ humanæ obligatur illam dirigere, & præſeruare à peccato; non verò obligatur impedire, ne pereat, cum mors ſit medium ad redimendum genus humanum; non verò culpa, vt benè reſpondet Becanus cap. 12. quæſt. 3. ad finem.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 IN Chriſto ſecundum humanitatem, ideſt in natura humana à Verbo aſſumpta, non poteſt eſſe vllum peccatum habituale. Ratio eſt, quia natura humana per vnionem hypoſtaticam perfectè ſanctificatur, & quaſi deificatur; impoſſibile autem eſt, vt natura ſit perfectiſſimè ſancta, & ſimul infecta culpa; implicat enim aliquem eſſe ſanctum, & non ſanctum, amicum Dei, & eius inimicum, dignum gloriâ, & ſimul dignum æterna pœna. Ita Suarez diſp. 33. ſect. 2. concluſ. 2. col. 8. Tannerus num. 258. & alij.

Obijcies, non implicat eandem naturam ratione diuerſorum titulorum ſimul eſſe dilectam, & gratam Deo (ſcilicet ratione vnionis,) & ſimul eſſe inuiſam, & odio dignam (ſcilicet ratione peccati:) ſicut vna res poteſt aliquid boni, & aliquid mali habere. Non enim quodlibet malum eſt contrarium omni bono. Ergo non implicat naturam, peccato habituali infectam vniri Verbo; vnio enim, & peccatum non habent inter ſe oppoſitionem contrariam, vel priuatiuam; conſequenter non videntur contradictionem implicare in eodem ſubiecto; conſequenter poſſunt eſſe in eadem natura; hæc enim ratione vnionis dicetur ſancta, & digna gloria; ratione verò peccati, non ſancta, nec digna gloria, ſicut filius ratione filiationis eſt dignus hęreditate; ratione verò culpæ indignus.

Reſpondeo negando antecedens, quamuis enim non ſit propria, & formalis oppoſitio immediata, & phyſica inter vnionem hypoſtaticã, & peccatum; (peccatum enim formaliter non conſiſtit in priuatione vnionis, ſed in quadam macula; vnio verò conſiſtit in modo quodam ſubſtantiali, per quem natura humana cõiũgitur Verbo,) nihilominus gratia vnionis tanta eſt, vt repugnet, & aduerſetur peccato, cum per ipſam humanitas ſanctificetur, & quaſi deificetur.

Ex dictis ſequitur, ſi Deus aſſumpſiſſet naturam humanam in originali peccato conceptam, aut aliquo habituali peccato infectam, (quod potentiæ Dei abſolutæ non aduerſatur) peccatum ſtatim delendũ eſſe.

Dices primò, ſi Deus aſſumeret naturam, quæ antea peccaſſet, ſequeretur Deum peccaſſe, ſeu fuiſſe in peccato; ſicut enim verum eſt dicere, hũc hominem Chriſtum creaſſe Mundum, ita etiam hunc hominem peccaſſe; hic autem homo, po-

nta vnione hypoſtatica, eſt Deus. Sed impoſſibile eſt Deum peccare, aut dici peccaſſe. Ergo impoſſibile eſt naturam peccato infectã aſſumi à Deo, etiamſi peccatum per aſſumptionem hypoſtaticam delendũ ſit.

Reſpondeo negando ſequelam; Neque valet exẽplum, quia in exẽplo non mutatur ſuppoſitum, ſed eſt idem ſuppoſitum ſubſiſtens in natura diuina, & humana; conſequenter dici poteſt, hominem creaſſe mundum; per aſſumptionem verò naturæ peccato inquinatæ mutatur ſuppoſitum, cum prius ſuppoſitum deſinat adueniente ſuppoſito diuino, quod illam naturam terminat; conſequenter dici non poteſt, Deum peccaſſe. Communicatio enim idiomatum propriè habet locum, quando eſt idem ſuppoſitum ſubſiſtẽs in pluribus naturis. Vt benè Suarez d. 33. ſect. 2. col. 10. verſ. dices. Becanus cap. 12. quæſt. 4. & alij.

3 Rogabis, Vtrũ impoſſibile ſit, vt Deus naturam humanam, quæ aliquando peccauit, aſſumat, expellendo culpam, ſed remanente reatu pœnæ.

Reſpondeo aſſumi poſſe, remanente reatu pœnæ temporalis. Ratio eſt, quia hoc non implicat contradictionem, cum reatus pœnæ non ſit culpa, nec deordinationem contineat; dicit enim obligationem ad id, quod bonum eſt, id eſt ad ſatisfaciendum Deo pro culpa.

Dixi, reatus pœnæ temporalis, quia reatus pœnæ æternæ ſimul deletur cum peccato, nec ſtare poteſt cum gratia, ſeu cum iure ad æternã gloriam, vt patet ex dictis de Sacramentis, & benè docet Suarez loco citato col. 11. verſ. ſed inquiri.

4 Dices ſecundo, ſi Deus aſſumeret naturam, quæ aliquando peccaſſet, ſequeretur etiam aſſumi poſſe ipſam naturam cum habitibus vitiorum, quæ in tali natura antea extabant. Nam huiuſmodi habitus nõ habent rationem culpę, & ſimul ſtare poſſunt cum gratia, & quamuis per ſacramenta deleantur peccata, non tamen auferũtur praui habitus.

Reſpondẽt aliqui Doctores id totum concedi poſſe, cum nullum adſit incõueniens, vel implicantia contradictionis. Ita Vaſquez diſp. 61. cap. 6. num. 35. Tannerus diſp. 1. q. 5. dub. 8. num. 240. Sed oppoſitum probabilius videtur. Tum quia Deus non poteſt aſſumere id, quod ipſius naturæ aduerſatur; vitium autem naturæ ipſius valde aduerſatur. Tum quia quilibet vir prudens abhorrere debet à vitijs in ſua natura, quantum poteſt, cum in ſe amabilia non ſint, nec honeſto fini per ſe inſeruire poſſint. Tum quia vitia digna non ſunt, quæ per vnionem hypoſtaticam deificentur, vt benè argumentatur Suarez ſect. 2. citata ſub finem verſ. ſed nunc.

Punctum Quartum.

An in Chriſto fuerit appetitus ſenſitiuus, & ipſius actus.

1 *Appetitus ſenſitiui nomine quid intelligatur.*

2 *Appetitus ſenſitiuus verè in Chriſto fuit.*

3 *Chriſtus habuit veros, & proprios actus*

actus appetitus ſenſitiui.

4 *Actus appetitus ſenſitiui in Chriſto conformes fuerunt recta rationi.*

5 *Actus appetitus ſenſitiui in Chriſto vt plurimum fuerunt ab ipſo intenti, ſeu voliti, & electi.*

6 *Concupiſcentia ſenſualis, ſeu fomes peccati non fuit in Chriſto non ſolum quo ad actum ſecundum, verum neque quoad actum primum.*

1 NOmine appetitus ſenſitiui intelligo potentiam, ſeu facultatem animæ, neceſſariam ad eliciendos actus ſenſibiles, & animales, huiuſmodi autem actus, teſte S. Thoma 1. 2. quæſt. 22. vſque ad 48. ſunt amor, concupiſcentia, delectatio, odium, fuga, triſtitia, ſpes, audacia, deſperatio, timor, & ira; qui actus vocari etiam ſolẽt affectiones, ſeu affectus, aut paſſiones. Duplex porrò ſolet eſſe paſſio animæ, vna dicitur corporalis; cum enim anima informet corpus paſſibile, & mortale, dicitur habere cum ipſo connexionem, conſequenter dum corpus per aliquam corpoream paſſionem vexatur, & perturbatur, neceſſe eſt, vt etiam anima per accidens perturbetur. Altera dicitur animalis, & hæc propriè dicitur paſſio appetitus ſenſitiui. An autem appetitus ſenſitiuus ſit qualitas diſtincta ab anima, diſſenſio eſt inter Doctores, de qua opus non eſt hic diſputare.

PRIMA PROPOSITIO.

2 IN Chriſto eſt verus appetitus ſenſitiuus. Ratio eſt, tum quia Chriſtus eſt verus homo. Ergo habet potentias, & facultates naturales. Ergo habet appetitum ſenſitiuũ, hic enim eſt facultas naturalis. Tum quia de fide eſt, Chriſtum aſſumpſiſſe naturam humanam cum ſuis facultatibus. Tum quia appetitus ſenſitiuus neceſſarius fuit ad finem redẽptionis, vt videlicet Chriſtus pro nobis pati poſſet, vt benè Suarez d. 34. ſect. 1. vbi hanc propoſitionem ait eſſe de fide.

Obijcies, appetitus ſenſibilis aduerſatur rectæ rationi, iuxta illud Gal. 5. *Caro concupiſcit aduerſus Spiritum.* 2. ad Romanos 7. *Video in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ.* Sed in Chriſto non fuit repugnantia contra rectam rationem. Ergo non fuit appetitus ſenſibilis.

Reſpondeo, appetitum ſenſibilem ſecundum ſe non aduerſari rationi vt patet in beatis; ſed quatenus inficitur peccato originali, vel quatenus præuenit vſum rationis.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 IN Chriſto fuerunt veri, & proprij actus appetitus ſenſitiui. Ratio eſt primo, quia in ipſo fuit dolor, timor, triſtitia, & alij actus, de quibus infra; iſti autem ſunt veri, & proprij actus appetitus ſenſitiui. Secundò, quia potentia datur propter actũ, alioquin vana, inutilis, & otioſa eſſet; ſed in Chriſto fuit appetitus ſenſitiuus. Ergo etiam ipſius actus. Ita communiter Doctores.

Obijcies, actus appetitus ſenſitiui vocantur paſſiones; ſed congruum non videtur dicere Chriſtum ſubiectum fuiſſe paſſionibus, iuxta Hyeronimũ Matth. 5. & 26. Ergo in Chriſto non fuerunt veri, & proprij actus appetitus ſenſitiui.

Reſpōdeo, præfatos actus vocari paſſiones, & attribui Chriſto à Sancto Thoma q. 15. art. 4. & ab alijs Doctoribus; vocantur autem paſſiones, non quia præueniant rationis vſum, aut ob aliquam imperfectionem virtutis, ſed quia fiunt cum motione, & alteratione corporis, & hoc pacto ét in Chriſto fuerunt, cum hic ſit proprius, & naturalis modus operandi ipſorum actuum.

Ex dictis ſequitur primo, in appetitu Chriſti fuiſſe amorem ſenſibilē, quia hic eſt actus maximè conueniēs appetitui, & reperitur etiam in ſtatu beatitudinis; idem dic de actu odij; verſatur enim circa malū bono amato contrarium; qui autem vnum extremorum appetit, neceſſe eſt, vt ab alio oppoſito refugiat, & abhoreat.

Secundò, in appetitu Chriſti fuiſſe actum deſiderij, & concupiſcentię honeſtæ; homo enim naturaliter cōcupiſcit bonum honeſtum, illudque conſequi deſiderat. Idem dic de fuga mali contrarij.

Tertio, in appetitu Chriſti potuiſſe eſſe actum delectationis ſēſibilis, quia hæc poteſt eſſe bona, & honeſta, & in rebus ſpiritualibus ſæpè reperitur, iuxta illud Pſal. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, & in ſtatu beatitudinis aderit huiuſmodi actus.

Quarto, in Chriſto potuiſſe ſpem ſenſibilem; potuit enim ſperare rem difficilem ad obtinendum viribus naturæ. Ob id etiam potuit eſſe deſperatio in appetitu, quatenus apprehendere poterat aliquid malum, vt viribus naturæ ineuitabile, vt erat mors.

Quinto, in Chriſto potuiſſe eſſe actum audaciæ; potuit enim pericula ſubire ad vitanda incommoda, & conſequenda bona. Vide Suar. d. 34. ſect. 3. & Tannerum quæſt. 5. dub. 8. num. 247. An verò in Chriſto fuerit dolor, triſtitia, timor, admiratio, & ira, infra ex profeſſo explicabo, vt ſuperius innui.

4 Quæres primò, Vtrum actus appetitus ſenſitiui in Chriſto fuerint conformes rectæ rationi.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt primo, quia in V. Synodo collat. 8. can. 12. damnatur quidam Theodorus, qui affirmabat Chriſtū aliquo tempore habuiſſe rebellionem appetitus, & per exercitium virtutum illam ſuperaſſe. Secundo, quia quod appetitus moueatur cōtra rationem, eſt defectus contractus ob originale peccatum; ſed in Chriſto non fuit peccatum originale. Ergo neque fuit rebellio, ſeu motus appetitus contra rationem. Tertio, actus contrarij rectæ rationi, ſi extitiſſent in appetitu Chriſti, adſcriberentur culpæ Verbi; verbum enim diuinum ratione vnionis cum natura humana tenetur illam dirigere, ne quid inordinatum faciat, alioquin inordinatio illi imputatur; is enim qui peccatū aliquod impedire tenetur, & non impedit, eſt reus illius peccati, quod non impedit. Si ergo Chriſtus præuidens actus appetitus contrarios rectæ rationi, illos non impediuiſſet, culpa ipſi adſcriberetur. Quartò, quia in ſtatu innocentiæ, aut beatitudinis non extiterunt, nec extabunt actus appetitus contrarij rectæ rationi. Ergo neque extiterunt in appetitu ſenſitiuo Chriſti, cum ipſe aſſumpſerit perfectionem ſtatus innocentiæ, & beatitu-

titudinis, excepta impaſſibilitate corporis. Quinto, multi DD. ſentiũt Chriſtũ habuiſſe perfectũ dominiũ omnium ſuarum potẽtiarũ. Ergo et habuit dominium appetitus ſenſitiui, & ipſius affectionum. Vide Suar. loco citato.

Ex quo patet paſſiones ſenſitiuas aliter fuiſſe in Chriſto, ac in nobis. Primo ex parte principij, nam in nobis aliquando repentè ſubrepũt, & præueniunt rationis vſum; in Chriſto autem non reperiebãtur, niſi aduertente ratione. Secundo, ex parte obiecti, quia nos ſæpè alliciunt, & inuitant ad turpia, quod in Chriſto nõ accidit. Tertio, ex parte effectus, quia in nobis aliquando perturbant rationis vſum, quod in Chriſto non fuit. Ita S. Thomas q. 15. art. 4. & 6. & alij communiter.

5 Quæres ſecundo, Vtrum actus appetitus ſenſitiui in Chriſto ſemper fuerint ab ipſo Chriſto voliti, & intenti, vel ſolum prçuiſi, & permiſſi.

Reſpondeo, vt plurimum fuiſſe intentos, & electos. Tum quia modus operandi ex electione perfectior eſt, & Chriſto facillimus ob perfectam aduertentiam, & vigilantiam. Tum quia ita colligi videtur ex illo Ioann. 11. *Ieſus infremuit Spiritu, & turbauit ſe ipſum.* Qua loquendi forma indicatur turbationem illam fuiſſe voluntariam ex electione; id enim ſignificat verbũ, *Turbauit ſe ipſum,* vt obſeruat Chriſoſt. homil. 62. in Ioannem, Auguſt. tract. 49. in Ioannem, Cyrillus, Theophilat. & alij, quos ſequitur Suarez d. 34. ſect. 1. verſ. ſed quæres, Becanus cap. 12. quæſt. 5. nu. 6. non tamen neceſſe fuit, vt voluntas ſemper illos actus eligeret; ſed ſatis erat, vt poſita illorum aduertentia, illos permitteret; iſti enim adhuc fuiſſent voluntarij non poſitiuè, & conſequenter, ſed negatiuè, & antecedenter, vt patet à ſimili ex dictis in tract. de peccatis, dum loquerer de motibus ſenſualitatis.

6 Quæres tertio, Vtrum in Chriſto fuerit fomes peccati, ſeu concupiſcentia ſenſualis, cum etiam fomes peccati, ſeu concupiſcentia ad appetitum ſenſitiuum pertinere videatur. Pro ſolutione iſtius quæſiti.

Præmittendum eſt primo, non idẽ eſſe appetitum ſenſitiuum, & fomitem; nam fomes minus latè patet, quam appetitus ſenſitiuus; fomes .n. tendit ſolum in obiecta illicita; appetitus verò tendit in omnia obiecta ſenſibilia, ſiue licita ſint, ſiue illicita.

Præmittendum eſt ſecundo, fomitem dupliciter conſiderari poſſe, videlicet in actu primo, & in actu ſecundo. Fomes in actu primo eſt naturalis inclinatio appetitus ſẽſitiui proximè diſpoſita ad motionem in obiecta ſenſibilia illicita, & rationi contraria; fomes verò in actu ſecundo eſt ipſamet actualis motio, ſeu inclinatio appetitus ſenſitiui in obiecta ſenſibilia illicita, & rationi contraria, rationem præueniens, & alliciens ad peccatum.

Præmittendum eſt tertio, fomitẽ, ſeu concupiſcentiam traduci ſolum per naturalem generationem; inclinat enim ad id, vnde contrahitur. His præmiſſis ſit.

Prima concluſio, fomes, ſeu concupiſcentia in actu ſecundo non fuit in Chriſto; vt patet primo ex rationibus in primo quæſito allatis. Secundo, quia huiuſmodi fomes trahitur ſolum

ſolum per naturalem generationem, & in alijs hominibus contrahitur ex peccato originali; in Chriſto autē non fuit peccatum originale, aut naturalis generatio, cum virtute Spiritus Sancti conceptus fuerit. Tertio, quia fomes non erat vtilis ad redemptionē generis humani. Quarto, quia aduerſatur perfectioni virtutis; quo enim virtus perfectior eſt, eo magis debilitatur vis fomitis, quæ virtuti aduerſatur; ſed in Chriſto fuit virtus in perfectiſſimo gradu. Ergo in eo non debuit eſſe fomes peccati. Quinto, quia in Chriſto non fuit vllus motus, niſi voluntarius; ſi ergo in Chriſto fuit fomes in actu ſecundo, dicendum eſt ipſum fuiſſe voluntarium, & conſequenter imputari Verbo ad peccatum; præſertim cum Verbum diuinum regere teneatur humanam naturam, & in ipſa peccatum impedire. Ita S. Thomas quæſt. 15. art. 2. Suarez ibidem, & diſp. 34. ſect. 2. Tannerus quæſt. 5. dub. 8. nu. 239. Becanus cap. 12. quæſt. 5. & alij Doctores communiter.

Obijcies primo, Chriſtus potuit aſſumere fomitem peccati, cum fomes videatur valdè connaturalis naturæ humanæ, & hinc non ſequatur, culpam imputandā Verbo, ſicut homines non ſemper peccant permittēdo huiuſmodi motus fomitis, & concupiſcentiæ. Ergo fomes admittendus eſt in Chriſto.

Reſpondeo, Chriſtum nō potuiſſe fomitem aſſumere, etiam de potentia Dei abſoluta. Tum quia huiuſmodi fomes indecens eſt, & cum peccato coniunctus in eo, qui potens illum impedire, non impedit, ſed permittit abſque iuſta cauſa. Tum quia nihil conferebat ad redemptionem hominum, & ad ſatisfaciendum, ſed potius ei contrarius erat. Ita Suarez d. 34. ſect. 2. col. 4. verſ. ſed quæri, Becanus loco cit. num. 8. contra Vaſquez loco citato cap. 8. & 9. & Tannerum diſp. 1. quæſt. 5. dub. 8. num. 240. ſub finem, aliter ſentientes de potentia abſoluta.

Obijcies ſecundo, Chriſtus tentatus fuit omnibus modis, ad Heb. 4. *Tētatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Ergo etiam tentatus fuit per fomitem peccati, cū hic ſit vnus, & maximus tentationis modus.

Confirmatur primo, quia huiuſmodi tentatio fuit vtilis, vt Chriſtus nobis exemplum patientiæ, & victoriæ præberet, ſicut nobis dedit Apoſtolus 2. Corinth. 12. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet; propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.*

Confirmatur ſecundo ex Cyrillo lib. 10. Theſauri cap. 3. vbi aſſerit, *in Chriſto commotas fuiſſe paſſiones appetitus, non vt illum ſuperarent, ſed vt vincerentur.*

Confirmatur tertio, quia Chriſtus ſuo appetitu appetebat non mori, quod erat contrarium diuino præcepto. Ergo in ipſius appetitu poterat etiam eſſe fomes peccati, ſeu concupiſcentia.

Reſpondeo, duplicem eſſe tentationem, alteram extrinſecam, illatā à Dæmone; alteram intrinſecam, prouenientem à proprio appetitu. Chriſtus priori modo tentatus fuit, & hic modus poteſt eſſe ſine peccato, cum ab extrinſeco inferatur, homine cō-

Digitized by Google

tradicente, ſeu non admittente; non autem tentatus fuit poſteriori modo; cum enim Chriſtus potuiſſet illos motus præcauere, & impedire, peccaſſet non præcauendo.

Ad primam Confirmationem, Reſpondeo, præfatum fomitem non fuiſſe neceſſarium in Chriſto, vt nobis daret exemplum victoriæ, & patientiæ. Tum quia huiuſmodi tentationes fuiſſent occultæ; conſequenter non prodeſſent nobis ad exemplum. Tum quia Chriſtus ſanctiſſimè viuendo ſufficientiſſimum nobis exemplum præbuit ad ſuperandas tentationes, conſequenter neceſſe non erat ipſum tentationibus carnis vexari.

Neque eſt par ratio Chriſti, & Apoſtoli. Tum quia ſtimulus carnis in Apoſtolo non erat voluntarius, cū præueniret rationis vſum. Tum quia in Chriſto non poteſt aſſignari ſufficiens ratio permittendi in ipſo huiuſmodi tentationes, ſicut aſſignatur in Apoſtolo; Paulo enim Apoſtolo permiſſa fuit huiuſmodi tentatio, tum vt virtus ipſius in infirmitate perficeretur. Tum ne magnitudine reuelationum extolleretur, vt ipſe teſtatur.

Ad ſecundam confirmationem reſpondeo, Cyrillum non loqui de fomite peccati, ſed de affectibus naturalibus, & inculpabilibus, vt triſtitia, vel timore mortis.

Ad tertiam confirmationem reſpondeo Chriſtum nō appetiuiſſe ſimpliciter, & abſolutè non mori, ſed ſolum dediſſe ſignum propenſionis naturæ refugientis mortem; natura .n. naturaliter refugit, & deteſtatur mortem; diſplicentia autem, & deteſtatio mortis, vt eſt malum naturæ non eſt peccaminoſa. Ita Suarez ſect. 2. citata, & alij.

Secunda concluſio, in Chriſto non fuit fomes, etiam quoad actum primum. Primò, quia in Chriſto nō fuit radix iſtius fomitis, nempè peccatū originale. Secundò, quia fomes non decuit Chriſtum, cum inclinet ad malum. Tertiò, quia finis Incarnationis fuit redemptio, & liberatio à peccato, & fomite, ad Romanos 7. & 8. & ad Galat. 3. & 4. Ergo par non fuit, vt Chriſtus ſubderetur fomiti; par enim non fuit, vt illum defectum aſſumeret, ad quem impediendum carnem aſſumpſerat. Quartò, quia in Chriſto aderant virtutes morales, quibus appetitus plenè ſubijciebatur rationi, aderat perfecta aduertentia, & vigilantia rationis, aderat cuſtodia, & directio perſonæ Verbi, quæ plenum dominium in potentias omnes habebat. Vide S. Thomam q. 15. art. 2. Caiet. ibidem, Suarez ibid. & diſp. 34. ſect. 2. concl. 2. Becanum cap. 12. quæſt. 5. num. 13. & alios Commentatores S. Thomæ.

Ex dictis patet, quid dicendum ſit de alijs potentijs; ſicut enim appetitus ſenſitiuus in Chriſto ita erat ligatus, vt turpes carnis motus non admitteret, nec ad illos inclinaret, ita etiam intellectus, & voluntas ita gubernabantur, vt nihil prauum, vel inordinatum moliri poſſent; conſequenter intellectus errare, & decipi non poterat, & volūtas nullum odij, ſuperbiæ, vel inuidiæ motum admittere poterat; par enim eſt ratio fomitis, ſeu concupiſcentiæ, & aliarum potentiarum, prꝑſertim cùm nomen fomitis, ſeu concupiſcentiæ generatim

ſumptum, non ſolum conueniat appetitui ſenſitiuo, verum etiam intellectui, & voluntati.

Punctum Quintum.

An in Chriſto fuerit dolor, triſtitia, timor, admiratio, & ira.

1 *Dolor ſenſibilis in Chriſto fuit.*
2 *Triſtitia ſenſibilis in Chriſto fuit.*
3 *Gaudium beatificum ſupernaturaliter conſiſtere potuit cum triſtitia appetitus, aut voluntatis.*
4 *Chriſtus habuit triſtitiam ſecundum partem inferiorem.*
5 *Triſtitia fuit in Chriſto etiam ſecundum portionem ſuperiorem.*
6 *Timor in Chriſto fuit.*
7 *Admiratio in Chriſto fuit.*
8 *Ira in Chriſto fuit.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 IN Chriſto fuit dolor ſenſibilis. Ratio eſt primo, quia Iſaię 53. dicitur, *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit*, Pſal. 87. *Repleta eſt malis anima mea*, (vbi Auguſtinus explicat) non vitijs, ſed humanis malis, ideſt, doloribus; & Lucę 24. *Nonne hęc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Secundò, quia, vbi eſt vera læſio corporis, & verus ſenſus læſionis, ibi eſt verus dolor ſenſibilis. (His enim poſitis naturaliter adeſt dolor; dolor enim eſt actus, quo appetitus ſenſitiuus refugit læſionẽ corporis ſenſu perceptam;) ſed in Chriſto aderat vera læſio corporis, quando vulnera, & alia tormenta ſuſtinebat. Præterea aderat verus ſẽſus lęſionis; (corpus enim Chriſti lædi poterat, cum eſſet paſſibile, & mortale,) & ipſius anima perfectè habebat omnes potentias naturales. Ergo dicendum eſt ei non defuiſſe ſenſum læſionis, vt benè argumentatur S. Thomas q. 15. art. 5. quem alij DD. communiter ſequuntur.

Obijcies, Hilarius lib. 10. de Trinitate negat dolorem paſſionis illatum fuiſſe Chriſto per vulnera, nodos, & cæt. Ergo in Chriſto non fuit dolor ſenſibilis.

Reſpondeo primo, Hilarium eo loci negare dolorem in Chriſto, qui afficeret, & torqueret ipſum Verbũ, vt volebant Arriani. Secundò, Hilarius negat in Chriſto fuiſſe dolorem eo modo, quo eſt in nobis; in nobis enim eſt dolor ex debito peccati; Chriſtus verò illũ voluntariè aſſumpſit, licet ratione vnionis illi debita eſſet gloria, & exemptio ab omni dolore. Vide S. Thomam loco cit. ad 1. Suarez ibidem in comment. art. 5. & diſp. 38. ſect. 3. Becanum c. 12. quæſt. 6.

SECVNDA PROPOSITIO.

IN Chriſto fuit triſtitia ſenſibilis, imò etiam in ipſius voluntate tam ſecundum partem inferiorem, quam ſuperiorem fuit actus triſtitię. Vt hæc propoſitio, quæ tres habet partes, ritè intelligatur.

Aduertendum eſt primo, obiectũ triſtitiæ ſenſibilis eſſe aliquod malũ imaginatione apprehenſum tanquã pręſens, vt eſt mors amici, iactura bonorum, vel quid ſimile.

Aduer-

Google

Aduertendũ eſt ſecundo, voluntatẽ diſtingui in duplicem partem, ſeu portionem. Primò, in inferiorem. Secundò, in ſuperiorem iuxta rationem motiui, quo voluntas mouetur ad operandum, vel fugiẽdum; quando voluntas mouetur ob aliquod motiuum propoſitum voluntati ſub aliqua ratione apprehenſa ab imaginatione, tunc dicitur pars inferior. Quando verò mouetur ſub aliqua ratione apprehenſa ſolum ab intellectu, dicitur pars ſuperior. His præmiſſis probanda eſt propoſitio quoad omnes partes.

2 Prima pars eſt, in Chriſto fuiſſe triſtitiam ſenſibilem. Ratio eſt, quia obiectum triſtitiæ ſenſibilis, eſt malum aliquod imaginatione apprehenſum; ſed in Chriſto fuit apprehenſio per imaginationem alicuius mali, vt verborũ, iniuriarum, & mortis. Ergo in Chriſto potuit eſſe triſtitia ſenſibilis, quæ ex huiuſmodi malo apprehenſo naturaliter cõſurgit in appetitu, niſi impediatur.

3 Obijcies primo, in Chriſto fuit gaudium beatificum; cum gaudio autem beatifico non poteſt ſtare triſtitia. Ergo in Chriſto non potuit eſſe triſtitia.

Reſpondeo, gaudium beatificum non poſſe naturaliter conſiſtere cum triſtitia appetitus, aut voluntatis; nam poſita contemplatione diuina, quæ erat in anima Chriſti, redundare debebat delectatio in appetitum ſenſitiuum; ſed virtute diuina factũ eſt, vt gaudium non diffunderetur ad appetitum, & conſequenter vt in appetitu eſſet triſtitia. Imò diuina virtute factum eſt, vt in eadem voluntate, in qua erat gaudium, ſimul ẽt eſſet triſtitia; hoc. n. non implicat contradictionẽ; ſicut nõ implicat cõtradictionẽ, duo corpora ſimul eſſe in eodẽ loco, & duas formas, vt calorem, & frigus, eſſe in eodẽ ſubiecto.

Dices, implicat actus vitales cõtrarios eſſe ſimul in eodem ſubiecto; ſed triſtitia, & gaudium ſunt actus vitales. Ergo non poſſunt eſſe in eadem voluntate.

Reſp. actus vitales contrarios circa idem obiectũ, vt ſunt aſſenſus, & diſſenſus circa eandem propoſitionem, amor efficax, & odium circa idem obiectum, non poſſe ſimul eſſe in eodem ſubiecto. Secus quando ſunt circa diuerſa; tunc enim ſaltem ſupernaturali virtute poſſunt eſſe in eodem ſubiecto; cum autem triſtitia, & gaudium in Chriſto fuerint circa diuerſa obiecta, ſupernaturali virtute eſſe poterant in eadem Chriſti voluntate. Dico, ſupernaturali virtute, quia naturaliter eſſe non poterant in eadem voluntate; quamuis enim gaudium, & triſtitia de diſtinctis rebus creatis naturaliter ſimul eſſe poſſint, naturaliter tamen ſimul eſſe non poteſt in eadem voluntate gaudium beatificum, & triſtitia. Ratio differentiæ eſt, quia gaudium beatificum abſorbet totã voluntatem, illamque plenè ſatiat, & replet, quod non facit gaudium de rebus creatis. Vide Suarez quæſt. 15. in commentar. art. 6. & d. 38. ſect. 3. Vaſquez diſp. 62. cap. 2. Becanũ cap. 12. quæſt. 6. & 7. Puteanum q. 18. art. 5. col. 5. Solutio iſtius obiectionis maximè facit pro ijs, quæ in ſecunda, & tertia iſtius propoſitionis parte aſſerentur.

Obijcies ſecundo, Iſaiæ 42. dicitur

tur *Non erit triſtis, neque turbulentus*; ſed ibi ſermo eſt de Chriſto. Ergo in Chriſto non fuit triſtitia.

Reſpondeo, ibi ſermonem eſſe de illa triſtitia, quæ hominem perturbat, & pacē, ac animi trāquillitatem aufert; hæc enim in Chriſto admittenda non eſt, ſicut neque admittitur in alijs viris iuſtis, iuxta illud Prouer. 12. *Non contriſtabit iuſtum, quicquid ei acciderit*. Vide Suarez in Comment. S. Thomæ quæſt. 15. art. 5. ſub finē. Vaſquez d. 62. cap. 2. & alios Commentatores S. Thomæ.

Obijcies tertio, in iuſto non eſt triſtitia, tum quia Prouerb. 12. dicitur, *Non contriſtabit iuſtum, quicquid ei acciderit*. Tum quia nullus triſtatur, niſi de amiſſione bonorum; iuſtus autem non reputat bona ſua, niſi iuſtitiam, & virtutem, quas non poteſt amittere; ſed Chriſtus fuit maximè iuſtus, Hierem. 23. *Hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter*; Ergo in Chriſto non fuit triſtitia.

Reſpondeo negando maiorem, nā licet in iuſto, vt ſic, nō poſſit eſſe triſtitia, quæ pacem perturbet, poteſt tamen eſſe triſtitia, qua appetitus noſter naturaliter refugit, & auerſatur malum naturæ cōtrarium. Quicquid in contrarium ſenſerint Stoici, quos S. Thomas quæſt. 15. art. 6. ad 2. reprobat, & refellit.

4 Secunda pars propoſitionis eſt, in Chriſto fuiſſe triſtitiam ſecundū partem inferiorem. Ratio eſt, primo, quia Matthei 26. dicitur, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*; quem locū Agato Papa in Epiſtola ad Imperatorem in 6. Synodo Act. 4. & alij Patres, & Concilia intelligunt non ſolum de triſtitia appetitus ſenſitiui, verum etiam de triſtitia voluntatis. Secundò, quia triſtitia voluntatis ſecundum partem inferiorem coniungi ſolet cum triſtitia appetitus ſenſitiui; ſed in Chriſto fuit triſtitia appetitus ſenſitiui circa iniurias, verbera, & mortem. Ergo etiam fuit triſtitia ſecundum partem inferiorem.

Obijcies primo, *Triſtitia eſt de his, quæ nobis nolentibus accidunt* ex Aug. tom. 5. lib. 14. cap. 6. S. Thoma q. 15. art. 6. & alijs; ſed Chriſto nihil accidit contra ipſius voluntatem; nā Iſaiæ 53. dicitur, *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Ergo in Chriſto non fuit triſtitia.

Reſpondeo, triſtitiam eſſe de his, quæ ſecundum ſe contraria ſunt voluntati, licet ratione finis ſint voluntaria; mors, & paſſio Chriſti fuit contraria voluntati ſecundum ſe; ratione tamen finis fuit voluntaria, quia volita, & intenta fuit à Chriſto in redemptionē generis humani; ſicut medicina amara non eſt volita ſecūdum ſe, ſed ſolum vt dirigitur, & ordinatur ad ſanitatem, vt benè S. Thomas quæſt. 15. art. 6. in ſolut. ad quartum.

Obijcies ſecundo, Chriſtus gaudio beatifico non ſolum gaudebat de Deo, verum etiam de ſua morte, ſuiſque iniurijs, & cruciatibus; ſicut enim viſione beatifica videbat mortem, & cruciatus futuros, ita etiam de illis gaudere, & lætari poterat. Ergo in Chriſto non fuit actus triſtitiæ de ſua morte, iniurijs, & cruciatibus.

Reſpondeo Chriſtum gaudio beatifico gauiſum fuiſſe ſolum de Deo,

non

non autem de ſua morte, iniurijs, & cruciatibus; quamuis enim à multis Doctoribus admittatur per viſionẽ beatificam non ſolum videri Deum, verum etiam creaturas, non tamen hinc ſequitur creaturas eſſe obiectũ gaudij beatifici; conſequenter non ſequitur Chriſtum per gaudium beatificum gauiſum fuiſſe de ſua morte. Sicut non licet inferre, beati vident peccata. Ergo de illis lætantur. Vide Suarez d. 38. ſect. 3. ad finem, & Vaſquez diſp. 63. cap. 2.

5 Tertia pars propoſitionis eſt, in Chriſto fuiſſe triſtitiam ſecundum portionem ſuperiorẽ. Ratio eſt quia actus triſtitiæ ſecundum portionem ſuperiorem tunc contingit, dum voluntas refugit, & auerſatur aliquid ob motiuum, ſeu rationem apprehenſam ſolum ab intellectu; ſed volũtas Chriſti refugiebat, & auerſabatur aliquid, (vt peccata, & ruinam Iudæorum) ob motiuum, & rationem, quæ cadit ſolum ſub intellectũ. Ergo in Chriſto fuit actus triſtitiæ ſecundum partem ſuperiorem. Ita Scotus, S. Bonauentura, & Gabriel, quos citat, & ſequitur Suarez d. 38. ſect. 3. concl. 4. & Vaſquez loco cit.

Obijcies primo, Chriſtus habuit triſtitiã ſolum de obiectis temporalibus; nam de Deo ſemper habuit gaudium; ſed triſtitia de obiectis tẽporalibus non ſpectat ad partem ſuperiorem, ſed ad inferiorem. Ergo Chriſtus habuit triſtitiam ſolum ſecundum partem inferiorem.

Reſpondeo ad minorem propoſitionem, triſtitiam de obiectis temporalibus ſpectare ad partem inferiorem, quoties voluntas mouetur ob rationem imaginatione apprehẽſam. Secus quando mouetur ſolum ob rationem apprehenſam ab intellectu; Chriſtus autem deteſtabatur peccata Iudæorum ob rationem ab intellectu apprehenſam; conſequenter in ipſius voluntate erat actus triſtitiæ ſecundum partem ſuperiorem.

Obijcies ſecundo, S. Thomas negat in Chriſto fuiſſe triſtitiam quoad partem ſuperiorem.

Reſpondeo S. Thomam negare triſtitiam in Chriſti voluntate quoad obiectum primarium voluntatis, ideſt Deum, de quo triſtari non poterat. Ita communiter Doctores.

TERTIA PROPOSITIO.

6 IN Chriſto fuit etiam timor. Vt hęc propoſitio intelligatur, aduertendum eſt, hanc eſſe differentiã inter triſtitiam, & timorem, quod triſtitia concipitur de malo pręſenti, vel apprehenſo vt pręſenti; timor verò concipitur de malo futuro, ſeu apprehenſo vt futuro. Hoc poſito probatur propoſitio. Primo, ex Matth. 14. *cœpit pauere, & tadere*. Secundò, quia ſicut anima naturaliter dolet, & triſtatur de malo præſenti, ita timet malum futurum; ſed in Chriſto fuit triſtitia de malo præſenti. Ergo fuit etiã timor de malo futuro, quod præuiſum fuit euenturum. Ita communiter Doctores cum S. Thoma q. 15. art. 7.

Addo timorem fuiſſe non ſolum in appetitu ſenſitiuo Chriſti, verum etiam in ipſius voluntate tam ſecũdum partem inferiorem, quam ſecundum partem ſuperiorem, vt patet à ſimili ex dictis de triſtitia, idẽque docent Scotus in 3. diſp. 15. q.

vnica

vnica S. Bonauent. diſp. 16. art. 2. quæſt. 2. & alij communiter contra Caietanum quæſt. 46. art. 7. ob id Sancti cauſam ſudoris ſanguinei adſcribunt cõſiderationi peccatorum, & offenſæ Dei, quæ pertinet ad partem ſuperiorem voluntatis. Sed de hac re infra diſp. 3.

Obijcies primo, in iuſto non eſt timor, nam Prouerb. 28. dicitur, *Iuſtus quaſi leo confidens abſq; terrore erit*; ſed Chriſt⁹ erat maximè iuſtus, vt patet ex dictis in præcedentibus. Ergo in Chriſto non fuit timor.

Reſpondeo, negando maiorẽ propoſitionem; quamuis enim in iuſto non ſit terror auertens, & impediens rationis vſum, quo pacto intelligi poteſt locus ille Prouerb. 28. nihilominus poteſt eſſe timor, quo vir iuſtus auerſatur, & refugit malum futurum. Ita S. Thomas loco citato ad primum.

Obijcies ſecundo, timor non poteſt eſſe, niſi de malo, quod non eſt certò euenturũ, ex Ariſt. 2. Rethor. cap. 5. ibi enim non eſt timor, vbi non eſt ſpes euadendi; ſed Chriſtus ſciebat mortem certò euenturam, nec habebat ſpem euadendi. Ergo in Chriſto non fuit timor.

Reſpondeo, negando maiorẽ propoſitionem; nam de ratione timoris in genere non eſt incertitudo euentus, qui timetur. Vt hoc melius intelligatur, aduerte cum Suarez q. 15. in comment. art. 7. & alijs, actum timoris, aut eſſe abſolutũ, aut per modum ſimplicis diſplicentię, vel, vt alij loquuntur, aut eſſe timorem, in quo locum habet conſultatio, aut eſſe timorem, in quo conſultatio non habet locum; timor abſolutus, ſeu qui admittit conſultationem, eſt ſolum de malo incerto, quod ſcilicet dubitatur euenturum, & propterea habens huiuſmodi timorem, conſultationem, & curam adhibet ad illud malum euitandum; actus verò timoris per modum ſimplicis diſplicentiæ, qui nolleitas dici poteſt, & non admittit conſultationem, poteſt eſſe de malo certo euenturo, vt quando quis formidat mortem, quã certo ſcit futuram, & optimè nouit ſe illam euitare non poſſe, & propterea non cogitat modum euitandi. In Chriſto fuit actus timoris ſimplicis diſplicentiæ, non verò actus abſolutus, ita Suarez loco citato. Becanus cap. 12. quæſt 8. Vaſquez de Incarnat. diſp. 62. cap. 3. num. 23. & alij.

QVARTA PROPOSITIO.

7 IN Chriſto fuit admiratio. Ratio eſt primo, quia Matth. 8. & Lucæ 7. dicitur, *Accedens autem Ieſus miratus eſt*. Quæ verba, cum importent admirationem, propriè intelligenda ſunt de admiratione; verba enim Euangelij, ſi commodè poſſunt, accipienda ſunt in propria ſignificatione, & facta Chriſti non fictè, ſed verè intelligenda ſunt. Secũdo, quia admiratio propriè contingit de aliquo nouo, & inſolito; in Chriſto autẽ poterat aliquid nouũ, & inſolitum contingere ſecundum ſcientiam experimentalem, & iuxta naturalem, & conſuetum operandi modum; licet in Chriſto nihil eſſe poſſet nouum, & inſolitum quoad ſcientiam viſionis, & ſcientiæ infuſæ, vt benè ratiocinatur S. Thomas quæſt. 15. art. 8. & ipſius Commentatores communiter.

Obij-

Obijcies, admiratio prouenit ex ignorantia; *admiratio enim*, inquit Ariſt. 1. Metaph. cap. 2. *ex hoc prouenit, quod aliquis videt effectum, & ignorat cauſam*; ſed in Chriſto non erat ignorantia. Ergo neq; admiratio.

Reſpondeo, in Chriſto non fuiſſe quidem ignorantiam; cum ipſe haberet viſionem beatificam, & ſcientiam infuſam, aliquid tamen noui quoad ſcientiam experimentalem contingere poterat, ex quo admirationem caperet, vt benè S. Thomas loco citato ad 1.

QVINTA PROPOSITIO.

8 IN Chriſto fuit ira. Ratio eſt primo, quia Pſal. 18. dicitur, *Zelus domus tuæ comedit me*. Secundò, quia ira eſt effectus triſtitiæ; ſed in Chriſto fuit triſtitia. Ergo etiam ira. Tertio, quia ira eſt appetitus vindictæ, ſeu appetitus repellendi iniuriam illatam ſibi, aut alijs; ſed hic appetitus, ſi fiat iuxta dictamen rationis, & ſecundum ordinem iuſtitiæ, non eſt malus, ſed ſæpè laudabilis, & expetendus, iuxta illud Pſal. 4. *Iraſcimini, & nolite peccare*. Ergo talis ira admittenda eſt in Chriſto. Ita S. Thomas q. 15. art. 9. & ipſius Commentatores communiter.

Obijcies, ira opponitur manſuetudini lib. 4. Ethicor. cap. 5. Chriſtus autem fuit maximè manſuetus.

Reſpondeo, illum Ariſtotelis locum intelligendum eſſe de ira, quæ excedit ordinem rationis; eodem pacto intelligi poteſt locus ille Iacobi 1. *Ira viri iuſtitiam Dei non operatur*.

QVÆSTIO VNDECIMA.

De Vnitate Chriſti quoad eſſe, ſeu exiſtentiam, & quoad voluntatem.

IN hac Quæſtione primo loco explicabo, An Chriſtus dicendus ſit vnus adiectiuè, & ſubſtantiuè. Secūdò, An in Chriſto ſit tantum vnum eſſe. Tertiò, An in Chriſto ſit vna tantum voluntas, vel duæ. Quartò, An voluntas Chriſti fuerit conformis voluntati diuinæ. Quintò, An humana Chriſti voluntas ſemper impleta fuerit.

Punctum Primum.

An Chriſtus dicendus ſit vnus adiectiuè, & ſubſtantiuè.

1 *Chriſtus dicitur vnus maſculinè.*
2 *Chriſtus dicitur vnus etiamſi vnum in neuter accipiatur.*

VNICA PROPOSITIO.

CHriſtus dicitur vnus, non ſolum dum vnum ſumitur adiectiuè, ſeu maſculinè, verum etiam dum ſumitur ſubſtantiuè, ſeu neutraliter.

1 Quod ſit vnus maſculinè probatur. Primò, ex 1. ad Tim. 2. *Vnus mediator Dei, & hominum; homo Chriſtus Ieſus*, ex Symbolo Athanaſij, *Non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus*, ex Symbolo Niceno, *Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum*, & ex pluribus Concilijs, & Patribus apud Suarez q. 17. in Comment. art. 1. apud Vaſq. d. 70. c. 2. n. 6. apud Tannerum d. 1. q. 6. dub. 3. nu. 91. apud Valentiam q. 17. pun. vnico. Secundò, quia, vnus, maſculinè, & ſimpliciter acceptus, indicat vnitatem ſuppoſiti, ſeu perſonæ (vt patet ex communi modo loquendi. Ob id in Trinitate tres perſonæ, licet dicantur vnū in neutro, & vnus Deus, non tñ dicuntur vnus ſimpliciter, ne videatur in Deo eſſe vna tantum perſona) ſed in Chriſto eſt vna tantum perſona, & vnum ſuppoſitum. Ergo Chriſtus dicendus eſt vnus.

2 Quod verò Chriſtus dicendus ſit vnus, etiamſi vnum accipiatur in neutro. Ratio eſt, quia, vnum, cum ſubſtantiuè dicitur, ſignificat eſſe vnū ſuppoſitū, uel unū iudiuiduū, vel vnū ens. Sed Chriſtus eſt vnū ſuppoſitū, vnū indiuiduum vtriuſq; naturæ, & vnum ens, non quidē ſimplex, ſed compoſitum, (compoſitio autem ex ijs rebus, per quas reſultat vnum ens per ſe, non tollit vnitatem, vt patet in anima, & corpore, ex quibus reſultat vnum ens per ſe, ſeu vnus homo) Ergo Chriſtus dicēdus eſt vnus, etiam ſi vnum accipiatur neutraliter. Ita communiter Doctores cum S. Thoma q. 17. art. 1. contra Durandum in 3. diſt. 6. quæſt. 1. num. 13.

Obijcies primò, vbicumque eſt, aliud, & aliud, ibi ſunt duo; ſed in Chriſto eſt aliud, & aliud, nā in Chriſto eſt natura humana, & diuina, quarū quælibet eſt eſſentialiter diuerſa, alia, & Chriſtus non tantū eſt Deus, verum etiam homo. Ergo eſt aliud, quam homo. Ergo ſunt duo.

Reſpondeo, negando minorē propoſitionem; nam terminus, aliud, nō ſolum ſignificare ſolet diuerſitatem naturæ, verum etiam ſuppoſiti; in Chriſto autem, licet adſint duæ naturæ, non tamen adſunt duo ſuppoſita. Ob id etiam Chriſtus dici non poteſt alius, & alius, quia hic terminus, alius, ſignificat diſtinctionem ſuppoſiti, vt patet, tum ex Symbolo Athanaſij, vbi dicitur, *Alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus.* Tum quia ſicut vnˀ ſignificat vnitatē perſonæ, ita alius ſignificat diſtinctionē, vt benè Suar. loco cit. verſ. in hac re.

Obijcies ſecundò, Chriſtus nō eſt tantū homo, alioquin eſſet purus homo, quod eſt falſū. Ergo eſt aliquid aliud, quā homo. Ergo Chriſtus eſt duo.

Reſpondeo, nomen, Homo, dum adhibetur tanquam prædicatum in propoſitione, accipi pro natura hominis, & ſic vera eſt maior propoſitio, quod Chriſtus non ſolum habet naturam humanam, verum etiam diuinam; prima conſequentia uera eſt, quia ſignificat Chriſtum non eſſe ſuppoſitum humanum, & propter naturam humanam continere etiam diuinam, quod uerum eſt; ultima cōſequentia eſt falſa, quia ſicut, unus, eſt terminus numeralis, qui indicat unitatem perſonæ; ita, duo, eſt terminus pluralis indicans pluralitatē perſonarum; cum autem in Chriſto non ſint plures perſonæ, Chriſtus nō poteſt dici, duo, niſi aliud addatur.

Alias obiectiones affert S. Thomas loco citato, quæ apud ipſum uideri poſſunt, & earum ſolutio facilè colligi poteſt ex dictis.

Punctum Secundum.

Vtrum in Chriſto ſit tantum vnum eſſe.

1 *Chriſtus habet vnum eſſe ſimpliciter, & non plura.*

2 *Chriſtus habet duas naturas, & duas exiſtentias.*

VNICA PROPOSITIO.

1 IN Chriſto eſt vnum eſſe ſimpliciter, & non plura. Ratio eſt quia, quod eſt vnum ens actu, habet vnum eſſe ſimpliciter; nam eſſe ſequitur ipſum ens actu; ſed Chriſtus eſt vnum ens actu, vt patet ex dictis puncto præcedenti. Ergo in Chriſto eſt vnum eſſe ſimpliciter. Ita S. Tho. q. 17. art. 2. Caiet. Medina, & Cabrera ibid. Suar. d. 36. ſect. 2. Vaſq. d. 70. c. 3. n. 11. & ſeqq. & d. 71. cap. 2. n. 18. Tannerus d. 1. q. 6. dub. 3. n. 94. & alij contra Scotum in 3. d. 6. quęſt. 1. & alios.

Obijcies, in Chriſto ſunt duæ naturæ, diuina, & humana. Ergo duæ exiſtentiæ. Conſequentia probatur. Tum quia exiſtentia ſequitur naturam; ſed in Chriſto ſunt duæ naturę. Ergo duæ exiſtentiæ; natura enim humana in Chriſto non exiſtit per exiſtētiam increatam Verbi, ſed per ſuam propriam, & creatam exiſtentiam. Tum quia exiſtentia formaliter nihil aliud eſt, quam id, per quod ipſa entitas exiſtit in rerum natura extra ſuas cauſas; conſequenter exiſtentia eſt ipſamet entitas poſita extra ſuas cauſas; aliter enim explicari non poteſt conceptus exiſtentiæ. Sed humanitas Chriſti, etiam vt diſtinguitur à verbo, eſt actualiter entitas poſita extra ſuas cauſas. Ergo habet propriam exiſtentiam. Tum quia Angelus naturaliter videt Chriſti naturam, vt actualem quandam entitatem, & tamen naturaliter non videt Verbum. Ergo natura humana habet exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia increata Verbi. Tum quia natura, quæ vnitur, præexiſtit unioni, cum ſit ſubiectum unionis, ſeu actionis unitiuæ. Tum quia humanitas conſeruari poteſt in rerum natura, etiam ſeparata à Verbo. Ergo habet entitatem actualem diſtinctam ab exiſtētia Verbi; impoſſibile.n.eſt, ut ſit idē effectus formalis, niſi adſit eadem cauſa formalis. Ergo natura humana habet propriam exiſtentiā. Ergo ſunt duæ exiſtentiæ, diuina ſcilicet, quę in dubium non reuocatur,

Digitized by Google

& humana, ut probatum eſt.

Reſpondeo, in Chriſto eſſe duas naturas, & conſequenter duas exiſtentias, quæ tamen conſtituunt unū ens completum, & non plura, ut probatum eſt in propoſitione. Propterea in Chriſto eſt unum eſſe, & non plura.

Punctum Tertium.

Vtrum in Chriſto ſit vna tantum voluntas, an duæ.

1 *In Chriſto ſunt duæ voluntates.*
2 *Liberum arbitrium, ſeu libera voluntas in Chriſto fuit.*
3 *Libertas quo ad exercitium, & ſpecificationem quanam dicatur.*
4 *Chriſtus impeccabilis erat.*
5 *Actus præceptus vt ſic, non fuit in Chriſto liber, ſed neceſſarius quoad ſubſtantiam, ſeu obiectum actus; quoad circūſtantias vero fuit liber.*
6 *Chriſtus non habuit præceptum operandi quo ad omnes circūſtantias.*
7 *Chriſtus moriendo, aut alia præcepta ſeruando meruit quia actus præcepti libere imperabatur à voluntate.*

VNICA PROPOSITIO.

1 IN Chriſto ſunt duæ uolūtates, uidelicet, diuina, & humana. Ita S. Thomas quæſt. 18. art. 1. Suar. ibid. & diſ. 37. ſect. 1. Puteanus q. 18. dub. unica, Vaſq. d. 73. Valent. d. 1. quæſt. 18. puncto 1. Tannerus diſp. 1. quæſt. 6. dubio 3. num. 108. & alij communiter contra quoſdam hæreticos, qui Monothelitæ uocati ſunt, eo quod unam tantum, eamque diuinam uoluntatem in Chriſto eſſe affirmarent. Hæc propoſitio eſt de fide, & probatur primo uarijs ſcripturæ locis, Matth. 26. *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*, Lucæ 22. *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Ioan. 4. *Cibus meus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me.* cap. 5. *Non quæro voluntatē meā; ſed voluntatē eius, qui miſit me*, & ca. 6. *Deſcendi de Cœlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me*; in quibus locis Chriſtus diſtinguit uolūtatem ſuam humanam à uoluntate diuina, quam eandem cum Patre habebat.

Secundo probatur ex definitione Eccleſiæ, quę id pluribus in locis definiuit, ut in 6. Synodo Conſtantinopolitana act. 17. & in 7. Synodo act. 7. in Concilio Lateran. 1. ſub Martino I. canon. 11.

Tertiò, quia in Chriſto fuit utraque natura cū omnibus perfectionibus naturalib⁹; ſed intellectus, & uolūtas ſūt perfectiones naturales naturę diuinę, & humanę. Ergo in Chriſto ſūt duæ uolūtates, diuina, & humana, & neutra quidem otioſa, quia Deus, & natura nihil faciūt fruſtra.

Quarto, Sancti Patres paſſim aſſerunt, ea quæ ad naturas ſpectant, in Chriſto omnia fuiſſe duplicia.

Obijcies, uolūtas eſt primum mouens, & imperans in utroq; uolente, ſed in Chriſto primum mouens, & imperans fuit uolūtas Dei, quicquid enim Chriſtus nolebat, uolebat ſecundum uoluntatem diuinam. Ergo in Chriſto fuit una tantum uoluntas, ſcilicet diuina.

Reſpondeo, uoluntatem diuinam in Chriſto fuiſſe primū mouens, non tñ hinc excluditur uolūtas humana, quæ regitur, & gubernatur à diui-

na

na; nam etiam voluntas aliorum Sanctorum mouetur ſecundum voluntatem Dei, cum Deus in illis operetur velle, & perficere, ad Philipp. 2. & tamen hinc non excluduntur voluntates aliorum Sanctorum.

Ex dictis colligitur primo, duas fuiſſe operationes in Chriſto pro diuerſitate naturarum, alias ſcilicet proprias diuinæ naturæ, ſeu voluntatis diuinæ, alias proprias humanę naturæ, ſeu humanę voluntatis. Hęc tū eſt differentia inter actus naturæ, ſeu voluntatis diuinæ, & humanæ in Chriſto, quod in Chriſto nullus fuit actus voluntatis ſubreptitius, qui vocatur motus primus, & indeliberatus; nam voluntas Chriſti perfectè ſubijciebatur rationi; conſequenter nullum admittebat motum, niſi iuxta rationis præſcriptum, vt rectus naturæ ordo poſtulat, ita S. Thomas, & alij Doctores communiter, quos ſequitur Vaſquez diſp. 62. cap. 1. & d. 73. n. 14. Becanus cap. 13. q. 1. ad finem n. 6. Puteanus q. 18.

Secũdo, colligitur in Chriſto fuiſſe duplex liberum arbitrium, diuinum, & humanum; libertas enim connaturaliter ſequitur intellectum, qui poteſt vnum, & idem obiectum modo ſub vna, modo ſub alia ratione expetibilis, vel non expetibilis cõcipere, ex quo volũtas moueatur ad illud proſequẽdum, vel fugiendum.

2 Quod autem in Chriſto fuerit liberum arbitrium, ſeu libera voluntas ad operandum, præter rationem mox allatam probari poteſt, tum ex ex varijs ſcripturæ locis, Iſaiæ 7. *Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum*; electio autem eſt actus potentiæ liberæ, vt benè Baſilius ibidem, & alij, quos citat Suarez diſp. 37. ſect. 2. concl. 1. & Iſaiæ 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*, vbi Hieronymus voluntatem opposuit neceſſitati, dicens, *Non neceſſitate, ſed voluntate crucem ſubijt*, Io. 10. *Ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam, nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Tum quia ex obedientia, quam exhibuit Deo Patri, *Factus eſt illi obediens vſque ad mortem*, & præterea Ioſepho, ac Sanctiſſimæ Virgini Mariæ, iuxta illud, *Et erat ſubditus illis*; obedientia autẽ non eſt ſine libertate voluntatis; nã voluntas non eſt capax obedientiæ, & præcepti, niſi ſit libera. Tum quia libertas arbitrij eſt magna perfectio connaturalis homini. Tũ quia actiones meritoriæ debent eſſe liberæ; Chriſtus autem pro nobis meruit. Tum quia perfectio libertatis manet in Beatis, etiamſi viatores non ſint; manet etiam in viatoribus etiã iuſtificatis, & in gratia confirmatis. Ergo neq; neganda eſt Chriſto, qui fuit viator, & comprehenſor. Tum quia voluntas non poteſt violentum pati; violentum enim eſt illud, quod fit à principio extrinſeco reſiſtente paſſo, & nullam vim actiuam conferente; actus autem voluntatis non fiunt à principio extrinſeco, ſed ab ipſa voluntate, quæ non reſiſtit, ſed potius actiuè concurrit. Ergo actus voluntatis non ſunt violenti, ſed liberi. Ergo voluntas Chriſti fuit libera à coactione, ſeu violẽto. Imò fuit etiam libera quo ad exercitium, & quo ad ſpecificationem.

3 Ille dicitur liber quoad exerci-

tium qui põt agere, & non agere, ita velle, & non velle; Chriſtus autẽ poterat quoſdã actus velle, & nõ velle; potuit enim E. G. velle, & non velle ambulare, iuxta illud Ioannis 7. *Non volebat in Iudaam ambulare*. Non tamen fuit liber in omnibus actibus voluntatis, vt in amore erga Deum, quia poſita viſione ſummi boni, voluntas neceſſariò in illud fertur.

Ille dicitur liber quoad ſpeciem actus, qui è duobus, vel pluribus poteſt vnum eligere, prout ſibi placet; Chriſtus autẽ potuit è pluribus vnũ eligere pro ſuo beneplacito, ob id cũ poſſet vel Matthiam, vel Ioſephum in locum Iudæ eligere, potius elegit Matthiam, quam Ioſephum.

Obijcies primo, in eo, in quo eſt electio, eſt conſilium; *electio enim eſt appetitus præconſiliati*, ex Ariſtot. lib. 3. Ethicor. cap. 3. ſed in Chriſto nõ fuit conſilium; non enim conſiliamur de his, de quibus certi ſumus; Chriſtus autem de omnibus certitudinem habuit. Ergo in Chriſto non fuit electio, & conſequenter neq; liberum arbitrium.

Reſpondeo cum S. Thoma quæſt. 18. ad 2. & alijs communiter, in eo, in quo eſt electio, eſſe cõſilium, quoties electio fit ab eo, qui ignorabat, vel dubitabat; ſecus ſi fiat ab eo, qui certitudinem habebat, & nihil ignorabat, vt Chriſtus.

4 Obijcies ſecundo, Chriſtus erat impeccabilis, tum ratione vnionis hypoſtaticæ, tum ratione viſionis beatificæ, tum ratione diuinæ aſſiſtentiæ, qua perſona verbi tenebatur erga naturam humanam. Ergo non habebat liberum arbitrium; libertas enim, ſeu liberum arbitrium in hoc poſitum eſſe videtur, vt quis poſſit benè, vel malè agere, ſeu peccare, & non peccare, iuxta D. Aug.; ſed Chriſtus nõ poterat malè agere, ſeu peccare. Ergo non habebat liberum arbitrium.

Reſpondeo, Chriſtum eſſe quidẽ impeccabilem, vt dictum eſt in antecedente propoſitione, nihilominus habere liberum arbitrium; de ratione enim liberi arbitrij in genere, eſt, vt poſſit agere, & non agere, ſiue ex hoc, ſiue ex illo motiuo; non autẽ de ratione liberi arbitrij eſt, vt poſſit peccare. Ratio eſt, quia Deus habet liberum arbitrium, & tamen nõ poteſt peccare; Ergo de ratione liberi arbitrij non eſt facultas ad peccandum, præſertim cum libertas arbitrij ſit quædam perfectio in Deo, & in homine; peccatum autem eſt imperfectio, & defectus, ſeu receſſus à perfectione; conſequenter libertas, ſeu facultas ad peccandum non arguit perfectionẽ, ſed imperfectionem; conſequenter neque Deo, neq; Chriſto homini adſcribenda eſt. Neque obſtat S. Auguſtinus, quia nõ loquitur de libero arbitrio in genere, ſed prout in nobis reperitur, vt benè Puteanus q. 18. dubit. vnica ſub finem.

Dices, ſi Chriſtus erat impeccabilis, ergo neceſſario ſeruare debebat præcepta. Ergo non fuit liber in ſeruandis præceptis, vt in ſubeunda morte, quæ ei præcepta erat.

Variæ reſponſiones afferuntur à Doctoribus in hac re, quæ maximè in ſcholis agitari ſolet.

Primò enim aliqui reſpondent, Chriſtum, abſolutè loquendo, potuiſſe non ſeruare præceptum, quia Chriſto non fuit impoſitum, nec po-

tuit imponi præceptum cum obligatione ad culpam; ſed ſolum ſub cõmuni ratione debiti ex obedientia in genere. Verum hæc opinio falſa eſt, vt patet ex dictis de legibus, quia de ratione præcepti eſt, vt obliget ſub culpa aliqua, alioquin non habet vim præcepti, vt benè Peſantius quæſt. 18. art. 11. dub. 4. num. 3. Tannerus loco ſtatim citando, & alij quos retuli de legibus.

Secundò, alij reſpondent Chriſtũ in adimplendis præceptis vſum non fuiſſe viſione beatifica; ſed ſcientia infuſa; conſequenter impeccabilitatem Chriſti non fuiſſe ortam à viſione beatifica, ſed ab extrinſeca quadam Dei protectione, quæ peccatum excludebat, Deo interim impediente vim, & efficaciam viſionis beatificæ ad determinandam voluntatem Chriſti in adimpletione, & executione præceptorum. Ita Suarez diſp. 37. ſect. 2. & alij. Sed hæc reſponſio non placet. Tum quia ſequeretur impeccabilitatem Chriſti eſſe ſolum extrinſecam, & moralem, non intrinſecam, & phyſicam. Tum quia cum viſio beatifica ſe ipſa determinet voluntatem ad amãdum Deum, & ad nõ peccandum, fruſtra dicitur à Deo impedita, ne voluntatem determinaret, vt benè Vaſquez d. 74. num. 28. Cabrera 3. par. quæſt. 18. art. 4. diſp. 4. num. 107. Tannerus loco citato num. 142. & alij.

Alij reſpondent Chriſtum, etiam poſito præcepto quoad omnes circunſtantias, & determinatione ad non peccandum, proueniente ex viſione beatifica, adhuc dici ſimpliciter liberum, quia neceſſitas adimplendi præceptum, conſurgens ex tali determinatione, non eſt abſoluta, ſed ex ſuppoſitione, non in ſenſu diuiſo, ſed in ſenſu compoſito. Ita Cabrera loc. cit. §. 3. Bannes 1. par. quæſt. 19. art. 10. Aluarez de Incarnat. quæſt. 8. §. 2. num. 10. & 18. d. 46. & plures alij Thomiſtæ. Sed hęc reſponſio mihi diſplicet, vt patebit ex dicendis de efficacia gratiæ.

Alij reſpondent, Chriſtum neceſſario ſeruaſſe præcepta, non neceſſitate antecedente, ſed neceſſitate conſequente, qua poſita non poterat peccare. Ita Peſantius quæſt. 18. art. 1. dub. 4. ad finem, & alij.

Verum hæc reſponſio coincidere videtur cum reſponſione proximè allata.

Alij reſpondent, Chriſtum non fuiſſe quidem liberum in ſeruandis præceptis; in alijs tamen fuiſſe liberum, cum multa alia facere poſſet, ad quæ non tenebatur ex præcepto.

5 Ego reſpondeo actum præceptum, vt ſic, ſeu quoad ſubſtantiam, ſeu obiectum actus præcepti, nõ fuiſſe liberum; ſed neceſſarium. Ratione tamen circumſtantiæ actus, vt motiui, temporis, vel intenſionis, fuiſſe liberum, & ſpontaneum. Ratio eſt, quia licet Chriſtus neceſſariò, & non liberè adimplere deberet actũ præceptum, vt actum moriendi; acceptare tamen poterat mortem per hunc, vel per illum actum, & mori poterat ex hoc, vel illo motiuo, vt ex motiuo charitatis, vel miſericordiæ, vel fortitudinis, vel obedientię, vel omnium virtutum, quod nõ erat in præcepto; conſequenter adimpletio præcepti, ſeu actus præcepti in hac parte fuit liber, nam actus extrinſecus tunc cenſetur liber, dum

imperatur ab actu voluntatis libero; ſed actus Christi externus præceptus imperabatur ab actu libero, nempè ex hoc, vel illo motiuo, vel per hunc, vel illum actum. Ergo erat liber; & licet Chriſtus in genere non poſſet niſi benè agere, & præcepta ſeruare, in particulari tamen poterat illa ſeruare ex hoc, vel illo motiuo, vel per hunc, vel illum actum. Et ſic dicitur voluntariè, & liberè ſeruaſſe actum præceptum, & hoc non ſolum militat in præceptis affirmatiuis, verum etiam in negatiuis; quamuis enim adimpletio præcepti negatiui cōſiſtat in omiſſione actus, nihilominus Chriſtus liberè adimpleuit præcepta etiam negatiua, quia præceptum negatiuum multis modis adimpleri poteſt, vel omittendo actum prohibitum, E. g. odium, homicidium, furtum, & ſimilia; vel efficiendo actus contrarios, vt actũ amoris, reſtitutionis, & ſimilium, aut eliciendo actũ deteſtationis circa actus prohibitos; Chriſtus autem poterat pręceptum negatiuũ aliquo ex his modis adimplere; conſequenter liberè adimplebat.

6 Dices, Chriſto non ſolum datum fuit præceptum moriendi ſimpliciter, verumetiam quoad omnes circumſtantias, iuxta quas mortem ſubijt, Ioann. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*; ſi ergo non fuit liber in adimplendis mandatis quoad obiectum, ſeu ſubſtantiam actus, quia præcepta erãt; ita neque liber fuit in adimplendis præceptis quoad circumſtantias, quia etiam ipſæ erant pręcepta.

Nonnulli Doctores, vt Peſantius, & alij, aſſerunt Chriſtum fuiſſe liberum circa actum præceptum, etiam ſi admittamus actum aliquem præceptum fuiſſe cum omnibus circumſtantijs.

Sed omiſſis alijs reſponſionibus. Ego reſpondeo negando datum fuiſſe Chriſto præceptum operãdi quoad omnes circumſtantias; ſeu actus, quos ipſe fecit, fuiſſe ei præceptos quoad omnes circumſtantias. Ratio eſt, tum quia nulla præcepta diuina obligare ſolent cum omnibus circũſtantijs. Ergo neque aſſerendum eſt præcepta Chriſto impoſita obligaſſe quoad omnes circumſtantias. Tũ quia ſequeretur Chriſtum nihil meruiſſe, quia inter cæteras conditiones ad meritum requiſitas hæc eſt, vt opus liberè fiat.

Neq; obſtat locus allatus Ioann. 14. ſenſus enim eſt Chriſto nihil pręceptum fuiſſe à Patre, quod Chriſtus exactè non adimpleret. Non verò ſenſus eſt, omnia, quę Chriſtus fecit, feciſſe ex præcepto. Ita Vaſquez d. 72. num. 33. Tannerus diſp. 1. q. 6. dub. 4. num. 146. Becanus cap. 13. quæſt. 2. ſub finem.

7 Dices, ſi Chriſtus neceſſariò ſeruare debuit præceptum moriendi, aut alia præcepta, ſequitur ipſum non meruiſſe per ſubſtantiam paſſionis, ſeu per ſubſtantiam aliorum actuum præceptorum, ſed ſolum per circumſtantias, quæ in præcepto non erant; nã meritum ſupponit libertatem; Chriſtus autem ſolum erat liber circa circumſtantias, non autem circa præcepta, cum non poſſet illa prætermittere.

Reſpondeo, Chriſtum meruiſſe nõ ſolum per circumſtantias, verum etiam per ipſam paſſionem, & mortem

tem; nam paſſio, & mors, quam Chriſtus ſuſtinuit, imperata fuit à libero actu voluntatis, cùm voluntas poſſe illā eligere ex hoc, vel illo motiuo, & præceptum adimpleri poterat per hunc, vel illum actum.

Punctum Quartum.

An voluntas Chriſti fuerit conformis voluntati Dei.

1 *Actus efficax, & inefficax quinam dicantur.*

2 *Voluntas quot modis poſſit eſſe conformis alteri.*

3 *Voluntas Chriſti conformis fuit voluntati efficaci Dei in volito materialiter.*

4 *Voluntas inefficax Chriſti non ſemper fuit conformis voluntati Dei.*

5 *Volūtas Chriſti conformis fuit efficaci volūtati Dei in uolitò formali.*

1 PRæmitto primò, actus voluntatis alios eſſe efficaces, alios inefficaces; efficax hoc in loco dicitur ille, qui eſt principium operandi, & effectum ſortiri ſolet. Ideò vocatur actus abſolutus, & explicatur per verbum, volo; Inefficax dicitur ille, qui non eſt principium operandi, ſed conſiſtit in ſimplici complacentia, vel diſplicentiā; ſępè etiam adnexam habet conditionem, & explicari ſolet per verbum, vellem; & licet actus inefficax aliquando ſortiatur effectum, illum tamen non ſortitur ex vi voluntatis inefficacis, ſed vi alterius efficacis; quamobrem ſi quis abſolutè ex amore Dei offerat ſe martyrio, ſed inefficaciter ex naturali inclinatione refugiat mortem, ſi poſtea contingat ipſum euitare mortē, non euitabit illam ex vi inefficacis voluntatis, ſed ob efficacem voluntatem alterius impedientis mortem, cui ſe ſpontè, & abſolutè offerebat.

2 Præmittendum eſt ſecundo, vnam voluntatē poſſe eſſe alteri conformem duobus modis; primo, materialiter, ideſt in re volita, ſeu in uolito materiali. Secundò, formaliter, ſeu in uolito formali, ideſt in eo, qđ mouit Deum ad volendum. Ita S. Thomas 1. 2. q. 19. art. 10. Suarez de Incarnat. quæſt. 18. in comment. art. 5. Puteanus q. 18. art. 5. Becanus cap. 13. quæſt. 4. num. 1.

PRIMA PROPOSITIO.

3 VOluntas Chriſti conformis fuit voluntati efficaci Dei in volito materialiter. Ratio eſt primò, quia ſcriptura generaliter loquitur de conformitate volūtatis Chriſti cum voluntate Dei Pſa. 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam voluntatem eius &c.* Ioannis 4. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt*, & cap. 5. *Non quęro voluntatem meam, ſed eius, qui miſit me*, & cap. 8. *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Hebreor. 10. *Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam.*

Secundò, quia Chriſtus per ſcientiam viſionis ſciebat, quicquid Deus vellet; ſed Chriſtus volebat quicquid ſciebat Deum velle; cum enim eſſet impeccabilis, non poterat aliud velle, nam peccatum eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam. Ergo voluntas Chriſti fuit conformis uoluntati Dei in volito materialiter.

4 Dixi

4 Dixi in propoſitione, uoluntati efficaci, ut indicarem, uoluntatem inefficacem Chriſti non ſemper conformem fuiſſe uoluntati Dei, ut patet ex loco illo Matth. 26. & Lucę 22. *Tranſeat à me calix iſte; Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu; verumtamen non mea; ſed tua fiat voluntas;* Chriſtus .n. efficaci voluntate volebat, quod Deus volebat; inefficaci verò nolebat, quod Deus volebat.

Neq; tamen hinc ſequitur in Chriſto fuiſſe contrarias voluntates, quia repugnat ſolum dari duas voluntates efficaces contrarias in eodē, non autem repugnat dari vnam efficacē, alteram inefficacem, præſertim cum alia ſit ratio motiua voluntatis efficacis, & alia inefficacis, vt benè S. Thomas quæſt. 18. art. 6. Vaſquez diſp. 73. cap. 3. num. 19. Suarez d. 38. ſect. 4. & alij communiter.

Dices, in Chriſto fuerunt iſtæ voluntates, volo mori, & nolo mori, ſed iſtæ ſunt contrariæ, & efficaces. Ergo &c.

Reſpondeo negando maiorē propoſitionem; in Chriſto enim fuerunt iſtæ voluntates, volo, & nollem, non autem volo, & nolo, vel ſaltem non fuerunt ex eodem motiuo.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Voluntas Chriſti fuit cōformis efficaci voluntati Dei in volito formali. Ratio eſt primo, quia id patet ex locis ſcripturæ proximè allatis in prima propoſitione. Secundò, ex 4. Synodo act. 4. vbi habetur, *In Chriſto nullam extitiſſe voluntatum contrarietatem*. Tertiò, quia voluntas abſoluta beatorum eſt ſemper conformis voluntati abſolutæ, & efficaci Dei; *Sequuntur enim agnum quocunque ierit*, quem locum Patres de huiuſmodi conformitate intelligunt. Chriſtus autem ab inſtanti Conceptionis fuit beatus. Quartò, quia Chriſtus erat impeccabilis. Ergo nihil velle poterat ob finem turpem. Ergo omnia volebat ob finem honeſtum; ſed quicquid eſt honeſtū, Deo placet. Ergo quicquid Chriſtus volebat, Deo placebat. Ergo voluntas Chriſti erat conformis voluntati efficaci Dei. Quinto, quia Chriſtus ſciebat voluntatem Dei, & Deum ſummè amabat. Ergo non volebat aliud, quam id, quod Deo placebat.

Dices, ſi Chriſtus non volebat aliud, quam quod Deus volebat, eo quod ſciret ipſius voluntatem, & Deum ſummè diligeret, ſequitur ipſum non fuiſſe in hac re liberum, & debuiſſe ſemper facere id, quod Deo gratius erat, cū ſemper ſciret quodnam motiuum Deo gratius eſſet, & Deum ſummè diligeret.

Reſpondeo, negando ſequelā primo, quia non ſemper neceſſe eſt, vt id fiat, quod Deo gratius eſt; nullum enim præceptum ad hoc obligat. Secundò, quia opera Chriſti erāt ęquè grata Deo ex quocunq; motiuo fierent. Tum quia omnia fiebant ex eodem feruore charitatis. Tum quia perſona Chriſti operans erat infinitę dignitatis; conſequenter omnia ipſius opera erant infinitè grata Deo, vt benè Becanus cap. 13. quæſt. 4. num. 8.

Obijcies contra præfatas propoſitiones, Chriſtus volebat, & conabatur auertere homines à peccatis, & volebat Deum non concurrere ad

enti-

entitatem, ſeu actionem materialẽ peccati; ſed hoc eſt contra voluntatem Dei; cum Deus tanquam cauſa prima concurrere velit, & debeat ad actionem peccati; cauſa enim ſecunda non agit, niſi mota à prima. Ergo voluntas Chriſti non fuit conformis voluntati Dei.

Reſpondeo, illam voluntatem Chriſti, qua in genere volebat omnes homines auertere à peccatis, & ſaluos fieri, non fuiſſe abſolutam & efficacem, ſed potius inefficacem, & conditionatam, vt in ſimili dicitur de voluntate Dei; conſequenter voluntas Chriſti, etiam in hac parte conformis fuit voluntati Dei. Idem dic de voluntate, qua Chriſtus volebat Deum non concurrere ad actionem peccati; ſicut enim inefficaciter volebat omnes homines ſaluos fieri, & à peccato retrahi; ita ex conſequẽti inefficaciter volebat Deum non concurrere ad actionem peccati.

Punctum Quintum.

An humana Chriſti voluntas ſemper impleta fuerit.

1 *Voluntas abſoluta, & efficax Chriſti ſemper impleta fuit.*

2 *Voluntas inefficax Chriſti non ſemper impleta fuit.*

VNICA PROPOSITIO.

1 Voluntas abſoluta, & efficax Chriſti ſemper impleta fuit. Ratio eſt primo, quia efficax, & abſoluta voluntas Chriſti erat conformis efficaci, & abſolutæ voluntati Dei; ſed voluntas efficax, & abſoluta Dei ſemper impletur. Ergo volũtas efficax, & abſoluta Chriſti ſemper impleta fuit. Secundo, quia ſi voluntas efficax, & abſoluta Chriſti impleta non fuiſſet, ſequeretur ipsũ aliquid imprudenter voluiſſe; nam prudenter non agit is, qui ſciens aliquid non eſſe futurum, nihilominus illud abſolutè, & efficaciter vult à ſe, vel ab alio fieri. Ita S. Auguſtinus q. 77. noui teſtamenti, & alij quos citat, & ſequitur Suarez de Incarnat. q. 18. d. 38. ſect. 5. concl. 1. contra Caietanum quæſt. 13. artic. 4. Becanum cap. 13. quæſtione 5. numero 2. & alios aſſerentes, voluntatem, qua Chriſtus volebat aliquid per ſe ipſum fieri, ſemper impletam fuiſſe, non autem impletam fuiſſe voluntatem, qua Chriſtus volebat aliquid fieri per alios.

2 Dixi in propoſitione, voluntas abſoluta, & efficax, vt indicarem, voluntatem Chriſti inefficacem non ſemper impletam fuiſſe. Ratio eſt primo, quia Chriſtus voluntate inefficaci refugiebat mortem, & tamen ipſius voluntas adimpleta non fuit, Matth. 26. *Tranſeat à me calix iſte, &c.* Secundo, quia Chriſtus volebat latere, & tamen non potuit latere, Marci 7. *Ingreſſus domum neminem voluit ſcire, & non potuit latere.* Tertio, quia hæc eſt natura actus inefficacis, vt non ſemper habeat effectum. Imò Chriſtus tunc ſolum aliquid inefficaciter volebat, dum ſimpliciter illud nolebat fieri, ſed potius oppoſitum volebat.

Obijcies primo, Agato Papa in Epiſtola decret. quæ refertur in 6. Sy-

Synodo Act. 4. hanc differentiam aſſignat inter voluntatem Christi humanam, & diuinã, quod diuina Christi voluntas ſemper impleta fuit, non verò humana. Nec dici poteſt, Chriſtum ibi loqui de voluntate humana inefficaci, nam Agato confert voluntatem humanam cum diuina, quæ collatio, ſeu comparatio vana, & inutilis eſſet, ſi ſermo eſſet de voluntate humana inefficaci, cum etiã voluntas diuina inefficax non adimpleatur. Ergo volũtas abſoluta Chriſti non ſemper impleta fuit.

Reſpondeo, Agatonem intelligendum eſſe de voluntate aliquo modo efficaci, ſpectata tamen ſecundum ſe, & iuxta vires naturales præcisè, nam voluntas humana Chriſti poterat aliquid velle, & adhibere omnia media naturalia exiſtentia in ſua poteſtate, vt aliquid efficeret, etiãſi id non efficeretur: quo forſitan pacto voluit latere, & potuit, quia quicquid voluntate humana facere poterat ad latendum, effecit, tamen id conſequi non potuit.

Obijcies ſecundo, ſi voluntas humana Chriſti abſoluta, & efficax ſemper impleta fuit, ſequitur voluntatem humanam Chriſti eſſe omnipotentem; ſed hoc eſt falſum. Ergo etiam falſum eſt abſolutam voluntatem Chriſti humanã ſemper impletam fuiſſe.

Reſpondeo, negando ſequelam; nam voluntas diuina per ſe eſt omnipotens, conſequenter facere poteſt quicquid vult; voluntas verò Chriſti non eſt omnipotens; ſemper autẽ impletur. Tum quia ſemper eſt conformis diuinæ voluntati. Tum quia eſt inſtrumentum, & organum diuinitatis, conſequenter aliquo modo eſt particeps diuinæ omnipotentiæ. Ex quo patet differentia inter abſolutam voluntatem Chriſti, & aliorum Beatorum, quod voluntas abſoluta Chriſti plura facere poteſt, quã voluntas aliorum Beatorũ, quia alij Beati non ſunt organum diuinitatis ad mirabilia præſtanda, ſicut eſt voluntas Chriſti, licet Deus de potentia abſoluta aſſumere poſſit quamlibet creaturam ad præſtandũ quicquid non implicat contradictionem. Vide Suarez ſect. 5. citata.

QVÆ-

QVÆSTIO DVODECIMA.

De Merito Chriſti.

IN hac quæſtione explicabo primo, An Chriſtus verè meruerit. Secundò, An actiones Chriſti fuerint infiniti valoris, & meriti. Tertiò, quibus actibus Chriſtus meruerit. Quartò, quo tempore meruerit, & mereri deſierit. Quintò, an aliquid ſibi meruerit, & quid meruerit. Sextò, quid meruerit hominibus, quando, & quomodo merita Chriſti nobis applicētur. Septimo, quid meruerit Angelis.

Punctum Primum.

Vtrum in Chriſto verè fuerit meritum, ſeu an Chriſtus propriè loquendo meritus fuerit.

1 *Chriſtus verè meritum habuit.*
2 *Meriti conditiones quænam ſint.*
3 *Chriſtus non potuit non mereri.*

VNICA PROPOSITIO.

1 CHriſtus, propriè loquendo, meritum habuit. Probatur primo ex ſcriptura, Iſaiæ 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum*, & infra, *Pro eo, quod laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur*. Et ad Philip. 2. *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen ſuper omne nomen.*

Secundò, quia in Concilio Tridētino ſeſſ. 6. cap. 7. habetur, *Chriſtum eſſe cauſam meritoriam noſtræ iuſtificationis.*

Tertiò, quia omnis viator gratus Deo, ipſique obediens, & ritè operans propter Deum, & ex ipſius gratia, meretur coram Deo; ſed Chriſtus erat viator, erat Deo gratiſſimus, & optimè operabatur propter Deum, & ex gratia Dei. Ergo meritus eſt coram Deo, alioquin fruſtra conſtitutus fuiſſet in ſtatu viatoris.

Quartò, quia in Chriſto aderant omnes cōditiones neceſſariæ ad meritum, vt patet inductione.

2 Prima conditio eſt, vt actio ſit libera; actiones autem Chriſti fuerunt liberæ, vt probatum eſt quæſt.

ante-

antecedenti, & benè contra Nominales probat Suarez diſp. 39. ſect. 1. in ſecunda conditione.

Secunda eſt, vt actio ſit moraliter bona; actiones autē Chriſti fuerunt valdè bonæ, Ioann. 8. *Ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper.*

Tertia, vt actio ſit hominis iuſti, & Deo grati; Chriſtus autem erat iuſtus, & Deo gratus per gratiam vnionis, & per gratiam habitualem, vt in præcedentibus probaui.

An autem in Chriſto neceſſaria fuerit gratia habitualis ad merendum, diſſenſio eſt inter Doctores.

Ego ſentio gratiam habitualem in Chriſto fuiſſe quidem ſufficientē ad merendum, quia non erat inferioris conditionis in ipſo, quam in nobis; Non tamen fuit neceſſaria, quia Chriſtus erat Deo gratiſſimus, tum ratione perſonæ, tum ratione humanitatis, quæ per vnionem cum perſona verbi ſanctificata fuit, & quodāmodo deificata; vt benè Sotus in 4. diſp. 19. quæſt. 1. art. 2. Vega in Tridentinum lib. 7. cap. 9. Suarez diſp. 39. ſect. 1. col. 3. Puteanus quæſt. 19. art. 4. dub. 1. ſub finem, Vaſquez & alij contra S. Bonauenturam in 3. diſt. 13. art. 1. q. 1. Durandum ibidem quæſt. 1. Paludanum, & alios apud Suarez loc. cit.

Quarta conditio eſt, vt actio ſit viatoris; Chriſtus autem viator erat, quia exiſtebat in hac mortali vita, & cum haberet corpus paſſibile, tendebat ad ipſius beatitudinem aſſequendam, vt benè Suarez loc. citato in quinta conditione.

Obijcies, is dicitur viator, qui eſt in via ad terminum, ideſt ad beatitudinem, ſeu ad vltimum finem; ſed Chriſtus non erat in via ad terminū, ſeu vltimum finem, cum ipſe viſionem Dei beatificam haberet, illamque amittere non poſſet.

Reſpondeo, Chriſtum fuiſſe quidem comprehenſorem, ſed ſimul etiā fuiſſe viatorem, tum ratione corporis, quod adhuc paſſibile erat, & mortale. Tum ratione animæ, non quatenus videbat Deum, & illum amabat, ſed quatenus obnoxia erat doloribus, triſtitiæ, & his ſimilibus.

Alij aliter reſpondent; exiſtimant enim Chriſtum fuiſſe comprehenſorem, quatenus videbat Deum, & illum amabat, viatorem verò non ſolum ratione carnis, & animæ paſſibilis, vt iam ſupradictum eſt, verum etiam ratione animæ, quatenus amabat proximos. Quo etiam pacto putant Angelos, & Beatos in Cælis exiſtentes dici poſſe viatores, quatenus amant proximos; comprehenſores, quatenus vident, & amant Deū; conſequenter poſſe bona mereri ſibi, & alijs, quatenus amant proximos; nō autem poſſe mereri gloriam, cum illa iam fruātur. Sed de hac re agam in tract. de gratia.

Quinta conditio eſt, vt intercedat pactum, ſeu promiſſio præmij; Chriſto autem promiſſum fuit præmium, vt patet ex prima ratione propoſitionis. Ita Suarez diſp. 39. ſect. 1. Aluarez de Incarnat. diſp. 42. & alij communiter.

Dices, actio videtur digna præmio, etiam præciſo pacto, & promiſſione. Ergo ad meritum non videtur neceſſarium pactum, ſeu promiſſio præmij.

Reſpondeo, actiones Chriſti, & aliorum iuſtorum eſſe quidē dignas præ-

præmio, etiam præciſa promiſſione, illis tamen non deberi ex obligatione certum præmium, niſi accedente promiſſione talis præmij.

3 Rogabis, Verum Chriſtus potuerit non mereri.

Reſpondeo Chriſtum non ſolum meruiſſe, ſed etiam non potuiſſe non mereri, loquendo de potentia ordinaria, & ſuppoſito ſtatu & modo operandi, quem Chriſtus habuit. Ratio eſt, quia Chriſtus habebat liberum arbitrium, quod non potuit, nec debuit ſemper abſtinere ab omni actione, præſertim cum haberet præceptum aliquando operādi. Deinde ipſius actio non poterat non eſſe honeſta, vt patet ex ſupra dictis de impeccabilitate Chriſti. Rurſus ipſius actio non poterat nō eſſe proportionata ad merendum ob dignitatem perſonæ. Denique non potuit non habere vim ad obtinēdum præmium, cum præceſſerit promiſſio Dei. Vide Suarez diſp. 39. ſect. 1. ad finem.

Obijcies contra propoſitionem primo, homo meretur mediāte charitate; gratia enim eſt principium merendi principalius per charitatē; ſed anima Chriſti non potuit mereri per actum charitatis, nam actus charitatis poſita viſione Dei eſt neceſſarius, & non liber. Ergo Chriſtus non potuit mereri.

Reſpondetur negando minorem propoſitionem; quomodo autem Chriſtus mereri potuerit per aliquē actum Charitatis, conſtabit ex infra dicendis.

Obijcies ſecundo, gratia, & charitas augentur per meritum, vt oſtendam in tractatu de gratia; ſed gratia Chriſti non potuit augeri. Ergo in Chriſto non potuit eſſe meritum.

Reſpondeo gratiam, & charitatē augeri per meritum, quando gratia non eſt in ſummo, aut in termino; gratia autem Chriſti erat in ſummo. Tū quia erat quodammodo infinita, vt patet ex ſupradictis. Tum quia erat gratia comprehenſoris; comprehēſor autem, vt ſic, non eſt in via, ſed in termino.

Obijcies tertiò, ad rationem meriti requiritur, vt ſit actus viatoris; actus autem Chriſti non erant actus viatoris, nam Chriſtus ab initio conceptionis fuit beatus.

Si dicas fuiſſe comprehenſorem quoad animam; viatorem verò quoad corpus, & ſic potuiſſe mereri.

Contra ſic inſto, meritum principaliter pertinet ad animam; nā opera præſtita per corpus non ſunt meritoria, niſi quatenus imperantur à voluntate; ſed anima Chriſti ab initio cōceptionis fuit beata, ſeu in termino, & non in via. Ergo non potuit mereri.

Reſpondeo Chriſtum fuiſſe viatorem, etiam ſecundum animam, quatenus anima informabat corpus paſſibile, & adhuc obnoxia erat doloribus.

Punctum Secundum.

An Actiones Chriſti fuerint infiniti valoris, & meriti.

1 ***Actiones Chriſti fuerunt infiniti valoris.***

2 ***Actiones Chriſti cur fuerint infiniti valoris.***

3 *Va-*

Digitized by Google

3 *Valor infinitus deſumitur ab infinita dignitate perſonæ, ſeu ab infinita dignitate naturæ humanæ, vt ſanctificata, & quaſi Deificata.*

4 *Actiones Christi fuerunt infiniti meriti.*

5 *Actiones Christi non fuerunt ſingulæ ſeorſim infiniti meriti, ſed quatenus per voluntariam paſſionem, & mortem conſumatæ fuerunt.*

IN prima propoſitione loquar de valore. In ſecunda de merito.

PRIMA PROPOSITIO.

1 ACtiones Christi fuerunt infiniti valoris. Ratio eſt, quia valor actionis maximè oritur ex dignitate operantis. Ob id Dioniſius Epiſt. 4. ad Caium, & alij Sancti Patres aſſerunt, actiones Chriſti ob dignitatem perſonæ operantis fuiſſe deificatas, & deiuiriles; ſed Chriſtus, qui operabatur, fuit infinitæ dignitatis. Ergo ipſius opera fuerunt infiniti valoris. Ita S. Thomas, S. Bonauentura, Sotus, Vega, & alij communiter, quos citat, & ſequitur Suarez diſp. 4. ſect. 4. Vaſquez d. 5. cap. 5. Aluarez diſp. 43. q. 1. art 2. dub. 6. Puteanus quæſt. 19. art. 4. dub. 1. ad finem, Tannerus diſp. 1. quæſt. 2. dub. 2. num. 64. & ſeqq. Valentia diſp. 1. q. 1. pun. 5. contra Scotum in 3. diſt. 19. q. 1. Gabrielem, & alios.

Obijcies primo, valor cuiuſq; actionis fundatur in entitate ipſius actionis; ſed actiones Chriſti fuerunt finitæ entitatis. Ergo fuerunt finiti valoris.

Reſpondeo valorem actionis deſumi non ſolū ex entitate actus, ſed etiam ex dignitate, & ſanctitate perſonæ operantis.

Obijcies ſecundo, ſi actiones Chriſti habuerunt infinitum valorem ex infinita dignitate operantis. Ergo infinitè placuerunt Deo. Ergo tantum placuerunt, quantum ſua ipſius eſſentia, & bonitas, ſeu quantum ipſimet actus increati ſuæ diuinitatis; hoc autem abſurdum eſt.

Reſpondeo negando vltimā conſequentiam; nam actus increati, ſeu bonitas, & eſſentia diuina infinitè placent Deo, nō ratione alterius, ſed ratione ſui, quia ſunt infinitè bonæ per eſſentiam; actus verò humanitatis Chriſti placuerunt Deo infinitè, non ratione ſui præciſè, cum in genere entis non ſint infiniti; ſed ratione operantis, vt benè Suarez d. 4. ſect. 4. verſ. nec propterea, Becanus c. 14. quæſt. 1. num. 6.

2 Obijcies tertiò, ſi actiones Chriſti fuerunt infiniti valoris, maximè quia actio proueniens à perſona digniori, ſeu magis grata Deo, eſt maioris valoris; ſed hæc ratio videtur falſa, tum quia ſi duo habentes inæqualem gratiæ gradum, præſtent actus in omnibus alijs conditionibus æquales, non magis merebitur, uel ſatisfaciet per vllum actum is, qui maiorem gratiam habet, quam qui minorem. Tum quia ſi quis ita argumentetur, actio facta à digniori perſona eſt maioris ualoris. Ergo facta à perſona infinita eſt infiniti ualoris; non ritè infert infinitatem ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid, ut patet in ſimili argumento; Viſio perfectioris obiecti eſt maioris perfectionis. Ergo uiſio infiniti obiecti eſt infinitè

finitè perfecta; hæc enim conſequentia falſa eſt, quia viſio beatifica reſpicit Deum infinitum, & tamen non eſt infiniti valoris, & dignitatis; conſequenter etiam operationes Chriſti licet ſint actiones perſonæ infinitæ, non tamen habent infinitum valorem.

Reſpondeo cum Suarez diſp. 4. ſect. 4. Tannero q. 2. dub. 3. nu. 115. & alijs proximè citandis, argumentum noſtrũ ritè procedere, & arguere à dignitate perſonæ, valorem, & præſtantiam actionis; nam dignitas actionis deſumitur ex dignitate perſonæ operãtis magis, quam ex obiecto, vel ex alijs circumſtantijs extrinſecis; alio enim modo perſona operans afficit ſuam operationem, quã obiectum, aut aliæ circumſtantiæ; nam obiectum infinitum, & alię ſimiles circũſtantiæ non terminant actionem creatam infinitè, ſed ſolum finitè; operans verò, ſi ſit infinitæ dignitatis, infinitè afficit, & dignificat ſuam operationem, quam efficit; illã enim quodãmodo per ſe ipſam moraliter informat; ob id operationes factæ à perſona diuina vocantur Theandricæ, ſeu diuinæ; operationes verò factæ circa Deum non vocantur hoc nomine, & operatio facta ab Angelo vocatur Angelica, non autem ita vocatur actio, quæ fit circa Angelum, vt benè Suarez diſput. 4. ſectione 2. verſ. ad ſecundum, Vaſq. loco citato, Tannerus quæſt. 2. num. 104. & ſequentibus, Becanus loco citato num. 8. & 9.

Ad argumentum in forma reſpondeo negando minorem propoſitionem; ad primam probationem dico gratiã habitualem per ſe cõferre ad dignitatem operis ſatisfactorij, & meritorij; conſequenter opus factũ à ſanctiori perſona cæteris paribus eſſe maioris valoris moralis coram Deo.

Ad ſecundam probationem dico ex forma illa argumentandi rectè colligi dignitatem, & valorem operis iuxta dignitatem operantis, quia perfectio, & dignitas perſonæ per ſe confert ad dignitatem, & valorem operis, illudq; afficit, & dignificat iuxta ſuam qualitatẽ, vt benè Suarez in reſponſione ad 1. colum. 4. Ad ſimilitudinem iam patet reſponſio ex dictis.

3 Obijcies quartò, intelligi non poteſt, quomodo actiones Chriſti fuerint infiniti valoris ob infinitam dignitatem operantis. Ergo non fuerunt infiniti valoris. Antecedẽs probatur, quia iſta dignitas humanarũ Chriſti operationum, vel adſcribenda eſt perſonæ Verbi terminantis naturam humanam, vel ipſi naturæ humanæ; ſed non videtur adſcribi poſſe perſonæ Verbi, quia licet actiones dicantur eſſe ſuppoſitorum; ſuppoſitum tamen, ſeu perſona non eſt ratio agendi, ſeu formale principium operationum; ſed terminat, & ſuſtentat ipſam naturam. Neque adſcribi poteſt naturæ humanæ, quia natura humana non eſt facta infinita ob vnionem cum verbo.

Reſpondeo, valorem infinitum adſcribi poſſe primò infinitæ dignitati perſonę Verbi, quatenus perſona Verbi terminabat naturam humanam; ſicut enim actiones dicuntur eſſe ſuppoſitorum, & perſonarum, ita vt ſuppoſitum dicatur principium, quod, humanitas verò prin-

pium, quo, iuxta ſententiam Aluarez q. 1. d. 5. & aliorum, à quibus tamen valdè probabiliter diſſentit Vaſq. d. 8. cap. 2. num. 13. ita etiam actiones naturę humanæ Christi dicuntur eſſe perſonæ Verbi terminantis naturam humanam. Ita Suarez diſput. 4. ſect. 4. Tannerus diſp. 1. q. 2. dub. 4. n. 155. Vaſq. d. 6. c. 2. nu. 17.

Secundò, adſcribi poſſunt infinitę dignitati naturæ humanæ, non præcisè ſumptæ, ſed quatenus ſanctificata, & quaſi deificata erat per diuinitatem, cui natura humana vnita erat per vnionem cum perſona Verbi; nā humanitati Christi per vnionem hypoſtaticam immediatè communicata fuit ſubſiſtentia diuina, & mediatè ipſa diuinitas, quæ identificatur cum ſubſiſtentia; conſequenter ipſa humanitas, per coniunctionem cum perſona Verbi, fuit ſanctificata, & quaſi deificata; cōſequenter effecta infinitæ dignitatis; non quia in ſe receperit formaliter diuinitatem, aut attributum aliquod diuinum, ſed quia immediatè vnita eſt perſonæ Verbi, quæ non habet entitatem diſtinctam à diuinitate. Vide Vaſq. & Becanum locis cit. quos tamē in hac ſecunda parte reprobat Tannerus numero 154.

Obijcies quintò, ſi actiones Christi fuerunt infiniti valoris, ſequitur omnia opera Christi fuiſſe æqualia, ſeu vnum opus Christi non eſſe maioris valoris, quam aliud. Nam contra rationem infiniti eſt, vt vnum infinitum ſit maius alio in eo genere, in quo infinitum eſt; ſed falſum eſt vnum opus Christi non eſſe maioris valoris, quam aliud, aut duo opera, quam vnum; conſtat enim totum eſſe maius ſua parte, & vnum opus Christi fuiſſe melius alio, & vnum dolorem maiorem fuiſſe alio. Ergo opera omnia Christi non fuerunt infiniti valoris.

Reſpondeo, omnia opera Christi fuiſſe æqualia quoad valorem, & dignitatem perſonę, & pluara opera non fuiſſe pluris valoris intenſiuè, ſed ſolum extenſiuè. Si verò opera Christi ſpectentur, non quoad valorem prouenientem ex dignitate perſonæ, ſed quoad propriam bonitatē intrinſecam, & eſſentialem, opera Christi non fuerunt æqualia. Nam bonitas intrinſeca, & eſſentialis operationum Christi erat finita, conſequenter in vno actu poterat eſſe maior, & in alio minor, & vnum opus erat melioris obiecti, quam aliud, & vnum intenſius alio. Vide Suarez d. 4. ſect. 4. & Tannerum quæſt. 2. dub. 3. num. 122.

Obijcies ſextò, ſi valor operum Christi fuit ſimpliciter infinitus, ſequitur potentiam Dei eſſe exhauſtam per ordinem ad hunc valorem; ſed falſum eſt potentiam Dei eſſe exhauſtam. Ergo etiam falſum videtur actiones Christi fuiſſe infiniti valoris.

Reſpondeo negando ſequelam; ſicut non ſequitur, Deus intelligit omne intelligibile. Ergo ſciētia Dei eſt exhauſta; defectus enim non prouenit à Deo, ſed ab obiectis, quę non ſunt plura.

SE-

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Actiones Chriſti fuerunt infiniti meriti. Ratio eſt, primo quia Clemẽs VI. in extrauag. Vnigenitus de pœnit. & remiſſ. definiuit *Acquiſitum fuiſſe per Chriſti merita talem theſaurum, qui nunquam cõſumendus, aut diminuendus eſt, cum ſit infinitus.*

Secundò, quia actiones Chriſti fuerunt infiniti valoris, illiſque promiſſum fuit præmium illimitatum. Ergo actiones Chriſti fuerunt infiniti meriti; nam ad meritum infinitum requiritur infinitus valor actionis, & promiſſio præmij illimitati. Ita Sanctus Thomas quæſtione 48. art. 2. ad 3. Capreolus in 3. diſtinct. 10. quæſt. vnicâ artic. 1. col. 2. Aluarez de Incarnatione diſput. 43. Vaſquez de Incarnatione diſput. 6. cap. 2. nu. 4. Suarez diſp. 4. ſect. 4. Tannerus diſp. 1. quæſt. 2. dubio 2. & 3. Valentia diſ. 1. q. 1. pun. 5. Becanus cap. 14. quæſt. 2. & Thomiſtæ communiter contra Scotum, & alios negantes valorem infinitum in Chriſto, & contra plures alios, qui licet admittant valorem infinitum, negant tamen meritum infinitum.

Obijcies primò, inter meritum, & præmium debet eſſe æqualitas, alioquin fieret iniuria merenti, ſi nõ daretur ei totum præmium, quod meritus eſt; ſed præmium datum Chriſto non fuit infinitũ; non .n. fuit infinitũ extenſiuè, cum oĩa præmia Chriſto collata referantur ad finitos homines; neque fuit infinitum intenſiuè, cum nullum aſſignari poſſit præmium infinitum collatum Chriſto, aut ipſius Eccleſiæ, & quodcunque aſſignetur, continetur ſub genere entis creati. Ergo meritum Chriſti non fuit infinitum.

Reſpondent Aluarez loco citato, & alij, Chriſto collatum fuiſſe præmium infinitum. Tum quia Chriſtus meruit, vt ſubſtantia panis, & vini conuerteretur in corpus, & ſanguinem Chriſti, & conſequenter vt ibi adeſſet diuinitas; hoc autem eſt præmium infinitum. Tum quia Chriſtus promeruit, vt diuinitas in reſurrectione reunita ſit humanitati; nã per paſſionem deſierat humanitas, & licet Verbum diuinum in triduo manſerit vnitum animæ, & corpori, non tamen dicitur manſiſſe vnitum toti humanitati, quia in triduo non erat humanitas. Sed omiſſa non ſolum hac reſponſione, verum etiam alijs, quas afferunt Suarez diſputatione 4. ſectione 4. Tannerus diſp. 1. quæſt. 2. dub. 3. num. 139. & alij.

Reſpondeo Ego ſecundò, ad meritum Chriſti infinitum non opus eſſe, vt conferatur præmium actu infinitum, ſed ſatis eſſe, vt illi reſpondeat præmium infinitum in potẽtia, ſeu finitum in infinitum; ſicut enim illa potẽtia dicitur actu infinita, quæ non tot producit, quin poſſit plura in infinitum producere, ſeu quæ refertur ad effectum finitum in infinitum, ſeu quæ nullo effectu finito exhauritur; ita illud meritum dicitur infinitum, quod nullo præmio finito exhauritur, ſeu cui reſpondet præmium finitum in infinitum, ſeu quod ex ſe ſufficiẽs eſt ad præmium

Digitized by Google

infinitum; meritum autem Chriſti non exhauritur vllo præmio, nec tot homines per ipſum ſaluantur, quin poſſint plures ſaluari. Imò ſufficiens eſſet ad ſaluandos infinitos homines, ſi infiniti homines extarent; ſicut etiam ſufficiens fuiſſet, vt humanitas Chriſti mereretur Incarnationem cum perſona Patris, & Spiritus Sãcti, ſi Chriſtus voluiſſet ad hoc ſua merita applicare. Vt benè Aluarez diſp. 53. ſub finem, Becanus cap. 14. q. 2. n. 6. & alij.

Obijcies ſecundò, ſicut ad rationem meriti in genere requiritur promiſſio præmij, ita ad meritum infinitum requiritur promiſſio præmij infiniti; ſed Chriſto promiſſum non fuit præmium infinitum. Ergo Chriſtus non habuit meritum infinitum.

Reſpondeo, ad meritum infinitũ ſufficere promiſſionem præmij illimitatam, ſeu promiſſionem præmij finiti in infinitum; promiſſio autem facta Chriſto fuit illimitata, Iſaiæ 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuã, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur*, idest, ſi mortuus fuerit ad redimenda peccata, obtinebit à Deo quicquid voluerit, & Pſal. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*.

Obijcies tertiò, ſi meritum Chriſti fuiſſet infinitum, non opus eſſet noſtro merito; cum autem opus ſit noſtro merito, ſequitur meritum Chriſti non videri infinitum.

Reſpondeo, opus eſſe noſtro merito, quia ita Deus diſpoſuit, ſicque natura rei poſtulat, cum enim homo ſaluari non poſſit, niſi in gratia exiſtat, & mandata obſeruet; cum autẽ obſeruatio mandatorum in homine iuſto ſit meritoria vitæ æternę, ſequitur hominem non ſaluari ſine merito. Quamquam meritum hominis fundatur in merito Chriſti, & fieri poteſt, vt homo, ſimpliciter loquendo, ſaluetur abſque ſuo merito propriè accepto, vt patet in infantibus, qui baptizantur abſque propria diſpoſitione. Vide Vaſquez diſp. 6. ca. 4. n. 33. Suarez diſp. 41. ſect. 3. col. 5. & 6. Tannerum diſp. 1. quæſt. 2. dub. 2. aſſertione 2. num. 50. & ſequentibus.

Ex dictis ſequitur, actiones Chriſti habuiſſe virtutem infinitam ad ſatisfaciendum, nam actio, quæ valorem habet infinitum, habet etiam infinitam efficaciã ad ſatisfaciendũ.

5 Sed modo dubium eſt, vtrum ſingulæ actiones Chriſti fuerint infiniti meriti, ſicut fuerunt infiniti valoris, & dignitatis.

Reſpondeo, ſingulas ſeorſim non fuiſſe infiniti meriti, ſed omnes ſimul, quatenus per voluntariam paſſionem, ac mortem conſumatæ fuerunt. Ratio eſt, primo quia præmium infinitum, ſeu redemptio humani generis non fuit promiſſa Chriſto pro qualibet actione; ſed pro omnibus ſimul, & maximè pro oblatione ſui, ac morte, Iſaiæ 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum*, Ioannis 12. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert*, ad Epheſ. 1. *In quo habemus redemptionẽ per ſanguinem eius*, ad Hebræos 9. *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio*, (& infra) *Sic etiam*

Chri-

Digitized by Google

Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. Secundò, quia ita ordinatum fuit à Deo, vt patet ex allatis ſcripturæ locis, tum ad oſtendendam ſuam charitatem, tum ad cognoſcendam peccati grauitatem, tum ad magis æſtimādam gratiam, & remiſſionem peccatorū, pro quibus Chriſtus Dominus tot dolores, & cruciatus pertulit, vt benè Anſelmus lib. 1. cur Deus homo cap. 6. Suarez d. 4. ſect. 4. col. 10. verſ. ex hoc, & diſp. 39. ſect. 3. col. 4. verſ. ſecundo. Valentia q. 22. puncto 1. col. 9. verſ. ita tamen. Vaſquez diſp. 12. cap. 2. num. 14.

Punctum Tertium.

Quibus actibus Chriſtus promeruerit.

1 *Singulæ actiones humanitatis Chriſti liberè factæ ante mortem meritoriæ fuerunt.*

2 *Chriſtus nihil meruit per actiones à natura diuina factas.*

3 *Actus viſionis beatificæ in Chriſto non fuit meritorius.*

4 *Chriſtus non meruit per actum charitatis, & amoris erga Deum, ſaltem per actum prouenientem à viſione beatifica.*

5 *Actus amoris Dei in Chriſto prouenientis à ſcientia infuſa meritorius fuit, iuxta probabilem ſententiam.*

6 *Actus virtutum moralium acquiſitarum in Chriſto meritorij fuerunt, et ſi amſi eſſent ordinis naturalis.*

7 *Actus naturales in Chriſto meritorij fuerunt, iuxta probabilem ſententiam.*

VNICA PROPOSITIO.

1 Chriſtus promeruit ſingulis humanitatis ſuæ actionibus, quas liberè ante mortem exercuit. Ita communiter Doctores cū S. Thoma quæſt. 19. art. 3. & 4. Ratio eſt, quia omnes, & ſingulæ actiones, à Chriſto liberè factæ habuerūt omnes conditiones ad meritum requiſitas, vt patet illas ſingillatim perpēdenti; primo enim actiones Chriſti fuerunt liberæ, vt ſuppono; de his .n. tantummodò loquor; non verò de actionibus Chriſti neceſſarijs. Secundò, fuerunt moraliter bonæ. Tertiò, fuerunt hominis iuſti, & Deo grati. Quartò, fuerunt hominis viatoris. Quintò, habuerunt promiſſionem præmij. Ergo ſingulæ actiones, quas Chriſtus liberè exercuit, fuerunt meritoriæ.

2 Dixi in propoſitione, ſingulis humanitatis ſuæ actionibus, vt indicarem, Chriſtum nihil promeruiſſe per actiones ab ipſius natura diuina factas. Tum quia natura diuina non eſt, nec eſſe poteſt viatrix. Tum quia natura diuina non habet ſuperiorē, apud quē aliquid promereatur; ſed ipſa eſt ſuprema rerum omnium domina. Ergo nec meritum acquiſiuit, nec acquirere potuit, etiam per potentiam Dei abſolutam. Ita Adamus Tannerus diſp. 1. quæſtio. 6. dub. 4. num. 125. Suarez diſp. 39. ſect. 2. initio, Vaſquez diſput. 74. cap. 3. & 4. & alij.

Dixi, quas liberè ante mortē exercuit, vt innuerem, Chriſtum non meruiſſe per operationes neceſſarias; nā

ad meritum requiritur libertas.

3 Ex dictis colligi poteſt primò, Chriſtum per actum viſionis beatificæ nihil promeruiſſe. Ratio eſt, quia deſideratur prima, & quarta conditio ad meritum requiſita; viſio enim beatifica non eſt actus liber, ſed neceſſarius, & præterea non eſt actus viatoris, ſed comprehenſoris, vt comprehenſor eſt; comprehẽſor autem, vt comprehenſor, nihil mereri poteſt, cum iam ſit in termino, & non in via, vt benè Aluarez d. 45. ad quartum argumentum, Vaſq. cap. 3. & alij.

4 Secundò, Chriſtum non meruiſſe per actum charitatis, & amoris erga Deum, ſaltem ſi loquamur de actu amoris Dei profecto à viſione beatifica. Ratio eſt, tum quia huiuſmodi actus non eſt liber; Beatus enim poſita clara viſione diuinæ eſſentiæ, neceſſariò, & non liberè illam diligit. Tum quia actus amoris Dei conſequens viſionem beatificam, nõ eſt actus viſionis, ſed comprehenſoris, vt comprehenſor eſt. Ita S. Tho. q. 19. art. 3. ad 1. Vaſquez diſp. 74. cap. 2. & 3. n. 11. Suarez diſp. 38. ſec. 2. Becanus cap. 14. q. 3. Peſantius q. 19. ar. 3. d. 1. Tannerus q. 6. dub. 4. n. 135. contra Cabreram q. 19. art. 3. d. 4. §. 4. Aluarez diſp. 45. n. 11. Capreolum, & alios apud Suarez, & apud Vaſquez locis cit. aſſerentes Chriſtũ meruiſſe per actum dilectionis beatificæ, non quatenus ferebatur in Deũ ſecundum ſe, ſed quatenus bonitas diuina eſt ratio formalis diligendi creaturas; non enim implicat vnum, & eundem actum indiuiſibilem eſſe ſimul neceſſarium, & liberum reſpectu eiuſdem obiecti ſub diuerſa ratione conſiderati; hæc tamen ratio reijcitur à Suarez, Vaſquez, Tannero, & alijs.

5 Dixi in ſecunda illatione, ſaltẽ ſi loquamur de actu amoris Dei profecto à viſione beatifica, quia ſi loquamur de actu amoris Dei profecto à ſcientia infuſa, probabiliter ſuſtineri poteſt Chriſtũ per huiuſmodi actum amoris meruiſſe. Ratio eſt primò, quia perſpicuum eſt, Chriſtũ meruiſſe per actum amoris, ſeu affectum charitatis erga Deum; ſed nõ poteſt aſſignari alius actus amoris erga Deum meritorius in Chriſto, præter actum amoris profectum à ſcientia infuſa. Ergo actus amoris Dei profectus à ſcientia Chriſto infuſa meritorius fuit. Maior probatur. Tum quia propter actum charitatis erga Deum reliqui virtutum actus ſunt meritorij. Ergo multò magis eſt meritorius ipſe actus charitatis, iuxta vulgatam Philoſophorũ regulã, *propter quod vnumquodq; tale, & illud magis*. Tum quia ſalus, & redemptio in ſcriptura tribuitur charitati, Ioannis 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Secundò, quia actus amoris Dei conſequens ſcientiam infuſam, erat actus viatoris, vt viator eſt, & erat actus liber quoad exercitium, quia Chriſtus vti poterat ſcientia infuſa, & non vti, & conſequẽter ceſſare poterat ab actu amoris Dei, vt cogniti per ſcientiã infuſam. Ergo talis actus fuit meritorius. Tertiò, quia Chriſtus per ſcientiam infuſam abſtractiuè cognoſcebat Deum. Ergo poterat etiam illum diligere, & amare ob ſcientiam infuſam. Ergo poterat etiam mere-

Digitized by Google

ti per illum actum, nam ille actus erat liber; ſicut enim cæteri viatores liberè vtuntur qualibet ſcientia ſupernaturali, ita etiam Chriſtus vtebatur ſcientia ſupernaturaliter infuſa; præterea ille actus habebat cęteras conditiones requiſitas ad meritum. Ergo erat meritorius. Ita Caietanus q. 19. art. 3. Medina ibid. Suarez d. 39. ſect. 2. Tannerus q. 6. dub. 4. n. 136. Peſantius loco citato concluſ. 2. contra Vaſquez diſp. 74. cap. 3. num. 13.

Tertiò, colligitur Chriſtum meruiſſe per actum dilectionis proximi. Ratio eſt, quia in huiuſmodi actu concurrunt omnes conditiones neceſſariæ ad meritum, ſiue loquamur de actu amoris proximi prouenientè à viſione beatifica, ſiue de profectò à ſcientia infuſa. Ita communiter Doctores, teſte Suarez diſp. 39. ſect. 2.

Quartò, Chriſtum meruiſſe per omnes, & ſingulos actus obedientię, præſertim per illum, quo mortem acceptauit. Ratio eſt. Tum quia hic actus habuit omnes conditiones requiſitas ad meritum. Tum quia ſic apertè conſtat ex ſcriptura, ad Phil. 2. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod, & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen*, & Lucæ 24. *Nonne hęc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Ita Vaſquez loco citato num. 13. & 14. & alij communiter.

Quintò, Chriſtum meruiſſe per alios actus virtutum infuſarũ, quos liberè præſtitit, vt per actum orationis, miſericordiæ, iuſtitiæ, & aliarũ. Ita communiter Doctores.

Sextò, Chriſtum in ſententia multorum Doctorũ meruiſſe per actus virtutum moralium acquiſitarum, etiãſi eſſent ordinis naturalis. Ratio eſt, quia huiuſmodi actus erant act⁹ ſiberi, & ratione perſonę diuinę ſãctificantis, & quaſi deificantis humanitatem habebant ſufficientem dignitatem ad quodcunque pręmium ſupernaturale. Ita Suarez d. 39. ſec. 2. ad finem, Peſantius loco cit. concl. 4. & alij. Sed de hac re alibi.

Septimò, Chriſtum meruiſſe per illas actiones, quibus miracula efficiebat. Ratio eſt, quia huiuſmodi actiones erant honeſtæ, & Chriſtus ad huiuſmodi miracula liberè concurrebat, vt patet Matthęi 8. vbi Chriſtus leproſo dicenti, *Dñe ſi vis, potes me mundare*, reſpondit, *volo mundare*. Ita Suarez diſp. 47. concluſ. 2. & alij.

Obijcies, Chriſtus non potuit mereri per actionem diuinam, ſeu per naturam diuinam; ſed actiones, quibus Chriſtus efficiebat miracula, & producebat gratiam, erant actiones diuinæ; nam humanitas cõcurrebat ſolum, vt inſtrumentum diuinitatis, inſtrumentum autem non operatur, niſi per virtutem principalis agẽtis. Ergo Chriſtus nõ potuit mereri per actiones, quibus efficiebat miracula.

Reſpondeo, Chriſtum nõ potuiſſe mereri per actionem diuinam pręcisè, per actionem verò, ad quam liberè concurrebat, potuiſſe mereri; humanitas enim Chriſti non fuit inſtrumentum mortuum, aut merè naturale, ſed liberum, quod ita agebatur, vt etiam liberè ageret.

7 Octauo, colligitur Chriſtum iuxta probabilem nonnullorum Doctorum ſententiā, meruiſſe per quoſcunque actus naturales. Ratio eſt, quia nullus fuit actus in Chriſto indeliberatus, vel turpis; ſed omnes voluntarij, & honeſti, habenteſque valorem ſufficientem ad quodcunq; præmium ratione dignitatis perſonę. Ita Aluarez loco citato, & alij.

Obijcies, naturalibus neq; meremur, neq; demeremur. Ergo Chriſt⁹ actibus naturalibus nihil promeruit.

Reſpondeo, nos non mereri actibus naturalibus, quia proportionem non habent cum præmio ſupernaturali, vel quia non ſunt in noſtra libera poteſtate; Chriſtus autē illis merebatur, quia liberæ ipſius voluntati ſubdebantur, & ſufficientem valorem, & dignitatem habebant ratione perſonæ Verbi.

Punctum Quartum.

Quo tempore Chriſtus meruit, vel mereri deſijt.

1 *Chriſtus ab inſtanti Conceptionis mereri incępit.*
2 *Chriſtus meruit toto vitæ ſuæ tempore abſque internallo.*
3 *Chriſtus nō meruit in inſtāti mortis.*
4 *Chriſtus nihil meruit poſt inſtans mortis, neque nunc meretur in cęlo.*

PRIMA PROPOSITIO.

Chriſtus ab inſtanti ſuæ Conceptionis mereri incępit, & toto vitæ ſuæ tempore abſque interuallo promeruit. Hæc propoſitio duas habet partes.

2 1 Prima pars eſt, Chriſtum ab inſtanti ſuæ Conceptionis incępiſſe mereri; probatur primo, ex Apoſtolo ad Hebręos 10. vbi aſſerens, Chriſtum in ipſo primo ſui in Mundum ingreſſu actum obedientiæ exercuiſſe, offerendo ſe ipſum in obſequium Dei, in hæc verba loquitur. *Ideo ingrediens mundum dicit, hoſtiam, & oblationem noluiſti. corpus autem aptaſti mihi, holocauſtomata pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi, ecce venio, vt faciam voluntatem tuam,* & infra, *In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Chriſti*; Ingreſſus autem Chriſti in Mundum fuit in inſtanti conceptionis; vt benè cum Anſelmo, & S. Thoma docēt Suarez diſp. 39. ſect. 3. Becanus cap. 14. quæſt. 4. & alij. Secundò, quia in eo inſtanti aderant omnes conditiones requiſitæ ad meritum, nec vllum aderat impedimentum, propter quod mereri non poſſet; nam creatura rationalis, etiam in primo inſtanti ſuę productionis, liberè operari poteſt abſque ſucceſſione temporis, iuxta communiorem Doctorum ſententiam. Ita S. Thomas, Magiſter, S. Bonauent. Scotus, Gabriel, & alij apud Suarez diſp. 39. ſect. 3. Aluarez diſp. 44. Peſantius quæſt. 19. diſp. 1. ſub finem, Puteanus q. 19. dub. 2. Vaſquez diſp. 75. cap. 2. n. 3. contra Alexandrum 3. par. quæſt. 17. memb. 2. art. 1. Albertum in 3. diſp. 18. art. 6. & alios apud Vaſquez d. 75. capit. 1. & apud alios præfatos DD.

Obijcies primò, meritum ſupponit cognitionem hominis viatoris; ſed Chriſtus ab inſtanti Conceptionis non habuit cognitionem hominis

nis viatoris; nam licet Chriſtus ab inſtanti Cōceptionis habuerit viſionem beatificam, non tamen habuit aliam cognitionem, nam in Chriſto præter viſionem beatificam non poteſt aſſignari alia cognitio, niſi cognitio ſcientiæ infuſæ, vel experimētalis; Chriſtus autem in inſtāti Conceptionis non potuit, ob imperfectionem organorum, & virium ſenſitiuarum, habere cognitionem ſcientiæ infuſæ, aut experimentalis. Ergo Chriſtus ab inſtanti Conceptionis non potuit mereri.

Reſpondeo, ad meritum requiri actionem liberam cognitam, ſiue cognita ſit ſcientia viſionis, ſiue diuina reuelatione, ſiue ſcientia infuſa, ſiue alia ratione; poſita autem ſufficienti cognitione, homo liberè operari poteſt abſque ſucceſſione temporis.

Obijcies ſecundò, non poteſt eadem res in eodem inſtanti produci, & operari. Ergo Chriſtus non potuit mereri in eo inſtanti, quo creata fuit ipſius anima, meritum enim non eſt ſine operatione.

Reſpondeo cum S. Thoma q. 116. de veritate art. 8. ad 3. Aluarez loc. citato in reſponſione ad 2. Vaſquez, Becano, & alijs, maiorem veram eſſe in motibus, ſeu actionibus ſucceſſiuis, non autem in actionibus inſtantaneis; creatio autem animæ, & meritum conſiſtens in actu voluntatis, ſunt actiones inſtantaneæ.

Obijcies tertiò, ad meritum requiritur libertas, & deliberatio; ſed voluntas Chriſti non potuit in primo inſtanti liberè operari, cum voluntas non poſſit liberè operari, niſi ſit indifferens ad operandum, & non operandum; nec potuit deliberare, cū deliberatio includat diſcurſum, qui vnico inſtanti fieri non poteſt. Ergo Chriſtus non potuit mereri in primo inſtanti.

Reſpondeo, negando minorem propoſitionem; nam voluntas in eodem inſtanti, quo indifferens eſt, poteſt operari, & deliberare, vbi non eſt dubitatio circa ea, quæ agenda ſunt, vt benè S. Thomas loco citato ad 1. Aluarez loco citato ad 2. Becanus, & alij.

Obijcies tertiò, actio naturalis prior eſt actione libera; ſed Chriſtus in inſtanti cōceptionis habuit actionem naturalem, ſeu neceſſariā, ideſt amorem erga Deum clarè viſum. Ergo Chriſtus in primo inſtanti non elicuit actionē meritoriam, cū actio meritoria ſit actio libera, poſterior actionem naturali.

Reſpondeo, ſatis eſſe, vt actio naturalis ſit prior actione libera prioritate rationis, vel naturæ, non autē opus eſſe, ut ſit prior prioritate temporis.

2 Secunda pars propoſitionis eſt, Chriſtum meruiſſe toto vitæ tempore abſque interuallo vſque ad inſtās mortis. Ratio eſt primo, quia Chriſtus nunquam ceſſauit ab actionibus liberis, & honeſtis, etiam tempore ſomni, cum etiam tunc rationis vſu polleret, & ſcientia infuſa vteretur; hæc enim à phantaſmatibus non dependebat.

Secundò, ſi potuit mereri ab inſtanti conceptionis, potuit etiam mereri tōto reliquo vitæ tempore, cum par ratio videatur.

Ex quo fit, vt etiam meruerit in infantia, vt patet. Tum ex allatis rationi-

tionibus. Tum quia ita aſſerunt Patres, vt S. Ambroſius lib. 1. in Lucã cap. de Natiuitate Saluatoris, ibi, *me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lacrymæ illa delicta*, videlicet dependenter à morte, & paſſione Chriſti, iuxta ſupradicta. Ita S. Bonauentura, Caietanus, & alij, quos citat, & ſequitur Suarez diſp. 39. ſect. 3. col. 2. aſſerens ſe nullum inueniſſe Theologum aliter ſentientem, Cabrera loco citato num. 22. Vaſquez diſp. 75. cap. 2. & Becanus loco cit. Tannerus loco citato num. 128.

3 Sed modo dubium eſt, Vtrum Chriſtus meruerit in ipſo inſtanti mortis, ſeu per ipſam mortem in facto eſſe.

Reſpondeo negatiuè, iuxta probabiliorem ſententiam. Ratio eſt, quia Chriſtus in inſtanti mortis non erat amplius homo; nam homo deſinit per inſtans extrinſecum, in quo verum eſt dicere, nunc non eſt homo, immediatè ante fuit; conſequẽter inſtans mortis eſt primum non eſſe hominis, conſequenter tunc non adeſt ſtatus viæ. Ex quo ſequitur, Patres, dum aſſerunt nos redemptos eſſe morte Chriſti, intelligẽdos eſſe de morte in fieri, non autem in facto eſſe, vt benè Suarez d. 39. ſect. 3. ad finem, Tannerus loco cit. n. 130. & alij contra Caietanum 1. p. q. 63. art. 6. admittentem meritum in inſtanti mortis hominis.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Chriſtus poſt inſtans mortis nihil promeruit, conſequenter etiã nunc in Cęlo nihil meretur. Ratio eſt primò, quia Chriſtus in Cruce dixit, *Conſummatum eſt*. Ergo ſignũ eſt tunc impoſuiſſe finẽ merendi, & S. Paulus ait, Chriſtum ſua oblatione conſumaſſe totum negotium, & meritum ſuum, & modo expectare ſolum veluti poſſeſſionem, & executionem. Hebręor. 10. *Vnam pro peccatis offerens hoſtiam in ſempiternum ſedet in dextera Dei: de cętero expectans donec ponantur inimici ſub pedibus eius.*

Secundò, quia ſtatus merendi eſt ſtatus viæ, & tempus merendi finitur cum ipſa vita, vt apertè colligitur ex multis ſcripturæ locis, 2. ad Corinth. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malũ*, ideſt, vt recipiat prę̃mium, vel pęnã iuxta ea, quæ geſſit, dum in hac mortali vita exiſteret. Eccleſ. 9. *Quodcumque poteſt agere manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia eſt apud Inferos, quo tu properas*, quem locũ S. Hieronymus intelligit de opere meritorio, & de ſcientia, & ſapientia, quatenus conducit ad opus meritorium; cum enim Salomon generaliter loquatur de Inferno, in quo animæ Purgatorij, & tunc temporis animæ Sanctorũ Patrum exiſtebant, affirmare non potuit eo in loco ſimpliciter nõ eſſe charitatem, & opera pia, ſed aſſeruit non eſſe opera pia, ſapientiam, & ſcientiam, quatenus deſeruiunt operi meritorio. Ioannis 9. *Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt. Venit nox, in qua nemo poteſt operari*. Ad Galat. 6. *Dum tempus habemus operemur bonum, nam quæ ſeminauerit homo, & metet.*

Tertiò, quia Chriſtus uſq; ad mortem nos redemit, nunc autem non redimit, ſed applicat redemptionẽ ſuã.

Hac

Hac de cauſa ſcriptura ſemper adhibet uerbum præteriti temporis, ſaluauit nos, redemit nos, quia redemptio iam completa, & cõſumata eſt. Ergo etiam meritum Chriſti iam completum, & conſumatum eſt. Ita S. Thom. q. 19. art. 3. ad 1. Suarez d. 39. ſect. 3. Vaſq. diſp. 76. cap. 1. Aluarez d. 44. Peſant. q. 19. d. 1. ſub fin. Cabrera q. 19. art. 3. num. 25. Tannerus d. 1. q. 6. dub. 4. n. 129. Becanus cap. 14. q. 4. & alij communiter, licet nonnulli oppoſitum ſenſerint.

Obijcies primò, uulnus lanceæ inflictum fuit lateri Chriſti poſt mortem; ſed Chriſtus per huiuſmodi uulnus maximè promeruit; nam uirtus ſacramentorum profluxiſſe dicitur de latere Chriſti. Ob id Auguſtinus tract. 15. & 120. in Ioan. ait, *Quid ſanguine iſto mundius, quid vulnere iſto ſalubrius?* & Leo Papa Epiſt. 4. cap. 6. inquit, *Tunc regenerationis potentiam ſanxit, quando de latere eius profluxerunt ſanguinis redemptio, & aqua baptiſmatis*. Ergo Chriſtus meruit poſt mortem.

Reſpondeo negando Chriſtum meruiſſe poſt mortem; neque Patres aſſerunt Chriſtum tunc tẽporis meruiſſe valorem ſacramentis, ſed tunc ſignificata fuiſſe ſacramenta, maximè Baptiſmum, & Euchariſtiam; aut per aquam ſignificatum fuiſſe baptiſmum aquæ, per ſanguinẽ pretium redemptionis noſtræ. Vel dic Chriſtum meruiſſe nõ per illud vulnus præcisè, ſed per acceptationem illius vulneris præuiſi, dum viueret. Vide Vaſquez diſput. 76. capit. 2. ſub finem num. 75. Suarez ſect. 3. citata ſub finem, Peſantium, Tannerum, Becanũ, & alios locis citatis.

Obijcies ſecundo, Chriſtus nunc in Cælis exiſtens orat pro nobis, & ipſius oratio digniſſima eſt, vt exaudiatur. Ergo per illam meretur.

Reſpondeo negando ipſum nunc mereri; ſed petere ob merita antea parta, vt cõcedatur id, quod petitur.

Punctum Quintum.

An Chriſtus aliquid ſibi meruerit, & quid meruerit.

1 *Chriſtus aliquid ſibi meruit.*
2 *Chriſtus meruit ſibi gloriam corporis, & exaltationem nominis.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 Chriſtus aliqua ſibi promeruit. Ratio eſt primo, quia ipſius actiones habebant omnia requiſita ad ſibi merendum. Secundò, quia ipſe non erat deterioris cõditionis cæteris hominibus, & cæteris paribus perfectius eſt habere aliquid ex merito, quam ſine illo, vt benè S. Thomas quæſt. 19. art. 3. Tertiò, quia meruit ſibi exaltationem nominis, ſeu manifeſtationem excellentiæ, & gloriam corporis, ſub qua comprehenditur impaſſibilitas, & dotes glorioſi corporis, vt patebit ex dicendis in ſecunda propoſitione. Ergo Chriſtus aliquid ſibi promeruit. Ita comuniter Doctores contra Caluinum lib. 2. Inſtitut. c. 17. §. 6.

Obijcies primo, Chriſtus eſt dominus omnium. Ergo non indiguit merito, vt aliquid obtineret.

Reſpondeo Chriſtum dupliciter con-

conſiderari poſſe, primo vt hominẽ, ſecũdo vt Deum. Chriſtus vt Deus, eſt dñs omniũ, nec indiguit merito nec mereri potuit, nec factus eſt homo, vt mereretur; Chriſtus verò vt homo; poſita incarnatione, indiguit merito, & mereri potuit, & re ipſa promeruit.

Obijcies ſecundo, in ſcriptura habetur, Chriſtum incarnatum fuiſſe pro nobis, nõ autem propter ſe ipſũ. Iſaiæ 9. *Puer natus eſt nobis*. Zacch. 9. *Ecce rex tuus veniet tibi iuſtus, & ſaluator*. Ioannis 17. *pro eis Ego ſanctifico me ipſũ*. Ergo non ſibi promeruit.

Confirmatur quia in ſcriptura cõmendatur dilectio Chriſti erga nos, eo quod pro inimicis mortuus ſit; hæc autem commendatio non tanti fieret, ſi Chriſtus etiam pro ſe mortuus fuiſſet.

Reſpondeo, Chriſtũ incarnatum quidem fuiſſe pro nobis, vt nos redimeret à ſeruitute peccati; non tamen immemorem ſui fuiſſe, & nihil ſibi meruiſſe; ſcriptura affirmat Chriſtum veniſſe, & incarnatum fuiſſe pro nobis; ſed non excludit, quin aliquid ſibi promeruerit; imò apertè teſtatur ſibi promeruiſſe, & ſui memorem fuiſſe, Ioannis 17. *Pater venit hora, clarifica filium tuum*.

Ad Confirmationem Reſpondeo, dilectionem Chriſti erga nos non minui, eo quod Chriſtus aliquid meruerit ſibi; ſed potius augeri, quia cum ab initio conceptionis habere potuerit, quæ poſtea per meritum obtinuit, voluit illa per meritum obtinere, & illis aliquo tempore pro nobis carere, vt benè Becanus c. 14. quæſt. 5. num 7. & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Chriſtus meruit ſibi gloriam corporis, & nominis exaltationem. Ratio eſt primo, quia potuit hęc mereri, & perfectius eſt aliquid habere ex proprijs meritis, quã ſine meritis. Ergo dicendum eſt Chriſtũ meruiſſe gloriam corporis, & nominis exaltationem. Secundò, quia id apertè habetur in ſcriptura, Lucę 24. *Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* ad Philippen. 2. *Humiliauit ſemetipſum factus obediẽs: vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*. Hebręor 2. *Videmus Ieſum propter paſſionem mortis, gloria, & honore coronatum*, Ioannis 17. *Ego clarificaui te ſuper terram, opus conſumaui, quod dediſti mihi, vt faciam, & nunc clarifica me tu Pater apud te metipſum claritate, quam habui prius quam mundus eſſet apud te*, & Apocalipſis 5. *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & beatitudinem*.

Obijcies, quod datur ex debito, non cadit ſub meritum; ſed gloria corporis, & exaltatio nominis debita erat Chriſto. Ergo Chriſtus non meruit gloriam corporis, & exaltationem nominis.

Reſpondeo id, quod datur ex merito, non cadere ſub meritum, ſeu nõ conferri per modum præmij; quoties datur eo tempore, quo ex natura rei dari debet; gloria autem corporis, & exaltatio nominis debita erant ab inſtanti Conceptionis, & tamen

men ſtatim collata non fuerunt, ſed dilata in aliud tempus, conſequenter ceciderunt ſub meritum, & tradita fuerunt per modum præmij.

Ex dictis ſequitur primo, Chriſtũ meruiſſe reſurrectionem corporis ad gloriam, impaſſibilitatem animæ,& corporis, dotes corporis glorioſi, & ſimilia. Ratio eſt, tum quia hæc omnia ſpectant ad gloriam corporis, & cadere poſſunt ſub meritum. Tum quia ſic habetur Pſal. 109. *De torrente in via bibit, propterea exaltabit caput.* Ita Suarez diſp. 40. ſect. 3. col. 3.& Vaſquez diſp. 79. cap. 1. Tannerus quæſt. 6. dub. 5. num. 155. Peſantius quæſt. 19. art. 3. diſp. 2. concl. 5. & alij communiter. Idem dic de glorioſa in cęlum Aſcenſione, vt patet, tum ex ratione allata, tum ex Apoſt. ad Epheſ. 4. *Qui deſcendit, ipſe eſt, qui aſcendit, quid eſt quod aſcendit, niſi quia & deſcendit prius?* Ita Doctores citati.

Secundò, ſequitur Chriſtum meruiſſe teſtimonia, ſeu encomia tum hominum, tum Angelorum; quę illi data fuiſſe Euangeliſtæ narrant, vt fuit teſtimonium Patris poſt baptiſmum Matth. 3. aut in trãsfiguratione Matth. 17. Idem probabiliter dici poteſt de laudibus Angelorum in Natiuitate, de apparitione ſtellæ indicantis glorioſã ipſius Chriſti Natiuitatem, & de his ſimilibus; hæc enim omnia ad gloriam, & exaltationem Chriſti ſpectant, quamuis etiam facta ſint ad noſtram vtilitatẽ, vt hominibus innoteſceret Chriſti in terram aduentus. Ita Doctores citati. Addunt multi Doctores Chriſtum meruiſſe, vt eſſet Iudex mundi. Tum quia hoc facit ad hominis exaltationem. Tum quia ſicut meruit reconciliationem hominum cum Deo, ita mereri potuit vt eſſet Iudex hominum. Imò Suarez d. 40. ſect. 3. ſub finem verſ. 2. Cabrera quæſt. 19. art. 3. diſp. 8. §. 4. Vaſq. diſp. 79. cap. 2. Tannerus loco cit. num. 156. & alij aſſerunt Chriſtum meruiſſe, vt eſſet caput Angelorum, vt haberet ſupremam capitis in Eccleſia authoritatem, vt haberet ſupremum, & vniuerſale dominium; ſed probabilius eſt Chriſtũ hæc non promeruiſſe, quia hæc illi debita erant ex vi Incarnationis, mereri tamen potuit externam horum teſtificationem, & manifeſtationem, vt benè Becanus cap. 14. quæſt. 5. ad finem.

Sed modo nonnulla ſuperſunt dubia explicanda. Primum eſt, Vtrum Chriſtus meruerit Incarnationem, ſeu vnionem hypoſtaticam, & an Sancti illam meruerint. Secundò, an Chriſtus meruerit ſibi gloriã, idest, beatitudinem, ſeu viſionẽ beatificã.

Paragraphus Primus.

Vtrum Chriſtus meruerit Incarnationem, ſeu vnionem hypoſtaticam, & an Sancti illam meruerint.

1 *Chriſtus non meruit Incarnationem, ſeu vnionem hypoſtaticam.*
2 *Chriſtus non ſolum non meruit, ſed nec mereri potuit vnionem hypoſtaticam.*
3 *Humanitas Chriſti non meruit Incarnationem.*
4 *Humanitas Chriſti ſi extitiſſet ante vnio-*

Digitized by Google

vnionem hypoſtaticam potuiſſet illam mereri de congruo.

5 *Humanitas Christi non potuit de potentia ordinaria mereri vnionem hypoſtaticam per opera ordine naturæ antecedentia vnionem.*

6 *Chriſtus non meruit circunſtantias Incarnationis.*

7 *Chriſtus non meruit, nec mereri potuit continuationem vnionis, ſeu extenſiones materiæ ad partes paulatim acquiſitas.*

8 *Chriſtus meruit reſtitutionem vnionis animæ, & corporis factæ in reſurrectione.*

9 *Antiqui Patres non meruerunt Incarnationem de condigno.*

10 *Patres Antiqui non potuerunt etiam de potentia abſoluta mereri de condigno Incarnationem etiam facta promiſſione Incarnationis ob ipſorum merita.*

11 *Incarnationem Antiqui Patres meruerunt de congruo non ſolum quoad ſubſtantiam Incarnationis, verum etiam quoad cirumſtantias.*

12 *Patres antiqui non meruerunt prædeſtinationem Incarnationis.*

13 *Maria Virgo Incarnationem, & Maternitatem Dei meruit de congruo, non de condigno.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus de facto, & re ipſa nullo modo meruit Incarnationem, ſeu vnionem hypoſtaticam. Ratio eſt primo, quia Incarnatio in ſacris litteris tribuitur bonitati, & miſericordiæ Dei, Lucæ 1. *Per viſcera miſericordię viſitauit nos oriēs ex alto.* Ad Titum 2. *apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri, non ex operibus Iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam magnam miſericordiam ſaluos nos fecit*; ad Eph. 2. *Propter nimiā charitatē, qua dilexit nos cū eſſemus mortui, viuificauit nos Chriſto.* Secundò, quia omnia Chriſti merita ſupponunt vnionem hypoſtaticam, & ab ipſa valorem habent, cum valor actionum, & meritorum Chriſti tribuatur dignitati perſonæ Verbi, vt ſupra dictum eſt. Ergo Chriſtus non meruit vnionem hypoſtaticam; nam principium, & ratio intrinſeca meriti non cadit ſub meritū, vt communiter docent Patres, & Doctores, qui hoc axiomate vtuntur ad docēdum primam gratiam, quæ nobis à Deo tribuitur, non cadere ſub meritum, quia eſt principium noſtri meriti; principium autem meriti non cadit ſub meritum.

2 Obijcies primo, ex ſcriptura colligitur, Chriſtum meruiſſe vnionem hypoſtaticam, quæ ſignificatur nomine vnctionis, Pſal. 44. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ prę conſortibus tuis.* Vbi notanda eſt illa particula, *Propter*, quæ ſignificare videtur cauſam meritoriam.

Reſpondeo primo, illam dictionē, *Propter*, non ſignificare cauſam meritoriam, ſed finalem, ita vt ſit ſenſus, Deus vnxit te, vt diligeres iuſtitiam, & odio haberes iniquitatem. Ita Auguſt. in citato Pſal. Beda in cap. 1. ad Hebręos, & alij.

Reſpondeo ſecundo, per vnctionem nō intelligi eo in loco vnionem hypoſtaticam, ſed manifeſtationem nominis, ſeu claritatem, & glorificationem, qua Chriſtus manifeſtatus, & declaratus fuit in baptiſmo filius Dei. Ita Hilarius lib. 11. de

Trinit.

Trint. Suarez diſp. 10. ſect. 4. col. 4. Vaſquez diſp. 21. cap. 7. num. 59. & ſeqq. Tannerus de Incarnat. diſp. 1. quæſt. 3. dub. 7. num. 240. Becanus cap. 14. quæſt. 6. num. 10.

Obijcies ſecundo, Apocalipſ. 5. dicitur; ***Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem;*** ſed iſte Agnus eſt Chriſtus. Ergo Chriſtus dignus eſt accipere diuinitatem; hanc autem accepit per Incarnationem.

Reſpondeo primo, verbo, ***Dignus,*** non neceſſario intelligi meritum, vt patet ex ſimili loquendi forma Apocalip. 4. ***Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem.***

Reſpondeo ſecundo, eo loci non ſignificari vnionem hypoſtaticam, ſed manifeſtationem virtutis, & diuinitatis, qua Chriſtus, tanquam Deus, adoratus, & laudatus fuit. Ita DD. citati.

Obijcies tertio, opera Chriſti nō fuerunt inferioris conditionis operibus Sanctorum Patrum, ſed Sancti Patres ſuis operibus meruerunt incarnationem Chriſti, vt infra oſtendam. Ergo etiā illā meruit Chriſtus.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia opera, & merita Sanctorum Patrum præceſſerunt Incarnationem, & ſic illam mereri potuerūt; opera autem Chriſti nec tempore, nec natura, ſeu ratione præceſſerunt vnionem hypoſtaticam, ſed facta ſunt poſt vnionem hypoſtaticam, vt benè Tannerus diſp. 1. quæſt. 3. dub. 7. n. 272. & alij.

Obijcies quarto, quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati, ideſt effectus; ſed Chriſtus eſt cauſa meriti non ſolum hominum exiſtentium poſt Incarnationem, verum etiā exiſtentium ante Chriſti Incarnationem, qui meruerunt Incarnationē, vt infra probabo. Ergo Chriſtus eſt cauſa meritoria Incarnationis; conſequenter meruit Incarnationem, ſeu vnionem hypoſtaticam.

Reſpondeo, quod eſt cauſa cauſæ, eſſe etiam cauſam cauſati, ſeu effectus, quoties cauſatum, ſeu effectus per ſe, & quaſi intrinſecè conſequitur ex illa cauſa; Incarnatio aūt Chriſti non conſequitur per ſe, & intrinſecè ex operibus Sanctorum; ſed extriſecè, quia Incarnatio diuini Verbi facta fuiſſet, etiamſi merita Sanctorum non præceſſiſſent.

2 Quæres primo, Vtrū Chriſtus, ſaltem de potētia Dei abſoluta, mereri potuerit vnionē hypoſtaticam.

Reſpondeo non meruiſſe, nec mereri potuiſſe vnionē hypoſtaticam. Ratio eſt primo, quia fieri non poteſt, vt intrinſeca radix meriti, ſeu principium intrinſecè conferens valorem meriti, cadat ſub meritum; (idem enim nō poteſt ſimul eſſe cauſa, & effectus, nec poteſt ſe ipſo compenſari) ſed vnio eſt principium, ſeu cauſa meriti in Chriſto. Ergo vnio nō poteſt cadere ſub meritum; alioquin eſſet effectus meriti, cuius eſt cauſa, & ſe ipſo quaſi compenſaretur. Secundò, quia, ſi Chriſtus de potentia Dei potuit mereri Incarnationem, ſequitur re ipſa illā meruiſſe, (nam omnis excellentia, quæ Chriſto communicari potuit, re ipſa communicata fuit; habere autem aliquid ex merito nobilius eſt, & perfectius, quam habere ſine vllo merito; nam qui habet aliquid per meritum,

Digitized by Google

rum; habet illud quodammodo per ſe ipſum, & qui habet aliquid ſine merito, habet illud p aliud; nobilius autem eſt habere aliquid per ſe ipſum, quam habere per aliud,) ſed Chriſtus re ipſa non meruit Incarnationem. Ergo nec illam mereri potuit. Ita Valentia diſp. 1. quæſt. 2. pun. 8. Vaſquez diſp. 21. c. 6. n. 48. & ſeqq. Puteanus quæſt. 2. art. 11. dub. 1. concl. 1. Becanus cap. 14. q. 6. Cabrera quæſt. 2. art. 11. diſp. 1. Tannerus diſp. 1. quæſt. 3. dub. 7. num. 243. Aluarez diſp. 16. num. 4. & alij.

Non deſunt tamen Doctores cõtrarium ſentientes; aliqui enim, vt Tannerus quæſt. 3. dub. 7. num. 246. aſſerunt, Chriſtum potuiſſe per opera conſequentia vnionem mereri Incarnationem, non quidem ſecundum eum valorem, quem opera habebant ex vnione hypoſtatica, ſed ſecundum valorem, quem opera habere poterant ex gratia habituali, ſed hoc mihi non probatur; cũ enim gratia habitualis ſit poſterior vnione, & collata ſit Chriſto ratione vnionis, non video, quomodo vnio cadere poſſit ſub meritum ob valorem, quem opera habere poſſunt ex gratia habituali.

Alij verò, vt Suarez diſp. 10. ſect. 4. col. 2. arbitrantur Chriſtum de potentia abſoluta potuiſſe mereri vnionem hypoſtaticam, ſi vnio ſpectetur in executione. Ratio eſt primo, quia vnio, ſeu incarnatio dupliciter ſpectari poteſt; primo, vt exiſtit in intentione, ſeu prædeſtinatione Dei, & ſic poteſt eſſe principium, ſeu cauſa meriti, non autem præmiũ, ſeu effectus, ſicut gratia data fuit Sanctis Patribus ob merita Chriſti præuiſa, & nundum actu exiſtentia, & ſic merita Chriſti in intentione Dei exiſtentia erant cauſa meritoria meriti Sanctis collati.

Secundò, ſpectari poteſt, vt exiſtit in executione, ſeu à parte rei in humanitate, & ſic non poteſt eſſe principium, ſeu cauſa ipſius vnionis, ſeu incarnationis, ſed præmium, ſeu effectus; conſequenter cadere poteſt ſub meritum.

Confirmatur primo, quia ſicut æterna gloria, quatenus eſt in intentione, eſt principium meriti, quatenus in executione nõ eſt principium meriti, ſed effecus, & præmium meriti. Ergo etiam Incarnatiò, ſeu vnio, vt exiſtit in intentione, eſt cauſa; vt exiſtit in executione eſt effectus, & præmium, & ſic cadere poteſt ſub meritum.

Confirmatur ſecundo, quia princeps poteſt dare militi arma propter vſum belli futurum dependentem ab illis armis, quo caſu arma videntur principium meriti illis armis acquirendi, & ſimul ſunt ſtipendium, ſeu præmium meriti futuri. Ergo & cæt.

Sed hæc ſententia mihi non probatur, ſicut neque placet Becano c. 14. quæſt. 6. num. 15. Vaſquez diſp. 21. cap. 5. num. 37. & ſeqq. Aluarez diſp. 16. num. 4. & alijs. Ratio eſt primo, quia aduerſatur doctrinæ Sãctorum Patrum aſſerẽtium primam gratiam, vt eſt in executione; non cadere ſub meritum; ſic enim argumentantur. Principium meriti non cadit ſub meritum; ſed prima gratia, quatenus exiſtit in executione, eſt principium meriti, iuxta commu

nem

nem ſententiam Patrum. Ergo prima gratia, vt exiſtens in executione non cadit ſub meritum; hoc autem eſſet falſum iuxta ſententiam Suar. Secundò, quia hæc ſententia ſupponit vnionem hypoſtaticam, quatenus eſt in executione, non eſſe principium meriti, quod eſt falſum; nam re vera non eſt principium meriti, niſi quatenus eſt in executione; nam actiones Chriſti non habuerunt valorem infinitum merendi, quatenus ab æterno exiſtebant in mente Dei; ſed quatenus prouenIebant ab humanitate Chriſti ſanctificata, & quaſi deificata, præuia ſubſiſtentia Verbi, ſeu quatenus Chriſtus erat ſanctus, & Deo gratus; Chriſtus autem non erat ſanctus, & Deo gratus per vnionem hypoſtaticam, vt exiſtebat in mente Dei; ſed vt exiſtebat à parte rei, ſeu quatenus erat in executione; cum ergo vnio in executione non poſſit mereri ipſammet vnionem, ſequitur vnionem non cadere ſub meritum.

Hinc patet reſponſio ad primam rationem.

Ad confirmationē reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia gloria non eſt principium meriti per modum cauſæ efficientis, vt eſt vnio, ſed per modum cauſæ finalis, quia mouet hominem ad operandum propter ipſam, tanquam ob cauſam finalem operationis. Addo gloriam non eſſe principiū meriti, vt eſt in intentione Dei, ſed vt eſt in intentione hominis; conſequenter neque vnionem hypoſtaticam eſſe principium meriti, vt eſt in intētione, & prædeſtinatione Dei.

Ad ſecundam rationem reſpondeo, arma non eſſe radicem, & fundamentum meriti; ſed inſtrumentū meriti (fundamentum enim meriti in milite eſt induſtria, & valor militis) fieri autem poteſt, vt aliquid cōferatur tanquam præmium ob meritum futurum præuiſum, modo id, quod confertur, non ſit radix, & ratio intrinſeca meriti; ſicut eſt vnio reſpectu operationum Chriſti; hęc enim eſt fundamentum, radix, & ratio intrinſeca meriti; conſequenter implicat ipſam cadere ſub meritum Chriſti.

3 Quæres ſecundo, Vtrum humanitas Chriſti meruerit Incarnationē. Pro ſolutione præmittendum eſt, humanitatem Chriſti dupliciter conſiderari poſſe; primo, vt vnitam Verbo, & ſic non potuit mereri vnionem hypoſtaticam, quia ſupponit ipſam vnionem, vt oſtenſum eſt puncto proximè præcedenti; potuiſſet tamē mereri vnionem cum alia perſona; nā ſi Chriſtus ordinaſſet merita ſua, vt Pater, vel Spiritus Sanctus incarnaretur, vel prius aſſumpſiſſet naturā Angelicam, & per illam efficeret actiones meritorias, dirigendo illas ad aſſumptionem humanæ naturæ, procul dubio meruiſſet Incarnationem, quia nulla conditio defuiſſet ad meritum requiſita, vt benè Suar. diſp. 10. ſect. 4. col. 2. verſ. in hac, & alij. Secundò conſiderari poteſt, præſcindendo ab vnione hypoſtatica, & in hoc ſenſu quærimus, vtrum humanitas, ſeu anima Chriſti meruerit vnionem hypoſtaticam.

Reſpondeo negatiuè, quia opus meritorium vnionis præcedit vnionem; ſed anima, ſeu humanitas Chriſti non exercuit illū opus ante vnio-

nē hypoſtaticā; humanitas .n. prius vnita fuit Verbo, quā operaretur; nā res prius debet ſubſiſtere, quā operari. Ergo humanitas Chriſti non meruit vnionem hypoſtaticam.

Confirmatur, quia ſuppoſitū præcedit omnes operationes accidentales; nam omnes operationes ordinantur ad perfectionem ſuppoſiti. Ergo ſuppoſitū cadere non poteſt ſub meritū operationū ſubſequentiū, nā meritum præcedit præmium; non autē illud ſupponit; ita cōmuniter Doct.

Obijcies, ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas producitur à natura independenter ab omni ſuppoſito. Ergo etiā fieri poſſunt aliæ actiones independenter ab omni ſuppoſito.

Reſp. primo ſubſiſtentiam nō produci ab ipſa natura, cuius eſt ſubſiſtētia, ſed ipſā ſubſiſtere naturaliter cōſequi tanquam modum ſubſtantialē conſequentem id, cuius eſt modus.

Reſp. ſecundò, negando conſequētiā. Ratio diſparitatis eſt, quia ſubſiſtentia ordinatur ad conſtituendum ſuppoſitum, non ad illud perficiendum; operationes verò accidentales ordinantur ad perficiendum ſuppoſitum, vt benè Becanus, & alij.

4 Rogabis, vtrū humanitas Chriſti, ſi aliquo tempore extitiſſet ante vnionem hypoſtaticam, potuiſſet illam mereri.

Reſp. potuiſſe illam mereri de cōgruo. Ratio eſt, quia nulla afferri poteſt ratio implicantiæ, & hoc valet, ſiue prius extitiſſet in proprio ſuppoſito, ſiue in alieno; ſicut .n. materia prima per diuinam potentiā ſeparari poteſt ab omni ſuppoſito, ita etiā poſſet humanitas; conſequenter humanitas ſeparata à ſuppoſito operari poſſet, & conſequenter mereri.

Maior difficultas eſt, vtrum humanitas Chriſti nullo tempore exiſtens ante vnionem hypoſtaticā poſſit prius ordine naturæ operari, & mereri, quam ſubſiſtere; ſeu an operari, & mereri potuerit vnionem hypoſtaticā p bona opera ordine naturæ antecedentia vnionē hypoſtaticā.

Reſp. id fieri non poſſe de potentia ordinaria, quia prius eſt rē ſubſiſtere, quam operari; operationes .n. accidentales ordinantur ad perfectionem ſuppoſiti. De potentia verò abſoluta fieri poteſt. Ratio eſt, tum quia non implicat, tum quia operatio naturæ intrinſecè ſolum ſupponit naturæ exiſtentiam, & licet natura operari non poſſit in proprio ſuppoſito, niſi præcedat ſuppoſitum, in quo ſubſiſtat; poteſt tamen per diuinam potentiam operari ſine vllo ſuppoſito, aut in alieno ſuppoſito, independēter ab aliena ſubſiſtētia. Deus enim poſſet in inſtanti vnionis conferre humanitati auxilia gratię independenter ab vnione, & per illa mouere humanitatem ad merendum vnionem de congruo. Ita Caietanus 3. p. q. 2. art. 11. Tannerus diſp. 1. q. 3. dub. 7. n. 244. Becan. c. 14. q. 6. n. 6. & alij contra Suarez diſput. 10. ſect. 3. ad finem, quamuis nobiſcum ſentire videatur in ſimili ſectione 5. ad finem.

Obijcies, ordo naturæ immutabilis eſt, ſed ordo naturæ poſtulat, vt humanitas prius natura ſubſiſtat, quam operetur. Ergo Deus facere non poteſt, vt humanitas prius operetur, quam ſubſiſtat.

Reſpondeo, Deum poſſe naturæ ordinem mutare, quoties id fieri poteſt

Digitized by Google

teſt ſine vlla implicantiæ ratione. Deus enim multa ſupra exigentiam naturæ facit; in noſtro autem caſu nulla adeſt implicantię ratio, vt probatum eſt.

6 Quæres tertiò, vtrum Chriſtus meruerit circumſtantias Incarnationis, tam antecedentes, quam ſubſequẽtes, vel comitãtes Incarnationẽ.

Reſpondeo, non meruiſſe circumſtantias antecedentes, vel etiam comitantes. Tum quia meritum præcedit præmium, ſicut cauſa effectum. Tum quia acceſſorium ſequitur naturã principalis, vbi eſt par ratio; principale autem eſt Incarnatio, quę non cadit ſub meritum Chriſti. Ergo neque circunſtantiæ antecedentes, vel comitantes Incarnationem Chriſti cadunt ſub meritum Chriſti. Ita Cabrera 3. par. quæſt. 2. art. 11. diſp. 1. §. 6. Suarez ex parte diſp. 10. citata.

Probabilis tamen etiam eſt ſententia illorum, qui aſſerunt, Chriſtum meruiſſe circumſtantias Incarnationis, non ſolum conſequentes, verum etiam antecedentes, & comitantes; ſi loquamur de illis circumſtantijs, quæ erant peculiare beneficium, modò non eſſent debitæ Incarnationi. Ratio eſt, tum quia perfectius eſt habere aliquid ex meritis proprijs, quã ſine meritis. Tum quia omnia beneficia gratiæ hominibus donata, collata ſunt ex meritis Chriſti, vt infra oſtendam, & omnia beneficia humanitatis Chriſti, quæ ſub meritum cadere poſſunt, collata ſunt ex meritis Chriſti. Tum quia non implicat aliquid conferri propter meritum futurum, modò meritũ futurũ non ſit radix meriti. Ita Vaſq. d. 21. c. 8. n. 74 & ſeqq. & Tanner. loco cit. n. 247.

Ex hac ſententia ſequitur primò, Chriſtum meruiſſe prædictionem Incarnationis factam à Prophetis, Cõceptionem ex Virgine incorrupta, & ſimilia, vt patet ex allatis rationibus.

Secundò, Chriſtum meruiſſe Annuntiationem ipſius aduentus factã ab Angelis, & indicatam apparitione ſtellæ, & ſimilia, nam iſtæ circumſtantiæ ſubſequuntur vnionem, & cadere poſſunt ſub meritum.

Tertiò, Chriſtum non meruiſſe, vt tali loco, vel tempore naſceretur, nã licet iſtæ circumſtantiæ ſint poſteriores vnione hypoſtatica, tamen non ſunt peculiare beneficium, & ſunt debitæ Incarnationi, cum Natiuitas Chriſti eſſe non poſſet ſine circumſtantia loci, & temporis.

7 Quæres quartò, vtrum Chriſtus meruerit, vel mereri potuerit, Primò, continuationem, ſeu perſeuerantiã vnionis. Secundò, extenſionem vnionis, ad partes materię, quas paulatim per nutritionẽ acquirebat.

Reſpondeo, Chriſtum præfata nec meruiſſe, nec mereri potuiſſe. Ratio eſt, quia licet hæc conſecuta fuerint vnionẽ, conſequenter ex hoc capite non adſit repugnantia; nihilominus repugnantia in hoc cõſiſtit, quia quod ex natura rei debitũ eſt, non cadit ſub meritum, ſed continuatio vnionis, & illius extenſio ad partes materiæ per nutritionem acquiſitas, eſt debita Chriſto, ſeu vnioni hypoſtaticæ; par enim eſt, vt perfectiſſima vnio naturæ humanę cum Verbo nõ diſſoluatur, & vt partes naturæ humanæ acquiſitæ per nutritionem ſubſiſtant eadem ſubſiſtentia,

qua ſubſiſtunt cæteræ. Ita Vaſquez diſputat. 78. cap. 3. num. 14. Cabrera 3. parte quæſt. 2. art. 11. diſp. 1. §. 7. Becanus capit. 14. quæſtione 6. num. 20. & ſequent. contra Suarez diſp. 10. ſect. 4. & Tannerum nu. 249. Puteanum qu. 2. art. 11. dub. 1. concl. 3. aſſerentes Chriſtum potuiſſe præfata mereri, licet de facto non meruerit.

8 Rogabis, an Chriſtus ſaltem meruerit reſtitutionem vnionis animæ, & corporis, quæ facta fuit in reſurrectione.

Reſpondeo affirmatiuè cum Cabrera d. 1. §. 9. art. 11. Puteano concl. 4. Suarez, & Tannero locis citatis; nam qua ratione meruit reſurrectionem, ita etiam promeruit vnionem animæ, & corporis. An autem meruerit totalem vnionem, qua anima, & corpus poſt reſurrectionem totaliter manſerunt vnita Verbo, affirmant illi Doctores, qui aſſerunt totalem vnionem humanitatis cum Verbo ſuperaddere aliquid vnionibus partialibus ipſarum partium cũ Verbo; reſurrectio enim Chriſti fieri nõ poterat ſine tali vnione. Illi verò Doctores, qui negant vnionem totalem addere aliquid ſupra vniones partiales, conſequenter etiam negare debent, Chriſtum meruiſſe huiuſmodi vnionem, quia in hac parte non fuit opus vllo merito, cum vniones omnes ad Verbum iam adeſſent. Hanc ſententiam ego ſequor.

SECVNDA PROPOSITIO.

ANtiqui Patres, & Patriarchæ, qui præceſſerunt aduentum Chriſti, meruerunt Incarnationem, & ipſius accelerationem, aliaſq; circumſtantias, non quidem de condigno, ſed de congruo. Hæc propoſitio duas habet partes.

9 Prima eſt. Antiquos Patres nõ meruiſſe Incarnationem de cõdigno. Ratio eſt primo, quia debet eſſe proportio inter meritum, & præmium; ſed inter meritum Sanctorum Patrũ, & Incarnationem non eſt proportio, nam meritum cuiuslibet creaturæ non poteſt eſſe, niſi finitum; præmiũ autem Incarnationis eſt ſimpliciter infinitum. Secundò, quia merita Antiquorum Patrum non erant altioris ordinis, quam ſint noſtra merita; nõ enim operabantur ex perfectiori gratia: ſed noſtra merita ſufficiens, & condignum præmium recipiunt in gloria, & augmento gratiæ. Ergo etiam merita Antiquorum Patrum ſufficiens, & condignum præmium recipiebant in gloria, & augmento gratiæ. Ergo non merebantur de cõdigno Incarnationem, quæ eſt donũ altioris ordinis. Tertiò, quia Sancti Patres nõ meruerunt aliquid altius, & maius, quam Chriſtus ipſe meruerit; ſed Chriſtus non meruit de condigno Incarnationem. Ergo neque Sancti Patres. Quartò, quia prima gratia non cadit ſub meritum de cõdigno, quia gratia eſt merendi principium; principium autem meriti nõ cadit ſub meritum. Ergo multo minus Incarnatio cadit ſub meritũ de condigno, cum ipſa ſit principium gratiæ, iuxta illud Ioann. 1. *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Quintò, quia opus Incarnationis in ſcriptura vocatur opus miſericordiæ, etiam erga Dauidem, & alios Patres, Pſalmo 99. *Miſericor-*

diam

ctam autem meam non diſpergam ab eo. Lucæ 1. *Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ*; ſed quod datur ex merito, non vocatur opus miſericordiæ, ſed iuſtitiæ, ſeu fidelitatis. Ergo Incarnatio Chriſti conceſſa non fuit Sanctis Patribus, ex merito ipſorum. Ita S. Thomas quæſt. 7. art. 11. & alij Doct. communiter.

Idem dicendum videtur de acceleratione Incarnationis, alijsq; circũſtantijs. Tum quia merita Sanctorum debent eſſe proportionata præmio; circumſtantiæ autem Incarnationis ſunt altioris ordinis. Tũ quia merita Sanctorum habuerunt condignum præmium poſitum in augmẽto gratiæ, & gloriæ illis reſpondente. Ita Suarez diſp. 10. ſect. 5. concl. 11. ad finem, Vaſquez diſp. 23. cap. 2. num. 9. & ſeqq. Tannerus d. 1. q. 3. dub. 7. quæſito 3. num. 252. Cabrera quæſt. 2. art. 11. diſp. 4. & alij communiter, teſte Vaſquez num. 9. contra S. Bonauenturam, Gabrielem, & alios.

10 Maior difficultas eſt, Vtrum Sancti Patres de potentia abſoluta Dei mereri potuiſſent Incarnationẽ, ſi Deus promiſiſſet ipſis Incarnationem Verbi ob ipſorum bona opera.

Reſpõdeo nõ potuiſſe propriè, & perfectè mereri de condigno, etiam ſuppoſita Dei promiſſione. Ratio eſt, tũ quia meritũ puræ creaturæ ſẽper eſt inferioris ordinis, quã ſit Incarnatio, nec cũ illa proportionẽ habet. Ergo Incarnatio cadere non poteſt ſub meritũ puræ creaturæ. Tum quia gratia creata, & opera, quæ ab illa procedunt, proportionem ſolum habent ſecundum ſui naturam cum gloria, cuius eſt ſemen, non autem cum vnione hypoſtatica, cum ipſius non ſit ſemen, nec cum ea proportionem habeat. Ergo fieri non poteſt, vt homo cum gratia creata mereatur de condigno Incarnationem diuini Verbi. Concedo quidem Incarnationem poſita promiſſione Dei debitam eſſe etiam ratione operum, ſed nego cadere ſub meritum puræ creaturæ de condigno, quia ad meritum de condigno, præter promiſſionem Dei, requiritur etiam dignitas operis; nullum autẽ opus humanæ creaturæ poteſt eſſe tantæ dignitatis, vt de condigno mereatur Incarnationem; nam illud meritum ſemper eſt finiti valoris intenſiuè; Incarnatio autem eſt infiniti valoris ſimpliciter. Ita Suarez ſect. 5. citata, Tannerus num. 252. Puteanus q. 2. art. 11. dub. 2. concl. 3. Aluar. q. 2. art. 11. diſp. 17 n. 15. & alij contra nonnullos alios.

11 Secũda pars propoſitionis eſt; Antiquos Patres meruiſſe de cõgruo Incarnationem Chriſti quoad ſubſtantiam. Ratio eſt, primo quia congruum erat, vt Deus exaudiret eos, qui ei obediebant, & aliquid ab ipſo poſtulabant; Sancti autem Patres obediebant Deo, & ab eo poſtulabant Chriſti aduentum. Pſal. 84. *Salutare tuum da nobis*. Pſal. 105. *Viſita nos in ſalutari tuo*. Iſaiæ 45. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum*. Iſaiæ 64. *Vtinam diſrumperes Cælos, & deſcenderes*.

Addo, Sanctos Patres non ſolum meruiſſe Incarnationem quoad ſubſtantiam, verum etiam quoad circumſtantias, vt quod naſceretur ex ſemine Abrahæ, ſeu Dauid; nã Abrahamo promiſſum fuit à Deo, Chriſtum ex ipſius progenie naſciturum,

quia Deo obedierat; Geneſis 22. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ*. Eadem promiſſio facta fuit Dauidi Pſ. 131. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedē tuam*. Idem dic de acceleratione Incarnationis; hanc enim meruerunt Antiqui Patres, Danielis 9. *Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo*; & cæt. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt*. Ita Doct. ſtatim citandi.

Dices, Decretum Dei mutari nō poteſt. Ergo Incarnatio non fuit accelerata ob preces, & merita Sanctorum Patrum.

Reſpondeo cum Suarez ſect. 6. concluſ. 4. Tannero num. 253. Aluar. num. 19. non ob id mutari decretum Dei; acceleratio enim in hoc conſiſtit, vt Deus voluerit myſterium Incarnationis tali tempore mandari executioni, non ſolum ob efficaciam diuini decreti, verum etiam ob preces, & merita Sanctorum; vel dic accelerationem in hoc conſiſtere, vt Deus decreuerit vlterius nō differre Chriſti aduentum, non autem quod Deus voluerit Chriſtum citius naſci, quam decreuerat.

In hac ſecunda propoſitionis parte conuenit S. Thomas q. 2. art. 11. Suarez diſp. 10. ſect. 6. Valentia qu. 2. pun. 8. Tannerus quæſt. 3. dub. 7. num. 252. Puteanus loco cit. dub. 2. Caietanus quæſt. 2. art. 11. Aluarez loco cit. num. 16. Cabrera ibid. d. 5. num. 17. & Thomiſtæ communiter contra Scotum in 4. d. 2. q. 1. Vaſq. diſp. 22. cap. 4. num. 38. & diſp. 23. cap. 5. num. 27. & alios, nobiſcum tamen ſentientes de circumſtantijs Incarnationis.

Obijcies contra hanc ſecundam propoſitionis partem primò, Incarnatio eſt radix omnis meriti; nullum enim inueniri poteſt meritum abſq; aliqua gratia, ſaltem actuali; nulla autem eſt gratia, etiam actualis, quæ non pendeat à meritis Chriſti, vt infra probabo. Ergo Sancti Patres mereri non potuerunt Incarnationem, nam radix meriti non cadit ſub meritum.

Reſpondeo, Incarnationem dupliciter conſiderari poſſe; primò vt præuiſam, ſeu in intentione. Secundò, in executione. Opera Sanctorum habuerunt meritum, & valorem ab Incarnatione, ſeu meritis Chriſti præuiſis; ipſa tamen opera Sanctorum de congruo meruerunt Incarnationē in executione, vt hoc clarius intelligatur, aduerte, radicē, ſeu principium meriti duplex eſſe. Primum eſt intrinſecum, & actu exiſtens, ſeu cauſans meritum, vt actu exiſtens. Secundum eſt extrinſecum, & quaſi morale, cauſans meritum ſolummo raliter, quatenus præuiſum. Merita Chriſti præuiſa, fuerunt radix, & principium extrinſecum, & morale meritorum Sanctorum Patrum, quibus Sancti Patres de congruo meruerunt Incarnationem, vt executioni mandandam; merita verò Chriſti iam actu obtenta, ſunt cauſa intrinſeca noſtrorum meritorum, quæ cū poſteriora ſint meritis Chriſti, & ipſius Incarnatione, non poſſunt mereri Incarnationem; conſequenter neque mereri poſſunt gratiam actualem, vel habitualem, quam ſupponit meritum.

Obijcies ſecundò, non poſſunt aliqua duo eſſe ſibi inuicem cauſæ in eodem genere; ſed ſi antiqui Patres me-

Digitized by Google

meruiſſent Incarnationem, Incarnatio, & merita Sanctorum Patrũ fuiſſent ſibi inuicem cauſæ in eodem genere; nam opera Sanctorum meruiſſent Incarnationem, & Incarnatio fuiſſet radix, principium, & cauſa meriti Sanctorum Patrũ. Ergo Sancti non potuerunt mereri Incarnationem.

Reſpondeo, aliqua poſſe ſibi eſſe inuicem cauſas, quoties cauſant moraliter ſolum, & non phyſicè, ſimulq; habent diuerſum modum cauſandi; merita autem Chriſti, & merita antiquorum Patrum habuerunt diuerſum modum cauſandi; nam merita Chriſti ſunt cauſa moralis efficiens meritorum, & gratiæ Sanctorum Patrum, vt præuiſa tantum, & fuerunt veluti principium per ſe tribuẽs valorem operibus ipſorum; merita verò Patrum fuerunt veluti quędam diſpoſitio ad executionem Incarnationis.

Obijcies tertio, ſi Antiqui Patres meruerunt Incarnationem, ſequitur Chriſtum recepiſſe magnum beneficium à Sanctis Patribus, ſicut recepit Paulus à Sancto Stephano, ob cuius meritũ de congruo vocatus fuit; ſed conſequens videtur falſum. Ergo & antecedens.

Reſpondeo Chriſtum non tam accepiſſe à Sanctis Patribus beneficium, quã obſequium, quod ei debitum erat, quia ſancti, quicquid habuerunt meriti, & gratiæ, habuerunt ex meritis Chriſti præuiſis. Vt benè Suarez, Cabrera, & Tannerus locis citatis.

Obijcies quarto, ſi Patres Antiqui meruerunt de congruo incarnationẽ, ſequitur ipſos meruiſſe etiam primam gratiam vocantem, quia meruerunt principium, & cauſam eius; principium enim primæ gratiæ eſt Incarnatio; ſed falſum videtur ipſos meruiſſe primam gratiam. Ergo falſum etiam videtur ipſos meruiſſe Incarnationem.

Reſpondeo Sãctos non meruiſſe Incarnationẽ, vt à Deo præuiſam; Incarnatio .n. vt à Deo pręuiſa, eſt prior meritis Sanctorum, & cauſa ipſorũ meritorum, & gratię etiam actualis reſpectu antiquorum Patrum, & conſequenter nõ cadit ſub meritum Sanctorum Patrum, vt præuiſa. Si verò Incarnatio conſideretur, vt executioni mandata, non fuit cauſa meriti Sanctorum Patrum, quia vt ſic eſt poſterior meritis Sãctorum; conſequenter Sancti Patres mereri potuerunt Incarnationem in executione; ipſa verò Incarnatio in executione non fuit principium meriti Sanctorum Patrum; ſed fuit cauſa noſtri meriti.

Obijcies quinto, ſi Sancti Patres meruerunt Incarnationem, ſequitur etiam ipſos meruiſſe de congruo redemptionem totius humani generis, & omnem gratiam, etiam primam nobis collatam; nam Incarnatio facta fuit ob redemptionẽ humani generis, & fuit cauſa omnis noſtræ gratiæ.

Reſpondeo, Sanctos per ſe, & directè meruiſſe Incarnationem, & redemptionem, ad quam ſe diſponebant; primam verò gratiam, etiam reſpectu noſtri, non meruiſſe, niſi fortè per accidens, quia ad illam nõ ſe diſponebant. Vide Suarez ſect. 6. citata ſub finem, Tannerum loc. cit. num. 275.

12 Maior difficultas eſt, Vtrum Antiqui Patres meruerint præordinationem, ſeu prædeſtinationem Incarnationis.

Reſpondendum videtur negatiuè cum Suarez diſp. 10. ſect. 6. concl. 1. & alijs contra Valentiam quæſt. 2. p. 8. & alios. Ratio eſt, quia prædeſtinatio Incarnationis eſt prior omni merito Sãctorũ Patrũ, & eſt radix illorũ. Ergo nõ poteſt cadere ſub illorũ meritũ. Probabile tamen eſt alio ſenſu dici poſſe antiquos Patres meruiſſe prædeſtinationem, videlicet quoad voluntatem executiuam Incarnationis; ſicut enim Sancti Patres meruerunt Incarnationem, ita etiam Deus illam decreuit dependenter à meritis, nam quæ in tempore dantur ex meritis dici etiam poſſunt præfinita, & prædeſtinata ex meritis. Ita Valentia, & Vaſquez locis citatis. Tannerus num. 256. & alij: ſed de hac re agam in prima parte, dum loquar de prædeſtinatione.

Ex dictis in hac ſecunda propoſitione facilè colligi poteſt, quid dicendum ſit de Beatiſſima Virgine, an meruerit Incarnationem, vel maternitatem Dei.

13 Colligitur enim primo, ipſam meruiſſe de cõgruo Incarnationem, & maternitatem Dei, ideſt, vt Verbum ex ea temporaliter naſceretur, ſeu eſſet eius filius. Ita communiter Doctores. Hæc illatio apertè conſtat, tum ex dictis in ſecunda parte propoſitionis. Tum ex communi Patrum conſenſu. Tũ ex modo loquendi, quo Eccleſia vtitur. *Regina cæli lætare, quia quem meruiſti portare.* Itẽ, *Dignum filij tui habitaculum præparaſti*, & alibi. *Quæ ſola digna fuit portare Regem cælorum, & dominum.* Ex quibus locis ſic argumentor, vel Beatiſſima Virgo meruit Incarnationem, & maternitatem Dei de cõgruo, vel de condigno; ſed non meruit de condigno. Ergo meruit de congruo; loquor tamẽ de maternitate in executione, non de prima ipſius prædeſtinatione. Vide Suarez d. 10. ſect. 8. Vaſquez diſp. 23. cap. 2. & ſeqq. Tannerum num. 261.

Colligitur ſecundo, Beatam Virginem non meruiſſe de cõdigno Incarnationem, & maternitatem Dei. Quod non meruerit Incarnationem de condigno, patet ex rationibus allatis in prima propoſitonis parte. Quod verò non meruerit de condigno maternitatem, probatur primo, quia ſi meruiſſet maternitatem de condigno, meruiſſet etiam de condigno Incarnationem, quæ neceſſario includitur, & inſeparabilis eſt à filiatione temporali, neceſſariam relationem dicente ad maternitatem; vel includitur in Natiuitate, qua Chriſtus ex Virgine natus eſt. Secũdò, quia Beatiſſima Virgo in ſuo cantico adſcribit miſericordiæ Dei; nõ verò ſuis meritis Incarnationem, & maternitatem. *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ*, Et *Miſericordia eius à progenie in progenies*. Tertiò, quia merita Beatiſſimæ Virginis fuerunt eiuſdem generis, & rationis cum meritis aliorum Sanctorũ, quãuis in eodem genere fuerint multo excellentiora. Ergo fuerunt meritoria ſolum præmij eiuſdem ſpeciei, ideſt beatitudinis, & augmenti gratiæ, non autem præmij altioris, & diuerſi ordinis. Ita Suarez diſp. 10. ſect. 7. concl. 3. Aluarez loco citato

n. 11.

Digitized by Google

num. 11. Tannerus num. 203. Valentia quæſt. 2. pun. 8. Vaſquez diſp. 23. cap. 2. num. 6. & ſeqq. Cabrera quæſt. 2. art. 11. diſp. 6. num. 17. & alij contra Gabrielem in 3. diſp. 4. q. 1. art. 3. dub. 3. Maiorem, & alios apud præcitatos DD.

Addo probabiliter dici poſſe, Beatiſſimam Virginem non potuiſſe de potentia Dei abſoluta mereri maternitatem de condigno vt colligitur. Tum ex tertia ratione. Tū quia hęc maternitas eſſentialem ordinem dicit ad hunc filium. Ita Vaſquez, & Tannerus locis citatis contra Suarez loco cit. col. 3. aliter exiſtimantem de maternitate; hanc enim putat de potentia Dei abſoluta poſſe cadere ſub meritum de condigno, quia dignitas matris non eſt adeò infinita ſicut eſt vnio hypoſtatica. Verū hæc ratio refelli poteſt, quia maternitas Beatiſſimæ Virginis dicit ordinem ad hunc filium, ideſt Chriſtum, conſequenter ſi Beatiſſima Virgo meruiſſet maternitatē, meruiſſet etiam, vt ex ipſa naſceretur Chriſtus, conſequenter meruiſſet Incarnationem Chriſti.

Obijcies primo, Beatiſſima Virgo meruit de cōdigno gratiam, ſeu diſpoſitionem, per quam efficeretur digna mater Chriſti, vt communiter conceditur à Patribus, & Doctoribus. Ergo etiam de condigno meruit Incarnationem, ſeu maternitatem.

Reſpondeo negando conſequentiā; ſicut enim aliud eſt forma, aliud diſpoſitio ad formam, ita aliud eſt mereri diſpoſitionem ad maternitatē, aliud mereri maternitatē, ſeu Incarnationē; Beatiſſima Virgo illam meruit de condigno, non autē iſtam.

Obijcies ſecundo, Beatiſſima Virgo meruit de condigno aliquid excellentius maternitate diuina, ideſt æternam beatitudinem. Ergo etiam meruit de condigno maternitatem; nam qui meretur maius de cōdigno, meretur etiam minus.

Reſpondeo quicquid ſit de antecedenti præcisè conſiderato, negandam eſſe conſequentiam, tum quia meritum finitum exhauritur pręmio illi adæquato, & condignō; pręmiū autem adæquatum, & condignum meritis Beatiſſimæ Virginis erat gloria, & augmentum gratiæ. Tum quia illa conſequentia valet ſolum in ijs, quæ ita ſunt ſubordinata, vt vnum cadere non poſſit ſub meritum, quin etiam cadat aliud, non autem in ijs quæ non ſunt ſubordinata. Ideo poteſt quis mereri de cōdigno augmētum gratiæ, & non ſcientiæ, licet gratia ſit donum maius, vt benè Suarez d. 10. ſect. 7. col. 4. Puteanus q. 2. art. 11. dubitat. vltima.

Paragraphus ſecundus.

Vtrum Chriſtus meruerit ſibi gratiam habitualem.

1 *Chriſtus non meruit ſibi gratiam habitualem.*

2 *Chriſtus de potentia Dei abſoluta mereri potuit gratiam habitualē.*

VNICA PROPOSITIO.

1 Chriſtus non meruit ſibi gratiam habitualem. Ratio eſt primo, quia omnis actus meritorius in Chriſto poſterior fuit infuſione gratiæ habitualis, vt conſtabit ex infra

infra dicendis. Ergo Chriſtus non meruit ſibi gratiam habitualē; meritum enim non ſupponit præmium, ſed ordinatur ad præmium acquirendum; natura enim meriti poſtulat, vt ſit cauſa, & via ad præmium.

Secundò, quia quod datur ex debito connaturali, ſi datur eo tempore, quo debetur, non datur ex merito, ſeu per modum præmij (nullus enim meretur quod ſuum eſt) ſed gratia habitualis data fuit Chriſto ex debito connaturali (cum enim Chriſtus ratione vnionis hypoſtaticæ factus ſit filius Dei naturalis, debebatur illi gratia, & alia dona ſupernaturalia, iuxta illud Ioannis 3. *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius*, & Ioannis 1. *vidimus eum plenum gratia, & veritate*) Ergo gratia habitualis data non fuit Chriſto ex merito, ſeu tāquam præmium, ſed gratis.

Tertiò, quia ſicut proprietates connaturales animæ non dantur animæ ex merito, ita gratia, & alia dona Chriſti data ei non fuerunt ex merito, cum ſint veluti proprietates connaturales Chriſti.

Quartò, quia principium meriti non cadit ſub meritum. Hac de cauſa Chriſtus non meruit Incarnationem; ſed gratia habitualis in Chriſto fuit etiam ipſa principium meriti. Ergo non cecidit ſub meritum.

Quintò, quia anima Chriſti nunquā operata eſt, niſi ex habitu; ſēper enim operata eſt perfectò, & connaturali modo. Ergo dum elicuit actū charitatis, prius habuit habitū charitatis, qui connexus eſt cum gratia habituali, & dum elicuit actum ſciētiæ infuſæ, prius habuit lumen ſcientię infuſę, & ſic de cęteris. Ergo Chriſtus non meruit gratiam habitualem. Ita communiter Doctores cum S. Thoma quæſt. 19. art. 3. Eadem ratio militat de alijs donis, quę Chriſtus habuit in inſtanti Cōceptionis.

Obijcies cum S. Thoma quæſt. 34. art. 3. Chriſtus in inſtanti Conceptionis habuit actum amoris Dei erga Deum, per quem diſpoſuit ſe ad gratiam habitualem, & ad alios habitus ſupernaturales; (ſicut enim homines adulti ſe ipſos diſponere ſolent ad gratiam per proprios actus, ita etiam Chriſtus, cum ſufficientem cognitionem tunc temporis haberet.) Ergo Chriſtus meruit gratiam habitualem, & alia dona, cum ille actus amoris erga Deum haberet omnia requiſita ad meritum.

Reſpondeo, negando Chriſtū diſpoſuiſſe ſe ad gratiam habitualem, & ad alia dona per actū charitatis, quia per vnionem hypoſtaticā erat ſufficienter diſpoſitus ad quælibet ſupernaturalia. Secus dic de alijs hominibus; adulti enim indigent diſpoſitione ſupernaturali, per quam diſponātur ad recipiendam formam ſupernaturalem. Vide Suarez d. 40. ſect. 2. verſ. ad ſecundum, Becanum cap. 14. quæſt. 7. num. 9. Tannerum diſp. 1. quæſt. 6. dub. 5. num. 154. Cabreram queſt. 19. art. 3. diſp. 7.

Maior difficultas eſt, vtrū Chriſtus de potentia Dei abſoluta mereri potuerit gratiam habitualem, & alia dona.

Reſpōdeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia Deus potuiſſet prius ordine naturæ, antequam gratia habitualis infunderetur, excitare, & permouere voluntatem Chriſti ad eliciendū actum

Digitized by Google

actum amoris erga Deum, quo actu mereretur gratiam habitualem, & alia dona. Ergo Chriſtus mereri potuiſſet gratiam habitualem.

Paragraphus Tertius.

Vtrum Chriſtus meruerit ſibi gloriam, ſeu viſionem beatificam.

1 *Chriſtus non meruit ſibi gloriam, ſeu viſionem beatificam.*

2 *Chriſtus de potentia Dei abſoluta mereri potuiſſet viſionem beatificam.*

3 *Poteſt quis in eodem inſtanti temporis mereri beatitudinem, & habere beatitudinem; ipſo tamen actu meritorio præcedente ordine natura.*

VNICA PROPOSITIO.

1 Chriſtus non meruit ſibi gloriam, ſeu viſionem beatificam. Ratio eſt, primo quia omne meritum tempore, vel natura præcedit ſuum præmium; ſed nullum aſſignari poteſt tempus, vel inſtans, in quo Chriſtus nō eſſet beatus. Ergo Chriſtus non meruit beatitudinem. Secundò, quia non decebat, vt Chriſtus in ſuis operationibus intellectualibus conſuetum naturæ ordinem ſeruaret, incipiendo ab imperfectis ad perfectiora; ſed potius decebat, vt prima operatio eſſet viſio beatifica, ex qua deinde aliæ operationes quodammodo dirigerentur. Tertiò, quia quod datur ex debito connaturali, ſi datur eo tēpore, quo debetur, non datur ex merito, ſeu tanquam præmium, (ob id facultates, & potententiæ naturales non dicuntur dari ex merito, ſeu tanquam præmium, quoties dantur eo tempore, quo debentur) ſed viſio beatifica debita erat Chriſto (Filio enim Dei naturali debetur viſio Dei, ſicut filio hominis debetur hereditas ſui patris) Ergo viſio beatifica non fuit data Chriſto ex merito Chriſti. Ita S. Thomas q. 19. art. 3. Caietanus ibid. Valentia diſp. 1. q. 19. pun. 3. Vaſq. diſp. 78. cap. 2. num. 3. Suarez diſp. 40. ſect. 2. vbi aſſerit hanc eſſe communem Theoloctorum ſententiam, Becanus cap. 14. q. 7. Cabrera quæſt. 19. art. 3. diſp. 7. §. 3. Peſantius ibid. diſp. 2. & alij contra Maiorem in 3. diſt. 18. q. 2. & alios apud Vaſq. cā. 1 n. 1. & apud alios præfatos Doct.

Hinc patet quid dicendum ſit de continuatione gloriæ, aut etiam gratię; hanc enim Chriſtus non promeruit, vt patet ex allatis rationibus. Ita Vaſquez diſp. 78. cap. 3. Tannerus d. 1. q. 6. dub. 5. num. 153. & alij.

2 Quæres, Vtrum Chriſtus, ſaltē de potentia Dei abſoluta mereri potuerit viſionem beatificam.

Reſpondeo affirmatiuè, vt in ſimili argumentatus ſum §. præcedente; nam Chriſtus in inſtanti Conceptionis, antequam alios habitus reciperet, potuiſſet Deum cognoſcere, & à Deo excitari ad liberum actum amoris erga Deū, quo actu meruiſſet habitus ſupernaturales, & præſertim lumen gloriæ, ac conſequenter ipſam viſionem beatificam, quæ ſupponit lumen gloriæ. Ita Doctores citati.

Obijcies primò, ſi Chriſtus potuit mereri viſionem beatificam, di-

cen-

cendum eſt re ipſa meruiſſe, quia perfectius, & excellentius eſt aliquid habere ex proprijs meritis, quam ſine meritis, vt argumentatus ſum §. 1. in ſecunda ratione primi quæſiti n. 2.

Reſpondeo, Chriſtum non meruiſſe viſionem beatificam, non quia non ſit perfectius habere aliquid ex proprijs meritis, quam ſine proprijs meritis; ſed quia Chriſtus, antequam liberè operaretur, habebat lumen gloriæ, & alios habitus ſupernaturales ad operationes ſupernaturales neceſſarios, & cæteris paribus perfectius eſt operari ex habitu, quam ſine habitu.

3 Obijcies ſecundò, implicat nos in eodẽ inſtanti mereri beatitudinẽ, & habere beatitudinem (in eo .n. inſtanti, quo quis meretur beatitudinem, habet actum fidei) nullus enim poteſt actum meritorium elicere ſine actu fidei, iuxta illud Cor. 5. *Per fidem ambulamus*, & Hebræor. 11. *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo*; beatitudo autem conſiſtit in viſione beatifica; ſed implicat habere ſimul fidem, & viſionem beatificam; alioquin in eodem eſſet ſimul cognitio Dei clara, & obſcura. Ergo Chriſtus non potuit etiam de potentia Dei abſoluta mereri beatitudinẽ, alioquin in eodem inſtanti habuiſſet fidem, & claram Dei viſionem.

Reſpondeo negando maiorẽ propoſitionem, loquendo de potentia Dei abſoluta; non enim implicat in eodem inſtanti temporis mereri beatitudinem per actum ordine naturæ præcedentem ipſam beatitudinem.

Addo Chriſtum nunquã habuiſſe actum fidei, & nihilominus meruiſſe, quia fides ad meritum requiritur in nobis ſolum iuxta legem Dei ordinariam, vt benè Becanus cap. 14. q. 7. n. 12.

Obijcies tertiò, impoſſibile eſt ſimul moueri ad terminum, & eſſe in termino. Ergò impoſſibile eſt Chriſtum ſimul mereri beatitudinem, & habere beatitudinem.

Reſpondeo negando antecedens, vt patet primo in mutationibus inſtantaneis, in quibus ſimul eſt motus ad terminandum, & ipſe terminus. Secundo in augmento gratiæ, quòd quis conſequitur in eodem inſtanti, in quo illud meretur. Tertiò, in acquiſitione gratiæ reſpectu Angelorum, qui eodem inſtanti, quo ſe diſpoſuerunt ad gratiam, adepti ſunt gratiam, iuxta Becanum, & alios; ſed de hac re alibi.

Punctum Sextum.

Quid Chriſtus meruerit hominibus, & quando, & quomodo merita Chriſti hominibus profuerint.

1 *Chriſtus meruit hominibus ea omnia, quæ ad ſalutem conducunt.*
2 *Chriſtus meruit nobis gratiam excitantem, & adiuuantem.*
3 *Chriſtus meruit nobis iuſtificationẽ.*
4 *Chriſtus meruit nobis remiſſionem peccatorum, etiam quoad pœnam temporalem.*
5 *Satisfactio noſtra ad quid neceſſaria ſit, ſi Deus pro nobis ſatisfecit.*
6 *Remiſſio pœnæ quæ obtinetur in Purgatorio per Indulgentias, vel ſatisfactiones viuorum eſt effectus meritorius Chriſti; ſecus dic de ea, quæ*

ſit

ſit per ſatiſpaſſionem.

7 *Chriſtus meruit nobis augmentum gratiæ, remiſſionem peccatorum, noſtra merita, vitam æternã. prædeſtinationem quoad executionem, bona temporalia quatenus conducunt ad ſalutem, non verò auxilia communia debita ratione naturalis prouidentiæ.*

8 *Chriſtus meruit omnibus ea quæ ad ſalutem conducunt.*

9 *Chriſtus meruit Antiquis Patribus dona gratiæ.*

10 *Chriſtus non meruit Adamo gratiam, quam habuit in ſtatu innocentiæ.*

11 *Merita Chriſti tunc hominibus applicantur, dum homines aliquod gratiæ donum accipiunt.*

12 *Meritum Chriſti fuit efficax etiam reſpectu reproborum.*

13 *Merita Chriſti non æqualiter omnibus applicantur.*

TRia in hoc puncto principaliter explicabo. Primò, quid Chriſtus meruerit hominibus. Secundò, an meruerit omnibus. Tertiò, quandonam merita Chriſti applicentur hominibus. Quartò, an æqualiter omnibus applicentur.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus meruit hominibus ea omnia, quæ ad ſalutem hominum conducunt. Ratio eſt primo, quia ſcriptura vniuerſaliter loquitur, Epheſ. 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione in cæleſtibus in Chriſto*, vbi S. Ambroſius ait, *Omne donum gratiæ Dei in Chriſto eſt, & ſi quis ſpreto Chriſto benedici ſe à Deo putat, errare ſe ſciat*, Hebreor. 12. *Aſpicientes in Auctorem fidei, & cõſumatorem Ieſum.* Ioannis 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, quia lex per Moiſen data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Roman. 8. *Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo etiam cum illo omnia nobis donauit.*

Secundò, quia Chriſtus fuit perfectus redemptor humani generis. Ergo per Chriſtum habemus omnia illa dona, quæ faciunt ad ſalutem, & redemptienem.

Tertiò, quia operationes Chriſti fuerunt infiniti valoris, & meriti. Ergo quicquid boni ad ſalutem pertinentis habent homines, habent ex meritis Chriſti.

Quartò, quia ad perfectionem, & excellentiam Chriſti ſpectat, vt hæc nobis meruerit. Ergo dicendum eſt Chriſtum hæc meruiſſe, quia nihil ei denegatum fuit, quod ad ipſius excellentiam ſpectet, niſi ratio aliqua impoſſibilitatis adſit. Ita S. Thomas quæſt. 7. art. 9. vbi ait, Chriſto datam eſſe gratiam tanquam cuidam principio vniuerſali, cuius virtus ſe extendit ad omnes gratiæ effectus, & operationes.

Obijcies, nullus poteſt alteri mereri; meritum enim eſt paſſio actionis; actio autem vnius non eſt in poteſtate alterius. Ergo Chriſtus non potuit nobis quicquam mereri.

Reſpondeo, Chriſtum promeruiſſe nobis de condigno præfata bona, non quia meritum, & actio Chriſti nobis cedat, & imputetur; ſed quia præmium, quod reſpondet merito Chriſti, tribuitur nobis.

2 Hinc colligitur primo, Chriſtũ me-

meruiſſe nobis omnia auxilia gratiæ excitantis,& adiuuantis,quibus præparamur ad iuſtificationem, & remiſſionem peccatorum, vt ſunt motus fidei, ſpei, dilectionis, & contritionis. Ratio patet, tum ex dictis in propoſitione, tum ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 5. vbi habetur *iuſtificationis exordium in adultis à Deo per Chriſtum Ieſum proueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur*. Tum ex alijs Concilijs, vt Mileuitano cap. 3. & 4. Arauſicano 2. cap. 5. & alibi, vbi omnis gratiá ad ſalutem neceſſaria, vocatur gratia Chriſti. Ita S. Thomas loc. cit. Suarez diſp. 41. ſect. 2. col. 2. Vaſquez diſp. 77. c. 2. num. 4. & ſeqq. Valentia quæſt. 19. pun. 4. Peſantius q. 19. art. 4. diſp. 1. Becanus cap. 14. quæſt. 10. Puteanus quæſt. 19. art. 4. dub. vlt. Cabrera quæſt. 19. art. 4. diſp. 4. §. 4. Aluarez diſp. 50. num. 5. & 8. Tannerus quæſt. 6. dub. 5. num. 159. & ſeqq. & alij contra Capreolum, Taperum, & alios apud Vaſquez loco citato cap. 1. num. 1. aſſerentes Chriſtum non meruiſſe adultis motus fidei, ſpei, dilectionis, & contritionis, quibus diſponuntur ad iuſtificationem.

Obijcies primo, homines gratis iuſtificatur, Roman. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius*. Ergo Chriſtus non meruit nobis diſpoſitiones requiſitas ad iuſtificationem; alioquin nō diceremur gratis iuſtificari; quod n. datur ex meritis, nō datur gratis.

Reſpondeo, nos dici gratis iuſtificari reſpectū noſtrorum operum, quia opera noſtra non merentur iuſtificationem, & diſpoſitiones ad iuſtificationem requiſitas; reſpectū verò meritorum Chriſti nō dicimur gratis iuſtificari, quia tota noſtra iuſtificatio, & diſpoſitiones ad ipsā requiſitæ, pendēt à meritis Chriſti.

Obijcies ſecundo, vocatio, & alia auxilia, quibus homo conuertitur ad Deum, in ſcriptura tribui ſolent beneplacito, & miſericordię Dei, Rom. 8. & 9. Epheſ. 1. & Hebreor. 4. Ergo non pendēt ex meritis Chriſti; alioquin non tribuerentur beneplacito, & miſericordiæ Dei.

Reſpondeo primo, præfata loca intelligi de primo conſilio, & propoſitio Dei, quo Deus voluntatem habuit redimendi homines; hoc enim tribuitur beneplacito, & miſericordiæ Dei, vt patet ſupradictis de ordine, qui fuit in conſilio Dei circa Incarnationem.

Reſpondeo ſecundo, ijs locis nō excludi merita Chriſti; Deus enim ſuo conſilio, & arbitratu auxilia gratiæ confert, ſed non abſque meritis Chriſti. Quo etiam pacto intelligitur locus ille Ioann. 6. *Nemo*, inquit Chriſtus, *Poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum*. Vide Valentiam, Vaſquez, Becanum, Suarez, & Tannerum locis citatis.

Obijcies tertio, ſi Chriſtus Incarnatus non fuiſſet, adhuc nobis collata fuiſſent auxilia neceſſaria ad iuſtificationem, & obſeruationem legis. Ergo auxilia neceſſaria ad iuſtificationem non conferuntur ex meritis Chriſti; illud enim non pendet ex meritis Chriſti, quod ipſis non extantibus collatum fuiſſet.

Reſpondeo, nos loqui de facto, ſuppoſita Chriſti Incarnatione; non autem illa præciſa; nunc enim auxilia

ſia conferuntur ex meritis Chriſti; præciſa vero Incarnatione, non conſtat, an auxilia data fuiſſent ex ſola Dei miſericordia, vel an denegata fuiſſent in pœnam peccati.

Obijcies quarto, ea nobis conferuntur per merita Chriſti, quæ per Adam perdidimus; ſed per Adam non perdidimus fidem; Adam enim non peccauit contra fidem. Ergo fides, ſeu motus fidei non conferuntur nobis per merita Chriſti.

Reſpondeo, Adamum peccaſſe contra fidem, quia non credidit ſe moriturum quacunque hora comederet de ligno vitis, iuxta verbũ Dei; conſequenter Adam amiſit ſibi, & nobis fidem. Deinde etiamſi admitteremus ipſum non amiſiſſe ſibi fidem; Illam tamen nobis amiſit. Vide Vaſquez de Incarnat. diſp. 77. c. 4. n. 18. Bellarminum lib. 3. de amiſſione gratiæ cap. 6. Becanum c. 14. quæſt. 10. num. 14. Tannerum q. 6. dub. 5. num. 165.

3 Secundò, Colligitur Chriſtum meruiſſe nobis ipſammet iuſtificationem, vt patet, tum ex rationibus in propoſitione allatis, tum quia hic eſt præcipuus finis, ob quẽ Verbum Dei carnem aſſumpſi, tum quia ad Romanos 3. dicitur, *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Ad Epheſ. 1. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſsionem peccatorum ſecundum diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis.*

4 Maior difficultas eſt, Vtrum Chriſtus meruerit nobis etiam remiſſionem peccatorũ quoad pęnam. Reſpondeo meruiſſe non ſolum quoad pœnam æternam. Huiuſmodi enim remiſſio neceſſariò conſequitur remiſſionẽ culpę. Verum etiam quoad pœnam temporalem. Ratio eſt. Tum quia 1. Ioannis 1. dicitur, *Sanguis eius emundat nos ab omni peccato*; dicitur autem emundare non ſolum per remiſſionem culpę, verum etiam per remiſſionem pęnæ. Tum quia ad remiſſionem, & ſatisfactionem pro pœna neceſſaria eſt gratia, & promiſſio Dei. Vtraque autem pendet ex meritis Chriſti. Tum quia ſicut ex meritis Chriſti pendet, vt benè operanti tale præmium conferatur; ita etiam ex ipſius meritis pendet, vt præſtanti opus ſatisfactoriũ tantum pœnæ auferatur. Ita Suarez diſp. 41. ſect. 3. col. 5. verſ. ex quibus, & alij.

5 Dices, ſi Chriſtus meruit, & ſatisfecit pro nobis, quid opus eſt noſtra ſatisfactione?

Reſpondeo opus eſſe noſtra ſatisfactione, quia Deus non decreuit meritum, & ſatisfactionem Chriſti applicare nobis independenter ab operibus noſtris; Deus enim non ſaluat nos ſine nobis. Quamobrem meritum, & ſatisfactio Dei cenſetur veluti cauſa vniuerſalis remiſſionis pęnæ; noſtra verò ſatisfactio cenſetur cauſa proxima, quæ non operatur, niſi concurrente cauſa vniuerſali, licet vtraq; in ſuo genere perfecta ſit. Vide ſupradicta de merito Chriſti.

6 Rogabis, an remiſſio pœnæ, quæ obtinetur in Purgatorio, ſit effectus meritorum Chriſti.

Reſpondeo affirmatiuè, ſi loquamur de remiſſione, quæ obtinetur per Indulgentias, vel ſatisfactiones viuorum, vt dictum eſt in ſolutione difficultatis. Secus ſi loquamur de remiſſione pęnæ, quæ fit per ſatiſpaſſionem

nem; hæc enim potius eſt ſolutio, quam remiſſio, cum homo tantum pœnæ ſoluat, quantum debet. Vide Suarez loco citato ſect. 3. ſub finem.

7 Tertiò, Colligitur Chriſtum meruiſſe nobis augmentum gratiæ, & alia dona, quæ primam gratiam iuſtificantem conſequuntur, vt patet, tum ex rationibus in propoſitione allatis, tum ex illo Ioann. 10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant*, ad Epheſ. 1. *In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit*.

Quartò, Chriſtum meruiſſe nobis non ſolum remiſſionem peccatorum mortalium, verum etiam venialium, vt patet tum ex rationibus in propoſitione allatis, tum ex illo Ioannis 1. *Et ſanguis eius emundat nos ab omni peccato*, vbi Apoſtolus generaliter loquitur.

Quintò, Chriſtum meruiſſe nobis merita noſtra, ipſumq; eſſe cauſam noſtrorum meritorũ. Quod ſit cauſa noſtrorum meritorũ patet, tum quia nos non poſſumus mereri ſine auxilio gratiæ Dei; auxilia autem gratiæ Dei dantur ex meritis Chriſti, tum quia opera noſtra non habent rationem perfecti meriti, niſi poſita promiſſione Dei; hæc autem promiſſio facta videtur ob merita Chriſti, vt colligitur ex Apoſtolo 2. Timot. 1. *Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei ſecundum promiſſionem vitæ quæ eſt in Chriſto Ieſu*, & ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. *Benè operantibus vſq; in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, tanquam gratia filijs Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda*, & ſeſſ. 16. cap. 8. *Non habet homo vnde glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo viuimus, in quo mouemur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ.*

Obijcies, Opera iuſtorum habent valorem, etiam indepēdenter à meritis Chriſti, vt patet in Angelis viatoribus, quorum bona opera meritoria fuerunt independenter à meritis Chriſti. Ergo Chriſtus non fuit cauſa noſtrorum meritorum.

Reſpondeo, noſtra opera nullum valorem, & meritum habere ad bona ſpiritualia ſine meritis Chriſti; nullum enim opus meritorium fieri poteſt ſine gratia Dei; hæc autē confertur nobis ex meritis Chriſti, & accedente promiſſione Dei, quæ facta fuit ob merita Chriſti. Vide Suar. diſp. 41. ſect. 3. col. 4. Becanum cap. 14. quæſt. 12.

Sextò, Chriſtum meruiſſe nobis vitam æternã, vt patet, tum ex allatis rationibus, tum quia Chriſtus ſua morte aperuit nobis ianuam cęlorũ. Hebręor. 10. Tum quia Roman. 6. dicitur; *Gratia Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Obijcies, ſi Chriſtus meruit nobis vitam æternam, ſequitur omnes homines ſaluandos eſſe, quia Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, & ſatisfecit.

Reſpondeo, Chriſtum meruiſſe omnibus vitam æternam quoad ſufficientiam, quia merita Chriſti ex ſe ſunt cauſa indifferens, & ſufficiens ad ſaluandos quoſcunque; quod autem vnus potius ſaluetur, quã alius, prouenit ex diſpoſitione, & iudicio Dei, qui vni aliquãdo denegat, quod alteri concedit, vnum præſciuit, alterum

terum prædeſtinauit. Ita Suar. diſp. 41. ſect. 4. ad finem, Peſantius q. 19. art. 4. diſp. 2. Becanus, Tannerus, & alij loc. cit.

Septimò, Chriſtũ meruiſſe nobis prædeſtinationem, non quo ad actũ Dei, cum actus Dei ſit idem cum ipſo Deo; ſed quoad obiectũ, & quoad executionem, vt patet, tum ex rationibus ſepius indicatis, Tum ex Apoſtolo ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*, & infra, *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ*. Ita Suarez diſp. 41. ſect. 4. vbi de hac re fusè agit, Valentia 3. p. d. 1. q. 19. p. 4. Vaſq. 1. p. diſp. 94. n. 6. Peſantius de Incarnat. q. 19. art. 4. diſp. 2. Cabrera ibid. diſp. 1. Tannerus d. 1. q. 6. dub. 5. num. 166. & alij ferè communiter contra Medinam 3. p. q. 19. art. 4. dub. vlt. & alios. Hæc illatio clarius explicabitur infra, dum loquar de prædeſtinatione Chriſti.

Octauò, colligitur Chriſtum meruiſſe nobis bona temporalia, quatenus conducunt ad ſalutem; nã ſicut homines iuſti merentur huiuſmodi bona, vt probabo in tractatu de gratia cum S. Thoma 1. 2. q. 114. art. vlt. ita etiam Chriſtus dicitur illa meruiſſe; nam omne meritum hominis iuſti fundatur in meritis Chriſti. Ita Suarez d. 41. ſect. 4. ad finem.

Nonò, Chriſtum non meruiſſe auxilia communia, quæ per prouidentiam naturalem, ſeu iuxta exigentiã cauſarum naturalium debentur homini; hæc enim ſunt auxilia ordinis naturæ. Secus dic de auxilijs, quæ debentur homini ratione redemptionis per prouidentiam ſupernaturalem. Vide Becanum loco citato nu. 11. & Vaſq. loco cit.

SECVNDA PROPOSITIO.

8 Chriſtus meruit omnibus ea, quæ ad ſalutem conducunt. Ratio eſt primò, quia ſcriptura generaliter loquitur, 2. Cor. 5. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*. 1. Tim. 2. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*, & 1. Ioan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autẽ tantum, ſed etiam pro totius Mundi*. Secundò, quia Chriſtus eſt vniuerſalis, & perfectus redemptor, & infinitè meruit.

Hinc ſequitur primò, Chriſtum meruiſſe infidelibus illa auxilia ſupernaturalia, quæ ipſis à Deo tribuuntur.

Obijcies, Infideles non ſunt membra Chriſti. Ergo Chriſtus in ipſos non influit.

Reſpondeo, Chriſtum influere in Infideles, vt fiant ipſius membra, ſicut calor naturalis non ſolum agit in membra corporis, illa vegetando, & conſeruando; verum etiam agit in cibum, & potum, vt fiant partes corporis.

Secundò, Chriſtum meruiſſe non ſolum prædeſtinatis, verum etiam reprobis, non ſolum Infantibus, verum etiam Adultis.

Obijcies, Mat. 9. dicitur, *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores*, & cap. 15. *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierũt domus Iſrael*. Ergo merita Chriſti non extenduntur ad omnes.

Reſpondeo, Chriſtum veniſſe vocare peccatores, quia cum Chriſtus medicus eſſet, curabat eos, qui ſe in-

Digitized by Google

firmos fatebantur, & medicinam capiebant; non autem illos, qui ſe fatebantur ſanos, & medicum, & eius medicinam reſpuebant.

Præterea dicitur miſſus ad oues domus Iſrael, ideſt ad Iudæos, quia promiſſus fuerat Abrahæ ob ipſius fidem. Et ideò vocatus fuit miniſter circumciſionis; non tamen ob id excluſit gentiles, ſed omnes ad ſuam fidem admitti voluit, iuxta illud, *Docete omnes gentes*. Vide ſupradicta de fine Incarnationis.

9 Quæres primò, vtrum Chriſtus meruerit Antiquis Patribus dona gratiæ.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt primò, quia non poteſt afferri implicantia, cur Deus ex præuiſis Chriſti meritis conferre non poſſet Sanctis Patribus dona gratiæ, & ſcriptura ſatis indicat id factum fuiſſe. Ergo id negare non poſſumus. Secundò, quia ſcriptura generaliter loquitur, ad Romanos 3. de Chriſto dicitur, *Quẽ propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitię ſuę propter remiſſionem præcedentium delictorum*. Item ad Rom. 5. dicitur, *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit* 2. Corinth. 5. *Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*. 1. Ioannis 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*, Apocalipſis 13. Agnus dicitur occiſus ab origine mundi, quia ſcilicet ex præuiſa Chriſti morte collata fuerunt dona hominibus etiam ab origine Mūdi. Ita communiter Doctores, quicquid dicat Driedo de capt. hum. gen. tract. 2. c. 2. par. 3. art. 4.

Obijcies primò, meritum præcedere debet pręmiũ; cauſa enim præcedit effectum; ſed merita Chriſti non præceſſerunt dona Sanctorum Patrum; ſicut ergo Chriſtus poſterior fuit Sanctis Patribus, ita etiam ipſius merita poſteriora fuerunt donis collatis Sanctis Patribus. Ergo Chriſtus non meruit dona gratiæ Sanctis Patribus.

Reſpondeo, ad meritum abſolutè non requiri, vt prius tempore, vel natura actu exiſtat ante præmium; ſed ſufficit, vt præexiſtat in mente illius, qui collaturus eſt *præmium*; tunc enim meritum non cauſat pręmium phyſicè, ſed moraliter. Vt igitur Chriſtus dicatur cauſa meritoria donorum gratiæ collatorum Sanctis Patribus, ſufficit, vt merita Chriſti præceſſerint in præſcientia Dei; ſic enim merita Chriſti præuiſa dicuntur cauſa moralis donorum gratiæ antiquorum Patrum, quia Deus illa contulit Sanctis Patribus intuitu meritorum Chriſti.

Obijcies ſecundò, Deus tribuit meritis Chriſti præmium ex iuſtitia; iuſtitia autem ſupponit obligationem ortam ex aliqua conuentione, & pacto; ſed nulla conuentio fieri potuit à Deo cum Chriſto, antequã exiſteret. Ergo Deus non tribuit merito Chriſti præmium, antequàm exiſteret. Ergo Chriſtus non meruit antiquis Patribus dona gratiæ.

Reſpondeo, conuentionem factam

ctam fuiſſe cum Verbo, non ſecundum naturam diuinam, nec vt actualiter vnito naturæ humanæ, ſed vt præuiſo, & exiſtente in præſciẽtia diuina, quo pacto exiſtebant etiam ipſius merita, quorum intuitu conferebatur gratia Sanctis Patribus. Ita Suarez in opuſcul. de iuſt. ſect. 5. nu. 51. Valentia d. 1. q. 19. pun. 4. Tannerus diſp. 1. quæſt. 6. dub. 5. num. 174. & alij.

Obijcies tertiò, ſi Chriſtus meruiſſet Sãctis Patrib. dona gratię, & Sancti Patres illa recepiſſent intuitu meritorum Chriſti, ſequeretur tunc diabolum fuiſſe eiectum, & ipſius regnum deſtructum, & chyrographum peccati deletum; ſed hoc eſt falſum; nam Ioannis 12. dicitur, *Principem huius mundi foras eiciendum tempore paſſionis Chriſti*, & ad Coloſſ. 2. habetur, *A tempore mortis Chriſti deſtructum fuiſſe regnum diaboli, & deletum chyrographum peccati*. Ergo &c.

Reſpondeo, in ſcriptura tunc dici diabolum foras eiectum, eiuſq; regnum deſtructum, & deletum chyrographum peccati, dum ſolutum fuit precium redemptionis, intuitu cuius iam ab origine mundi collata fuerat Sanctis Patribus gratia redemptionis, & liberationis; pretium autem redemptionis ſolutum fuit in Chriſti Paſſione. Vide Vaſq. diſp. 77. cap. 6.

10 Quęres ſecundò, Vtrum Chriſtus meruerit Adamo gratiam, quã habuit in ſtatu innocentiæ.

Reſpondeo negatiuè, ſi loquamur de gratia, quæ Adamo collata fuit in ſtatu innocentiæ. Ratio eſt, primò quia Adam in illis bonis, id eſt in ſtatu innocentiæ non eguit morte Chriſti, inquit Auguſtinus in lib. de corrept. & gratia cap. 11. Secundò, quia Deus non decreuit Incarnationem ante præuiſum Adæ peccatum; ſed poſt peccatum Adæ, & conſequenter poſt collatam Adæ gratiam. Ergo Chriſtus non meruit gratiam Adæ. Conſequentia probatur, quia meritum Chriſti fuit poſterius gratia Adæ, non ſolum in executione, verum etiam in intentione; conſequenter Chriſtus mereri non potuit gratiam Adæ, quia meritum precedit præmium, ſicut cauſa effectum. Ita Sotus libro 1. de nat. & grat. cap. 6. Vaſquez 3. parte diſp. 12. cap. 2. num. 7. Becanus de Incarnatione cap. 1. quæſtione 7. num. 5. & alij contra Suarez 3. parte diſp. 41. ſectione 1. Gregorium de Valentia diſp. 1. quæſtione 19. puncto 4. Tannerum diſput. 1. quæſt. 6. dub. 5. num. 176. & alios.

Obijcies primò, magis decet Chriſti dignitatem, ſi dicamus ipſum meruiſſe Adamo gratiam. Ergo Chriſtus meruit Adamo gratiam.

Reſpondeo negando antecedens, inſpecto fine, propter quem Verbum carnem aſſumpſit; cum enim Verbum aſſumpſerit carnem ad redimendos homines, & redemptio ſupponat lapſum, ſequitur Chriſti dignitatem ea decere, quę faciunt ad redimendos homines, ſeu ad finem Incarnationis; non autem illa, quæ non dependent ab Incarnatione, vt eſt gratia, quę data fuit Adamo in ſtatu innocentię.

Obijcies ſecundò, in ſcriptura vniuerſim gratia tribuitur Chriſto tanquam authori, Epheſ. 1. *Benedi-*

xit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus, & S. Thomas quæſt. 7. art. 11. ait, gratiam datam fuiſſe Chriſto tãquam vniuerſali principio gratificationis humanæ naturæ. Ergo Chriſtus meruit etiam Adamo gratiam, quam Adam habuit in ſtatu innocentiæ.

Reſpondeo, illum locum Apoſtoli intelligi de benedictione, quæ obtenta fuit poſt maledictionem, vt patet ex ſequentibus verbis, in quo habemus redemptionem; Idem dic ad locum S. Thomæ.

Obijcies tertiò, ſi Adam non accepiſſet gratiam in ſtatu innocentiæ ex meritis Chriſti, ſequeretur ipſum nunc in cœlis habere aliquos gloriæ gradus independẽter à meritis Chriſti, nempè illos, qui dati ſunt Adamo ob merita præſtita in ſtatu innocentiæ; nam illa merita, vt ſupponimus, fiebant per gratiam ex mera Dei liberalitate collatam independenter à meritis Chriſti; ſed conſequens videtur falſum. Ergo & antecedens.

Reſpondeo, Adamum in cœlis nõ habere vllum gloriæ, & beatitudinis gradum independenter à meritis Chriſti, quia merita Adami facta in ſtatu innocentiæ mortificata fuerunt per ſubſequens peccatum, & non reuixerunt niſi per gratiam ex meritis Chriſti collatam; conſequenter gradus gloriæ, qui dati ſunt Adamo propter reuiuiſcentiam meritorum, robur habent ex meritis Chriſti.

Obijcies quartò, Adam in ſtatu innocentiæ habuit fidem venturi Chriſti, ex S. Thoma 3. p. art. 3. ad 5. & alijs. Ergo etiam habuit gratiam dependenter à meritis Chriſti.

Reſponderi poteſt primo cum Vaſquez diſp. 12. cap. 13. & diſp. 49. cap. 6. num. 42. Adamum, aut Angelos non habuiſſe fidem myſterij Incarnationis ex meritis Chriſti, quia Chriſtus mortuus non fuit pro homine nondum lapſo.

Reſpondeo ſecundo negando cõſequentiam; quamuis enim Adam habuerit fidem aduẽtus Chriſti dependenter à meritis Chriſti, non tamen ſequitur ipſum etiam habuiſſe gratiam in ſtatu innocentiæ dependenter à meritis Chriſti. Ratio diſparitatis eſt, quia Adam habuit gratiam ex mera Dei liberalitate, illamque habuiſſet etiam ſi Chriſtus incarnatus nõ fuiſſet; fidem verò habuit ex meritis Chriſti, illamq; non habuiſſet, ſi Chriſtus venturus non fuiſſet. Ita Becanus cap. 1. quæſt. 7. num. 7. Vaſquez diſp. 12. cap. 3. num. 20. & alij.

TERTIA PROPOSITIO.

11 Tunc merita Chriſti applicantur hominibus, dum homines aliquod gratiæ donum accipiunt ob merita Chriſti, ſiue illud accipiant in ſuſceptione Sacramentorum, ſiue extra Sacramenta; applicatio enim meriti, & receptio meriti ſunt correlatiua; conſequenter idẽ eſt dari aliquid ex meritis Chriſti, & applicari merita Chriſti; conſequenter tunc merita Chriſti dicuntur nobis applicari, dum aliquid nobis confertur ex meritis Chriſti. Ita Vaſquez diſputat. 77. Becanus cap. 14. quæſt. 11. num. 2. & alij.

Ex quo ſequitur primò, infantibus

bus applicari merita Chriſti, dū Baptiſmi Sacramentum recipiunt, vel martyrio coronantur; illis verò, qui moriuntur ante Baptiſmum, vel martyrium, non dicuntur applicari merita Chriſti ex iuſto Dei iudicio; ſed Deus ſinit eos decedere in peccato originali, vt patebit ex dicendis de prædeſtinatione, & reprobatione.

12 Secundò, Adultis applicari merita Chriſti, dum gratia ſanctificans illis confertur, vel ad gratiam diſponuntur per actum fidei, ſpei, charitatis, & aliarum virtutum, & hoc militat tam in prędeſtinatis, quam in reprobis; meritum enim Chriſti non ſolum fuit efficax reſpectu prædeſtinatorum, verum etiam reproborum; nam etiam reprobi non ſolum gratiam excitantem, & adiuuantem, verum etiam iuſtificantem frequenter accipiunt ex meritis Chriſti, vt patet, tum ex rationibus in præcedentibus allatis. Tum quia Prouerb. 1. dicitur, *Vocaui, & renuiſti*. Matth. 20. *Multi vocati pauci electi*. Matt. 23. *Hieruſalem, Hieruſalem, quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti*. 1. Timoth. 1. *Quidam circa fidem naufragauerunt*. Hebręor. 6. *Impoſsibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cęleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, & prolapſi ſunt, rurſum renouari ad pœnitentiam*; ſupponitur ergo aliquos recipere gratiam, & poſt lapſum in peccatum non conuerti, ſed damnari; conſequenter reprobos recipere gratiam, licet ea amiſſa damnentur, & Actor. 7. *Dura ceruicie, & incircumciſis cordibus vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*; Ita Becanus cap. 14. q. 11. & alij.

Bon. de Incarnat.

QVARTA PROPOSITIO.

13 Merita Chriſti non ęqualiter applicantur omnibus, quibus applicantur. Ratio eſt, tum quia liberum eſt Deo ſua dona diſtribuere iuxta ſuam voluntatem, & arbitrium. Tum quia Matth. 19. dicitur, *Qui poteſt capere capiat*, & cap. 25. *Vni dedit quinque talenta, alij autē duo, & alij verò vnum*; ad Epheſ. 4. *Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundū menſuram donationis Chriſti*, & 1. Corinth. 7. *Vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic; alius verò ſic*.

Ex quo fit, vt vnus aliquando habeat maiorem vocationis gratiam, alter minorem, vnus admittat vocationis gratiam, alter reſpuat, vnus tot gratiæ gradus, alter maiores, vel pauciores, & ſic de cæteris. Vnde autem iſta inæqualitas oriatur, conſtabit ex dicendis de prædeſtinatione, & de efficacia gratiæ, vbi oſtendam prouenire, tum ex voluntate Dei, tum ex noſtra cooperatione.

Punctum Septimum.

Quid Chriſtus meruerit Angelis.

1 *Chriſtus meruit Angelis manifeſtationem quorundam myſteriorum.*
2 *Chriſtus non meruit Angelis gratiā, & gloriam.*
3 *Chriſtus alia ratione eſt caput hominum, quam Angelorum.*
4 *Angeli viatores habuerunt fidem Incarnationis iuxta ſententiam nō-*

nullorum Doctorum. Alij tamen id negant.

VNICA PROPOSITIO.

1 CHriſtus meruit Angelis manifeſtationem nonnullorũ myſteriorum, quæ ipſis antea ignota erant. Ratio eſt, quia Angeli ob merita Chriſti nonnulla myſteria cognouerunt, quæ antea ignorabant, vt patet, tum Iſaiæ 63. vbi Angelis interrogantibus, *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſram?* Chriſtus reſpondet, *Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum, torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum*; quo in loco manifeſtè apparet, Angelos nonnulla circa Chriſti Paſſionem, Reſurrectionem, & Aſcenſionem ignoraſſe, de quibus certiores facti fuerunt à Chriſto. Tum ex Apoſtolo ad Epheſ. 3. *Mihi data eſt gratia hæc in gentibus euãgelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, vt innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiã multiformis ſapientia Dei, &c.* nomine aũt Principatuum, & Poteſtatuum intelliguntur Angeli, qui per prædicationem Apoſtolorum multa cognouerunt, quæ antea ignorabant. Ita S. Auguſtinus, S. Thomas, S. Dioniſius, S. Hieronymus, & alij, quos citat, & ſequitur Becanus 3. par. cap. 14. q. 9. num. 2. & 3.

2 Maior difficultas eſt, vtrũ Chriſtus meruerit Angelis gratiam, & gloriam.

Reſpondeo negatiuè iuxta valdè probabilem multorum Doctorum ſententiam. S. Bonauẽturæ in 3. diſt. 13. art. 2. q. 3. S. Thomæ ibdem q. 2. art. 2. Durandi, Paludani, Maioris, & aliorum, quos citat, & ſequitur Becanus in tract. de Angelis cap. 2. q. 4. n. 3. Vaſq. 3. p. diſp. 49. cap. 2. n. 8. & ſeqq. Puteanus q. 8. dubio 2. contra Suarez 3. p. d. 42. ſect. 1. Valentiam 3. p. d. 1. q. 8. pun. 3. Cabrerã q. 8. art. 4. d. vnica §. 5. Tannerum d. 1. q. 6. dub. 5. nu. 178. & quamplures alios apud Vaſq. cap. 1. & apud alios præcitatos Doctores. Ratio eſt primo, quia negotium Angelorum conſumatum fuit ante præuiſum peccatum Adæ; prius enim præuiſum fuit peccatum Angelorum, quam Adæ, cum peccatum Angelorum aliquo modo fuerit cauſa peccati Adæ. Ergo Chriſtus non potuit eſſe cauſa meritoria gratiæ Angelorũ; cauſa enim præcedere debet effectum, cuius eſt cauſa.

Secundò, quia gratia, & gloria Angelorum independens fuit à peccato Adæ. Ergo etiam independens fuit à morte, ſeu meritis Chriſti; cũ merita Chriſti ſupponant peccatum Adæ; Chriſtus enim incarnatus, & paſſus eſt ob peccatum Adæ.

Tertiò, quia Chriſtus non dicitur redemptor Angelorum, aut mortuus pro ipſis. Ergo Chriſtus nõ meruit gratiam, & gloriam Angelis; alioquin dici poſſet redemptor ipſorum, & mortuus pro ipſis.

Obijcies primò, Chriſtus veniſſet etiamſi Adam non peccaſſet. Ergo merita Chriſti non dependent à peccato Adæ; conſequenter gratia Angelorum fundari potuit in meri-

tis

tis Chriſti independenter à peccato Adæ.

Reſpondeo negando antecedens, vt patet ex dictis in præcedentibus.

Obijcies ſecundo, *Chriſtus eſt caput Eccleſiæ* Epheſ. 1. Ergo eſt caput hominum, & Angelorum, cum homines, & Angeli conſtituant vnam Eccleſiam ex S. Hieronimo in eum locum. Ergo Angeli, & homines ſunt mẽbra Chriſti. Ergo influxum gratiæ ab ipſo recipiunt; nam proprium eſt capitis influere in ſua membra.

3 Reſpondeo, Chriſtum alia ratione dici caput hominum, quam Angelorum; nam reſpectu hominum eſt caput homogeneum, cum ſit eiuſdem naturæ cum hominibus; preterea influit in homines interiorẽ gratiam, illoſque dirigit, & gubernat; reſpectu verò Angelorũ non eſt caput homogeneum, nec in ipſos interius influit gratiam ſanctificantem, illos tamen dirigit, & gubernat, conſequenter dicitur caput Angelorum quoad gubernationem, & reuelationem iuxta dicta in propoſitione.

Obijcies tertio, nõ eſt negandum Chriſto, quod facit ad ipſius dignitatem, & excellentiam, & fieri potuit. Sed fieri potuit, vt Chriſtus meruerit Angelis gratiam, & gloriam, idque facit ad ipſius dignitatem, & excellentiam. Ergo Chriſtus meruit Angelis gratiam, & gloriam.

Reſpondeo negando fieri potuiſſe, aut decere, vt Chriſtus meruerit gratiam, & gloriam Angelis, ſuppoſito decreto Incarnationis, ob quod re ipſa venit. Secus ſi loquamur de poſſibili; Deus enim decernere potuiſſet, vt gratia Angelorum penderet à meritis Chriſti, & Chriſtus mereretur ipſis gratiam, & gloriam.

4 Obijcies quarto, Angeli viatores habuerunt fidem vẽturi Chriſti. Ergo per illam, & conſequenter per merita Chriſti, ſanctificati ſunt. Conſequentia patet, quia ſicut nobis reuelatus fuit Chriſtus, vt in ipſum crederemus, & per ipſum ſanctificaremur, ita reuelatus fuiſſe videtur Angelis, vt per ipſum gratiam reciperent. Antecedens probatur primò, authoritate S. Auguſtini lib. 5. ſuper Geneſim ad lit. cap. 19. Secundò, quia Adam in ſtatu innocentiæ habuit fidẽ venturi Chriſti. Ergo etiam illam habuerunt Angeli. Tum quia eſt par ratio. Tum quia Chriſtus eſt caput Angelorum, & hominum, conſequenter ſicut homines habuerunt fidem ſui capitis, ita etiam illam habere debuerunt Angeli. Tertiò, quia Angeli viatores cognouerunt omnia media neceſſaria ad finem ſupernaturalem; ſed præcipuum medium ad finem ſupernaturalem eſt Incarnationis myſterium. Ergo Angeli viatores cognouerunt Incarnationis myſterium. Quartò, quia Angeli in patria vident myſterium Incarnationis in Verbo. Ergo etiam illud cognouerunt per fidem in via, cũ viſio ſuccedat fidei. Quintò, quia Prophetæ, à quibus Incarnationis myſterium prædictum, & prædicatum fuit, illuminati ſunt ab Angelis. Ergo cognitio iſtius myſterij pręceſſit in Angelis.

Reſpondeo, Antecedẽs ab aliquibus Doctoribus, vt à Vaſquez 3. par. diſp. 49. cap. 6. num. 41. concedi,

Digitized by Google

ſed à quãplurìbus alijs negari; multi enim Doctores apud Vaſquez 1. par. diſp. 215. exiſtimant Angelis viatoribus reuelatum non fuiſſe Incarnationis myſterium. Ratio eſt. Tum quia, ex ſcriptura non colligitur hoc myſterium ipſis reuelatum fuiſſe. Tum quia Angeli in termino exiſtẽtes, ideſt beati, & ſancti non cognouerunt myſterium Incarnationis, niſi poſt Incarnationem, vel peculiarem reuelationem, vt patet ex 1. ad Thimot. 3. *Magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus*, & cæt. & Epheſ. 3. *Sacramentum abſconditum à ſæculis in Deo, quod alijs generationibus non eſt agnitum, & quod innotuit Angelis per Eccleſiam Dei.* Ergo multo minus cognouerunt illud Angeli viatores, & nondum in termino exiſtentes.

Ad primam probationem antecedentis Reſpondeo, Auguſtinum loqui de Angelis beatis, non autem de viatoribus.

Ad ſecundam negatur conſequẽtia. Tum quia Chriſtus venturus erat principaliter propter Adamum, conſequenter par fuit, vt ipſi reuelaretur. Tum quia non erat futurus caput Angelorum, niſi poſt præſcientiam peccati Adæ, conſequẽter reuelari non debuit Angelis ante peccatum Adæ.

Ad tertiam Reſpondeo, Incarnationem non eſſe mediũ neceſſarium ad finem ſupernaturalem Angelorũ, quia Chriſtus non venit ob ipſorum ſalutem, alioquin in Deo prius intenta fuiſſet ſalus Angelorum, quam Incarnatio, cũ intentio finis ſit prior intentione, ſeu electione mediorum.

Ad quartam, ab aliquibus negatur antecedens; ſed quicquid ſit de antecedente, negatur conſequentia, nam multa in patria cognoſcuntur, ſiue in Verbo, ſiue per peculiares reuelationes, quæ cognita non fuerunt in via; Verum quidem eſt, quæcunque cognoſcuntur in via per fidem, ſeu obſcurè, cognoſci poſtea clarè per viſionem in patria, iuxta illud, *Videmus nunc per ſpeculum, & in enigmate; tunc autem facie ad faciem*; non tamen verum eſt, in via cognoſci per fidem, quicquid in patria clarè cognoſcimus. Et hinc patet, quomodo intelligendum ſit illud axioma, viſio ſuccedit fidei.

Ad quintam Reſpondeo, Prophetas illuminatos fuiſſe non ab Angelis viatoribus, de quibus hic loquimur, ſed ab Angelis in termino exiſtẽtibus; Angeli .n. nõ erant amplius in via, dum myſterium Incarnationis reuelatum fuit Prophetis.

Obijcies quinto, Chriſtus dicitur inſtauraſſe omnia, quæ in Cœlis, & in Terris ſunt per ſãguinem Crucis; ſed per ea, quæ ſunt in Cœlis intelliguntur Angeli; per ea, quæ in terra ſunt, intelliguntur homines, ergo ſicut Chriſtus meruit iuſtificationẽ hominibus, ita etiam meruit Angelis.

Reſpondeo primo, Chriſtum dici inſtauraſſe omnia quia, quæ in alijs diuiſa erant, cooptauit, & ad ſe tanquam ad caput reduxit; ipſe enim eſt ſumma omnium myſteriorum.

Reſpondeo ſecundo, Angelos dici inſtauratos mortes Chriſti, quia Chri-

Chriſtus ſua morte effecit, vt ſedes, à quibus Angeli ceciderant, reſtaurarentur per homines prædeſtinatos. Alias expoſitiones affert Vaſquez d. 49. cap. 4. num. 26. & ſeqq.

Obijcies ſexto, Chriſtus dicitur reconciliaſſe, & pacificaſſe omnia, ſiue in terris, ſiue in cęlis Coloſſ. 1. id autem fieri nō potuiſſet, niſi Chriſtus Angelis meruiſſet gratiam, & ſanctificationem.

Reſpondeo, Chriſtum dici reconciliaſſe omnia, quia ſanguine ſuo extinxit inimicitias inter homines, & Angelos, nam Angeli ad vindictam de nobis pro peccatis ſumendam, quotidiè mittebantur; ſublato autem peccato per Chriſti mortem, ablata etiam fuit cauſa vindictę; conſequenter Angeli dicuntur hominibus reconciliati. Ita S. Chriſoſtom. homil. 3. in eum locum S. Auguſtinus, Beda, & alij apud Vaſquez loco citato.

Obijcies ſeptimo, Apocalipſ. 12. dicitur *Factum fuiſſe prælium magnum in cælo, & Michaelem viciſſe Draconem in ſanguine Agni, ideſt Chriſti.* Ergò Chriſtus meruit Angelis gratiam, & alia dona.

Reſpondeo, in præfato loco ſermonem non eſſe de prælio Michaelis cum Dęmonibus in Cælo; ſed de prælio hominum contra Dęmones, aſſiſtentibus Michaele, & Angelis ad defenſionem hominum per ſecretas inſpirationes, & hæc victoria iurè merito adſcribitur meritis Chriſti; & prælium dicitur factum in cęlo, ideſt in Eccleſia, quam Patres ibidem cælum appellant, ideò benè additur, *Et ipſi*, ideſt, homines, vicerunt eum, videlicet Dęmonem propter ſanguinem Agni.

Obijcies octauo, Chriſtus vocatur redemptor hominum, & Angelorum ex S. Bernardo ſermon. 22. in Cantica.

Reſpondeo, Chriſtum vocari redemptorem Angelorum, non ſecundum humanitatem, ſed ſecundum diuinitatem, quia Angeli gratiam à Deo acceperunt, non autem ex meritis Chriſti, ex quibus homines illam acceperunt, vt benè Vaſquez loco citato cap. 5. num. 39.

QVÆ-

QVÆSTIO DECIMA TERTIA.

De Satisfactione Chriſti.

IN hac Quæſtione explicabo primò, An Chriſtus ſufficienter ſatisfecerit pro peccatis quoad culpam, & quoad pœnam. Secundò, An ſatisfactio Chriſti fuerit infinita, & in quo poſita ſit infinitas ſatisfactionis. Tertiò, An Chriſtus ſatisfecerit ex iuſtitia, & ex rigore iuſtitiæ.

Punctum Primum.

An ſatisfactio Chriſti non ſolum fuerit ſufficiens ad ſatisfaciendum pro peccatis quoad culpam, & quoad pœnam, verum etiam ſuperabundans.

1 *Chriſtus ſufficienter ſatisfecit pro peccatis totius Mundi.*

2 *Satisfactiones Chriſti non applicantur hominibus independenter à ſuſceptione Sacramētorum, vel exercitio bonorum operum.*

3 *Satisfactio etiam ex ſe fuit æqualis diuinæ offenſæ.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus ſufficienter ſatisfecit pro peccatis totius Mundi quo ad culpam, & quo ad pœnam. Ratio eſt primò, quia ita expreſsè habetur in ſcriptura, Pſal. 129. *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio, & ipſe redimet Iſrael ex oībus iniquitatibus eius.* Iſaiæ 53. *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.* 1. ad Tim. 2. *Dedit Redemptionem ſeipſū pro omnib.* Roman. 5. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.* ad Titū 2. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab iniquitate.* 1. Ioannis 1. *Sanguis Ieſu Chriſti filij eius emundat nos ab omni peccato*, & cap. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam totius Mundi*; idem habetur alibi pluribus in locis.

Se-

Digitized by Google

Secundò, quia ſatisfactio Chriſti fuit infiniti valoris, vt infra probabo. Ergo fuit ſufficiens ad tollenda peccata quoad culpam, & quoad pœnam. Ita communiter Doctores, tam veteres, quam recentiores, cōtra Scotum in 3. diſp. 19. & 20. Durandum ibidem, & alios aſſerentes actiones Chriſti ſecundum ſe, & præciſa liberali Dei acceptatione, non fuiſſe ſufficientes ad ſatisfaciendum Deo.

Obijcies, homines non ſaluantur præciſè ob actiones Chriſti ſatisfactorias, niſi etiam ipſi pia præſtent opera. Ergo Chriſtus non ſatisfecit ſufficienter pro peccatis hominum.

2 Reſpondeo, Chriſtum ſufficiēter ſatisfeciſſe; ſed ſatisfactiones Chriſti non applicari hominibus independenter à ſuſceptione Sacramētorum, vel exercitio bonorum operum. Ratio eſt primò, quia ſic Deus decreuit, Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit, qui non crediderit condemnabitur.* Ioannis 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius.* & 2. Corinth. 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.*

Secundò, quia ita decebat diuinā prouidentiam ſtatuere, ne anſa, & occaſio peccandi præberetur hominibus, qui ſi nouiſſent non opus eſſe vlla ſua cooperatione ad ſalutem, liberè prolapſi fuiſſent in multa peccatorum genera, à quibus modo retrahuntur, ſcientes ſe illorum remiſſionem minimè conſecuturos abſq; ſua cooperatione.

Tertiò, quia id facit ad maiorem Chriſti gloriam, vt homines ad participationem meritorum Chriſti nō admittantur, niſi præuia profeſſione fidei in ipſum, & retractatione peccatorum.

Quartò, quia id arguit maiorem vim, & efficaciam meritorum Chriſti, cum non ſolum pro nobis ſatisfecerit, verum etiam nos effecerit cooperatores ipſius ad noſtram ſalutē. Neq; hinc quicquam detrahitur virtuti, & officio redemptoris, quia officium redemptoris conſiſtit in exhibitione ſatisfactionis debitę pro peccatis, quam Chriſtus ſolus exhibuit, non autem in ipſa ſatisfactionis applicatione præciſè, ad quam etiam nos cooperamur.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Satisfactio Chriſti nō ſolum ex acceptatione Dei, verum etiā ex ſe, & ex proprio valore fuit æqualis diuinæ offenſæ; imò ſuperabundans. Ita Suarez d. 4. ſect. 3. Valentia d. 1. q. 1. pun. 5. Becanus cap. 15. n. 6. Vaſq. d. 5. cap. 2. Tannerus d. 1. q. 2. dub. 2. n. 64. Aluarez d. 4. & alij cōmuniter. Ratio eſt primo, quia Pſal. 129. dicitur, *Copioſa apud eum redemptio.* Roman. 5. *Sed non ſicut delictum, ita & donum; ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit*, &c. & infra, *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia.*

Secundò, quia in Extrauag. Vnigenitus definitum eſt, vnam guttam Chriſti ſanguinis, propter vnionem cum diuino Verbo, ſuffeciſſe pro redemptione totius humani generis; vnio-

vbi notanda eſt illa dictio, *Propter*, quæ indicat condignitatem, & abundantiam iſtius valoris pendere ab vnione naturæ cum Verbo diuino.

Tertiò, quia ſatisfactio Chriſti fuit infinita; fundatur enim in merito Chriſti, quod fuit infinitum. Ergo fuit ſuperabundans, & longè excedens offenſam compenſandam.

Confirmatur, quia valor operum Chriſti eſt infinitus ſimpliciter; offenſa verò, & malitia eſt ſimpliciter finita, & ſolum ſecundum quid infinita, ratione obiecti, ſeu perſonæ offenſæ, quæ ſolum extrinſecè afficit actum, terminando eius tendẽtiam, & habitudinem, vt dictum eſt de peccatis; ſed infinitum ſimpliciter excedit infinities finitũ ſimpliciter, cum finiti ad infinitum non ſit comparatio. Ergo ſatisfactio Chriſti nõ ſolum fuit æquiualens diuinæ offenſæ, verum etiam condigna, & ſuperabundãs, vt benè Tan. n. 108. & alij.

Obijcies primò, Chriſtus, vt homo, nõ potuit reddere Deo æquiualens, ſeu condignas, & æquales gratias pro beneficijs, quæ à Deo accepit; ſicut enim filij non poſſunt reddere ęquiualẽs parẽtibus ex Ariſt. 8. Ethicor. cap. 3. Ita neque Chriſtus potuit reddere Deo æquiualens. Ergo multo minus potuit reddere æquiualens pro alienis offenſis.

Reſponderi poteſt primo, negando antecedens; cum enim opera Chriſti eſſent infiniti valoris, & infinitæ compenſationis, valere potuerunt ad compenſanda omnia beneficia, nam quod infinitum eſt in aliquo genere, inſeruire poteſt omnibus in eodem genere.

Reſponderi poteſt ſecundo, negando conſequentiam, quamuis enim aliquis aliquãdo nequeat cõdignas, & æquales gratias reddere Principi pro beneficijs ab ipſo acceptis, nihilominus fieri poteſt, vt ſatisfaciat pro debito alterius, dum debitum alterius, pro quo ſatisfacit, eſt minus, quam beneficium, quod ipſe accepit.

Obijcies ſecundo, pœna cuiuslibet peccati mortalis eſt infinita, ſaltem extenſiuè; duratura enim eſt in æternum; ſed omnis paſſio Chriſti fuit finita. Ergo non fuit æquiualens ſatisfactio pro peccatis.

Reſpõdeo, paſſionem Chriſti non fuiſſe infinitã phyſicè, & entitatiuè; ſed moraliter quoad valorem, & hoc pacto fuiſſe condignam, & ſuperabundantem ſatisfactionem.

Obijcies tertio, tantum diſplicet Deo peccatum, quantum ei placet propria bonitas (quantum enim quis diligit aliquod bonum; tanto deteſtatur malum illi oppoſitum, & illius boni deſtructiuum; peccatum autem eſt oppoſitum diuinæ bonitati, eamque, quantum in ſe eſt, deſtruit) ſed opera Chriſti non tantum placent Deo, quantum ei placet propria bonitas. Ergo opera Chriſti non tantũ placent Deo, quantum ei diſplicet peccatum. Ergo non ſunt condigna, & æquiualens ſatisfactio.

Reſpondeo negando maiorem propoſitionem; magis enim Deo placet propria bonitas, quam diſpliceat peccatum; nam peccatum nõ eſt verè, & propriè deſtructiuum bonitatis diuinæ, nec bonitas diuina deſtrui poteſt ob vllum peccatum, licet pec-

peccatum dicatur deſtructiuũ Dei, loquendo impropriè, & imputatiuè.

Obijcies quarto, ſi Chriſtus per impoſſibile peccaſſet, non potuiſſet pro ſe ipſo ſatisfactionẽ condignam, & æquiualentẽ exhibere. Ergo multò minus potuit illam exhibere pro alijs.

Reſpondeo, dato per impoſſibile illo antecedenti, negandam eſſe conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia ſi per impoſſibile humanitas Chriſti peccaſſet, fuiſſet inimica Dei; conſequenter durante peccato non potuiſſet condignè ſatisfacere Deo; dum autem humanitas Chriſti pro nobis ſatisfecit, non erat inimica, ſed grata Deo; cõſequenter condignam, & æqualem ſatisfactionem exhibere potuit, poſita ipſius vnione cum Verbo.

Obijcies quinto, Actus ſuam ſpeciem, & eſſentiam accipit ab obiecto, non à perſona operante. Ergo ſatisfactio Chriſti non ob id dicenda eſt infinita; eo quod ſit operatio perſonæ infinitæ. Ergo non eſt abundans ſatisfactio, & non eſt maior, quam ſit offenſa Deo facta.

Reſpondeo actum magis accipere ſuam entitatem ſpecificam, & indiuidualem ab ipſo operante; quam ab obiecto; nam obiectum extrinſecè ſolũ ſe habet, & terminat actum; perſona verò operans per ſe influit in actum, eique ſuum eſſe confert. Ob id actus non ſumit denominationem ab obiecto, ſed à perſona operante; conſequenter actus non dicitur humanus, eo quod verſetur circa hominem, ſed quia elicitur ab homine, & actus non dicitur diuinus, eo quod verſetur circa Deum, ſed quia producitur à Deo, vt dictum eſt de merito Chriſti.

Obijcies ſexto, ſi ſatisfactio Chriſti fuit æqualis offenſæ, vel ſuperabundans, ſequitur tot homines ſaluandos eſſe poſt lapſum Adæ, quot ſaluati fuiſſent in ſtatu innocentiæ; hoc autem non videtur admittendũ, quia opera hominis efficaciora fuiſſent ad merendum in ſtatu innocentiæ, ex S. Thoma 1. par. quæſt. 95. art. 4.

Reſpondent aliqui Doctores concedendo ſequelam; quia licet in ſtatu innocẽtiæ pauciores damnati fuiſſent, fortè tamen non tot homines tunc nati fuiſſent, quot modò naſcũtur ad perficiendum prædeſtinatorum numerum.

Ego verò reſpondeo abundantiã ſatisfactionis Chriſti ſaluari, ſiue plures, ſiue pauciores homines re ipſa ſaluentur; ipſa enim ſufficit ad ſaluandos infinitos homines.

Punctum Secundum.

An ſatisfactio Chriſti fuerit infinita, & in quo conſiſtat iſta infinitas ſatisfactionis.

1 *Satisfactio Chriſti fuit infinita ſimpliciter.*

2 *Satisfactione infinita opus non fuit ad ſatisfaciendum pro peccatis.*

3 *Satisfactionis infinitas eſt moralis quædam æſtimatio, communicata operibus Chriſti à perſona infinita Chriſti.*

4 *Valor operum Chriſti non eſt ens rationis.*

5 *Infinitas valoris operum Chriſti non eſt entitas aliqua realis.*

PRI-

PRIMA PROPOSITIO.

1 Satisfactio Chriſti fuit infinita ſimpliciter. Ratio eſt primo, quia valor, & meritum operationum Chriſti fuit infinitum. Ergo etiam infinita fuit ipſius ſatisfactio; nam eadem actio fuit meritoria, & ſatisfactoria; meritoria, quia Chriſtus per illam meruit nobis gratiā iuſtificantem; ſatisfactoria, quia mediante gratia iuſtificante debet peccata.

Secundò, quia ſic definitum fuit in Extrauag. Vnigenitus, ſuperius citata.

Tertiò, quia tam perſona ſatisfaciens eſt infinitæ dignitatis, quam res in cruce oblata. Ergo ſatisfactio Chriſti fuit infinita; dignitas enim & valor actionis maximè pendet à dignitate perſonæ, quæ in actum redundat, ipſumque moraliter afficit, & dignificat.

Quartò, quia ſi ſatisfactio Chriſti non eſſet infinita, peccata abſolutè loquendo adeò multiplicari, & creſcere potuiſſent, vt pro ipſis ſufficiēs non eſſet ſatisfactio exhibita; omne enim finitum adeò augeri poteſt, vt alterum finitum æquet, vel etiam ſuperet; ſed conſequens aduerſatur ſcripturæ, Sanctis Patribus, & rationibus in præcedenti puncto allatis. Ergo &c. Ita communiter Doctores.

Obijcies primo, operationes Chriſti pluribus profuerunt quoad meritum, quam quoad ſatisfactionem; Chriſtus enim non ſolum meruit hominibus, verum etiam ſibi, & Angelis, vt dictum eſt quæſt. præcedente, & tamen non ſatisfecit pro Angelis. Ergo ſatisfactio Chriſti non eſt infinita, alioquin non eſſet minor merito; vnum enim infinitum non eſt maius, vel minus alio.

Reſpondeo negando conſequentiam; quamuis enim meritum latius pateat, quam ſatisfactio; ſatisfactio tamen in ſuo genere eſt infinita; quia non tot hominibus prodeſt, quin pluribus prodeſſe poſſit, & comparatio non eſt inter infinita diuerſi generis, vt eſt meritum, & ſatisfactio; ſed inter ea, quæ ſunt eiuſdem generis; ſicut enim non valet dicere, plura cadunt ſub ſciētiam diuinam, quam ſub ipſius potentiam. Ergo potentia Dei non eſt infinita; ita non valet dicere, meritum Chriſti latius patet, quam ſatisfactio. Ergo ſatisfactio non eſt infinita.

Alias obiectiones attuli ſupra, dum loquerer de valore, & merito.

2 Quæres, Vtrum ad ſatisfaciendum pro peccatis re ipſa opus fuerit infinita ſatisfactione.

Reſpondetur negatiuè, abſolutè loquendo, iuxta ſententiam Vaſquez 3. par. diſp. 6. cap. 2. Suarez diſp. 4. ſect. 4. Tanneri q. 2. dub. 3. num. 95. & aliorum. Ratio eſt, quia malitia, ſeu offenſa peccati non eſt infinita intrinſecè, ſeu entitatiuè, vel quoad intenſionem, vel extenſionem. Ergo ad ipſam tollendam, abſolutè loquēdo, non requirebatur ſatisfactio infinita; conſequenter operationes Chriſti ſufficientes fuiſſent ad ſatiſfaciendum pro peccatis, etiamſi valor, & ſatisfactio ipſarum eſſet finita, præſertim cum valor ſatisfactionis Chriſti, ex perſona ſatisfaciente deſumptus, maior ſit, quā malitia peccati deſumpta ex perſona offenſa; nam perſona intrinſecè quaſi, & per mo-

modum formæ afficit, & moraliter informat actum; obiectum verò afficit ſolum extrinſecè, & terminatiuè. Deinde etiãſi admitteremus dignitatem actionis non eſſe maiorem ob dignitatem perſonę operantis, quam ſit grauitas malitiæ ob perſonam offenſam, nihilominus cum malitia peccati ſit finita, vt ſuppono ex dictis de peccatis, Chriſtus potuiſſet tot actus elicere, vt æquarent ſatiſfactionem Deo debitã; nam quodlibet finitum additione maioris fit maius, ità vt alterum æquare, vel etiam ſuperare poſſit, vide ſupradicta quæſtione 1.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 INfinitas ſatisfactionis nihil aliud eſſe videtur, quam moralis quædã æſtimatio, ſeu perfectio communicata operibus Chriſti per denominationem extrinſecam, deſumptam à perſona infinita, per quam actiones perſonæ infinitæ infinitam æſtimationem recipiunt. Ratio eſt, tum quia aliter commodè explicari non poteſt infinitas ſatiſfactionis. Tum quia ſicut valor monetæ, non ſolum conſiſtit in qualitate materiæ, verum etiam in denominatione extrinſeca deſumpta à voluntate Principis talem ei æſtimationem, & valorem imponentis; ita multo magis valor operationum Chriſti conſiſtere debet in denominatione extrinſeca deſumpta à perſona Chriſti infinita moraliter influente, & communicante ſuam dignitatem actionibus ſuis. Ita Albertin. tom. 1. princip. 1. corollar. 18. num. 4. Tannerus tom. 4. diſp. 1. quæſt. 2. dub. 3. num. 111. Puteanus quæſt. 1. art. 2. dub. 6. ſub finem.

4 Ex quo ſequitur primo, valorem operum Chriſti non eſſe formaliter ens rationis ſeu reſpectum rationis; quia ens rationis formaliter non exiſtit, niſi cogitante, ſeu fingente intellectu; actiones autẽ Chriſti infinitum habent valorem, etiam nullo cogitante intellectu. Ita Doctores citati, quicquid in contrariũ ſentiat Vaſq. 1. 2. to. 1. d. 95. n. 49.

5 Secundò, infinitatem valoris operum Chriſti non eſſe entitatem aliquam realem, & phyſicam; nam operationes ſatiſfactoriæ Chriſti fuerunt actiones humanæ elicitæ, vel imperatæ ab anima Chriſti; anima autem Chriſti non elicuit entitatem infinitam. Ita Valentia 3. parte tom. 4. diſp. 1. q. 1. pun. 5. Suarez loco citato, Tannerus, & alij.

Ex quo etiam licet inferre, huiuſmodi valorem non eſſe aliquem modũ realem intrinſecũ operibus Chriſti. Tum quia intelligi non poteſt, quomodo entitas aliqua infinita cõmunicetur ſingulis Chriſti actionibus. Tum quia perſonalitas, ſeu ſubſiſtentia non communicat actui aliquem peculiarem modũ diſtinctum ab entitate, quam actus habet à ſuis principijs immediatis elicientibus. Ita Albertinus, & Tann. locis citatis.

Punctum Tertium.

An Chriſtus ſatisfecerit ex iuſtitia commutatiua, & ex rigore iuſtitiæ.

1 *Iuſtitia quotuplex ſit, & quænam condi-*

conditiones ad iuſtitiam commutatiuam requirantur.

2 *Chriſtus ſatisfecit ex iuſtitia latè accepta.*

3 *Chriſtus non ſatisfecit ex iuſtitia commutatiua ſtrictè accepta.*

4 *Satisfactio Chriſti fuit de rigore iuſtitiæ latè, & non ſtrictè accepta.*

5 *Deus acceptare debuit ſatisfactionem Chriſti.*

6 *Purus homo non potuit condignè ad æqualitatem, & ex rigore iuſtitiæ ſatisfacere Deo.*

7 *Imò neque id facere potuiſſet de potentia Dei abſoluta.*

1 PRo ſolutione notandũ eſt primo, iuſtitiam diſtingui in legalem, diſtributiuam, & commutatiuam. Legalis eſt virtus reſpiciens, & procurans bonum commune. Diſtributiua eſt illa, qua vnicuiq; datur id, quod ei debetur, ſeruata proportione, ſeu conditione perſonarũ. Iuſtitia commutatiua eſt virtus, qua cuique traditur ad æqualitatẽ, quod debetur. Vide, quæ tradidi de contractibus.

Notandum eſt ſecundo, ad iuſtitiam commutatiuam ſtrictè acceptam requiri primo, vt ſit inter duas perſonas diſtinctas. Ob id S. Thomas 2. 2. quæſt. 58. art. 2. ait ad iuſtitiã propriè dictam requiri diuerſitatem ſuppoſitorum. Secundò, vt vtraque perſona ſit ſui iuris. Ob id inter patrem, & filium, inter dominum, & ſeruum, regulariter loquendo, non reperitur iuſtitia, quia filius, & ſeruus non ſolent eſſe ſui iuris; ſed ſub poteſtate patris, & domini exiſtere ſolent; cõſequenter qua in parte non ſunt ſui iuris, non reperitur inter ipſos iuſtitia. Tertiò, vt vna teneatur alteri reddere ius ſuum ad æqualitatem.

Dixi, ad iuſtitiã commutatiuam ſtrictè acceptam, quia ſi loquamur de iuſtitia commutatiua latè accepta, non tot conditiones ad ipſam requiruntur; primo enim ſufficit, vt ſit inter duos, etiamſi alter non ſit omninò ſui iuris, & poteſtatis. Secundò, vt alter alteri reddat æquale, etiamſi fortè ad hoc non teneatur ex perfecta iuſtitia.

His poſitis duplex eſt Doctorum ſententia circa propoſitam difficultatem. Prima affirmat, Chriſtũ ſatisfeciſſe ex vera, & propriè accepta iuſtitia. Ita Bannes 2. 2. quæſt. 57. art. 4. Suarez diſp. 4. ſect. 5. Tannerus d. 1. quæſt. 2. dub. 5. num. 194. Aluarez diſp. 4. concl. 1. & alij.

Secũda negat, Chriſtũ ſatisfeciſſe Deo ex vera, & perfecta iuſtitia. Ita Vaſquez 3. par. d. 7. cap. 2. & ſeqq.

PRIMA PROPOSITIO.

CHriſtus ſatisfecit Deo ex iuſtitia commutatiua non ſtrictè, ſed latè accepta. Ita Vaſquez diſp. 7. & 8. Becanus c. 15. num. 12. Puteanus quæſt. 1. art. 2. dub. 3. concl. 3. & alij.

2 Hęc propoſitio duas habet partes. Prima eſt, Chriſtum ſatisfeciſſe ex iuſtitia latè accepta. Ratio eſt primo, quia præmium Chriſto collatum appellatur corona iuſtitiæ, & Deus cõferens vocatur iuſtus iudex. 2. Timot. 4. *Bonum certamen certaui, curſum conſumaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die, iuſtus iudex.* Se-

Secundò, quia Romanor.4. dicitur, *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*.

Tertiò, quia ad iuſtitiam commutatiuam pertinet præſtare ſatisfactionem æqualem debito; Chriſtus autem præſtitit Deo ſatisfactionem æqualem debito.

Quartò, quia Chriſtus vel ſatisfecit ex iuſtitia legali, vel ex diſtributiua, vel ex commutatiua; ſed non ſatisfecit ex iuſtitia legali, & diſtributiua, vt colligitur ex propria illarum naturà. Ergo ſatisfecit ex commutatiua.

Quintò, ad iuſtitiam latè acceptã ſufficit primò, vt alter alteri ad æqualitatem reddat, quod ei debetur. Secũdò, vt res agatur inter duos, etiãſi alter non ſit omninò ſui iuris; ſed iſtæ duæ conditiones reperiuntur in ſatisfactione Chriſti; Chriſtus enim non ſolum æqualem, verùm etiam ſuperabundantem ſatisfactionẽ reddidit Deo pro peccatis hominum, vt ſupra probatum eſt. Præterea ſatisfactio eſt inter duos, ſeu inter diuerſas perſonas, ſaltem in genere moris; quia perſona Verbi, vt ſubſiſtens in natura humana, condignam ſatisfactionem præſtitit Deo, ſeu perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis, vt ſubſiſtentibus in natura diuina.

Obijcies primò, eiuſdem ad ſe ipſum non eſt ſatisfactio. Ergo Chriſtus non potuit vllo pacto ſatisfacere Deo, alioquin ſibi ſatisfeciſſet; nam licet perſona Verbi diſtinguatur realiter à perſona Patris, & à perſona Spiritus Sancti, non tamen realiter diſtinguitur à ſe ipſa, cui etiam ſatisfactio præſtanda erat; conſequẽter Chriſtus non potuit ſatisfacere Deo ex iuſtitia; cum enim ſatisfactio præſtanda eſſet illi, qui offenſus fuerat, cumq; non ſolum offenſa fuiſſet perſona Patris, & Spiritus Sancti, verum etiam perſona Filij, ſequitur perſonã Filij, ſeu Verbi non potuiſſe vllo modo ex iuſtitia ſatisfacere Deo; cum eadẽ perſona Verbi ſubſiſteret in natura humana, & diuina, & conſequenter non eſſet diſtinctio inter ſatisfacientem, & eum, cui pręſtatur ſatisfactio.

Reſpondent Peſantius q.1. art. 2. diſp.6. num.4. Tannerus diſp.1. q.2. dub.5. num. 217. & alij, in Chriſto fuiſſe diſtinctionem naturarum, & hanc diſtinctionem ſufficere ad iuſtitiam, licet Ariſtoteles aliter ſenſerit, quia ignorabat duas naturas poſſe ſubſiſtere in eodem ſuppoſito.

Ego reſpondeo, perſonam Verbi dupliciter ſpectari poſſe. Primò, in genere entis, & ſic nihil eſt aliud, quam perſona Verbi, quæ eſt idem cum diuina eſſentia; ſicque non datur diſtinctio inter ipſum Verbum in vtraque natura ſubſiſtens, ſeu inter ipſum, & eſſentiam diuinam, cui ſatisfaciendum erat, licet detur realis diſtinctio inter ipſum, & alias perſonas. Secundò, in genere moris, ſeu formaliter, quatenus eſt perſona terminans naturam humanam, & perficiens, ac dignificans ipſius operationes. Perſona Verbi non ſatisfecit priori modo, ſed poſteriori; vt ſic enim potuit ſatisfacere Deo, quia cenſetur duplex perſona in genere moris; eiuſdem autem ad ſe ipſum nõ eſt ſatisfactio, dum eſt eadem perſona phyſicè, & moraliter, ſecus dum eſt duplex in gene-

re moris. Ita Putean. q. 1. art. 2. dub. 4. ſub finem, Tanner. d. 1. q. 2. dub. 5. num. 241.

Hinc patet, quomodo reſpondendum ſit ijs, qui ad iuſtitiam requirunt perfectam alteritatem, ideſt diſtinctionem perſonarum, & propriũ ius, & poteſtatem ſatisfacientis ad perſonam, cui præſtatur ſatisfactio.

Obijcies ſecundò, ſatisfactio Chriſti debita erat ex præcepto diuino. Ergo non potuit inſeruire ad ſatisfaciendum pro alio debito iuſtitiæ. Reſpondeo ſatisfactionem Chriſti profuiſſe ad ſatiſfaciendum pro debito iuſtitiæ. Tum quia præcipiebatur à Deo ratione ſatisfactionis. Tum quia nihil obſtat, quo minus vno actu poſſimus aliquando ſatisfacere duplici obligationi iuſtitiæ; vt dum quis reſtituit equum, quem abſtulerat, irrogando iniuriam conductori equi, & domino equi; aut dum quis Neapolim pergit ſtipendio cõductus, & nihilominus ab alio accipit pecuniam, vt Neapolim ducat equum, vel epiſtolam deferat. Ita Peſantius d. 2. q. 1. art. 2. Tannerus nu. 239. & alij.

3 Secunda pars propoſitionis eſt, Chriſtum non ſatisfeciſſe ex iuſtitia commutatiua ſtrictè accepta. Ratio eſt, quia ad iuſtitiam propriè acceptam requiritur, vt ſit inter perſonas, quæ ſint ſui iuris, & vt id, quod traditur, ſit dãtis, & definat eſſe ipſius, incipiat verò eſſe accipientis; ſed Chriſtus, vt homo, non erat ſui iuris, & vt Deus non poterat ſatisfacere (quia nulli ſubijci poteſt) præterea Chriſtus nihil habebat, quod non eſſet Dei, cum nihil exiſtat, quod Deo non ſubijciatur titulo creationis, cõſeruationis, & pleni dominij, iuxta illud Apoſtoli, *Quis enim prior dedit ei, & quid babes homo, quod non accepiſti?* & licet in actionibus Chriſti ſpectetur non ſolum entitas, verum etiam vitalitas, libertas, & meritum, quæ ſolum ab humana Chriſti natura pendẽt; nihilominus quia iſtæ formalitates nõ ſũt entitates diſtinctę à ſatisfactione ſpectata ſecundum entitatem realem, Chriſtus non potuit aliquid offerre Deo, quod de nouo acquireretur Deo, & in ipſius dominium de nouo tranſiret. Ita Vaſq. d. 8. c. 5. & 8. Putean. & alij, quicquid in contrarium dicant Tannerus loco citato nu. 221. & 233. Valentia d. 1. q. 4. pun. 5. ad 4.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Chriſtus ſatisfecit Deo de rigore iuſtitiæ latè acceptę. Ratio eſt primò, quia ad ſatisfaciendũ ex rigore iuſtitiæ latè acceptæ opus eſt, vt ſatisfactio ſit ad alterum, & ſit æqualis offenſæ; ſatisfactio autem Chriſti fuit ad alterum, & fuit ęqualis offenſæ, vt in præcedentibus docui. Secundò, quia ille ſatisfacit de rigore iuſtitiæ, qui tam copioſam exhibet ſatisfactionem, vt ſecundum rigorem iuſtitiæ maior ab ipſo exigi non poſſit; Chriſtus autem exhibuit adeò copioſam ſatisfactionem, vt maior ab ipſo exigi non poſſit; nam ipſius ſatisfactio fuit infinita; nihil autem dari poteſt maius infinito. Ita Becanus loco citato, Vaſq. d. 7. cap. 2. & ſeqq. & d. 8. cap. 2. & alij, quos in prima propoſitione adduxi.

Dixi, de rigore iuſtitiæ latè acceptæ, vt indicarem, Chriſtum non ſatiſ-

tisfeciſſe de rigore iuſtitiæ perfectę, & ſtrictè acceptæ, vt voluerunt Suar. d.4. ſect.6. Tannerus n. 264. & alij, aſſerentes rigorem iuſtitiæ accipi pro perfecta iuſtitia.

5 Quæres primo, vtrũ Deus debuerit, ſeu obligatus fuerit acceptare ſatisfactionem Chriſti.

Reſpondeo affirmatiue. Ratio eſt primò, quia Deus ſtare debuit pacto, ſeu promiſſioni factæ Chriſto præuiſo, ſeu exiſtenti in præſcientia Dei. Iſaiæ 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur*. Et Pſal. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*.

Secundò, quia Chriſti ſatisfactio in ſuo genere fuit infinita ſimpliciter. Ergo continebat formaliter, aut virtualiter omnem perfectionem in ratione ſatisfactionis poſſibilẽ; perfectio autem ſatisfactionis eſt, vt acceptari debeat, ſaltem ſi condigna ſit, & abundans. Ita Suarez diſp.4. ſect. 5. Peſantius 3. par. q. 1. art. 2. diſp.6. ad finem num. 5. Tannerus diſp. 1. quæſt. 2. dub. 7. num. 275. Puteanus quæſt. 1. art. 2. dub.3. ad finem, & alij contra Sotũ in 4. d. 19. quæſt. 1. art. 2. Valentiam diſp. 1. quæſt. 1. pun. 5. & alios.

Ex quo ſequitur, Deum fore infidelem, ſeu iniuſtum, ſi non remuneraret opera Chriſti ſatisfactoria; tenetur enim ſtare promiſſis, ſuppoſita promiſſione, quæ ab initio fuit voluntatis, poſt factum verò dici poteſt neceſſitatis.

Obijcies, Chriſtus ante mortem orauit Deũ, vt dignaretur acceptare mortem, & Paſſionem ſuam. Ioann. 17. *Pater venit hora, clarifica filium tuum*, & Hæbreor. 5. Ergo ſignum eſt ipſius paſſionem non fuiſſe ſatisfactoriam de rigore iuſtitiæ, nec Deũ obligatũ fuiſſe ad illam acceptandã.

Reſpondeo negando conſequentiam, Chriſtus enim non orauit, eo quod ſuæ operationes imperfectæ eſſent, ſed quia oratio ipſius erat medium neceſſarium ad redemptionẽ, iuxta illud Pſal. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*: aut quia ita opus erat ad noſtrũ exẽplũ, vt infra dicam de oratione Chriſti.

6 Quæres ſecundò, vtrum ſicut Chriſtus ſatisfecit Deo cõdignè ad æqualitatem, & ex rigore iuſtitiæ, ita etiam eidem ſatisfacere potuerit purus homo, ſeu pura creatura.

Reſpondeo negatiuè cum Suar. d. 4. ſect. 7. Valentia d.1. q. 1. pun. 5. Vaſq. diſp.2. cap.5. num.50. & d.4. c. 3. n.17. Peſan. q.1. art.2. d.4. concl.1. Puteano q.1. art.2. dub.7. & 8. Tannero d. 1. q.2. dub.8. n.279. & ſeqq. Altiſiodorenſi, Gulielmo Pariſienſi, Alexandro, Durando, Scoto, Abulenſi, Ferrarienſi, & alijs apud Vaſquez loco cit. cap. 3. nu.17. & apud alios præcitatos Doctores. Ratio eſt primo, quia ita ſentiũt Patres, vt Baſilius in Pſal. 28. ibi, *Redimit homo, non homo nudus, ſed homo Deus, Ieſus Chriſtus, quia nullus alius poterat condignum offerre pretium*. Idem docent Athanaſius, Cyrillus, & alij apud Vaſq. & apud alios præf. Doct. Secũdò, quia grauitas offenſæ, & iniuriæ per ſe, & cęteris paribus creſcit ex dignitate perſonæ offenſæ, & ex vilitate offendẽtis; valor aũt ſatisfactionis creſcit ex dignitate perſonæ ſatisfacientis, & minuitur ex dignitate perſonę of-

fenſæ. Ergo vt ſatisfactio ſit ęqualis offenſæ, dignitas perſonæ ſatisfacientis debet eſſe æqualis perſonæ offenſę, vel ſaltem inæqualitas ſatisfacientis aliundè compenſari debet. Sed in noſtro caſu inter perſonã offenſam, & hominem ſatisfacientem non poteſt eſſe æqualis dignitas, & inæqualitas non poteſt per vlla dona creata compenſari, cum omnia dona creata ſint finita, nec attingere poſſint dignitatem infinitæ perſonæ, vtpotè inferioris ordinis. Ergo purus homo, ſeu pura creatura non poteſt condignam Deo ſatisfactionem exhibere pro offenſa, ſeu pro peccatis humani generis.

Dices primò, contra iſtam ſecundam rationem. Minus peccatum committit is, qui nummum aureum ſurripit Principi, quam qui eandem pecuniæ ſummam ſurripit perſonæ inopi, ac vili. Ergo grauitas offenſe non creſcit ex dignitate perſonæ offenſæ.

Reſpondeo, grauitatem iniuriæ, & offenſæ per ſe, & cęteribus paribus creſcere ex dignitate perſonæ offenſæ; in hoc autem caſu non ſunt cętera paria, quia Princeps minus ægrè fert ſibi aureum auferri, quam ferat inops, & vilis perſona.

Dices ſecundò, inferior poteſt ſuperiori condignam ſatisfactionem exhibere, vt quotidiana cernimus experientia inter plebeiũ, & magnatem. Ergo etiam homo poteſt Deo condignam ſatisfactionem præſtare.

Reſpondeo negando conſequentiam; cum enim offenſa, quam homo intulit, ſit ſuperioris ordinis, & homo infinitè diſtet à Deo, non poteſt præſtare ſatisfactionem, quę cenſeatur condigna, & æqualis offenſæ. Vide quæ in ſimili ſupradixi q. 1. p. 4. dub. 2. ad finem n. 4.

7 Maior difficultas eſt, Vtrum homo purus in gratia Dei conſtitutus, potuiſſet ſaltem de potentia Dei abſoluta ſatisfacere aliquo modo de condigno, & ex iuſtitia pro peccatis aliorum mortalibus.

Reſpondeo negatiuè cum Vaſq. 3. par. diſp. 4. cap. 1. num. 8. & c. 2. num. 13. & alijs etiam accedente Dei promiſſione. Ratio eſt, quia purus homo infinitè diſtat à Deo. Ergo nunquam poteſt condignam ſatisfactionem Deo præſtare; valor .n. ſatisfactionis minuitur ex vilitate ſatisfacientis, & grauitas offenſæ creſcit ex vilitate offendentis, & dignitate perſonæ offenſæ. Ita Vaſquez loco citato, Peſantius, & alij, quos retuli q. 1. contrarium docent Sotus in 4. diſt. 1. q. 5. art. 4. Suarez d. 4. ſect. 6. Tannerus d. 1. q. 2. dub. 8. nu. 289. & alij, quorũ opinio probabilis eſt, ſi intelligatur nõ de abſoluta, & perfecta cõdignitate, ſed de ſatisfactione habente aliquam proportionem, potuiſſet enim Deus purum aliquem hominem cõſtituere caput aliorum, eique gratiam peculiarem conferre ad perfectiſſimos charitatis actus eliciendos, qui licet non habuiſſent perfectam, & abſolutam condignitatem ad ſatisfaciendum, aliquam tamen habuiſſent.

An autẽ homo aliqua ratione ſatiſfacere poſſit pro peccatis proprijs mortalibus, aut venialibus, patet ex dictis de pœnitentia, & videri poteſt Vaſquez diſp. 3.

QVÆ-

QVÆSTIO DECIMA QVARTA

De Subiectione Chriſti.

IN hac Quæſtione explicabo primò, An Chriſtus dici poſſit ſubiectus Deo, & legi diuinæ, aut alijs legibus. Secundò, An vocari poſſit ſeruus.

Punctum Primum.

An Chriſtus dici poſſit ſubiectus Deo, & Legi diuinæ, aut alijs legibus.

1 *Chriſtus ſecundum humanam naturam ſubiectus fuit Deo.*
2 *Chriſtus ſecundum humanam naturam ſubiectus fuit ſibi ipſi, vt Deo.*
3 *Lex obligat ſub reatu peccati, dum ſubiectum eſt capax peccati.*
4 *Chriſtus obſtrictus fuit præcepto moriendi.*
5 *Chriſtus ſubiectus fuit præceptis ſibi peculiariter traditis, non autē alijs.*
6 *Chriſtus ſubiectus non fuit Legi Moſaicæ.*
7 *Lex Antiqua cur à Chriſto ſeruata fuerit.*
8 *Chriſtus non violauit Sabbati præceptum.*
9 *Legi Euangelicæ Chriſtus ſubiectus non fuit.*
10 *Legi naturali Chriſtus ſubiectus fuit.*
11 *Legi humanæ Chriſtus ſubiectus non fuit.*

IN hoc puncto prius oſtendam an Chriſtus ſubiectus fuerit Deo, & legi diuinæ. Secundò, legi naturali. Tertiò, legi humanæ.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus ſecundum humanam naturā fuit ſubiectus Deo. Ratio eſt primò, quia ſic habetur in ſcriptura, 1. Corint. 15. *Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus;* adhibetur autem verbum futurum, *erit*, non quia Chriſtus non ſit nunc Deo ſubiectus, ſed quia tunc plenè ſubiectus erit, non ſolum in ſe, verùm etiam in membris ſuis.

Secundò, quia Chriſtus vocatur minor Patre. Ioannis 14. *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt;* ſed hoc intelligitur ſecūdū humanitatē, vt benè S. Auguſtinus lib. 1. de Trinitate cap. 7. Ergo Chriſtus minor eſt Patre ſecundum humanitatem,

conſequenter illi ſubiectus eſt ſecundum humanitatem. Tertiò, quia Chriſtus ſecundum humanitatem eſt creatura. Ergo neceſſario dependet à Deo, conſequenter illi ſubiectus eſt ſecundum humanam naturam; omnis enim creatura Deo ſubiecta eſt, & à Dei nutu, & voluntate pendet. Ita cõmuniter Doctores.

2 Hinc ſequitur primo, Chriſtum ſecundum humanam naturam, non ſolum ſubiectum fuiſſe Deo Patri, ac Spiritui Sancto, verum etiam ſibi ipſi, vt Deo.

Obijcies contra hanc illationem, ſubiectio arguit diſtinctionem ſuppoſitorum, cum ſubiectio nõ ſit niſi inter plures; ſed huiuſmodi diſtinctio eſſe non poteſt inter Chriſtum, & Verbum, cum ſit vnum, & idem ſuppoſitũ Verbi, & Chriſti; Ergo Chriſtus nõ potuit dici ſubiectus ſibi ipſi.

Reſpõdeo, arguere diſtinctionem ſuppoſitorum, quoties non additur limitatio; ſubiectio enim eſſe non ſolet, niſi inter plures; propterea Chriſtus dici non poteſt ſubiectus Deo, aut Verbo, aut Filio, aut ſibi ipſi, niſi addatur limitatio, ſecundum humanitatẽ; ſi verò addatur limitatio, fieri poteſt, vt non arguat diſtinctionem ſuppoſitorum, vt ſi dicatur, homo ſecundum partem inferiorem eſt ſubiectus parti ſuperiori.

Secundò, ſequitur Chriſtum ſecundum humanam naturam ſubiectũ fuiſſe præceptis diuinis ſibi peculiariter à Deo impoſitis, ſeu ſibi accomodatis. Ratio eſt, tum quia Chriſtus ſecundum humanam naturam ſubiectus erat Deo. Ergo obligari poterat præceptis diuinis. Tum quia natura humana non potuit ſibi ipſi eſſe regula agendorum; hoc enim ſolius Dei proprium eſt.

Obijcies, lex obligat ſub reatu peccati; Sed Chriſtus obligari non poterat ſub reatu peccati, cum eſſet incapax peccati. Ergo Chriſtus obligari non potuit præceptis diuinis. Ergo Chriſtus ſubiectus nõ fuit præceptis diuinis.

3 Reſpondeo, legem, regulariter loquendo, obligare ſub reatu peccati, modo ſubiectum legis ſit capax peccati; ſi vero ſubiectum non ſit capax peccati, lex quidem ipſum obligat, & dirigit, ſed non ſub reatu, conſequenter Chriſtus ligabatur præceptis diuinis ſibi peculiariter impoſitis, & ſibi accomodatis, non tamen ſub reatu, vt benê Becanus cap. 16. quæſt. 1. num. 4.

4 Ex quo infertur Chriſtum obligatum fuiſſe præcepto moriendi, quia hoc ei ſpecialiter impoſitũ erat Philip. 2. *Factus obediens vſque ad mortem*. Roman. 5. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius obedientiam iuſti conſtituentur multi*; vera autem obedientia ſupponit præceptum propriè dictum, Ioann. 10. *Hoc mandatum accepi à Patre*, & Ioann. 14. *Sicut mãdatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Ita S. Thomas 3. p. quæſt. 47. art. 2. Suarez diſp. 43. ſect. 3. col. 2. Becanus cap. 16. quæſt. 1. & alij contra Paludanum in 3. diſp. 12. quæſt. 2. art. 3. & alios apud Suarez loco cit.

Dices primo, Chriſtus mortuus eſt ex charitate, quæ perfectior eſt virtus, quam obedientia, Ioann. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet; vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, & Epheſ. 5. *Ambulate in dilectio-*

ne,

ne, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem. Ergo Chriſtus mortuus non eſt ex obedientia, nec habuit præceptum moriendi.

Reſpondeo Chriſtum mortuum eſſe ex charitate, & ex obedientia; potuit enim mori ex vtroq; motiuo, cum vnum motiuum non ſit alteri contrarium.

Dices ſecundo, Chriſtus non habuit præceptum propriè dictum reſurgendi. Ergo neque habuit præceptum moriendi; præſertim cum in libera ipſius poteſtate poſitum eſſe videretur mori, & reſurgere; aut non magis diceretur accepiſſe præceptũ moriendi, quã reſurgendi. Ioann. 10. *Poteſtatem habeo ponendi animã meam, & poteſtatem habeo iterum ſumẽdi eam; hoc mandatum accepi à Patre.*

Reſpondeo, Chriſto datum fuiſſe præceptum moriendi, non autem reſurgendi; quamquam mors dirigebatur ad reſurrectionem, vt apertè Chriſtus ibidem ſignificat illis verbis, *Propterea diligit me Pater, quia pono animam meam, vt iterum ſumam eã.*

5 Quæres primo, Vtrum Chriſtus ſubiectus eſſet generaliter omnibus præceptis diuinis antiquæ legis.

Reſpondeo ſubiectum fuiſſe præceptis ſibi peculiariter traditis, vt probatum eſt; non autem alijs. Ratio cur alijs ſubiectus nõ fuerit, eſt, tum quia lex antiqua data fuerat populo Iſrael; Chriſtus autem naturali propagatione ab illo populo non deſcẽdebat. Tum quia lex vetus fuit quædam vmbra futurorum, & præſertim venturi Chriſti; vmbra autem cedit luci. Ita S. Thomas quæſt. 37. art. 3. & alibi, Sotus in 4. diſt. 2. quæſt. 1. art. 4. Valentia tom. 4. diſp. 1. q. 22. pun. 7. ad finem; Suarez, & Becanus locis citatis. Puteanus quæſt. 20. art. 2. Tannerus diſp. 1. quæſt. 7. dub. 1. num. 12. & alij.

6 Hinc ſequitur Chriſtum de iure ſubiectum non fuiſſe legi Moſaicæ. Tum quia illa lex data fuit deſcendentibus ab Abrahamo per ſeminalem generationem; Chriſtus autem ab eo non deſcendit per ſeminalem. Tum quia lex Moſaica cadebat in eos, qui obnoxij erant peccato, iuxta illud Geneſis 17. *Maſculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo meo.*

Obijcies Chriſtus ſuſtinuit circũciſionem, & ſeruauit veterem legem. Vnde ad Galat. 4. dicitur, *Miſit Deus filium ſuum factum ſub lege*, & Matth. 5. *Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem, aut prophetas, non veni ſoluere, ſed adimplere.* Ergo ſubditus fuit legi veteri; omnes .n. circuncisi ſeruare tenebãtur legem Moſaicam; ad Galatas 5. *Teſtificor omni homini circuncidenti ſe, quia debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ.*

7 Reſp. de iure non fuiſſe ſubiectum veteri legi (cum ipſe nõ eſſet obnoxius peccato) ſed ſolum de facto, quia ſecundum legem Moiſis conuerſatus eſt. Propterea Anſelmus in præfatum locum ait, *Subiectus eſt legi, non quia ipſe legi quicquam deberet, ſed vt nos redimeret.* Et S. Thomas quæſt. 40. art. 4. Valentia queſt. 22. pun. 7. ad finem, Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 2. dub. 4. num. 101. Becanus loco citato num. 5. Puteanus, & alij aſſerunt Chriſtum ſeruaſſe legem antiquam. Tum vt indicaret illã fuiſſe ſanctam, & à Deo traditam,

ditam; tum vt nobis humilitatis, & obedientiæ exemplū præberet. Tum vt Phariſeis occaſionem ſcandali auferret. Tum vt homines à ſeruitute legis liberaret.

Neque obſtat dicere, ipſum aliquando violaſſe Sabbatum, vt falsò illi obijciebant Iudæi Ioan. 9. *Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatū non cuſtodit.*

8 Reſpondeo, Chriſtum non violaſſe ſabbatum, nam præcepto ſanctificandi diem Sabbati non prohibentur primò opera diuina, vt miracula; Secundò, opera, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, etiam corporalis; Tertiò, opera quæ pertinent ad Dei cultum, ſeu ad laudem virtutis diuinæ, cuiuſmodi opus fecit Chriſtus, dū Paralytico præcepit tollere grabatum ſuum. Vide S. Thomam 3. p. quæſt. 40. art. 4. & Tannerum loco citato num. 101.

9 Quæres ſecundò, Vtrum Chriſtus ſubiectus eſſet legi Euangelicæ.

Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, quia ipſe fuit conditor legis Euangelicæ; conditor autem legis non tenetur ſuis legibus, quæ reſpiciunt ſubditos, vt ſubditi ſunt, ſeu quæ nō ſunt æquè accōmodatæ legiſlatori, & ſubditis: ob id Princeps prohibēs delationem armorum, aut præcipiēs ſolutionem tributorum, aut interdicens ſericas veſtes, non tenetur has leges ſeruare, quia non ſunt ipſi accōmodatæ, & non æquè reſpiciunt Principem, & ſubditos; lex autem Euangelica à Chriſto condita, vt eſt lex baptiſmi, & aliorum ſacramentorum, reſpicit ſubditos peccatores, qui ſalutem conſequi debent.

SECVNDA PROPOSITIO.

10 Chriſtus ſubditus fuit legi naturali. Ratio eſt, tum quia lex naturalis afficit quamlibet naturam creatam. Ergo etiam afficiebat Chriſtum. Tum quia Chriſtus abſtinere tenebatur ab omni opere intrinſecè malo; ſed peccatum contra legem naturalem eſt intrinſecè malum. Ergo Chriſtus abſtinere tenebatur ob omni peccato cōtra legem naturalem. Ergo Chriſtus ſubditus erat legi naturali. Ita communiter Doctores.

Ex quo ſequitur Chriſtū obligatum fuiſſe ad colendum Deum, ad non furandum, ad non mentiendum, & ad alia Decalogi præcepta, quæ iure non ſolum diuino, verum etiam naturali impoſita ſunt.

Obijcies, Deus tenetur abſtinere à mendacio, à furto, & his ſimilibus; ſed Deus non tenetur ab his ex vllo pręcepto. Ergo neque Chriſtus ex pręcepto tenebatur ab his abſtinere.

Reſpondeo, Deum non teneri ex vlla lege, quæ à ſuperiore imponitur, abſtinere à peccatis, ſed ſua bonitate, & natura, quæ eſſentialiter eſt bona, & impeccabilis.

TERTIA PROPOSITIO.

11 Chriſtus ſubiectus non fuit vlli legi humanæ. Ratio eſt, quia ſuperior non ſubijcitur legibus inferiorum; Chriſtus autem erat ſuperior omnibus hominibus; eſt .n. enim caput, & iudex totius humani generis. Ita communiter Doctores contra Marſilium de Padua.

Obij-

Obijcies primo, Chriſtus erat ſubditus Patri, & Matri Lucæ 2. *Et erat ſubditus illis*. Ergo obligari poterat legibus humanis.

Reſpondeo, Chriſtum ſolum de facto, non autem de iure, ſeu ex debito, ſubditum fuiſſe patri, aut matri; nam erat illorum ſuperior; ſuperior antem non tenetur obedire inferiori.

Obijcies ſecundo, Chriſtus ſoluit tributum. Ergo ſubditus erat legi Cęſaris præcipiẽti ſolutionẽ tributi.

Reſpondeo negando conſequentiam; perſpicuum enim eſt ipſum liberũ fuiſſe à ſolutione tributi. Matt. 17. *Ergo liberi ſunt filij*. Quamuis de facto ei legi obedire voluerit.

Punctum Secundum.

Vtrum Chriſtus vocari poſſit ſeruus Dei.

1 *Seruitus quotuplex ſit.*
2 *Chriſtus ſecundum humanitatẽ verè dici poteſt ſeruus Dei.*
3 *Chriſtus ſimpliciter, & abſolutè dici non poteſt ſeruus.*

1 NOtandum eſt ſeruitutẽ triplicem eſſe, moralem, politicam, ſeu humanam, ſeu legalem, & naturalem moralis eſt illa, qua quis per peccatum ſeruus Diaboli conſtituitur, iuxta illud, *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*. Seruitus politica, ſeu humana, ſeu legalis eſt illa, qua vnus iure diſponẽte fit ſeruus alterius, vt quando quis fit ſeruus alterius iure belli, vel natiuitate, vel emptione, vel condemnatione. Naturalis verò non eodẽ modo ab omnibus accipitur, nam S. Thomas, & alij Doctores ſtatim citandi, illam vocant ſeruitutem naturalem, qua omnis creatura iure ipſo creationis eſſentialiter pendet à Deo, ſeu ita Deo ſubijcitur, vt in omnibus ſubſit Deo, & diuinæ diſpoſitioni, eique iuxta ſuam conditionem morem gerere debeat. Hoc poſito, non eſt difficultas in hoc puncto de ſeruitute morali, conſtat enim Chriſtum nulli peccato obnoxium fuiſſe. Neque difficultas eſt de ſeruitute legali, ſeu humana, quia Chriſtus non erat ſeruus iure belli, aut natiuitate, aut emptione, aut condemnatione. Dubium ergo eſt ſolum de ſeruitute naturali.

VNICA PROPOSITIO.

2 CHriſtus, vt homo, ideſt ſecundum humanitatem, verè, ac propriè dici poteſt ſeruus Dei. Ratio eſt primo, quia ita vocatur in ſcriptura Pſal. 115. *O Domine quia ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ*. Iſaiæ 41. *Seruus meus es tu Iſrael, in te gloriabor*. C. 42. *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum*. Cap. 43. *Hæc dicit dominus formans me ex vtero ſeruum ſibi*. Cap. 52. *Seruus meuus exaltabitur*. Ca. 53. *Iuſtificabit ſeruus meus multos*. Ezech. 34. *Suſcitabo ſuper eos paſtorem vnum ſeruũ meũ*. Zachar. 3. *Ego adducam ſeruũ meum orientem*. Ad Philip. 2. *Semetipſum exinaniuit formam ſerui accipiẽs*.

Secundò, quia ita ſentiunt Patres, S. Ambroſius lib. 5. de fide cap. 6. S. Auguſtinus Epiſt. 178. ſub finem. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2. Cyrillus lib. 12. Theſauri c. 15. ſub finem, & alij apud Suarez, & apud Vaſ-

Vaſq. & apud alios Doctores proximè citandos. Tertiò, quia Chriſtus ſecundum humanitatem eſt verè, & propria creatura. Ergo verè, & propriè ſeruus Dei ſecundum humanitatem; omnis enim creatura neceſſario dependet à Deo, eiuſque liberæ diſpoſitioni inſeruit. Quartò, quia Pater æternus fuit Deus, & Dominus Chriſti. Ioannis 20. *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum*. Prouerb. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarũ*, vel vt Septuaginta vertunt, *Dominus creauit me initium viarum*, quem locum S. Ambroſ. lib. 1. de fide cap. 7. & alij intelligunt de ſapientia incarnata, ſeu Chriſto ſecundum humanitatem. (Ego tamen alias attuli expoſitiones q. 1. pun. 5.) is autem cuius alter eſt dominus, ſeruus illius dici poteſt. Quintò, quia ſeruitus naturalis nihil eſt aliud quã neceſſaria, & eſſentialis dependentia creaturæ ad Deum, ratione cuius liberè ſubeſt diſpoſitioni Dei, eique iuxta ſuam conditionẽ obedire debet. Sed hoc conuenit Chriſto ſecundum humanam naturam. Ergo Chriſtus ſecundum humanam naturam eſt ſeruus Dei. Sextò, quia anima Chriſti adorare debet Deum adoratione latriæ; is autem dicitur adorare Deum adoratione latriæ, qui recognoſcit Deum tanquam ſupremum Dominum, eique ſe ipſum ſubijcit tanquam ſeruum. Septimò, quia licet Chriſtus eſſet Dominus ſuarum actionum, non tamen erat ſupremus dominus. Ergo habebat alium Dominum ſuperiorem, videlicet Deũ. Ita S. Thomas quæſt. 20. art. 1. ad 2. Caietanus, Medina, & alij Thomiſtæ ibidem, Suarez diſp. 44. ſect. 1. Valentia quæſt. 20. pun. vnico, Puteanus quæſt. 20. art. 2. Tannerus d. 1. quæſt. 7. dub. 1. num. 17. Aluarez quæſt. 19. diſp. 74. concl. 2. num. 8. & alij contra Vaſquez diſp. 80. vbi hanc rem duodecim capitibus fusè, & prolixè proſequitur, Becanum cap. 16. quæſt. 2. & alios negantes Chriſtum dici poſſe ſeruum, etiam ſecundum humanitatem.

Obijcies primò, de ratione ſeruitutis eſt, non ſolum, vt ſeruus non ſit ſui iuris, & obediat Domino, verum etiam, vt non communicet cũ Domino in bonis, in honore, & in ſede, ex Ariſt. lib. Politicor. cap. 3. ſed iſta conditio ſeruitutis non conuenit Chriſto, etiam ſecundum humanitatem; Chriſtus enim habuit ius ad hæreditatem Dei, & communicat cum illo in bonis. Coloſſ. 2. *In ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis*, corporaliter communicat in honore, & ſede, Hebræor. 1. *Sedet ad dexteram Maieſtatis in excelſis*. Ergo Chriſtus non eſt ſeruus Dei ſecũdum humanitatem.

Reſpondeo, nos non loqui de ſeruitute politica, & legali, de qua loquitur ibi Ariſtoteles, ſed de naturali, quæ non impedit, & non excludit communicationem bonorum, (vt patet in beatis,) ſicut impedit, & excludit ſeruitus politica, & legalis; ſicut ergo beati dicuntur ſerui Dei, licet beatitudine, & bonis Dei perfruãtur; ita etiã Chriſtus dici poteſt ſeruus ſecundum humanitatem, licet communicet cum Deo in bonis, honore, & ſede. Præterea Beatiſſima Virgo Maria quandam habuit communicationem cũ Deo in honoribus, & dignitatibus; nam ipſa

ipſa verè dicitur Mater Dei, & vocatur Regina Cæli, & nihilominus verè,ac propriè eſt ſerua Dei, & ipſa ſe Dei ancillam appellat, *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum Verbum tuum*. Ergo etiam Chriſtus ſecundum humanitatem verè,ac propriè eſt ſeruus Dei,quamuis ei communicata ſint multa cęleſtia dona.

Obijcies ſecundo, Chriſtus ſecundum humanitatem eſt filius Dei naturalis. Ergo non eſt ſeruus; filius enim habet ius ad hæreditatē. Cōfirmatur ex parabola Euāgelica Matt. 21. Vbi pater familias prius miſit ſeruos, & poſtea filium,quo loco indicatur Deum prius miſiſſe Prophetas,qui erant ſerui, & poſtea Chriſtum, qui non erat ſeruus, ſed filius.

Reſpondeo,Chriſtum vocari filiū Dei naturalem, non ratione humanitatis, ſed ratione ſuppoſiti, Chriſtus enim non eſt filius adoptiuus, cum non ſit perſona extranea, vt infra oſtendam de adoptione.Ergo eſt filius Dei naturalis, non tamen hinc excluditur, quin ratione humanitatis dici debeat ſeruus Dei. Eadem reſponſio accomodari poteſt confirmationi.

Obijcies tertio,Concilium Francfurdenſe,& Adrianus primus in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ damnarunt Elipādum, & ſectatores ipſius, eo quod aſſererent Chriſtum eſſe ſeruum, & filium adoptiuum, imò Adrianus acrius illos reprehendit, quod dixerint Chriſtum ſeruum,quā quod vocauerint adoptiuum. Sed Chriſtus nulla ratione dici poteſt filius adoptiuus. Ergo neq; ſeruus.

Reſpondeo primo, Elipandum, & eius ſectatores damnatos fuiſſe, non quia dixerint Chriſtum ſecundum humanitatem eſſe ſeruum, ſed quia more Neſtorianorum voluerūt duo ſuppoſita in Chriſto conſtituere, aſſerentes humanitatem,vt ſubſiſtentem in ſuppoſito creato, eſſe ſeruam, conſequenter Chriſtum eſſe ſeruum, non ſolum ratione humanitatis,verum etiam ratione ſuppoſiti, quod eſt falſum,& iure merito damnatum. Ita Valentia quæſt. 20. pun. vnico col. 2. Suarez loco cit. & alij.

Reſpondeo ſecundo, Concilium, & Adrianum intelligi de ſeruitute morali, aut legali, & pœnali ex peccato contracta, vt colligitur ex illis verbis Concilij, *Vnde Adam ſeruus factus eſt? niſi ex peccato*; cum autem Chriſtus non contraxerit ſeruitutem moralem, iure merito damnata fuit propoſitio aſſerentium Chriſtum eſſe ſeruum ſeruitute morali,aut legali pœnali.

Obijcies quarto, Concilium Alexandrinum in Epiſtola decima apud Cyrillum, negat Verbum Patris eſſe Deum, aut Dominum Chriſti. Ergo Chriſtus non poteſt vocari ſeruus Dei, alioquin Verbum Dei Patris dici poſſet Deus, aut Dominus ipſius Chriſti.

Reſpondeo,Verbum non eſſe quidem Deum, aut Dominum Chriſti cum diuiſione ſuppoſitorum, vt aſſerebant Neſtoriani, quorum error damnatur in Concilio Alexandrino; in Chriſto enim non eſt ſuppoſitum humanum; conſequenter Verbum, ſeu Deus non poteſt dici Dominus vllius ſuppoſiti humani; ſine diuiſione verò ſuppoſitorum negari non debet Patrem eſſe Dominum Chriſti. Imò Chriſtum ipſum ſecundum diui-

Digitized by Google

diuinam naturam eſſe Dominum ſui ipſius ſecundum humanitatem.

3 Quæres, Vtrum Chriſtus ſimpliciter, & abſolutè dici poſſit ſeruus. Reſpondeo non poſſe dici ſeruũ, niſi addatur explicita reſtrictio, ſecundum humanitatem, conſequẽter Chriſtus non poteſt abſolutè dici ſeruus Dei, aut Patris, aut ſui ipſius. Ratio eſt; tum ne videamur conuenire cum Neſtorianis, & cum Elipãdo, alijſque hæreticis. Tum quia ſeruus reſpectu alicuius, abſolutè prolatus, ſignificat diſtinctionem ſuppoſitorum, & nihil in eo eſſe, quod nõ ſit ſub dominio alterius; in Chriſto autem non eſt diſtinctio, ſeu diuiſio ſuppoſitorum, & aliquid in ipſo eſt, quod non eſt ſub dominio vllius etiam reſpectu Patris. Tum quia in æquiuocis abſtinendum eſt ab illa loquendi forma, ex qua præiudicium affertur alteri ſignificationi. Ita Suarez, Valentia, Tannerus, Aluarez, & alij locis citatis.

QVÆSTIO DECIMA QVINTA.

De Oratione Chriſti.

IN hac quæſtione explicabo primo, Vtrum Chriſtus verè in hac vita orauerit, cur orauerit, & an ipſius oratio ſemper exaudita fuerit. Secundò, an Chriſtus pro nobis in Cælis oret.

Punctum Primum.

Vtrum Chriſtus in hac vita orauerit, cur orauerit, & an ipſius oratio ſemper impleta fuerit.

1 *Chriſtus in hac vita verè, & propriè orauit.*
2 *Orationis definitio quænam ſit.*
3 *Oratio Chriſti non fuit actus ſenſualitatis.*
4 *Chriſtus quibus de cauſis orauerit.*
5 *Oratio Chriſti procedens ab ipſius voluntate abſoluta ſemper exaudita fuit.*
6 *Oratio Chriſti efficax quomodo cognoſci poſſit.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus in hac vita verè, & propriè orauit pro ſe, & pro nobis. Ratio eſt primo, quia ita teſtatur

ſtatur ſcriptura Pſal. 54. *Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meã, intende mihi, & exaudi me.* Quo in loco Chriſtus loquitur, teſte Auguſtino; Matthei 14. *Dimiſſa turba aſcendit in montem ſolus orare,* & Cap. 26. *Procidit in faciem ſuam orans, & dicens, pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Marci. 6. *& cum dimiſiſſet eos, abijt in montem orare.* Lucę 6. *Exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Ioannis 17. *Ego pro eis rogo pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos.* Secundò, quia oratio maximè decebat Chriſtũ. Ergo non eſt Chriſto negãda. Ita communiter Patres, & Doctores.

Obijcies primo, Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 19. ait Chriſtum non verè, ſed ſimulatè oraſſe, ſicut etiã multa ſimulatè feciſſe videtur, vt dũ acceſſit ad ficum quærens ex ea fructum; dum interrogauit vbi poſuiſſent Lazarum, dum ſe abſcõdit, dum finxit ſe longius ire.

Reſp. Chriſtum non ſimulatè, & fictè, ſed verè, & propriè oraſſe, ſicut verè acceſſit ad ficum, verè interrogauit de Lazaro, verè ſe abſcondit &c. dicitur tamen hæc ſimulaſſe, quia orando geſſit ſe inſtar ſimulantis, quia orando videbatur occultare potẽtiam ſuam, & exterius coram hominibus videbatur indicare perſonam ſuam his indigere, ſicut nos indigemus. Vide Suarez d. 45. ſect. 1. ad finem, Valentiam q. 21. pun. 1. col. 2. Becanum cap. 17. q. 1. num. 2.

Obijcies ſecũdo, oratio eſt aſcenſio mentis in Deum; ſed mens Chriſti non potuit, nec poteſt de nouo aſcendere in Deum, cum Chriſtus ab inſtanti cõceptionis habuerit viſionem beatificam, conſequenter ipſius mens ſemper vnita fuerit Deo. Ergo Chriſtus non potuit, nec poteſt orare.

2 Reſpondeo definitionem Orationis non eſſe illam; ſed potius iſtã. Oratio eſt actus religionis, quo Deus laudatur, eique explicatur deſiderium ad aliquid obtinendum. Chriſtus igitur, & alij Beati dicũtur Deũ orare, non quia ipſorum mens ſimpliciter ad Deũ aſcendat (nunquam enim à cognitione, & amore Dei diſcedunt) ſed nouum produnt affectum, & deſiderium obtinendi id, quod petunt. Ita Suarez tom. 2. de religione lib. 1. cap. 5. num. 12. Becanus cap. 17. quæſt. 1. n. 4. & alij.

Obijcies tertio, Chriſtus ab inſtanti conceptionis nouit omnia, quę futura erant, & quę non erant futura. Ergo non rogauit quicquam; nullus enim prudenter petit fieri id, quod eſt futurum, vel non futurum; fruſtra enim peteret.

Reſpondeo negando conſequentiam; poteſt enim quis prudentiſſimè petere id, quod ſcit futurum propter ſuam orationem, quod alioquin non eſſet futurum; ſicut etiam poteſt quis petere, quod ignorat futurum. Hinc patet quid dicendum ſit de orationibus beatorum. Vide tradita de Horis canonicis diſ. 1. q. 2. pun. 1. num. 6. in decima quinta impreſſione.

3 Quære, Vtrum Oratio Chriſti fuerit actus ſenſualitatis,

Reſpondeo negatiuè. Tum quia oratio eſt actus rationis. Tum quia oratio Chriſti habebat pro obiecto gloriam diuinam, quam non percipit

pitvllus ſenſus; aliqua tamen ratione dici poteſt, aliquam orationem Chriſti fuiſſe actũ ſenſualitatis, quia Chriſtus aliquãdo petijt aliquid cõſentaneum ſenſualitati, Matthei 26. *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*. Ita S. Thomas q. 19. art. 2. Valentia, & Aluarez ibidem, Tannerus quæſt. 7. dub. 2. num. 33.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 CHriſtus multis de cauſis orauit. Primò, orauit, vt exerceret actum religionis; ſicut enim exercuerat actus aliarum virtutum; ita etiam par erat, vt actus iſtius virtutis exerceret. Secundò, vt præberet nobis exemplum orandi. Ideò Auguſtinus tract. 104. in Ioannem ait, *Chriſtum ita voluiſſe ſe Patri exhibere pracatorem, vt men[illegible]erit ſe noſtrum eſſe doctorem*. Tertiò, vt oſtenderet ſe eſſe filium Dei; nam orando Deum, vocabat illum Patrẽ. Matth. 26. *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*. Et Ioann. 17. *Pater venit hora, clarifica filium tuum*. Quartò, propter neceſſitatem, & indigentiam, non quia Chriſtus, abſolutè loquendo, non potuerit efficere, quę orando obtinebat, vel efficiebat, ſed quia Deus decreuerat aliqua concedere ob orationem, & non aliter; conſequẽter oratio Chriſti neceſſaria erat ad illa obtinenda, non ſimpliciter, & abſolutè; ſed in ſenſu compoſito, ſeu ſuppoſita diuina ordinatione. Ita Suarez d. 45. ſect. 1. col. 3. Valentia quæſt. 21. pun. 1. Becanus cap. 17. quæſt. 2. num. 5. Vaſquez 3. p. tom. 1. diſp. 81. cap. 1. ad finem, & alij.

TERTIA PROPOSITIO.

5 ORatio Chriſti procedens à voluntate abſoluta ſemper impleta, & exaudita fuit, non verò procedens à voluntate nõ abſoluta. Ita S. Thomas quæſt. 21. art. 4. Valentia ibidem pun. 2. Suarez ibidem in comment. & diſp. 45. ſect. 1. ſub finem, & alij commentatores S. Thomæ contra Vaſquez diſp. 82. cap. 5. verſ. ego verò n. 41. Becanus c. 17. quæſt. 3. num. 3. & alios. Pro ſolutione aduerte, duplicem eſſe Chriſti voluntatem. Prima eſt rationis omninò, & vndequaq; deliberatæ, quæ etiam vocatur voluntas abſoluta, & efficax, Secunda eſt rationis deliberatæ ſolum ſecundum quid, ſeu ſecundum aliquas conſiderationes tãtum, & hęc vocari poteſt voluntas inefficax, ſeu ſimplex affectus. Hoc poſito.

Dico primo, orationem prouenientem à voluntate abſoluta ſemper exauditam fuiſſe. Tum quia Ioann. 11. dicitur. *Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis*. Hebreor. 5. *Exauditus eſt pro ſua reuerentia*. Tum quia Chriſtus nunquam orauit Deum voluntate abſoluta, niſi quod ſciebat Deum velle volũtate abſoluta, alioquin non prudenter oraſſet, & ipſius voluntas non fuiſſet conformis voluntati Dei; ſed voluntas Dei abſoluta ſemper impletur. Ergo etiã oratio Chriſti procedens à ſua voluntatè abſoluta ſemper impleta fuit.

Dico ſecundo, orationem Chriſti prouenientem à voluntate non abſoluta non ſemper impletam fuiſſe. Ratio patet, tum ex ſcriptura Pſal.

21.

Digitized by Google

21. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi*. Matth. 26. *Pater mi ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*. Tum quia hæc eſt natura voluntatis inefficacis, vt effectus non ſequatur ex vi ipſius, vt patet ex ſupra dictis de volũtate efficaci quęſt. 11. pun. 4.

Tertiò, quia Chriſtus Lucæ 23. orauit pro omnibus crucifixoribus, & tamen exaudita nõ fuit oratio pro omnibus, cum peccatum dimiſſum non fuerit omnibus, *Pater dimitte illis, quia neſciunt, quid faciunt*; multi tamen Doctores putant Chriſtum tunc exauditum fuiſſe, quia vel orauit ſolum pro prædeſtinatis, vel orauit pro omnibus, ſolũ vt daretur eis gratia ſufficiens, per quam conuerti poſſent, ſi voluiſſent.

Objicies, nulla dari poteſt oratio ineffi cax, ſeu procedens à voluntate inefficaci; nam qui petit aliquid fieri, efficaciter cupit illud fieri, ideo ad illud obtinendum vtitur oratione tanquam medio; qui verò aliquid cupit voluntate inefficaci, nullum adhibet medium ad illud conſequẽdum. Ergo quælibet oratio Chriſti exaudita, & impleta fuit.

Reſpondeo negando antecedens, & eius probationẽ; multi enim multa inefficaciter, & affectu quodam remiſſo petunt, quæ nollent abſolutè fieri, aut non niſi ſub aliqua conditione.

6 Quæres, quomodo cognoſcere poſſimus in particulari, quandonam Chriſti oratio fuerit efficax, & abſoluta.

Reſpondeo id deducendum eſſe ex circunſtantijs, & ex ſubiecta materia. Quamobrem Ioann. 17. Chriſtus in Cœna, dum dixit, *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt*, orauit abſolutè, & efficaciter, quia peculiari modo orauit pro Apoſtolis, non pro alijs. Idem dic dum orauit pro Petro. Lucæ 22. *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*. Vide S. Thomam quæſt. 21. art. 4. Suarez diſp. 41. ſect. 2. Tannerum diſp. 1. q. 7. dub. 2. num. 38.

Punctum Secundum.

An Chriſtus pro nobis in cælis oret?

1 *Chriſtus in cęlis pro nobis verè, & propriè orat.*
2 *Chriſtus pro nobis in cælis orat, ſed non abiecto, & ſeruili modo.*
3 *Chriſtus à nobis orari poteſt ſpeculatiuè loquendo, vt pro nobis oret.*

VNICA PROPOSITIO.

1 CHriſtus in Cælis pro nobis verè, & propriè orat; imò multi Doctores putant ipſum orando formare vocem ſignificãtem noſtras egeſtates, & neceſſitates, ſicut orabat, dum in hac vita conſtitutus erat. Ita Suarez, Leſſius, Azorius, Paulus Layman, Toletus, Valentia, & Filiucius, quos retuli de horis canonicis diſp. 1. quæſt. 2. pun. 1. n. 3. Tannerus quæſt. 7. dub. 2. num. 27. Puteanus quæſt. 21. art. vlt. contra Vaſquez diſp. 82. cap. 2. num. 9. & ſeqq. Becanum cap. 17. q. 4. Medinam, & alios apud Vaſquez, aſſerentes Chriſtum in cælis exiſtentem non verè, & propriè orare, ſed ſolum interpretatiuè, repręſentando Patri paſſio-

paſſionem, & tormenta, quæ pro nobis ſuſtinuit. Ratio noſtra eſt primo, quia in ſcriptura expreſſe habetur, Chriſtum pro nobis orare. 1. Ioann. 1. *Sed etſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrē Ieſum Chriſtum*. Ioann. 14. *Si diligitis me, mandata mea ſeruate, & ego rogabo Patrē, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum*, & Hebreor. 7. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis*, in quem locum S. Ambroſius ait, *Chriſtus reſurgens ſemper cauſas noſtras agit apud Patrē, cuius poſtulatio contemni non poteſt, quia in dextera Dei eſt, hoc eſt, in honore, quo Deus eſt*. Secundò, quia oratio eſt actus per ſe honeſtus, & laudabilis. Ergo non eſt Chriſto denegandus. Tertiò, quia Chriſtus in cęlis exiſtēs colit Deum alijs religioſis actibus, vt laude, gratiarum actione, & cæt. Ergo etiam oratione, cum par ratio videatur. Quartò, quia Chriſtus eſt Sacerdos, & Pontifex in æternum. Ergo perpetuò pro nobis Deū interpellat, cum proprium Sacerdotis officiū ſit orationes, & ſacrificia offerre.

Obijcies primo, Nazianzenus oratione 36. Gregorius Magnus lib. 22. moral. cap. 3. Chriſoſtomus homil. 15. ad Romanos, & alij Patres apud Vaſquez d. 82. cap. 2. negant Chriſtum orare; ſed orationem Chriſti in nuda vulnerum, & meritorū repreſentatione conſtituere videntur.

2 Reſpondeo primò, aliquos Patres negare Chriſtum nunc orare abiecto, & ſeruili geſtu, genuflectendo, pectus percutiēdo, & ſimilia faciendo, quæ ſtatui patriæ non valdè ſentanea ſunt.

Reſpondeo ſecundò, Chriſtum nunc non ita orare, vt aliquid nobis de nouo ſua oratione promereatur; omnia enim ſua paſſione promeruit, quæ modo ipſius oratione nobis applicari poſſunt.

Reſpondeo tertiò, aliquos Patres concedere quidem interpretatiuam orationem, ſed non negare aliud genus formalis orationis. Ita Valentia 3. par. quæſt. 22. pun. 3. Puteanus, Tannerus, & alij locis citatis.

Obijcies ſecundò, ſi Chriſtus pro nobis in Cęlo Deum orat, fas nobis eſſet illum orare, vt pro nobis oret; licitum enim videtur petere, vt fiat id, quod re ipſa fit; Videtur autem contra communem Eccleſię praxim, rogare Chriſtum, vt pro nobis oret, cum potius oretur, vt nobis conferat, vt noſtri miſereatur, vt nobis opē ferat. Matth. 28. *Chriſte adiuua nos, Ieſu filij Dauid miſereri noſtri*.

Reſpondeo, non videri illicitum, ſpeculatiuè loquendo, Chriſtum, vt hominem, rogare, vt pro nobis oret; practicè tamen, præſertim in publica oratione, hoc faciendum non eſſe. Tum quia preces noſtræ dirigi ſolēt, non ad naturam humanam, ſed ad perſonam in natura humana ſubſiſtentem, quæ ſua poteſtate dare, & conferre poteſt. Tum quia licet Chriſtus ſecundum naturam humanam ſpectatus poſſit adoratione hyperduliæ adorari, tamen ſicut ſemper decet, dum aliquē alloquimur, ſummo honoris titulo compellare, ita in praxi expedit Chriſtum honore latriæ honorare, & ad ipſum orationes fundere, non vt pro nobis oret, ſed tribuat conferat exaudiat. Ita Leſſius loco citato num. 26. Azorius loco citato quæſito 8. & alij.

Obij-

Digitized by Google

Obijcies tertiò, cum Vaſquez, Becano, & alijs, Chriſtus nunc in cælo exiſtens habet pleniſſimam poteſtatem, ita vt facere poſſit, quicquid ſibi licet. Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Ergo opus non eſt ad ipſum confugere, vt aliquid pro nobis impetret, cũ poteſtate à Patre ſibi data vti poſſit ad libitum.

Reſpondeo, plenitudinem poteſtatis non eſſe collatam humanitati, vt ſic, ſed Chriſto, qui conſtat diuina, & humana natura; & locus Matthei intelligendus videtur de Chriſto, nõ de humanitate Chriſti præcisè, vt in ſimili docet Becanus 3. par. cap. 7. q. 3. loquens de communicatione idiomatum, Bellarmin. l. 3. de Chriſto cap. 15. Valentia de Incarnat. q. 2. pun. 3. §. 3. Non tamen hinc ſequitur, quin Chriſtus ſecundum humanitatem orare poſſit Deum pro nobis, præſertim cum opera Dei ad extra communia ſint Sanctiſſimæ Trinitati.

Obijcies quartò, Chriſtus in hac vita perfecit opus redemptionis, & omnia nobis impetrauit, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, Hebr. 15. *Vna oblatione conſumauit in ſempiternum ſanctificatos.* Ergo nunc in Cælo nihil pro nobis petit; nam ſi aliquid peteret, quod antea impetraſſet, fruſtra peteret.

Reſpondeo, Chriſtum per paſſionem ſuam perfeciſſe opus redemptionis, & meruiſſe nobis omnia ad ſalutem neceſſaria; redemptio tamẽ, & merita Chriſti applicari poſſunt per interceſſionem, & orationem Chriſti, vt nobis efficaciter proſint. Vide, quæ tradidi loco citato de horis Canonicis, vbi has obiectiones ad verbum adduxi.

QVÆSTIO
DECIMA SEXTA,
De Adoptione Chriſti.

IN hac Quæſtione tria principaliter explicabo. Primò, quid ſit adoptio. Secundò, quinam ſint capaces adoptionis diuinæ. Tertiò, An Chriſtus ſecundum humanitatem dicendus ſit Filius adoptiuus.

Punctum Primum.

Quid ſit adoptio, quænam conditiones ad ipſam requirantur, & quomodo adoptio humana differat à diuina.

1 *Adoptio quid ſit.*
2 *Adoptionis conditiones quænã ſint.*
3 *Adoptio diuina differt ab humana.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 ADoptio eſt legitima aſſumptio extraneæ perſonæ ad hæreditatem. Ita communiter Doctores Inſtitut. de adoptionibus §. adoptio, & patet ex dictis de Matrimonio q. 3. pun. 5. §. 3.

Dicitur, legitima, quia fieri debet iuxta conſtitutiones legum; quid autem leges in hac re conſtituant, conſtabit ex dicendis in ſecunda propoſitione.

Dicitur, extraneæ perſonæ, vt indicetur ſubiectum adoptionis; is n. tantum adoptari debet, qui extraneus eſt reſpectu adoptantis, ideſt qui non habet ius ad hæreditatem, ad quam adoptatur, vt patet ex dictis de Matrim. loco citato; idemq; docet Oinothomus Inſtitut. de adoptionibus §. adoptio cum gloſſa in L. cùm in adoptiuis C. de adoptionib.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 ADoptio tres conditiones requirit. Prima eſt, vt is, qui adoptatur, ſit perſona extranea, ideſt quo ad iura adoptionis pro extraneo habeatur. Secunda eſt, vt adoptio ad hæreditatem ſit gratuita; nam ſi fiat titulo oneroſo, & non gratuito, non dicetur adoptio, ſed venditio, aut alius contractus. Tertia eſt, vt adoptatus conſentiat; imò requiritur etiam conſenſus patris, ſi ſub patris poteſtate exiſtit L. 2. poſt principium ff. de adopt. adoptio enim eſt veluti quidam contractus; contractus autem mutuo conſenſu perficitur. Verum ſi adoptatus ad rationis vſum nondum peruenit, ſufficit conſenſus parentis, vel tutoris, qui eius curam gerit; nam quæ parens, vel tutor agit, infantis nomine agit, & ipſius negotium vtiliter gerit.

Ex dictis colligi pôt primò, quid ſit adoptio diuina, & quandonam contingat; tunc enim contingit, quãdo homini, aut Angelo non habenti ius ad gloriam, confertur ius ad gloriam; tunc enim aſſumitur perſona ad hæreditatem, ad quam non habet ius. Ita communiter Doctores cum S. Thoma q. 23. art. 3.

Secundò colligitur, hominem, aut Angelum à Deo adoptari, quando ei gratia ſanctificans confertur, ex Auguſtino Epiſt. 120. cap. 4. & alijs communiter. Ratio eſt, tum quia homo, aut Angelus per gratiam ſanctificantem efficitur Filius Dei, non naturalis; ergo adoptiuus. Tum quia ſic habetur ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, vt iuſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ*. & Ioannis 1. *Dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri, qui ex Deo nati ſunt*; tunc autem homo dicitur ſpiritualiter naſci, ſeu renaſci, dum iuſtificantem gratiam recipit.

Tum

Tum quia adſunt omnes cõditiones neceſſariæ ad adoptionem; nam homo, & Angelus eſt perſona extranea reſpectu beatitudinis, cum ad illam ius non habeat ex ſe, ſeu vi ſuæ originis, ſed ex voluntate Dei conferentis gratiam iuſtificantem, per quam confertur ius ad gloriam; præterea gratia gratis confertur, alioquin nõ eſſet gratia; & gratia iuſtificans confertur abſque præuio merito, ſaltem de condigno. Denique adeſt conſenſus illius, qui adoptatur; Deus enim non ſaluat nos ſine nobis, & in Infantibus Eccleſia ſupplet conſenſum ipſorũ, vt patet ex dictis de Baptiſmo.

Obijcies, adoptio requirit, vt adoptãdus ſit perſona extranea; ſed homo, aut Angelus, qui iuſtificatur, non eſt perſona extranea reſpectu Dei, quia in eſſe, fieri, & conſeruari dependet à Deo. Ergo non poteſt dici adoptari per iuſtificationem.

Reſpondeo negando minorẽ propoſitionem, quamuis enim homo in fieri, eſſe, & cõſeruari pẽdeat à Deo, nihilominus cenſetur perſona extranea, quia vi ſuæ originis, ſeu creationis non habet ius ad gloriam, ſed illud gratuitò recipit à Deo per iuſtificationem.

TERTIA PROPOSITIO.

3 Adoptio diuina in multis differt ab humana; primo .n. adoptio humana fit per extrinſecam acceptationem, nec confert aliquid intrinſecum tribuens ius ad hęreditatem. Adoptio verò diuina fit per internam infuſionem gratię, ſeu per inhęrẽtem iuſtitiam, & gratiam, per quam homo particeps efficitur diuinę naturę, vt dicitur 1. Petri 3. & Ioannis 1. cap. 3. dicitur, *Vide qualem claritatem dedit nobis Deus, vt Filij Dei nominemur, & ſimus*. Ita S. Thom. quęſt. 23. art. 1. Suarez, Vaſquez, & alij ibidem.

Secundò, ex adoptione humana nõ reſultat vlla relatio realis, ſed rationis tantum; nam adoptio humana fundatur in extrinſeca denominatione deſumpta ab extrinſeca acceptatione adoptantis; Ex adoptione verò diuina reſultat relatio filiationis realis fundata in reali, & intrinſeca iuſtificatione, quę eſt vera, & realis generatio, non quidem perfecta, & ſubſtantialis, ſed imperfecta, & accidentalis, vt conſtabit ex dicendis de gratia.

Tertiò, in adoptione humana, perſona, quę adoptatur, non procedit in ſuo eſſe reali ab adoptante; in diuina verò ſemper procedit, ſaltem per creationem. Ita S. Thomas loco citato in ſolut. ad 1.

Quartò, adoptio humana introducta eſt ex defectu, & indigentia Filij naturalis, vt benè S. Thomas loc. cit. ad 2. Oinothomus Inſtitut. de adotionibus num. 3. Suarez loco citato, & alij; adoptio verò diuina inuenta fuit non ex defectu, & indigentia Filij (Pater enim in diuinis Filium habet naturalẽ) ſed ex infinita perfectione, & bonitate Dei, vt ſimilitudo Filij naturalis communicetur Filijs adoptiuis, iuxta illud Romanorum 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij Dei.*

Quintò, adoptio humana ordinatur ad ſucceſſionem, vt ſcilicet decedente, ſeu moriente eo, qui adopta-

 uit,

nit, ſuccedat adoptatus; adoptio verò diuina non ordinatur ad ſucceſſionem (cum Deus decedere non poſſit) ſed ad cõmunicationem, vel participationem eiuſdem hæreditatis, *Chriſtus enim*, inquit Auguſtinus tract. 2. in Ioannem, *non timuit habere cohæredes, quia hæreditas eius nõ fit anguſta, ſi multi eam poſſederint*. Vide S. Thomam, Suarez, Becanũ, Vaſq. locis citatis.

Punctum Secundum.

Quinam ſint capaces adoptionis diuinæ.

1 *Adoptionis Diuinæ capax eſt ſolum creatura rationalis.*
2 *Angeli, qui lapſi non ſunt, vocari poſſunt filij Dei adoptiui.*
3 *Adam, & alij Patres antiqui teſtamenti vocari potuerunt, & poſſunt filij Dei adoptiui.*
4 *Reprobi vocari poſſunt filij Dei adoptiui, dum gratiam iuſtificantem habent.*
5 *Prædeſtinati non ſunt filij Dei adoptiui, quandiù mortalis peccati culpa detinentur.*

VNICA PROPOSITIO.

1 Omnis, & ſola creatura rationalis capax eſt diuinæ adoptionis. Ita Sanctus Thomas quæſt. 23. artic. 3. & ipſius Commentatores communiter. Quod omnis creatura rationalis ſit capax adoptionis diuinæ, probatur, quia omnis creatura rationalis eſt capax gratiæ iuſtificantis, ad quam nullum habet ius ex vi ſuæ originis; Chriſtus enim mẽruit omnibus gratiam, & pro omnibus mortuus eſt. Ergo omnis creatura rationalis eſt capax diuinę adoptionis, cum per gratiam iuſtificantem conferatur ius ad hæreditatem, ideſt ad gloriam, ſeu vitam æternam, iuxta illud, *Gratia Dei vita æterna.*

Quod verò ſola rationalis creatura ſit capax diuinæ adoptionis, probatur, quia *Filij adoptiui ſunt hæredes Dei*, Roman. 8. ſed ſola creatura rationalis poteſt eſſe hæres Dei; nam hæreditas diuina conſiſtit in viſione beatifica, cuius non eſt capax creatura irrationalis, ſed ſola rationalis, & intellectualis. Ergo ſola creatura rationalis poteſt eſſe capax adoptionis diuinæ.

2 Hinc ſequitur primò, Angelos, qui lapſi non ſunt, rectè vocari Filios Dei adoptiuos. Tum quia ſunt creaturæ rationales capaces diuinæ gratiæ. Tum quia in ſcriptura vocãtur filij Dei. Iob 38. *Cum veniſſent Filij Dei, cum iubliarent oẽs Filij Dei*, ſed non ſunt filij naturales. Ergo ſunt filij adoptiui. Ita Aluarez quæſtione 23. artic. 3. Puteanus ibidem verſic. ex dictis, Vaſquez ibidem, Becanus cap. 18. quæſt. 3. alij communiter.

Obijcies, Sanctus Chriſoſtomus in quadam homilia ait, nunquam in ſacris literis legi Angelos vocari filios. Imò idem affirmare videtur Sanctus Paulus Hebræorum 1. *Ad quem Angelorum aliquando dixit, Filius meus es tu?* Ergo Angeli vocari non poſſunt filij Dei.

Reſpondeo, S. Chriſoſtomum deceptum fuiſſe Lectione Codicis, cũ ipſe

ipſe careret codice editionis vulgatæ, in quo apertè habetur, Angelos eſſe Filios Dei. Locum Apoſtoli dico intelligendum eſſe de Filio Dei naturali; Deus enim nullum Angelum vocauit filium naturalem.

3 Secūdò, ſequitur Adamū, alioſque Patres, & homines iuſtos veteris teſtamenti connumerandos eſſe inter Filios Dei adoptiuos. Tū quia erant creaturæ rationales præditæ gratia iuſtificante. Tum quia in ſcriptura vocantur filij adoptiui. Rom. 9. *Optabam ego eſſe anathema à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei, ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum.* Ita Doctores citati.

Obijcies primo, Adoptio filiorū tribuitur tantummodo viris iuſtis noui teſtamenti poſt aduētum Chriſti, Ioannis 1. *Quot quot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Roman. 8. *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum*, & Galat. 4. *Miſit Deus filium ſuum, vt adoptionem filiorum reciperemus.*

Reſpondeo, adoptionem filiorum præcipuè tribui viris iuſtis noui teſtamenti, quia ipſi verè, & realiter aſſequi poſſunt hæreditatem; homines verò antiquæ legis, licet verè eſſent filij adoptiui, non poterant tamen in eo ſtatu hęreditatem aſſequi, quia clauſa erat cęli ianua, quæ reſerata, & aperta fuit per Chriſti mortem.

Obijcies ſecundò, filiatio antiquorum Patrum erat vmbra, & figura filiationis nouæ legis, 1. Corint. *Omnia in figura contingebant illis*, & Hebreor. 10. *vmbram habens lex futurorum; non ipſam imaginem verum*; ſed figura, & res figurata nō cōueniunt vniuocè in eadē ratione formali. Ergo filiatio legis antiquæ non erat vera filiatio; conſequenter viri iuſti antiquæ legis nō erant filij adoptiui, ſicut ſunt homines iuſti nouæ legis.

Reſpondeo, filiationem antiquorum Patrum, non ſolum fuiſſe figuram, & vmbram filiationis nouæ legis, verum etiam fuiſſe veram, & propriam filiationem; ſicut enim Agnus paſchalis erat verus Agnus, & tamen erat figura Agni Chriſti, iuxta illud *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi*. Ita erat filiatio antiquę legis; licet .n. antiqui Patres nō haberent verā iuſtitiam, & adoptionem vi antiquæ legis; illam tamen habebant vi legis Euangelicæ, ratione fidei in Chriſtum vēturum; & hac ratione non ſolum erant figura adoptionis, & filiationis, verum etiam adoptione, & filiatione gaudebant, quamuis fructu, & effectu filiationis frui non poſſent, donec Ianua cœlorum ipſis aperiretur morte Domini noſtri Ieſu Chriſti.

4 Tertiò ſequitur reprobos, dū gratia iuſtificante prædìti ſunt, referendos eſſe inter filios adoptiuos. Ratio eſt, quia illi ſunt filij adoptiui, qui habent ius ad hæreditatem, ſeu gloriam; reprobi autem, dum gratia iuſtificante prædìti ſunt, habent ius ad hæreditatem, ſeu gloriā æternam; quamuis enim illam non aſſequantur, id prouenit ex ipſorum culpa, cum Deus voluntate antecedente, & conditionata vellet eos ſaluos fieri, non verò voluntate abſoluta, &

Digitized by Google

efficaci. Ita communiter Doctores contra Gabrielem in 3. diſtinctione 10.

5 Quartò, ſequitur prædeſtinatos, dum in mortali peccato exiſtũt, non eſſe filios adoptiuos, quia tunc obnoxij ſunt reatui pęnę æternæ; non autem iuri ad gloriam, & hæreditatem. Ita communiter Doctores.

Obijcies, Deus in ſcriptura vocatur Pater peccatorum, Deutor. 32. *Haccine reddis Domino papule ſtulte, & inſipiens? nunquid ipſe eſt pater tuus, qui creauit te?* Ergo peccator eſt filius Dei; pater enim, & filius ſunt correlatiua, conſequenter vnum ſine alio eſſe non poteſt.

Reſpondeo, Deum in ſcriptura vocari Patrem peccatorum, non per adoptionem, ſed per creationem; Deus enim cunctorum eſt factor, & creator. Hac etiam de cauſa vocari poteſt Pater aliarum creaturarum, & vocatur Pater pluuiæ, non per adoptionem, ſed per creationẽ. Iuxta illud Iob. 38. *Qui eſt pluuiæ pater.*

Punctum Tertium.

An Chriſtus ſecundum humanitatem ſit filius adoptiuus, vel naturalis.

1 *Chriſtus ſecundum humanitatẽ non poteſt dici filius Dei adoptiuus.*

2 *Natura humana ſi à Spiritu Sancto aſſumeretur vocari non poſſet filius Dei naturalis.*

3 *Natura humana vocari non poteſt filia Dei adoptiua, vel adoptata.*

4 *Chriſtus homo eſt filius Dei naturalis.*

5 *Chriſtus vt homo vocari poteſt filius Dei naturalis.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 Chriſtus, vt homo, ſeu ſecundum humanitatem, non poteſt dici Filius Dei adoptiuus. Ratio eſt, tum quia ita definitum fuit in Concilio Francfordienſi. Tum quia adoptio conceditur extraneæ perſonæ (eſt enim gratuita aſſumptio extraneæ perſonæ ad hæreditatem, ad quam non habet ius vi ſuæ originis) ſed Chriſtus quomodocunque conſideretur, non eſt perſona extranea reſpectu Dei, cum ſit Filius Dei naturalis, & vna ex perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis. Ergo &c. Ita S. Thomas q. 23. art. 4. Suarez diſp. 49. ſect. 2. Vaſquez diſp. 89. cap. 6. Valentia quæſt. 23. pun. 1. Tannerus quæſt. 7. dub. 5. num. 88. Puteanus quæſt. 23. art. 4. Cabrera quæſt. 23. art. 4. Becanus cap. 18. quæſt. 4. num. 4. Albertus, Bonauẽtura, Paludanus, & alij apud præcitatos Doctores contra Durandum in 3. diſt. 4. quæſt. 1. & alios.

Obijcies primò, Chriſtus vt homo, ſeu ſecundum humanitatem vocatur ſeruus Dei. Ergo etiam vocari poteſt Filius Dei.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia ſeruitus nõ ſolum conuenit perſonæ, verum etiam naturæ, cum vtraque eſſentialiter à Deo pendeat in fieri, eſſe, & conſeruari; adoptio verò conuenit ſolum perſonæ.

Obijcies ſecundò, Chriſtus, vt homo, eſt Filius Dei, ſed non eſt Filius naturalis, Ergo eſt Filius adoptiuus.

Reſ-

Reſpōdeo, eſſe Filium naturalem, vt conſtabit ex dicendis in ſecunda propoſitione.

Obijcies tertiò, ſi natura humana hypoſtaticè aſſumeretur à Spiritu Sancto, Spiritus Sanctus non eſſet Filius Dei naturalis, ſed potius adoptiuus. Ergo etiam Chriſtus ſecundum humanitatem non poteſt dici Filius naturalis, ſed adoptiuus.

2 Reſpondeo, naturam humanam, ſi aſſumeretur à Spiritu Sancto, non poſſe vocari Filium Dei naturalem; cum enim Spiritus Sanctus careat filiatione diuina, non poſſet illā communicare naturę aſſumptæ, conſequenter Spiritus Sanctus ſecūdum humanitatem vocari non poſſet Filius Dei naturalis. Addo neque vocari poſſe Filium Dei adoptiuum, quia reſpectu Dei non eſſet extranea perſona. Ita Puteanus q. 23. art. 4. ad finem.

Obijcies quartò, gratia Chriſti eſt eiuſdem rationis, & ſpeciei cum natura; ſed gratia noſtra efficit nos Filios Dei adoptiuos. Ergo etiam gratia Chriſti efficiebat ipſum, vt hominem, Filium Dei adoptiuum; cauſa enim formalis eundem effectū formalem producit, cuicunque ſubiecto applicetur.

Reſpondeo, gratiam eſſe eiuſdem rationis, & ſpeciei in Chriſto, & in nobis, conſequenter tàm in ipſo, quàm in nobis producere eundem effectum formalem; effectus autem formalis gratiæ ſanctificantis eſt efficere iuſtum, ſanctum, & Deo gratum; efficere verò adoptiuum eſt effectus ſecundarius, qui non producitur, niſi in ſubiecto capaci; Chriſtus autem non eſt capax iſtius effectus, cum non ſit perſona extranea.

Ex dictis ſequitur primò, humanitatem Chriſti vocari non poſſe Filiam adoptiuam. Ratio eſt, quia adoptio non conuenit naturæ, ſed perſonæ; eſt enim aſſumptio perſonæ, non naturæ ad hęreditatem. Ita communiter Doctores contra Scotum in 3. diſp. 10.

3 Secundò, ſequitur humanitatē, non ſolum vocari non poſſe Filiam Dei adoptiuam, ſed neque adoptatam; idem enim ſignificat adoptata, & adoptiua. Ita Vaſquez c. 10. Suar. ſect. 1. Becanus, Tannerus, & alij communiter contra Gabrielem in 3. diſp. 10. & alios.

Obijcies, Hilarius lib. 2. de Trinitate vocat humanitatem Chriſti adoptatam; *Poteſtatis dignitas*, inquit, *non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*.

Reſpondeo cum S. Thoma q. 23. ar. 4. ad 1. Tannero num. 96. & alijs, Hilarium impropriè loqui.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 CHriſtus homo, ſeu hic homo, eſt Filius Dei naturalis. Ratio eſt primò, quia Chriſtus homo, ſeu hic homo eſt Filius Dei, ſed non eſt Filius adoptiuus. Ergo eſt Filius naturalis.

Secundò, quia ſicut attributa Dei eſſentialia, ita etiam perſonalia affirmari poſſunt de hoc homine Chriſto, cum ſit eadem perſona ſubſiſtēs in humana, & in diuina natura; ſed de Chriſto affirmantur attributa eſſentialia. Ergo etiam de eodem affirmari debent perſonalia perſonæ Verbi. Propterea rectè dicitur, hic

homo eſt ſecunda perſona Sanctiſſimæ Trinitatis, hic homo eſt Verbũ, hic homo eſt Filius Dei naturalis.

Hinc patet à fortiori hanc propoſitionem veram eſſe, Chriſtus, vt Verbum, eſt Filius Dei naturalis, ſeu ſecunda perſona Sanctiſſimæ Trinitatis, ſeu Deitatis, eſt Filius Dei naturalis; nam iſta propoſitio non ſolum vera eſt per communicationem idiomatum, verum etiam in ſe formaliter, nam Verbum eſt Filius Dei per æternam generationem.

5 Maior difficultas eſt, Vtrum Chriſtus, vt homo, ſeu in quantum homo, vel quatenus homo, vocari poſſit Filius Dei naturalis.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt primo, quia Chriſtus, vt homo, eſt Filius Dei; nam in ſcriptura vocatur Filius Dei. Lucæ 1. *Quod naſcetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei*; & Roman. 8. *Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, vbi ſcriptura loquitur de Chriſto, vt homine, cum Chriſtus natus fuerit, vt homo, & traditus ſit pro nobis, vt homo; ſed Chriſtus, vt homo, non fuit Filius adoptiuus. Ergo fuit Filius naturalis.

Secundò, quia Chriſtus, vt homo alia ratione eſt Filius Dei, quam nos; ſed nos ſumus Filij adoptiui. Ergo Chriſtus, vt homo, eſt Filius Dei naturalis.

Tertiò, quia illa propoſitio, Chriſtus, vt homo, vel reduplicat ſuppoſitum, & ſic de fide eſt, Chriſtum eſſe Filium Dei naturalẽ per æternam generationem, ſicut eſt ipſum Verbum; vel reduplicat naturam Verbo vnitam, & ſic etiam probabilius eſt ipſum dici poſſe Filium Dei naturalem ratione vnionis hypoſtaticæ, ratione cuius natura humana ſubſtantialiter vnitur perſonæ Verbi, & excellẽtiori modo efficitur grata Deo, quam per gratiam habitualem. Ita Doctores citati, quorum nonnulli putant id eſſe de fide.

Obijcies primo, Filius habet ius ad hæreditatem; ſed Chriſtus inquãtum homo non habet ius ad hæreditatem, ſeu gloriam, alioquin quilibet homo eſſet Filius Dei, & haberet ius ad gloriam. Ergo Chriſtus inquantum homo non eſt filius Dei.

Reſpondeo, Chriſtum vt hominem non quidem reduplicatiuè, (natura enim humana non confert ius ad hæreditatem, ſeu gloriam), ſed ſpecificatiuè, habere ius ad hæreditatem, ſeu gloriam ratione vnionis hypoſtaticæ, ratione cuius humanitati vnitæ Verbo debetur gloria; nam hoc ius nõ eſt adoptionis, cum non ſit collatum perſonæ extraneæ; neque eſt ius per æternam, & naturalem generationem, cum Chriſtus ſecundum humanitatem non acceperit eſſe per æternam, & naturalem generationem; ſed eſt ius competẽs Chriſto ratione vnionis cum Verbo, quod ius aliqua ratione vocari poteſt connaturale; cum non ſit datum perſonæ extraneæ; ſed ſolum naturæ extraneæ. Ita Becan. c. 18. q. 5. n. 6.

Dices, ſi Chriſtus, vt homo, vocatur Filius Dei naturalis ratione vnionis hypoſtaticæ. Ergo etiam vocari poteſt Filius naturalis ratione gratiæ ſanctificantis. Tum quia eſt par ratio vtriuſque, cum vtraque conferat ius ad gloriam, & neutra dicatur collata perſonæ extraneæ. Tum quia ſicut gloria, ſeu hæreditas debe-

Digitized by Google

debetur Chriſto, ſuppoſita vnione, ita etiam eidem, ſuppoſita vnione, debetur gratia, & conſequenter ius ad gloriam, ſeu cæleſtis hæreditas.

Reſpondeo, Chriſtum, ratione gratiæ præcisè, non poſſe dici Filium Dei naturalem, ſicut dicitur ratione vnionis. Ratio diſparitatis eſt, tum quia natura humana non coniungitur Verbo ſubſtantialiter per gratiā, ſicut coniungitur per vnionem hypoſtaticam. Tum quia Filius ſecundum illam actionem dicitur Filius, per quam primo conſtituitur Filius; Chriſtus autem ſecundum humanitatem primo conſtituitur Filius per vnionem hypoſtaticam; nam gratia habitualis ſubſequitur vnionem hypoſtaticā, vt ſuperius oſtenſum fuit, & iam ſupponit filiationem. Ita Vaſquez diſp. 89. cap. 14. col. 2. num. 8. & cap. 15. num. 95. Suarez diſp. 49. ſect. 1. Tannerus quæſt. 7. dub. 5. num. 93. licet nonnulli Doctores, quorum opinio probabilis eſt, ſentiant Chriſtum etiam ratione gratiæ habitualis vocari poſſe Filium Dei naturalem.

Obijcies ſecundò, Chriſto, vt homini non conueniunt prædicata perſonæ Verbi; nam prædicata perſonæ Verbi conueniunt Chriſto ſubſiſtenti in natura diuina, & humana, non autem vt ſubſiſtenti in natura humana; vt patet ex dictis de communicatione idiomatum. Ergo Chriſtus, vt homo, vocari non poteſt Filius Dei, cum hoc ſit attributum perſonale perſonæ Verbi.

Reſpondeo negando conſequentiam; Chriſtus enim, vt homo, non vocatur Filius Dei per communicationem Idiomatum, ſed ratione vnionis hypoſtaticæ, quæ confert ius ad gloriam; cum autem hoc ius non ſit collatum perſonæ extraneę, nō poteſt conſtituere filium adoptiuum, ſed potius naturalē; conſequenter Chriſtus, vt homo, ſeu ſecundum humanitatem vocari poteſt Filius Dei naturalis.

Obijcies tertiò, Chriſtus, vt eſt homo, non eſt Deus. Ergo non eſt Filius Dei naturalis; cum Filius Dei naturalis ſit Deus.

Reſpondeo negando conſequentiam; nam Filius Dei naturalis dupliciter dici poteſt. Primò, ratione generationis æternę, & ſic Filius Dei naturalis eſt Deus. Secundò, ratione vnionis hypoſtaticę, & hoc pacto Chriſtus, vt homo, eſt Filius Dei naturalis, nón verò Deus, ſed ſubſtātialiter vnitus Deo.

Obijcies quartò, Filius Dei naturalis procedit à Patre per æternam generationem; ſed Chriſtus vt homo non procedit à Patre per æternā generationem. Ergo Chriſtus vt homo non eſt Filius Dei naturalis.

Reſpondeo, maiorem propoſitionem veram eſſe, ſi loquamur de Proceſſione ad intra, per quam Pater Filio communicat ſuam eſſentiam; ſecus ſi loquamur de filiatione temporali, quæ facta fuit per actionem externam Incarnationis.

Obijcies quintò, Sancti Patres, & Theologi non cognouerunt in Chriſto, niſi duas filiationes naturales; vnam reſpectu Patris, quæ eſt æterna; alteram reſpectu Matris, quæ eſt temporalis. Ergo nós malè addimus tertiam reſpectu Sanctiſſimæ Trinitatis.

Reſpondeo, Sanctos Patres, & Theo-

Theologos agnouiſſe, & aſſignaſſe ſolum duas filiationes fundatas in generatione naturali, quarum altera eſt æterna, altera temporalis; noſtra non fundatur in generatione naturali, ſed in gratia vnionis; vel dic generationem, de qua nos loquimur, conſequi generationem temporalem, & realiter ab ipſa non diſtingui, quia eo ipſo, quod Chriſtus cōceptus fuit ex Beatiſſima Virgine, & natura humana vnita fuit Verbo, Chriſtus, vt homo dicitur Filius Dei naturalis per gratiam vnionis. Ita Becanus c. 18. q. 5. nu. 9. Tannerus loco citato n. 104. & alij Doctores citati.

Obijcies ſextò, filiatio, quæ tribuitur Chriſto, vt homini, conuenire ei debet, non reſpectu Patris tantum, ſed reſpectu Trinitatis (cum hæc ei non conueniat per æternam generationem, ſed per actionem, & generationem tranſeuntem, quæ cōmunis eſt omnibus perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis.) Ergo ſi Chriſtus, vt homo vocatur Filius Dei; vocari ēt debet Filius Sanctiſſimæ Trinitatis, & Spiritus Sancti, & Verbi, ſeu Filij Dei, ſeu ſui ipſius; ſed hoc eſt falsū, cum inter Patrem, & Filium adeſſe debeat diſtinctio ſuppoſitorum. Ergo Chriſtus vt homo, ſeu ſecundum humanitatem non poteſt vocari Filius Dei.

Reſpondeo maiorem propoſitionem re ipſa veram eſſe, quia fieri poteſt, vt eidem perſonæ ratione diuerſarum naturarum diuerſa prædicata conueniant; abſtinendum tamen eſt ab hac loquendi forma, ne conuenire videamur cum Elipando, & alijs Hæreticis duas perſonas in Chriſto admittentibus.

Hinc colligi poteſt, quomodo intelligendum ſit Concilium Toletanum 11. in confeſſione fidei, vbi habetur Spiritum Sanctum non eſſe Patrem Filij; nam ſi intelligatur de generatione æterna, perſpicuum eſt Spiritum Sanctum non eſſe Patrem, ſeu anthorem Filij, quia Filius habet eſſe à Patre per generationem, non à Spiritu Sācto; ſi verò intelligatur de generatione humana, certum etiam eſt Spiritum Sanctum nō eſſe Patrem Filij, quia Chriſtus conceptus fuit ex ſanguine, ac vtero Beatiſſimæ Virginis Mariæ, concurrente virtute Spiritus Sancti, non tamen accepit eſſe Spiritus Sancti, ſed omnes perſonæ ſimul entitatem, & vitam Chriſto communicauerunt.

Obijcies ſeptimò, *ſi Chriſtus vt* homo, eſt Filius Dei, neceſſe eſt, *vt* habeat peculiarem relationem ad Deum; hoc autem non videtur admittendum, quia iſta relatio filiationis proximè fundatur in perſona, ex S. Thoma q. 23. art. 4. vbi ait filiationem propriè conuenire hypoſtaſi, vel perſonæ, non autem naturæ; ſed perſona Verbi non eſt capax nouæ relationis, cum Deus immutabilis ſit, nihilque in tempore acquirere poſſit.

Reſpondeo, habere nouam relationem rationis; quāuis enim Deus, aut perſona Sanctiſſimæ Trinitatis non ſit capax nouæ relationis realis; eſt tamen capax relationis rationis; cum hæc nullam mutationem realem in ipſa perſona diuina pariat. Ita Suarez diſp. 49. ſect. 1. Tannerus q. 7. dub. 5. n. 105. Puteanus q. 23. art. 4. col. 3. verſ. aduerto tertiò, & alij communiter.

Di-

Dices, relatio filiationis humanæ, qua Chriſtus refertur ad Matrẽ, eſt realis. Ergo etiam relatio filiationis ad Deum eſt realis.

Reſpondent S. Thomas q. 35. art. 5. Capreolus in 3. diſt. 8. S. Bonauentura ibid. art. 2. q. 2. negando relationem filiationis, qua Chriſtus refertur ad Matrem, eſſe realẽ. Ratio eſt, quia ſubiectũ filiationis non eſt natura, ſed perſona, ſeu hypoſtaſis, perſona autem, ſeu hypoſtaſis Chriſti non eſt capax nouæ relationis realis, alioquin eſſet capax mutationis realis. Alij verò, vt Vaſquez q. 35. ar. 5. Suar. 3. p. tom. 2. d. 12. ſect. 2. Tannerus d. 1. q. 7. dub. 5. n. 106. Scotus, Gabriel, & alij apud præcitatos Doctores, putant relationem filiationis, qua Chriſtus refertur ad Matrẽ eſſe realem. Ratio eſt, quia ex vtraque parte adſunt termini reales realiter diſtincti, & capaces nouę relationis, ideſt Beatiſſima Virgo, & Chriſtus ſecundum humanitatem; adeſt etiã ratio fundandi talem relationẽ, nempè generatio actiua, & paſſiua. Ergo relatio formalis in Chriſto erga Matrem eſt realis.

Ad rationem S. Thomæ, & aliorum reſpondeo, ſubiectum denominationis Filij eſſe perſonam; ſubiectum verò inhæſionis eſſe ipſam naturam humanam, quæ producta fuit à Beatiſſima Virgine; frequenter .n. accidit, vt aliud ſit ſubiectum inhæſionis, aliud denominationis. Neque idem ſentiendum eſt de hac relatione Chriſti ad Matrem, & de relatione filiationis diuinæ erga Deum per gratiam vnionis, quia relatio filiationis diuinæ in Chriſto erga Deum immediatè fundari debet in ipſa perſona Verbi, vt vnita humanitati, ratione cuius Chriſtus etiam ſecundum humanitatem dicitur Filius naturalis; perſona autem Verbi non poteſt eſſe capax nouæ relationis realis.

QVÆSTIO DECIMA SEPTIMA.

De Prædeſtinatione Chriſti.

De Prædeſtinatione fuſius agam, Deo fauente, in prima parte; hic ſolum explicabo ea, quæ ad Chriſti prædeſtinationem pertinent, & quidem primò, Vtrum Chriſtus ſecundum diuinitatem, ſeu ſecundum perſonam Verbi dici poſſit prædeſtinatus ad eſſe Filij naturalis, ſeu, vt ſit Filius Dei naturalis. Secundò, An Chriſtus ſecundum humanitatem dici poſſit prædeſtinatus ab æterno, vt ſit Filius Dei in tempore. Tertiò, An humanitas Chriſti dici poſſit prædeſtinata, ſeu an Chriſtus ſecundum humanitatem dici poſſit prædeſtinatus ad gratiam, & gloriam. Quartò, An Chriſtus ſit cauſa noſtræ prædeſtinationis, & in quo genere cauſæ. Quintò, An Chriſtus ſit primus omnium prædeſtinatorum.

Punctum Primum.

Vtrum Chriſtus ſecundum diuinitatem dici poſſit prædeſtinatus, vt ſit Filius Dei naturalis, ſeu ad eſſe Filij Dei naturalis, vel vt fiat homo, ſeu ad eſſe hominis.

1 *Chriſtus ſecundum diuinitatem non poteſt dici prædeſtinatus ad eſſe Filij Dei.*

2 *Chriſtus ſecundum diuinitatem non poteſt dici prædeſtinatus ad eſſe hominis.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 Chriſtus ſecundum diuinitatem non poteſt dici prædeſtinatus ad eſſe Filij Dei naturalis, ſeu vt ſit Filius Dei naturalis. Ratio eſt primò, quia prædeſtinatio eſt pars quædam diuinæ prouidentię; conſequenter illi dicuntur prædeſtinari, qui ſubijciuntur gubernationi diuinæ prouidentię; Chriſtus autem non ſubijcitur gubernationi diuinę pro-

non ſubijcitur gubernationi diuinę prouidentię, cum potius ſit illius author, ſicut ſunt alię perſonę Sanctiſſimę Trinitatis. Hac de cauſa cenſeo Chriſtum non poſſe ſimpliciter, & abſolutè, ſeu ſine additione dici prędeſtinatum (quamuis oppoſita ſententia ſit valdè probabilis, & communis Theologorum, S. Thomę quęſt. 24. art. 1. Suarez diſp. 50. ſect. 1. Aluarez diſp. 76. Puteani q. 24. art. 1. Tanneri quęſt. 7. dub. 6. nu. 109. & aliorum) nam Chriſtus ſignificat ſuppoſitum ſubſiſtens in natura diuina, & humana; cum autem vt ſubſiſtens in natura diuina non ſit ſubiectum diuinę gubernationi, neceſſe eſt, vt dum prędeſtinatio affirmatur de Chriſto, aliquid addatur.

Secundò, quia ſi Chriſtus hoc pacto dici poſſet prædeſtinatus, ſequeretur Chriſtũ prędeſtinaſſe ſe ipſum; nam prędeſtinatio eſt actus communis Sanctiſſimæ Trinitatis; cõſequenter ſi vna perſona Sanctiſſimæ Trinitatis prædeſtinat, etiam aliæ prædeſtinant; ſi ergo Chriſtus ſecundum diuinitatem prædeſtinatus eſt ad eſſe Filij naturalis, ſequitur Chriſtum, ſeu Filiũ Dei ſe ipſum prędeſtinaſſe.

Tertiò, quia terminus prædeſtinationis debet eſſe extrinſecus ipſi prædeſtinato; nullus enim prædeſtinatur ad id, quod eſt ſibi intrinſecum, & eſſentiale. Ob id homo non dicitur prædeſtinatus ad ſuum eſſe. Sed Verbo, ſeu Chriſto ſecundum diuinitatẽ intrinſecũ eſt eſſe Filiũ Dei. Ergo Verbum, ſeu Chriſtus ſecundũ diuinitatẽ non poteſt dici prædeſtinatus ad eſſe Filij Dei, ſeu vt ſit Filius Dei. Ita Suarez diſp. 50. ſect. 2. Valentia diſp. 1. quæſt. 23. pun. 2. Vaſquez diſp. 91. cap. 2. Tannerus diſp. 1. quæſt. 7. dub. 6. num. 112. Puteanus quæſt. 24. art. 2. Becanus c. 19. quæſt. 1. num. 2. & alij communiter.

Obijcies primò, Verbum accepit eſſe Filij à Patre. Ergo dici poteſt præfinitus, ſeu prædeſtinatus à Patre ad eſſe Filij.

Reſpondeo Verbum accepiſſe, & accipere eſſe à Patre per æternam generationem, quæ non poteſt vocari prædeſtinatio, cum generatio ſoli Patri conueniat, nõ verò alijs perſonis; prædeſtinatio verò communis ſit ſingulis perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis.

Obijcies ſecundò, Chriſtus ſecũdum diuinitatem, ſeu perſona Verbi dici poteſt prædeſtinata ad beatitudinem increatam. Ergo etiam dici poteſt prędeſtinata, vt ſit Filius Dei.

Reſpondeo negando, Chriſtum ſecundum diuinitatẽ dici poſſe prædeſtinatum ad beatitudinem increatam. Ratio eſt, quia ad prædeſtinationem requiritur primò, vt qui prędeſtinatus eſt, ſubiectus ſit diuinæ gubernationi. Secundò, vt terminus prædeſtinationis ſit extrinſecus illi, qui prædeſtinatur; Chriſtus autem nõ eſt ſubiectus diuinæ gubernationi; præterea beatitudo increata non eſt extrinſeca Verbo; nam beatitudo increata eſt ipſa cognitio increata, qua Deus ſe ipſum cognoſcit; cõſequentet non eſt terminus extrinſecus ipſi prędeſtinato. Ita Suar. d. 50. ſect. 1. & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Filius Dei, ſeu Chriſtus ſecundum diuinitatem, non poteſt dici prædeſtinatus, vt fiat homo, ſeu ad eſſe hominis. Ratio eſt primò, quia Filius Dei non eſt ſubiectus gubernationi diuinę prouidentię; prędeſtinatio autem eſt pars quędam diuinę prouidentię. Secundò, quia ſequeretur Filium prędeſtinaſſe ſe ipſum, cum prędeſtinatio ſit actus communis perſonis Sanctiſſimę Trinitatis. Tertiò, quia nomem prędeſtinationis ſignificat prędeſtinatum ordinari id aliquod beneficium, vel gratiam ſuſcipiendam; reſpectu autem Verbi, ſeu Filij Dei nō eſt beneficium, aut gratia, quod fiat homo. Quartò, quia ita definitum videtur in Concilio Toletano 11. in confeſſione fidei, ibi, *Filius Dei per hoc quod de Patre ſine initio procedit, neq; factus, neque prædeſtinatus dici poteſt.* Ita Durandus in 3. diſp. 7. Becanus loc. cit. & alij contra Suarez diſp. 50. ſect. 1. concluſ. 4. Tannerum diſp. 1. q. 7. dub. 6. num. 111.

Obijcies primò, Pater dicitur miſiſſe Filium ſuum in hunc Mundum, vt fieret homo. Ergo etiam Filius dici poteſt miſſus, & prędeſtinatus, vt fieret homo.

Reſpondeo negando, Patrem miſiſſe Filium per prędeſtinationem; prędeſtinatio enim reſpectu prędeſtinantis ſupponit imperium in prædeſtinatum, & ſubiectionem prædeſtinati erga prædeſtinantem; Pater autē nō habet imperium in Filiū, & filius nō eſt ſubiectus Patri; concedo tñ dici poſſe, Patrem miſiſſe Filium per generationem, & originem, quia Filius accepit eſſe à Patre per æternam generationem, & hoc pacto Filiū dici poſſe miſſum à Patre in tempore, vt fieret homo, quia niſi Filius accepiſſet eſſe à Patre, miſſus non fuiſſet, vt in tempore fieret homo.

Obijcies ſecundò, ab æterno decretum eſt, vt Filius Dei fieret homo. Ergo Filius Dei prædeſtinatus eſt, vt fieret homo.

Reſpondeo negando conſequentiam; aliud enim eſt decretum, aliud prædeſtinatio; illud enim decretum non eſt prædeſtinatio reſpectu Filij, quia factum fuit ab omnibus perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis, & non refertur ad Filium tanquam ad perſonam ſubiectā gubernationi diuinæ.

Obijcies tertiò, Verbum verè dicitur factus homo. Ergo etiam dici poteſt prædeſtinatum vt ſit homo; cum non videatur factus homo, niſi vi prædeſtinationis.

Reſpondeo, Filium Dei factum eſſe hominem, non vi prædeſtinationis, ſed vi diuini decreti, de quo dictum eſt in ſecunda obiectione.

Punctum Secundum.

Vtrum Chriſtus ſecundum humanitatem dici poſſit prædeſtinatus.

1 *Chriſtus ſecundum humanitatem dici nō poteſt prædeſtinatus ab æterno, vt in tempore ſit Filius Dei naturalis.*

2 *Chriſtus ſecundum humanitatem dici poteſt prædeſtinatus ad gratiam, & ad alia dona ſupernaturalia.*

Duo

Digitized by Google

DVo pręcipuè explicanda ſunt in hoc puncto. Primò, Vtrum Chriſtus ſecundum humanitatem dici poſſit prædeſtinatus ab æterno, vt in tempore ſit filius Dei. Secundò, Vtrum dici poſſit pręděſtinatus ad gratiam, & gloriam, ſeu beatitudinem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus, vt homo, ſeu ſecundum humanitatem, non videtur prædeſtinatus ab æterno, vt in tempore ſit Filius Dei naturalis. Ita Doctores ſtatim citandi. Ratio eſt primo, quia obiectum prædeſtinationis, ideſt perſona, quæ prædeſtinatur, non debet includere terminum eiuſdem prædeſtinationis; ſed Chriſtus, vt hic homo, in ſuo conceptu includit ſuppoſitum Filij Dei naturalis. Ergo Chriſtus, vt homo, non poteſt dici pręděſtinatus, vt ſit Filius Dei naturalis. Maior probatur, quia ideo homo non dicitur pręděſtinatus ad animã rationalem, quia homo, vt ſic, includit animam rationalem; & ex oppoſito, homo dicitur pręděſtinatus ad gloriam, quia homo in ſuo conceptu non includit gloriam. Minor probatur quia hic homo dicit aliquid ſubſiſtẽs in hac humanitate; id autem quod in hac humanitate ſubſiſtit, eſt ſuppoſitum diuinum; nam vel eſt ſuppoſitum humanum, vel diuinum; non humanũ, vt certum eſt de fide; ergo diuinum. Ergo vel eſt ſuppoſitum Patris, vel Filij, vel Spiritus Sancti; ſed non eſt ſuppoſitum Patris, vel Spiritus Sancti. Ergo eſt ſuppoſitum Filij. Secundò, quia iſta propoſitio eſt falſa, Chriſtus ſecundum humanitatem factus eſt Filius Dei naturalis, ſeu hic homo factus eſt Filius Dei naturalis. Ergo etiam iſta eſt falſa, Chriſtus ſecundum humanitatem, ſeu hic homo prædeſtinatus eſt Filius Dei naturalis; quamquam alio ſenſu Chriſtus ſecundum humanitatem dici poteſt Filius Dei naturalis ratione vnionis hypoſtaticę, vt ſupra oſtenſum eſt. Ita Durandus in 3. diſp. 7. quęſt. 3. Palud. ibidem, Becanus cap. 19. quęſt. 2. num. 2. Vaſquez 1. par. diſp. 18. num. 6. & alij, contra S. Thomam, S. Bonauenturam, Scotum, & alios, quos citant, & ſequuntur Suarez diſp. 49. ſect. 2. Vaſquez 3. p. diſp. 91. cap. 2. & diſp. 81. cap. 2. Puteanus quęſt. 24. art. 1. & 2. Tannerus d. 1. quęſt. 7. dub. 6. n. 112.

Ex dictis colligitur, Chriſtum dici non poſſe pręděſtinatum ad naturalem filiationem, aut ad vnionem hypoſtaticam, quia Chriſtus includit naturalẽ filiationem, & vnionem hypoſtaticam.

Obijcies primò, in Concilio Toletano 11. in confeſſione fidei, Chriſtus dicitur pręděſtinatus, ibi, *Per hoc quod de Maria Virgine natus eſt, factus, & prædeſtinatus eſſe credendus eſt.*

Reſpondeo, ibi non definiri Chriſtum pręděſtinatum eſſe, vt ſit Filius Dei naturalis, quamquam ad alia potuit ſecundum humanitatem pręděſtinari, vt conſtabit ex dicendis in ſecunda propoſitione.

Obijcies ſecundò, Apoſtolus Roman. 1. loquens de Chriſto ait, *Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundũ carnem, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundum Spiritũ ſãctificationis ex reſurrectione mortuorum.*

Re-

Reſpondeo primò, illum locum non intelligi de prędeſtinatione, ſed de manifeſtatione, ita vt hic ſit ſenſus, quod licet Chriſtus factus ſit ſecundum carnem, tamen declaratus, & manifeſtatus eſt Filius Dei. Primò, in virtute patrandi miracula. Secundò, in ſpiritu ſanctificandi homines per doctrinam, per meritum, & ſatisfactionem ſuam. Ita Chriſoſtomus, Theophilactus, Theodoretus, & alij Gręci expoſitores ad Roman. 1. quorum expoſitionem probabilem exiſtimat idem Suar. d. 50. ſect. 2. aſſerens in Gręcò ſermone nō contineri verbū, *Prædeſtino*, ſed verbum, *Declaro*.

Reſpondeo ſecundò, Apoſtolum non aſſerere Chriſtum prędeſtinatum eſſe ſimpliciter, & abſolutè, vt ſit Filius Dei, ſed vt ſit Filius Dei in virtute, ideſt, vt nos ſanctificet, & reſuſcitet. Ita Cyrillus, Auguſtinus, Titelmanus, & alij apud Suarez loco citato in quarta expoſitione, quam idem Suarez probabilem exiſtimat.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Chriſtus ſecundum humanitatem dici poteſt prędeſtinatus ad gratiam, ad gloriam, & ad alia dona ſupernaturalia. Ratio eſt, quia Deus ab ęterno prępárauit Chriſto gratiam, & alia dona, illūq; ad gloriam elegit, quam in tempore contulit; ſed iſtę ſunt actiones prędeſtinationis. Ergo Deus prędeſtinauit Chriſtum ſecundum humanitatem ad gratiam, & gloriam. Ita communiter Doctores, quos citat, & ſequitur Suarez d. 50. ſect. 3. Vaſq. d. 92. c. 2. Valentia d. 1. q. 23. pun. 2 Becan. c. 19. q. 2. n. 6. Tan. d. 1. q. 7. dub. 6. n. 109. & n. 115. Put. q. 24. ar. 1. contra nonnullos Thomiſtas apud prędictos Doctores.

Obijcies, prędeſtinatio ſimpliciter dicitur ad id, quod eſt ſupremum, & quod non eſt connaturale obiecto, ſiue ſubiecto prędeſtinationis, ſed ſuprema dignitas in Chriſto non eſt gratia habitualis, & beatitudo; ſed vnio hypoſtatica; & pręterea gratia, & gloria fuit Chriſto connaturalis, quia debebatur ipſi ratione vnionis hypoſtaticę. Ergo Chriſtus non dicitur prędeſtinatus ad gratiam, & gloriam.

Reſpondeo negando, prędeſtinationem ſemper fieri ad id, quod eſt ſupremum, vt patet in homine, qui non ſolum prędeſtinatur ad gloriam animę, verum etiam ad gloriam corporis, & ad alia dona; pręterea gratia, & gloria non fuit Chriſto adeò connaturalis, quin ſecundum ſe eſſet ordinis planè ſupernaturalis, & actione phyſica producta; conſequenter potuit eſſe effectus diuinę prędeſtinationis. Ita Doctores citati.

Punctum Tertium.

Vtrum humanitas Chriſti dici poſſit prædeſtinata.

1 *Humanitas Chriſti dici poteſt prædeſtinata ad vnionem.*
2 *Prædeſtinari conuenit non ſolum perſonæ, verum etiam naturæ.*
3 *Humanitas non poteſt dici prædeſtinata ad beatitudinem.*

Dvbium in hoc puncto eſt, Vtrum humanitas dici poſſit prę-

Digitized by Google

prędeſtinata. Primò ad vnionem, Secundò ad beatitudinem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 HVmanitas Chriſti dicitur prędeſtinata ad vnionem. Ratio eſt primò, quia humanitas ipſa in tempore per actionẽ phyſicam vnita fuit perſonę Verbi. Ergo re ipſa dici poteſt prędeſtinata ad vnionem hypoſtaticam. Secundò, quia illud propriè prędeſtinatur, cui confertur gratia per ipſam prędeſtinationem (nam prędeſtinatio iuxta S. Auguſtinum, & alios eſt pręparatio gratię in pręſenti, & glorię in futuro,) ſed humanitati Chriſti ſecundum ſe conſideratę collata fuit gratia per prędeſtinationem; non autem ratione ſuppoſiti; (ſuppoſitum enim non eſt capax recipiendi vllam gratiam, cum ipſe ſit omniũ Dominus, & gratias alijs tribuat.) Ergo humanitas ipſa dicitur prędeſtinata ad vnionem hypoſtaticam. Tertiò, quia S. Auguſtinus lib. de prędeſtinat. Sanctor. cap. 15. ait, *Prædeſtinata eſt iſta humanæ naturæ tanta ſubiectio, vt quo attolleretur altius, non haberet*. Quartò, quia Deus potuit alia dona gratię conferre humanitati ſecundum ſe conſideratę, etiam pręciſa ratione ſuppoſiti, alioquin ſi humanitas ratione ſuppoſiti haberet hęc dona, ſequeretur humanitatem amittere hęc dona, ſi ſepararetur à ſuppoſito. Ergo Deus potuit etiam prędeſtinare humanitatẽ ad vnionem. Ita Suarez diſp. 50. ſect. 4. Vaſquez diſp. 92. cap. 2. Scotus in 3. diſp. 7. quęſt. 3. Becanus cap. 19. n. 2. Putanus quęſt. 24. art. 1. Tanerus diſp. 1. quęſt. 7. dub. 6. num. 116. & alij contra S. Thomam q. 24. art. 1. Medinam 3. par. q. 24. art. 2. Aluarez d. 78. n. 22. & alios Thomiſtas.

2 Obijcies primò, prędeſtinari propriè conuenit perſonę, non naturę. Ergo humanitas non poteſt dici prędeſtinata.

Reſpondeo negando, prędeſtinari propriè ſolum conuenire perſonę, & non naturę.

Obijcies ſecundò, humanitas non poteſt dici prędeſtinata ad beatitudinem. Ergo neque dici poteſt prędeſtinata ad vnionem, cum par ratio videatur.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia beatitudo conſiſtit in actione; actiones autem ſunt ſuppoſiti, tanquam ſubiecti denominationis; vnio verò hypoſtatica non conſiſtit in operatione, cum ipſa ſit modus ſubſtantialis intime connectens naturam humanam cum perſona Verbi.

Obijcies tertiò, id, quod prędeſtinatur ad vnionẽ, prędeſtinari etiã debet ad terminum vnionis; ſed humanitas Chriſti non poteſt dici prędeſtinata ad terminum vnionis, qui eſt eſſe Filium Dei naturalem. Ergo neque dici poteſt prędeſtinata ad vnionem.

Reſpondeo, maiorem non eſſe vniuerſaliter veram; fallit enim, dum aliquid peculialiter obſtat, ratione cuius non poſſit prędeſtinari ad terminum, vt accidit in noſtro caſu.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 HVmanitas Chriſti nõ poteſt propriè dici prędeſtinata ad beatitudinẽ. Ratio eſt, quia beatitudo in operatione conſiſtit; operari

rari autem propriè, & primario conuenit ſuppoſito, velut ſubiecto denominationis; non autem naturę; *Ideo natura humana*, inquit Ariſt. *Nō flet, vel net, ſed Socrates flet, & Calias net.* Ergo humanitas Chriſti non poteſt dici prędeſtinata ad beatitudinem. Ita cōmuniter Doctores contra Vaſq. d. 90. cap. 4. n. 30. ad finem.

Punctum Quartum.

An Chriſtus ſit cauſa noſtræ prædeſtinationis, & in quo genere cauſæ.

1 *Prædeſtinatio aut accipitur pro actu Dei prædeſtinantis, aut pro effectu prædeſtinationis.*

2 *Prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis.*

3 *Prædeſtinatio Chriſti non eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis quo ad actum.*

4 *Prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtrę prædeſtinationis in genere cauſæ finalis, exēplaris, & meritorię.*

5 *Chriſtus meruit, vt aliqui prædeſtinentur, alijs relictis.*

6 *Chriſtus non eſt cauſa vt aliqui potius ſaluentur, quam alij.*

7 *Cur autem vnus potius ſaluetur, quā alius, pendet à volūtate Dei.*

1 PRo ſolutione prę mittendum eſt, prędeſtinationem aut accipi pro ipſomet actu Dei prędeſtinantis, aut pro effectu ipſius actus prędeſtinationis, cuiuſmodi eſt gratia, gloria, & alia dona ſupernaturalia; aut pro terminatione ipſius actus prędeſtinationis; duo enim conſiderari poſſunt in actu, primum eſt entitas ipſius actus, entitas autē actus prędeſtinationis nihil aliud eſt, quā ipſa diuina eſſentia per modū actus ſignificata, & licet ipſa eſſentia ſecundum ſe conſiderata non habeat rationem actus; habet tamen rationem actus, ſi conſideretur, vt terminatur ad aliquod obiectum. Hoc poſito explicandum eſt, primò, Vtrum Chriſtus ſit cauſa noſtrę prędeſtinationis. Secūdò, in quo genere cauſę ſit cauſa. Tertiò, Vtrum Chriſtus ſit cauſa, cur hi potius ſaluētur, quā alij.

PRIMA PROPOSITIO.

PRędeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtrę prędeſtinationis, non ſecundum entitatem actus ipſius prędeſtinationis, ſed quoad terminum, & effectum. Hęc propoſitio duas habet partes.

2 Prima eſt, prędeſtinationē Chriſti eſſe cauſam noſtrę prędeſtinationis. Ratio eſt primò, quia in ſcriptura ad Epheſ. 1. dicitur, *elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*, & infra, *qui prędeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtū in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ*, & Roman. 8. dicitur, *Nam quos præſciuit, & prędeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*. Secundò, quia prædeſtinatio Chriſti eſt prior prioritate rationis in mente diuina, quam ſit prędeſtinatio noſtra, quę illi conformatur. Ergo prędeſtinatio Chriſti eſt cauſa prędeſtinationis noſtrę, videlicet quoad terminum, & effectum.

3 Secunda pars propoſitionis eſt prędeſtinationē Chriſti nō eſſe cauſam noſtrę prędeſtinationis quo ad actum.

actum. Ratio eſt, quia inter cauſam, & effectum requiritur diſtinctio realis; ſed inter prædeſtinationem Chriſti, & noſtram non adeſt diſtinctio realis. Deus enim vno, & codẽ actu prædeſtinauit Chriſtum, & nos. Ergo prędeſtinatio Chriſti nõ eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis conſideratæ quoad actũ. Ita S. Thom. q. 24. art. 3. & 4. & alij Doctores communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Prędeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtrę prędeſtinationis in triplici genere cauſæ, finalis, exemplaris, & meritoriæ.

Primò, in genere cauſæ finalis. Tũ quia in Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. definitur, cauſam finalem noſtræ iuſtificationis eſſe Chriſtũ; cauſa autem finalis noſtræ iuſtificationis eſt etiã cauſa finalis noſtrę prędeſtinationis; cũ prædeſtinatio ſit præparatio gratiæ, & gloriæ. Tum quia illud eſt cauſa, ſeu ratio finalis alicuius actus diuini, ad quod tanquam ad finem ordinãtur omnia, quæ per illum actum intenduntur (hac de cauſa bonitas diuina dicitur ratio finalis omnis diuinæ voluntatis, quia quęcunq; Deus vult, vult propter ſuam bonitatem tanquam ob finem) ſed ita ſe habet Chriſtus reſpectu noſtrę prædeſtinationis, nam quæcunq; à Deo intenduntur per actum noſtræ prędeſtinationis, diriguntur, & ordinantur ad Chriſtum tanquam ad finem proximum, Roman. 8. *Quos prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui. vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*, vbi notanda eſt particula, *Vt*, quæ indicat cauſam finalem. Epheſ. 1. *Prædeſtinauit nos per Ieſum Chriſtum in ipſum*, ideſt ordinando nos ad ipſũ, & 1. Cor. 3. *Omnia veſtra ſunt; vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*. Ergo prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis.

Secundò, prędeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis in genere cauſæ exemplaris, quia noſtra prædeſtinatio facta eſt inſtar prædeſtinationis Chriſti. Rom. 8. *Quos prædeſtinauit cõformes fieri imagini filij ſui.*

Tertiò, prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis. Ratio eſt, tũ quia omnia dona gratiæ, quæ prædeſtinatus habet, obtinuit ex meritis Chriſti; ſed prędeſtinatio eſt maximum donum gratię. Ergo prædeſtinatus illud donũ obtinuit ex meritis Chriſti. Tum quia illa eſt cauſa meritoria alicuius act", ſeu effectus diuini, quæ præcedit ipſum effectum, & ad quam remunerandam, & præmiandam Deus aliquid decreuit; ſed meritum Chriſti, & ipſius prædeſtinatio eſt prius noſtra prædeſtinatione (nos enim prædeſtinamur poſt præuiſum lapſũ, & reparationem generis humani factã per Chriſti merita) & ad remunerãda merita Chriſti Deus nos eligit, & prædeſtinat, Epheſ. 1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſũ Chriſtum*, vbi notanda eſt particula, *Per*, quæ indicat cauſalitatem effectiuã, non aliam quam meritoriam. Ergo Chriſtus, ſeu prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis. Ita communiter Doctores cum S. Thoma loco citato.

Quæres, Vtrum Chriſtus meruerit, vt vnus potius prædeſtinetur, quã alius, ſeu an Chriſtus ſit cauſa, cur aliqui

aliqui potius ſaluētur, quā alij. Pro ſolutione notādū eſt, in electione ad aliquod beneficium duo conſiderari poſſe. Primò, ipſammet electionē,vt eſt aſſumptio aliquorū,& nō omniū. Secundò,ipſam ſecretionem,ſeu particularem, ac perſonalem electionē vnius potius, quam alterius.

5 Circa primū reſpōdeo, & dico Chriſtū meruiſſe efficaciter,vt vnus prædeſtinetur, & non omnes, ideſt, vt aliqui prædeſtinētur, alijs relictis. Ratio eſt,quia licet Chriſti meritum fuerit efficax ad merendū omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutē,non tamen fuit efficax ad merendū omnibus auxilia efficacia, ſed aliquibus tantū; nam de facto non omnes ſaluantur, & Chriſtus applicauit ſua merita iuxta voluntatē Dei, quæ ſibi nota erat, & perſpecta; Deus autem non voluit efficaciter omnes ſaluos fieri. Ergo Chriſtus meruit,vt aliqui prædeſtinentur, alijs relictis, ſeu vt aliqui ſaluentur, & non omnes. Ita Suarez d. 41. ſect. 4. Becanus c. 14. quæſt. 9. num. 5. Vaſquez, & alij.

Neq; hinc ſequitur, Chriſtū dici poſſe cauſam damnationis, & mali ſtatus aliorum, qui non prædeſtinātur; nam etiam ipſe Deus eſt cauſa noſtrę electionis, & tamē nō eſt cauſa mali ſtatus non electorum,& ſicut teſtator pręcipiens ſuis hęredibus, vt ſingulis annis decē pauperes paſcāt, eſt cauſa,vt illi paſcātur,nō verò vt alij pauperes eſuriāt: ita Chriſtus merēdo aſſūptionē aliquorū,alijs relictis,eſt cauſa ſalutis, & boni ſtatus ipſorum, nō verò mali ſtatus aliorū.

Rurſus hinc nō ſequitur Chriſtū eſſe cauſam,cur alij non eligantur;nā vt quis dicatur cauſa moralis alicuius actus negatiui, opus eſt, vt talis actus ex intentione omittatur; vel vt talis actus negatiuus habeatur. Chriſtus autem nihil facit hac intētione, vt aliqui non eligantur.

6 Circa ſecundum reſpondeo, & dico Chriſtū non meruiſſe ſecretionē perſonarū; conſequenter non eſſe cauſā, vt aliqui potius ſaluētur, quā alij. Ratio eſt primò,quia iſta delectio aliquorum pre ceteris facta fuit ex mero Dei beneplacito,& arbitrio Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante Mundi conſtitutionem*, & infra, *ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ*, & iterum infra, *In quo nos etiam ſorte vocati ſumus prędeſtinati ſecundum propoſitum, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuę*. Matth. 20. *Sedere autem ad dexteram,vel ſiniſtram nō eſt meum dare vobis,ſed quibus paratū eſt à Patre meo.* Secundò,quia Chriſtus non efficaciter orabat, nec ſua merita efficaciter applicabat,niſi ijs, qui iā à Deo erāt electi. Ioan. 17. *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi*, & infrà, *Pater Sancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi*. Ergo delectio, ſeu aſſūptio aliquorū prę alijs adſcribēda eſt voluntati Dei,nō meritis Chriſti;ideò n. Chriſtus illis ſua merita applicabat,quia iā erant ſpecialiter delecti,& electi à Deo. Tertiò, quia ſi teſtator pręciperet ſuis hęredibus, vt decem Virgines ſingulis annis ex ſuis fructibus in matrimoniū locarētur, vel vt decē pauperes ſingulis annis paſcerentur, illę virgines, & illi pauperes auctorē beneficij agnoſcerēt teſtatorem, quia teſtator quoad ſubſtātiā id pręcepit; ſub ratione vero ſecretionis,& delectionis, ſeu diſcretionis particulariū perſonarū, id be-

Digitized by Google

beneficium acceptum referendum eſſet hæredibus, hos potius, quam alios deligentibus,& hos potius,quã alios admittẽtibus; ita Chriſtus meruit prædeſtinationem hominibus; cur autem hi potius prædeſtinentur, quam alij, pendet à libera Dei volũtate, cui ſe Chriſtus conformabat. Alias rationes ad hoc probandum affert Suarez 1. par. lib. 2. cap. 24. n.21. & 3. par. d.41. ſect.4.concl.3.

Obijcies, Chriſtus potuit mereri hanc particularem dilectionem,(id enim non implicat,imò arguit maiorem gloriam Chriſti tanquam perfecti redemptoris; ſic enim prædeſtinati magis eſſent obligati Chriſto ſi hoc pacto eos peculiariter delegiſſet.

Reſpondeo,id non implicare; re tamen ipſa factum non fuit, quia peculiaris dilectio, & aſſumptio facta fuerat à Deo, cuius voluntati Chriſtus ſe accomodabat.

Ex dictis igitur cõſtat omnes ſaluari ex meritis Chriſti; cur autem hi potius ſaluentur, quam alij, referendum eſſe in Dei voluntatem,quia Chriſtus non applicabat efficaciter ſua merita, niſi illis, quos Deus peculiariter elegerat.

Punctum Quintum.

An Chriſtus ſit primus omnium prædeſtinatorum.

1 *Chriſtus eſt primus omnium prædeſtinatorum prioritate rationis, non temporis.*

2 *Decretum quo Deus ſtatuit ſaluare homines non eſt actus prædeſtinationis.*

3 *Prædeſtinatio Chriſti ordinatur ad noſtrã prædeſtinationem tanquam ad finem proximum.*

4 *Adam in ſtatu Innocentiæ recepit gratiam ante lapſum, & conſequenter ante præſcientiam,& prædeſtinationem Chriſti.*

VNICA PROPOSITIO.

1 Chriſtus eſt primus omnium prædeſtinatorum, non quidem prioritate temporis, cum Deus eodem actu prædeſtinauerit Chriſtum, & homines; ſed prioritate rationis,ita vt prius intelligatur prędeſtinatus Chriſtus, quam alij. Ratio eſt primò, quia Chriſtus eſt caput omnium prædeſtinatorum. Ergo eſt primus omnium prædeſtinatorum; caput enim præintelligi videtur ante alia membra, quorum eſt caput. Secundò, quia prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa finalis noſtræ prædeſtinationis, vt ſupra probatum eſt. Ergo prędeſtinatio Chriſti eſt prior noſtra prædeſtinatione; finis enim eſt prior eo,quod ordinatur ad finem. Tertiò, quia prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa exemplaris noſtræ prædeſtinationis; exemplar autem præſupponitur illi, cuius eſt exemplar. Ergo prædeſtinatio Chriſti præſupponitur, & præintelligitur ante noſtram prædeſtinationẽ. Quartò, quia Chriſtus fuit cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis quoad effectum, & quoad terminationem actus diuini; cauſa autem meritoria præcedit præmium. Ergo Chriſtus, ſeu prædeſtinatio Chriſti præcedit noſtram prædeſtinationem,non prioritate temporis; Ergo prioritate rationis. Ergo Chriſtus eſt primus omnium prædeſtina-

rum. Ita communiter Theologi teſte Aluarez diſp. 80. num. 5.

Obijcies primò, Deus prius decreuit ſaluare homines, & redimere genus humanum, quam Chriſtum incarnari: nam intétio finis eſt prior electione mediorum; finis autē fuit ſalus hominum, ſeu redemptio generis humani; medium fuit Incarnatio, iuxta illud Symboli, *Propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cęlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto, & homo factus eſt*; ſed decretum ſaluandi homines, & redimendi genus humanum fuit actus prædeſtinationis. Ergo prædeſtinatio hominum fuit prior prædeſtinatione Chriſti.

2 Reſpondeo, negando illud decretum fuiſſe actum prædeſtinationis, vt patet ex ſupradictis quæſt. 1. pun. 5. num. 24. vbi egi de ordine Incarnationis.

Obijcies ſecundò, prædeſtinatio Chriſti ordinatur ad noſtram ſalutem, & prædeſtinationem tanquam ad finem; ſed intentio finis eſt prior medijs ad finē ordinatis. Ergo prædeſtinatio noſtra eſt prior prædeſtinatione Chriſti.

3 Reſpondeo, prædeſtinationem Chriſti ordinari ad noſtram prædeſtinationem tanquā ad finem proximum, vel ad effectum ipſius; noſtram verò prædeſtinationem ordinari ad prædeſtinationem Chriſti, gloriam, & exaltationem humanitatis ipſius, tanquam ad finem magis principalem, conſequenter prius, & principalius volita fuit prędeſtinatio Chriſti, quam noſtra prædeſtinatio.

Obijcies Tertiò, Prius intelligitur Adam recepiſſe gratiam, & conſequēter ordinatus ad gloriam, quam Chriſtus intelligatur prædeſtinatus. Ergo prædeſtinatio Chriſti eſt poſterior prædeſtinatione Adami; prædeſtinatio enim conſiſtit in præparatione gratiæ, & gloriæ, iuxta S. Aug. & alios.

4 Reſpondeo, Adamum in ſtatu innocentiæ recepiſſe gratiam ante lapſum, & conſequenter ante præuiſionem Chriſti, & ante ipſius prædeſtinationem; ſed nego prędeſtinationem Chriſti eſſe poſteriorem prædeſtinatione hominum; nam gratia illa, quam Adamus accepit in ſtatu innocentiæ, non fuit effectus prædeſtinationis propriè acceptæ; ſed potius fuit effectus diuinæ prouidentiæ, nec Adamus in tempore quicquam gloriæ accepit ex vi illius primę gratię precisè, ſed quatenus reparata fuit, & reuixit per merita Chriſti, & per pęnitentiam Adę, conſequenter Adam nunc in cęlis exiſtens nullum glorię gradum habet, quē non acceperit ex meritis Chriſti.

QVÆ-

QVÆSTIO DECIMA OCTAVA.

De Chriſto Capite.

IN hac Quæſtione explicabo primò, An Chriſtus ſecundum humanitatem ſit caput totius Eccleſię. Secundò, An ſit caput Angelorum. Tertiò, per quam gratiam ſit caput Eccleſiæ. Quartò, An præter Chriſtum, qui nunc eſt inuiſibile caput Eccleſiæ, conſtituendum ſit aliud viſibile.

Punctum Primum.

Vtrum Chriſtus ſecundum humanitatem ſit caput Eccleſiæ.

1 *Chriſtus ſecundum humanitatem eſt caput totius Eccleſiæ militantis, & triumphantis.*

2 *Eccleſia eſt corpus Chriſti.*

3 *Chriſtus non videtur caput damnatorum, licet multi oppoſitũ ſentiãt.*

4 *Chriſtus eſt caput adultorum Infidelium, vt Iudęorum &c.*

5 *Chriſtus etiam nunc eſt caput Eccleſiæ, ſed non viſibile.*

6 *Deus eſt ſupremum caput omnium, ſecundum caput eſt Chriſtus.*

7 *Chriſtus vocatur caput Eccleſiæ, non autem cor.*

8 *Chriſtus non confert gratiam auctoritatiuè, ſed per poteſtatem excellentiæ.*

9 *Chriſtus vocari poteſt præcipuum Eccleſiæ membrum.*

10 *Chriſtus eſt caput hominum etiam quo ad corpus.*

11 *Chriſtus eſt ſingulare, & vnicum caput Eccleſiæ.*

12 *Capitis gratia communicari potuit puræ creaturæ abſolutè loquendo.*

13 *Chriſtus dici poteſt aliquo modo caput omnium creaturarum.*

14 *Diabolus dici quodammodò poteſt caput omnium malorum.*

15 *Homo ratione diuerſorum motuum, poteſt eſſe membrum diuerſorum.*

16 *Adam non eſt caput malorum.*

17 *Antichriſtus vocari quodammodò poteſt caput omnium malorum.*

TRia principaliter in hoc puncto explicabo. Primò, Vtrum Chriſtus ſecundum humanitatem ſit caput totius Eccleſię. Secundò, Vtrum ipſe ſolus ſit caput Eccleſię, ita vt

hoc nulli purę creaturę competat. Tertiò, Vtrum Chriſtus dici etiam poſſit caput cęterarum creaturarũ.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus ſecundum humanitatem eſt caput totius Eccleſię, tam militantis, quam triumphantis. Ratio eſt primò, quia id apertè conſtat ex ſcriptura, in qua nomen capitis ſępius tribuitur Chriſto. Epheſ. 1. *Omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiã, quæ eſt corpus ipſius*, & cap. 4. *Creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus*, & cap. 5. *Vir eſt caput mulieris, ſicut Chriſtus Eccleſiæ*, & ibidẽ, *Nos ſumus Chriſti*, & Col. 1. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ*. Secundò, quia in Chriſto reperiuntur omnes conditiones requiſitæ ad caput Eccleſiæ myſticum; nam ſicut tota Eccleſia dicitur vnum corpus myſticum per ſimilitudinem ad naturale corpus hominis, quod iuxta rationem diuerſorum membrorum diuerſos actus, & officia exercet; ita Chriſtus dicitur morale, ſeu myſticum caput Eccleſiæ, deſumpta ſimilitudine ab humano capite, & ſicut humani capitis proprium eſt influere in reliqua membra, illaq; per intellectum, voluntatem, & alios ſenſus in ipſo capite reſidentes dirigere, & gubernare, ne in ſuis functionibus errent; ita Chriſtus influit, vel ſaltem virtutem habet vniuerſalem influendi gratiam in omnia Eccleſiæ membra, iuxta illud Ioannis 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia; quia lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas, per Ieſum Chriſtum facta eſt*. Ita communiter Doctores.

2 Hinc ſequitur primò, Eccleſiã eſſe corpus Chriſti; caput enim dicitur caput reſpectu ſui corporis, cuius eſt caput.

Secundò, Chriſtum eſſe caput omnium hominum, tam beatorum, quã viatorum, ac proinde omnium, qui ſunt, fuerunt, aut futuri ſunt. Ratio eſt, tum quia ſcriptura in præcitatis locis generaliter loquitur. Tum quia 1. Timot. 4. dicitur, *Qui eſt Saluator omnium hominum, maximè fidelium*. & 1. Ioannis 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantũ, ſed etiam pro totius Mundi*.

3 Ex quo aliqui Doctores, vt Puteanus q. 8. dub. 1. inferunt, Chriſtum eſſe caput non ſolum peccatorum decedentium ſine baptiſmo, verum etiã aliorum damnatorum. Ratio eſt, tum quia de ratione capitis non eſt, vt actu influat in membra, ſed vt in illa influere poſſit; & licet Chriſtus nulla ſupernaturalia dona damnatis conferat, illa tamen contulit, vel conferre potuit ipſis, dum in hac vita exiſterent. Tũ quia damnati puniũtur citrà condignum, ſed hoc beneficium percipiunt ob merita Chriſti. Ergo recipiunt aliquem influxum à Chriſto. Contrariũ docent S. Thomas queſt. 8. art. 3. Suarez ibidem in comment. art. 3. Becanus cap. 20. num. 7. Tannerus quæſt. 5. dub. 2. num. 63. aſſerentes Chriſtum non eſſe caput damnatorum, & præfatorum puerorum. Ratio eſt, quia Chriſtus in ipſos non influit vlla gratiæ dona, nec ſua merita, vel ſatisfactiones obtulit pro ipſis in eo ſtatu exiſtentibus; conſequenter

ter damnati deſinunt eſſe membra Chriſti; nam conſtituuntur in ſtatu, in quo Chriſti influxum percipere non poſſunt. Vtraq; ſententia probabiliter ſuſtineri poteſt, modo tamen prima non intelligatur de damnatis formaliter, quia eſſe caput damnatorum formaliter redolet criminis, & infamiæ notam, vt patet in eo, qui vocatur latronum, aut pyratarum caput.

4 Tertiò ſequitur, Chriſtum eſſe caput adultorum Infidelium, vt Iudęorum, Turcarum, & aliorum. Ratio eſt, quia licet Infideles non poſſint, propriè loquendo, vocari membra Eccleſiæ defectu Fidei, & Baptiſmi, nihilominus recipiunt influxum Chriſti; aut ſaltem Chriſtus virtutem habet influendi in ipſos; *Illuminat enim omnem hominem venientem in hunc Mundum.* Ita Suar. in coment. quęſtionis 8. art. 3. Tannerus q. 5. dub. 2. num 64. Becanus c. 20. n. 7. Pueanus loco citato, & alij.

5 Quartò, ſequitur Chriſtum nunc in cęlis exiſtentem remanere caput, non quidem viſibile, ſeu viſibili modo, quia non eſt amplius viſibiliter pręſens (ſicque intelligitur locus ille, *Me autem non ſemper habebitis*) ſicut erat ante aſcenſionem; ſed inuiſibile, eique permanſurum eſt vſque ad Mundi finem. Ratio eſt, tum quia dirigit, & gubernat Eccleſiam per internum gratię influxum. Tum quia Matth. 28. dicitur, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſumationem ſeculi*, id eſt per directionem, & influxum gratię, & donorum Spiritus Sancti.

Obijcies contradicta in propoſitione; primò, caput omnium hominum eſt Deus. Ergo Chriſtus ſecundum humanitatem non poteſt dici caput omnium hominum.

6 Reſpondeo, nos non loqui de ſupremo capite; conſtat enim Deum eſſe ſupremum caput omnium, etiã ipſius Chriſti vt homo eſt, 1. Corint. 11. *Omnis viri caput Chriſtus eſt; caput autem mulieris vir. Caput verò Chriſti Deus*; non enim implicat eiuſdem corporis myſtici plura eſſe capita ſubordinata. Quamobrem primum caput Eccleſię eſt Deus. Secundum Chriſtus. Tertium Pontifex, Chriſti vices gerens. Quartum reſpectu particularium Eccleſiarum ſunt Epiſcopi, alijq; ſuperiores ſeruata debita proportione; quamuis .n. ſummus Pontifex, & alij Prelati non influant in Eccleſiam dona ſupernaturalia per ſe ipſos proximè, & immediatè, nihilominus cooperantur eo modo, quo poſſunt, adminiſtrando Sacramenta, conferendo Indulgentias, & alia iuxta terminos ſuę poteſtatis.

Obijcies ſecũdò, ſi Chriſtus ideò vocatur caput Eccleſię, quia in omnia membra influit, multò magis vocari debet cor, cuius eſt viuificare non ſolum corpus, verum etiam ipſum caput.

7 Reſpondeo cum S. Thoma q. 8. art. 1. ad 3. Chriſtum vocari potius caput, quam cor, quia caput hominis exterius apparet, & viſibilem habet eminentiam ſupra cętera membra exteriora; cor verò occultè influit, & ideo ipſi comparatur Spiritus Sanctus, qui Eccleſiam inuiſibiliter viuificare, & vnire ſolet.

Obijcies tertiò, Chriſtus ſecundum humanitatem non influit dona

gra-

gratiæ, nec dat Spiritum Sanctum, ſed ſolum, vt eſt Deus, ex Auguſtino lib. 1. de Trinitate cap. 12. tom. 3. Ergo Chriſtus non eſt caput hominum ſecundum humanitatem, ſed ſecundum diuinitatem, ſeu non quatenus eſt homo, ſed quatenus eſt Deus.

8 Reſpondeo cum S. Thoma q.8. art. 1. ad 1. & alijs communiter, Chriſtum non influere dona gratiæ, aut Spiritum Sãctum authoritatiuè; hoc enim ſoli Deo conuenit, ſed per poteſtatem excellentiæ à Deo acceptam, ſeu inſtrumentaliter, vt docui de Sacramentis.

Obijcies quartò, ſi Chriſtus eſſet caput omnium hominũ, eſſet etiam membrum corporis myſtici Eccleſiæ, nam quælibet pars corporis vocatur membrum corporis; ſed Chriſtus non poteſt dici membrum Eccleſiæ, (vnum enim corporis membrum recipit influxũ ab alio, Chriſtus autem non recipit influxum ab alijs membris Eccleſiæ.) Ergo Chriſtus vocari non poteſt caput Eccleſiæ.

9 Reſpondeo cum S. Thoma in comment. 1. Corint. 2. Puteano q. 8. dub. 11. col. 4. Vaſquez diſp. 48. c. 1. Tannero diſp. 1. quæſt. 5. dub. 2. num. 71. & alijs, Chriſtum vocari poſſe membrum Eccleſiæ, præſertim ſi addamus excellentiæ notam, idèſt præcipuum, ſeu principale, vt patet, tum ex allata ratione. Tum quia ſic vocatur 1. Corint. 12. ibi, *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro;* nec opus eſt, vt caput myſticum recipiat influxũ à reliquis membris, ſicut recipit caput naturale. Alij verò, vt Suarez diſp. 23. ſect. 1. Altiſiodorenſis, Marſilius, & alij apud Suarez loco cit. col. 5. negant, Chriſtum vocari poſſe membrum; tum quia non recipit influxum ab alijs. Tum quia illa verba, *Vos eſtis membra de membro*, non intelliguntur de Chriſto tanquam membro, ſed de ipſis Corinthis, quos Paulus alloquebatur, ita vt ſit ſẽſus, *Vos Corinthi non eſtis omnia membra, nec conſtituitis totam Eccleſiam, ſed eſtis tantummodo pars corporis Eccleſiæ*. Ita explicant nonnulli Patres Græci.

10 Quæres, Vtrum Chriſtus ſit caput hominum non ſolum quoad ipſorum animam, verum etiam quoad corpus.

Reſpondeo, eſſe caput etiam quoad corpus. Ratio eſt primò, quia ſicut Chriſtus paſſione ſui corporis nos redemit, & ſuo ſanguine lauit; ſicque ſecundum ſuum corpus rationem capitis habet; ita etiam noſtra corpora vocari poſſunt ipſius membra, cum aliqua bona recipiant ab ipſius corpore, vt clarius conſtabit ex ſecunda ratione. Secundò, quia licet Chriſtus non influat in corpus noſtrum præcipua dona gratiæ, multa tamen alia dona noſtris corporibus virtute Chriſti conferuntur, vt reſurrectio, viuificatio, & aliæ dotes corporis glorioſi. 1. Corint. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur*. Roman. 8. *Qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis*. Philipp. 3. *Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ*. Ita S. Thomas q.8. art. 2 Suar. ibid. in Comment. Vaſq. d. 48. c. 2. Tanner. d. 1. q. 5. dub. 2. n. 60. & alij com.

SE-

Digitized by Google

SECVNDA PROPOSITIO.

11 CHriſtus eſt ſingulare, & vnicum caput Eccleſiæ; conſequenter nulli puræ creaturę competit eſſe caput totius Eccleſiæ. Probatur, quia ratio capitis conſiſtit in intrinſeco influxu in cætera membra, & in exteriori gubernatione. Interior influxus deriuatur à Chriſto, cũ ipſius humanitas diuinitati coniuncta virtutum habeat iuſtificandi. Exterior gubernatio pendet à Chriſto maiori quadam ratione, quam ab alijs hominibus; Chriſtus enim eſt caput omnium ſecũdum omnem locum, ſtatum, & tempus, & non ſolum militantis Eccleſiæ, verum etiam triumphantis. Præterea Chriſtus eſt etiam Deus, conſequenter illi competit ratio capitis authoritatiuè, & virtute propria, & ab ipſo hæc virtus communicata fuit humanitati Chriſti; alij verò nõ poſſunt dici capita, niſi cum limitatione. Quamobrem Papa non dicitur ſimpliciter caput totius Eccleſię, ſed ſolum eſt viſibile caput Eccleſię militantis, ipſi Chriſto ſubordinatum, quãdiũ viuit. Idem cum proportione dici poteſt de Epiſcopo reſpectu ſuæ diœceſis. Præterea alij non ſunt capita, niſi quatenus vices Dei gerunt, iuxta illud 2. Corint. 5. *Pro Chriſto legatione fungimur*. Ita communiter Doctores cum S. Thoma quæſt. 8. art. 6.

12 Quæres, an gratia capitis communicari potuerit abſolutè purę creaturę.

Reſpondeo affirmatiuè. Tum quia non implicat omnem gratiam, quę hominibus datur, dari dependenter ab aliqua creatura. Tum quia ſi Adam in iuſtitia originali perſeueraſſet, Chriſtus incarnatus non fuiſſet, conſequenter Adam fuiſſet caput hominum ratione iuſtitię originalis tranſmiſſę in poſteros ab ipſo deſcendentes. Pura tamen creatura non potuiſſet rationem capitis ita perfectè habere, ſicut habuit Chriſtus. Ratio eſt, quia nulli purę creaturę connaturalis eſſe poteſt ratio capitis, ſicut connaturalis, & debita fuit Chriſto ratione vnionis hypoſtaticę, vt ſupra oſtenſum eſt. Ita Puteanus quęſt. 8. dub. vlt. ad finem, Suarez d. 23. ſect. 2. ad finem Vaſq. diſp. 48. cap. 4.

TERTIA PROPOSITIO.

13 CHriſtus aliquo modo dici poteſt caput omniũ creaturarum, nõ tamen eo modo, quo eſt hominum, aut Angelorum. Quod aliquo modo ſit caput omnium creaturarum, colligitur primo, ex loco illo ad Coloſſ. 1. vbi Chriſtus vocatur *Primogenitus omnis creaturæ*, *reconciliator humani generis*, *vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens*. Secundò, quia Chriſtus creaturis pro ſuo arbitratu vtitur, illaſque ad nutum ſuum moderatur in ordine ad ſalutem prędeſtinatorum. Ergo poteſt aliquo modo dici ipſarum caput, vt benè Suarez diſp. 23. ſect. 1. concl. 3. Tannerus quęſt. 5. dub. 2. & alij.

Quod autem dici non poſſit caput omnium creaturarum, eo modo quo eſt hominum, patet, quia influxus, quem Chriſtus exhibet creaturis rationalibus, eſt alterius rationis,

nis, & longè perfectior, & excellentior, quam ſit influxus in creaturas irrationales; præterea creaturæ rationales viuunt etiam vita ſpirituali, & ordinãtur ad beatitudinem, cuius non ſunt capaces creaturæ irrationales. Ex quo fit, vt Chriſtus reſpectu aliarum rerũ potius dici debeat Dominus, aut Princeps, quam caput. Sicut Rex in Regno, & Pater familias in domo propriè dicitur caput hominum regni, vel familiæ; reſpectu verò aliarum rerum potius dicetur Dominus, vel Princeps. Quo etiam pacto vocari poteſt caput Dęmonum ex S. Hieronimo ad Epheſ. 1. quia Dęmones, licet inuiti, ſubijciuntur Chriſto.

14 Quæres primò, Vtrum Diabolus vocari poſſit caput omnium malorum.

Reſpondeo, ſuo modo dici poſſe caput omnium malorum, non quoad interiorem influxum, quem eis præbeat, ſicut Chriſtus bonis præbet; ſed quoad exteriorem gubernationem. Ratio eſt, tum quia ſuadet, allicit, & inuitat ad malum per ſe, aut per alium, quod præcipuè verum videtur de ſupremo Dęmone, ideſt Lucifero, cui Dęmones inferiores in tentandis hominibus obediunt. Tũ quia omnes malitia ſuperat, & quandam gubernandi, & dominandi poteſtatem in alios exercet, iuxta illud Iob 41. *Ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ*. Ita S. Thomas qu. 8. art. 7. Vaſquez, Caietanus, & Suarez ibid. Tannerus q. 3. dub. 2. nu. 71. & alij. Quamobrem aliqui Doctores putãt S. Thomam exiſtimaſſe, ſupremum Dæmonem non ſolum eſſe caput malorum hominum, verum etiam ipſorum Dęmonum.

Obijcies primò, non omnes homines peccant tentati à Dęmone. Ergo Dęmon vocari non poteſt caput omnium malorum.

Reſpondeo negando conſequentiam; ſicut enim de ratione capitis in Republica non eſt, vt omnia membrorum opera à capite pendeant, ita neque opus eſt, vt omnia malorum opera à Dęmone ſint. Vt benè Vaſq. loco citato.

Obijcies ſecundò, Peccator fidelis eſt membrum Chriſti, cum ab ipſo influxum recipiat, & gubernetur. Ergo non poteſt eſſe membrum Dęmonis; idem enim non poteſt eſſe membrum duorum capitum, & eiuſdem corporis non poſſunt eſſe duo capita.

15 Reſpondeo cum Vaſq. loco citato art. 7. eundem hominem ratione diuerſorum motuum eſſe membrum diuerſorum. Quamobrem peccator ratione motus fidei, quem à Chriſto recipit, eſt membrum Chriſti, ratione verò peccati eſt membrum Diaboli.

16 Obijcies tertiò, ſi Dęmon eſt caput omnium malorũ, quia eſt cauſa peccatorum. Ergo etiam Adam vocandus videtur caput malorum, cum omnes ab ipſo peccatum originale traducant.

Reſpondeo negando, Adamum ita vocandum eſſe. Tum quia ſua intentione non inducit alios ad peccatum, ſicut Dęmon, vt benè Suar. in comment. art. 8.

17 Quæres, vtrum etiam Antichriſtus vocari poſſit caput omniũ malorum.

Reſpondeo, ſuo modo vocari poſſe caput omnium malorum, non quo ad

ad influxum; ſed quo ad malitiam, qua cæteros ſuperabit, & quoad dominandi libidinem, & poteſtatem. Ita Sanctus Thomas, & alij præcitati Doctores.

Obijcies, ſi Antichriſtus eſſet caput malorum, ſequeretur congregationem malorum hominum habere duo capita, conſequenter duo eſſe capita eiuſdem corporis, quod falſum, & monſtruoſum videtur.

Reſpondeo, eiuſdem corporis myſtici poſſe eſſe duo capita ſubordinata; Antichriſtus enim ſubditus eſt Diaboli, & illius membrum vocari poteſt.

Punctum Secundum.

Vtrum Chriſtus ſit caput Angelorum.

1 *Chriſtus eſt caput Angelorum.*
2 *Obiectiones contra hoc facientes innuuntur.*

VNICA PROPOSITIO.

1 CHriſtus eſt caput Angelorũ, probatur primò ex ſcriptura Coloſſ. 2. *Qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis*. Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam*, & 1. Petri 3. *Profectus in cœlum ſubiectis ſibi Angelis, & poteſtatibus, & virtutibus*.

Secundò, quia vbi eſt vnum corpus, ibi etiam eſſe debet vnũ caput; ſed cœtus hominum, & Angelorum ordinatus ad vnum finem, ideſt ad cæleſtem gloriam, eſt vnum quoddã corpus Eccleſiæ myſticum. Ergo aſſignandum eſt aliquod ipſius caput; nullum autem aliud congruè aſſignari poſſe videtur præter Chriſtum.

Tertiò, quia Chriſtus gratia, & dignitate præſtat Angelis, ipſoſque illuminat, regit, & moderatur, illorumq; miniſterio vtitur ad ſalutem hominum.

Quartò, quia licet Angeli non accipiant à Chriſto dona gratiæ iuſtificantis, vt ſupra oſtenſum eſt, accipiunt tamen varias illuminationes, & illuſtrationes; conſequenter Chriſtus etiam ſecundum humanitatem vocari poteſt ipſorum caput. Ita cõmuniter Doctores cum S. Thomá q. 8. art. 4.

2 Multæ obiectiones hic afferri poſſent, ſed ego illas diſſolui ſupra q. 12. puncto vlt. vbi explicaui, quid Chriſtus meruerit Angelis. Vide Vaſq. d. 48. c. 3.

Punctum Tertium.

Quæ ſit gratia capitis in Chriſto.

1 *Chriſtus eſt caput Eccleſiæ ſecundum gratiam habitualem.*
2 *Chriſtus eſt caput Eccleſiæ ſecundum gratiam vnionis.*

CVm in Chriſto duplicem gratiã eſſe ſuperius oſtenſum ſit, videlicet gratiam habitualem, & gratiam vnionis hypoſtaticæ; explicandum hoc loco breuiter eſt, vtrum Chriſtus ſit caput Eccleſiæ ſecundum gratiam habitualem, an ſecundum gratiam vnionis.

VNICA PROPOSITIO.

1 CHriſtus eſt caput Eccleſiæ, primò ſecundũ gratiam habitualem.

lem. Nam illa eſt gratia capitis, quæ eſt principium merendi, & per quā merita Chriſti applicantur Eccleſiæ; ſed gratia habitualis Chriſti etiam ipſa in ſuo genere fuit principiū meriti Chriſti, & per ipſam merita Chriſti applicantur Eccleſiæ. Ergo gratia capitis in Chriſto eſt gratia habitualis. Quamquam hæc etiam vocari poteſt gratia ſingularis perſonæ, quatenus eſt forma ſanctificans animā. Ita S. Thomas q.8. art.5. Caietanus, Alexander, Bonauentura, Durandus, & alij, quos citat, & ſequitur Suarez d.23. ſect.2. Tannerus q.5. dub. 2. num.74. Puteanus q.8. dubio vlt. Becanus cap. 20. num.9. & alij communiter.

An autem gratia habitualis Chriſti ſit eiuſdem rationis cum noſtra, alibi explicatum eſt.

2 Secundò, Chriſtus eſt caput Eccleſiæ ſecundum gratiam vnionis. Ratio eſt, quia gratia vnionis eſt principium principale meriti; nam ipſa eſt cauſa infiniti valoris, & meriti Chriſti, ratione cuius influxus gratiæ deriuatur in membra. Ita Doctores citati.

Punctum Quartum.

An præter Chriſtum, qui nunc eſt inuiſibile caput Eccleſiæ, conſtituendum ſit aliud viſibile.

1 *Caput Eccleſiæ viſibile conſtituendum eſt, præter caput inuiſibile Chriſti.*

VNICA PROPOSITIO.

1 PRæter Chriſtum, quem nunc eſſe diximus caput inuiſibile, conſtituendum eſt aliud, quod vices Chriſti viſibiliter ſuſtineat. Ratio eſt primò, quia ſicut ſi Rex à Regno diſcedens diu abſfuturus ſit, alium in ſui locum ſufficere, & ſubrogare ſolet; ita par fuit, vt Chriſtus cęlum conſcendens alium ſubſtitueret. Secundò; quia regimen Eccleſiæ ſub ea forma manere debet, qua inſtitutum fuerat à Chriſto; ſed ante Chriſti Aſcenſionem, inſtitutum fuerat ſub capite viſibili. Ergo poſt Chriſti Aſcenſionem remanere debet ſub aliquo capite viſibili, alioquin regimen Eccleſiæ, & conſequenter ipſamet Eccleſia mutata eſſet, quod dici non poteſt. Tertiò, quia Synagoga Moſaica fuit vmbra, & typus Eccleſiæ Chriſti; ſed in Synagoga Moſaica ſemper extitit caput viſibile; primum enim caput Synagogæ viſibile fuit Moyſes, cui poſtea ſucceſſerunt Pontifices legales; inuiſibile verò erat Chriſtus, quatenus ex præuiſis Chriſti meritis conferebatur Synagogæ interna gratia. Ergo etiam in Eccleſia ſemper exiſtere debet caput viſibile, quod quidem ab initio fuit Chriſtus, deinde Petrus, & ſucceſſores Pontifices, vt benè ratiocinatur Becanus in compendio controuerſiarum lib. 1. cap. 4. concl. 2.

QVÆ-

QVÆSTIO DECIMA NONA.

De Chriſto Mediatore.

NOmen Mediatoris accipitur à medio, ſicut enim extrema connectuntur, & coniunguntur in medio, ita etiam partes diſcordes, & diſſidentes connectuntur ope mediatoris. Ideò mediator ille dicendus eſt, qui partes diſſidentes componit, & conciliat; aliquis autem poteſt partes diſcordes componere multis modis. Primò, Iudicando inter partes. Secundò, Referendo pacta, & conditiones, quibus partes reconciliari poſſunt. Tertiò, Rogando vnam partem pro alia, quod maximè fecit Chriſtus ſua oratine, vt ſupra probatum eſt. Quartò, Satisfaciendo vni parti pro alia. Vt benè docet Vaſquez diſp. 83. num. 3. & ſeqq. In hoc Puncto explicandum eſt ſolum, Vtrum Chriſtus dicendus ſit mediator Dei, & hominum hoc quarto modo, ita vt ſatisfecerit Deo pro offenſa, quam homo intulerat Deo. Secundò, An Chriſtus fuerit mediator Dei, & hominum ſecundùm diuinitatem, an potius ſecundum humanitatem.

Punctum Primum.

Vtrum Chriſtus ſit Mediator Dei, & hominum, ita vt ipſe pro hominibus ſatisfecerit Deo.

1 *Chriſtus fuit mediator inter Deum, & homines.*

2 *Sancti vocari poſſunt mediatores.*

VNICA PROPOSITIO.

1 CHriſtus fuit mediator inter Deum, & homines, eo quod ipſe ſolus ſatisfecerit Deo pro hominibus. Probatur ex Apoſtolo 1. ad Timot. 2. vbi dicitur, *Vnus enim Deus, vnus eſt mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem*

nem ſemetipſum pro mortuis. Ita S. Thomas q. 26. art. 2. Bellarminus lib. 5. de Chriſto, Vaſquez diſp. 83. Valentia d. 1. q. 22. pun. 3. Tannerus q. 7. dub. 8. num. 146. & alij cõmuniter.

Obijcies, ſi Chriſtus eſt ſolus mediator inter Deum, & homines. Ergo fruſtra inuocantur Sancti tanquam interceſſores.

2 Reſpondeo, Chriſtum ſolum vocari mediatorem, ſi mediatoris nomen accipimus ad ſignificandum eum, qui pro hominibus ſatisfecit; ſi verò accipiamus nomen mediatoris alio ſenſu, certum eſt nomen mediatoris accommodari poſſe alijs; nam Apoſtolus eo loci aſſerit quidẽ Chriſtum eſſe mediatorem per redemptionem, ac ſatisfactionem pro nobis ab ipſo præſtitam; ſed non excludit, quin etiam alij poſſint eſſe mediatores; conſtat enim Sanctos pro nobis Deum orare, & Moyſem, & Hieremiam fuiſſe mediatores; nam Deutoron. 5. ait Moiſes, *Ego ſequeſter, & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo*, & Hieremiæ 18. *Recordare*, inquit, *quod ſteterim in conſpectu tuo; vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis*. Idẽ dici põt de alijs hominib. in hac vita exiſtentibus, qui fuſis ad Deum precib. aliquid pro alio cõſequũtur.

Punctum Secundum.

An Chriſtus fuerit mediator Dei, & hominum ſecundum diuinitatem, an potius ſecundum humanitatẽ.

1 *Chriſtus ſecundum humanitatẽ fuit mediator inter Deum, & homines.*

2 *Chriſtus mediator fuit, vt Deus, & homo, ſi reſpiciamus radicem meriti.*

PRo ſolutione obſerua in mediatore, ſeu in officio mediatoris duo ſpectari, & diſtingui poſſe; Primò eſt ipſummet principiũ, per quod Chriſtus obiuit officium mediatoris. Secundum eſt id, per quod functio illa mediatoris valorem accepit ad ſatisfaciendum, quod radix valoris, & meriti vocari poteſt.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus ſecundum naturam humanam, non verò ſecundum diuinam fuit mediator, loquendo de officio mediatoris; quatenus importat principium, per quod Chriſtus operatus eſt ſalutẽ noſtrã. Ratio eſt primò, quia ita habetur in Scriptura 1. Timot. 2. *Mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus*; vbi notanda eſt illa particula, *Homo*, quæ poſita fuit ad indicandam naturam, ſeu principium, per quod Chriſtus fuit mediator ex Auguſtino lib. 2. de peccato originali cap. 28. Bellarminus lib. 5. de Chriſto c. 1. & ſeqq. & alijs locis infra citandis.

Secundò, quia Apoſtolus in præcitato loco 1. Tim. 2. aſſignat diſtinctionem inter Deum, & mediatorẽ, *Vnus Deus, vnus eſt mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus*. Ergo Chriſtus non fuit mediator ſecundũ diuinitatem; ſed ſecundum humanitatem, alioquin vana eſſet diſtinctio Apoſtoli.

Tertiò, quia Chriſtus ſecundum illam naturam fuit mediator, per

quam

Digitized by Google

quam obiuit munera mediatoris; ſed obiuit munera mediatoris ſecundum naturã humanam,non ſecundũ diuinam; nam orare,ſacrificare, mereri, ſatisfacere, pati, mori ſunt functiones, & munera mediatoris, quæ non poſſunt elici à natura diuina, ſed ab inferiori. Ergo Chriſtus fuit mediator ſecundum naturam humanam, non verò ſecundum diuinam. Ita S. Thomas q. 26. art. 2. Caietanus ibid. Suarez ibidem, Bellarminus lib. 5. de Chriſto c. 1. & ſeqq. Valentia diſp. 1. q. 22. pun. 3. col. 4. Vaſquez diſp. 83. cap. 3. Becanus c. 21. n. 3. Tannerus diſp. 1. q. 7. dub. 8. n. 148. & ſeqq. & alij cõmuniter contra Luteranos, Caluiniſtas, & alios hæreticos apud præcitatos Doct.

Obijcies primò, Verbum diuinũ vocatum fuit nomine Mediatoris, etiam antequam naturã ſumpſiſſet, ex S. Hyeronimo lib. 2. comment. in Epiſt. ad Galat. cap. 3. Ergo eſſe mediatorem conuenit Chriſto etiam ſecundum naturam diuinam.

Reſpondeo, Verbum diuinum vocari mediatorem ante aſſumptionẽ humanitatis, non quia tunc exercuerit munus mediatoris, ſed quia illud obiturum erat in natura aſſumpta, aut quia futurum erat radix meriti.

Obijcies ſecundò, Ioann. 10. dicitur. *Ego pono animam meam pro ouibus meis*. Quo in loco ſermo eſt de Chriſto tanquam mediatore, ſed nõ eſt ſermo de Chriſto, vt homine. Ergo ſermo eſt de Chriſto, vt Deo; nã poteſtas vitæ, & mortis non reſidet penes hominem; ſed penes Deum. Ergo Chriſtus, vt Deus, fuit mediator Dei, & hominum.

Reſp. in illis verbis duo conſiderari poſſe; primum eſt, ponere animam ſuam, ideſt mori, & hoc conuenit Chriſto ſolum ſecundum humanitatem, & ſic Chriſtus ſatisfecit Deo, & mediator fuit; hac poſita expoſitione neganda eſt minor propoſitio. Secundum eſt facultas, ſeu poteſtas ponendi animam, & hæc datur à Deo, vt benè Auguſtinus tract. 47. in Ioannem, quem citat, & ſequitur Becanus loco cit. Vaſquez cap. 4. n. 25. & ſeqq. & alij.

Obijcies tertiò, ille dicitur mediator, qui reconciliat partes diſſidentes inter ſe; ſed Chriſtus ſecundum diuinitatem reconciliauit genus humanũ Deo. 2. Cor. 5. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum*, & infra, *Deus erat in Chriſto Mũdum reconcilians ſibi*, & Coloſſen. 1. *Pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiuè quæ in terris, ſiuè quæ in Cælis ſunt*. Ergo Chriſtus fuit mediator ſecundum diuinitatem.

Reſpondeo, maiorem propoſitionem non eſſe vniuerſaliter veram, nã fieri poteſt, vt ipſemet Ieſus reconciliet ſibi hoſtem ſuum, vel per ſe ipſum, vel per mediatorem, & tamen ipſe Ieſus non dicitur mediator. Hoc pacto Deus reconciliauit ſibi genus humanum per Chriſtum tanquã mediatorem ſecundum naturam humanam, & tamen ipſe Deus non dicitur mediator.

Obijcies quartò, renouatio cordium, & collatio donorum Spiritus Sãcti ſunt opera mediatoris, ex Aug. in Enchir. c. 33. ſed renouatio cordium, & collatio Spiritus Sancti tribuitur à ſolo Deo. Ergo ſolus Deus eſt mediator. Ergo Chriſtus nõ fuit mediator ſecundum naturam huma-

nam, ſed ſecundum diuinam.

Reſp., renouationem cordium, & collationem Spiritus Sancti eſſe opus ſolius Dei, tanquam cauſæ efficientis primariæ, & principalis; non tamen hinc excludi, quin etiam poſſit eſſe opus Chriſti in genere cauſæ meritoriæ, vel etiam efficientis minus principalis. Ita Vaſq. d.83. cap.4. n. 29. Becanus, & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 CHriſtus mediator fuit, vt Deus, & homo, ſi loquamur de officio, & functione mediatoris reſpectu illius, à quo operationes Chriſti valorem, & dignitatem accipiunt, id eſt ſecundum radicem meriti. Ratio eſt, quia radix, ex qua operationes Chriſti valorem traxerunt, fundatur in diuino ſuppoſito, & in natura diuina, per quam natura humana quaſi deificata fuit, & actiones Chriſti infinitum valorem aſſecutæ ſunt. Ita Caiet. Valent. Tannerus, & alij locis citatis.

Ex dictis ſequitur primò, Chriſtum, vt Deum, ſeu Chriſtum ſecundum diuinitatem, ſeu diuinitatem Chriſti non poſſe dici mediatorem, vt patet ex prima propoſitione; nam operationes Chriſti non proueniunt à Chriſto ſecundum diuinitatem.

Secundò ſequitur, hanc propoſitionem non ſine ratione ab aliquibus Doctoribus nō admitti, Chriſtus eſt mediator, qua homo tantũ, ſeu vt homo tantũ; licet enim Chriſtus dicatur mediator ſecundum humanitatem, quia operationes proueniunt à natura humana, nihilominus cum non accipiant valorem à natura humana præciſè, ſed à diuina deificante naturam humanam, ſeu à diuino ſuppoſito, Chriſtus non poteſt dici mediator, qua homo tantum. Ita Cabrera q.26. art.2. & alij, qui ex oppoſito benè addunt, hanc propoſitionem veram eſſe, Chriſtus eſt mediator ſecundum humanam naturã tantum, quia per hanc propoſitionẽ non excluditur ſuppoſitum diuinũ, à quo operationes Chriſti valorem habent, ſed ſolum excluditur natura diuina, quia operationes mediatoris ab ipſa non proueniunt, vt dictum eſt in prima propoſitione.

Tertiò ſequitur, neque diuinitatem, neq; humanitatem in abſtracto ſimpliciter dici poſſe mediatorem. Ratio eſt, tum quia nomen Mediatoris propriè conuenit ſuppoſito, ſeu perſonæ. Tum quia neque diuinitas, neque humanitas in abſtracto dici poteſt exercere operationes perfecti mediatoris, vt ſatisfacere, mori, mereri, & ſimilia; actiones enim ſunt ſuppoſitorum. Ideò Suarez addit humanitatem, neque poſſe abſolutè dici mediatricem.

Quartò ſequitur, Chriſtum ſimpliciter loquendo, dici poſſe mediatorem, vt eſt homo Deus, ſeu vt Deus homo, ſeu vt ſubſiſtit in vtraque natura. Ratio eſt, quia vt ſic eſt perfectus mediator; nam ratione humanitatis eſt principium, quo operationis; ratione diuinitatis, ſeu ſuppoſiti eſt radix valoris, ſeu meriti, & ipſummet ſuppoſitum eſt principium, quod, iuxta ſententiam multorũ Doctorum. Vide Vaſquez, Suarez, Bellarminum, & Tannerum locis cit.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO VIGESIMA.

De Sacerdotio Chriſti.

IN hac Quæſtione explicabo primò, An Chriſtus verè, & propriè fuerit Sacerdos, & Sacrificium. Secundò, Secundum quam naturam fuerit Sacerdos. Tertiò, An Sacerdotium Chriſti fuerit eiuſdem rationis cum alijs Sacerdotijs. Quartò, An Chriſtus dicẽdus ſit Sacerdos ſecundũ ordinem Melchiſedech. Quintò, An ſacrificium Chriſti fuerit propitiatorium, ſatisfactorium, & impetratorium.

Punctum Primum.

An Chriſtus verè, & propriè fuerit Sacerdos, & Sacrificium.

1 *Chriſtus verè fuit Sacerdos.*
2 *Chriſtus non ſolum fuit Sacerdos, verum etiam Sacrificium.*

PRimo loco explicabo, an Chriſtus fuerit Sacerdos. Secundò, an Chriſtus fuerit Sacerdos, & ſacrificium.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus verè, ac propriè fuit Sacerdos. Ratio eſt primò, quia ita expreſsè habetur in ſcriptura, Hebreor. 5. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* & cap. 7. *Hic autem, eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium*, & alibi. Secundò, quia ita definitum eſt in Concilio Tridentino ſeſſ. 22. canon. 1. & 2. & in nonnullis alijs Concilijs, idemque communiter à Patribus ſuſtinetur. Tertiò, quia officium Sacerdotis eſt offerre ſacrificium Deo; Sed Chriſtus obtulit ſacrificium Deo; nam in vltima Cęna conſecrauit panem in corpus, & vinum in ſanguinem ſuum, illaq; Deo obtulit. Præterea in ara Crucis obtulit ſe ipsũ pro ſalute generis humani, & quotidiè ſe ipſum offert in Miſſæ ſacrificio, præuio Sacerdotum miniſterio; præcipuus enim Sacerdos eſt Chriſtus, cuius vices gerit Sacerdos.

Obijcies primò, ſi Chriſtus dicendus eſt Sacerdos, maximè quia in ara Crucis ſacrificauit ſe ipſum tanquam verus Sacerdos; ſed tunc non poteſt dici ſacrificaſſe ſe ipſum tanquam verus Sacerdos, cum de ratione ſacrificij ſit, vt ſit actio ſacra exterior, qua aliquid Deo offertur in recognitionem ſupremæ excellentiæ cum aliqua immutatione rei oblatæ

 Chri-

Digitized by Google

Chriſtus autem nullam immutationem per ſe ipſum exercuit in ſe ipsũ in ara Crucis. Non enim ſe ipsũ interfecit, nec quicquam ſacrum in ſe ipſum in Cruce exercuit. Ergo Chriſtus nõ eſt verè, & propriè Sacerdos.

Reſp. Chriſtum in ara Crucis fuiſſe verum Sacerdotem, non quia ſe ipſum occiderit, aut ad ſui mortẽ cooperatus ſit; hoc enim ab ipſo factum non fuit; ſed quia ſe ipſum Deo obtulit, Ioan. 17. *Pro eis ego ſanctifico me ipſum*, ideſt offero in Sacrificium, & hoſtiam, vt explicant Cyrillus, Rubertus, S. Thomas, & alij apud Suarez d. 46. ſect. 1. col. 2. Neq; de ratione ſacrificij eſt, vt actio immutatiuà phyſica fiat ab ipſo ſacrificãte, ſed vt hoſtia aſſumatur ab ipſo Sacerdote, & in ſacrificium offeratur, licet actio immutatiua ab alio fiat, vt alias contingebat, dum hoſtia igni conſumenda tradebatur. Chriſtus ergo non ſe ipſum interfecit; ſed ſe ipſum interficiendũ tradidit, ſeq; Deo obtulit voluntariè ſuſcipiens mortem, quam illi iniquè inferebant.

Obijcies ſecundò, omnes Martyres obtulerunt ſe Deo; ſed oblatio Martyrum non fuit ſacrificium, ergo neq; oblatio Chriſti fuit ſacrificiũ.

Reſp. Martyres impropriè obtuliſſe ſe Deo per modum ſacrificij. Tum quia ipſi non erant cõſtituti Sacerdotes. Tum quia de ratione ſacrificij eſt, vt immoletur hoſtia in recognitionem, & conteſtationem ſupremi Dominij Dei. Tum quia mors aliter fuit voluntaria Chriſto, & aliter Martyribus; nam Martyribus voluntaria fuit ſolum per modum acceptationis; Chriſto verò voluntaria fuit etiam per modum oblationis; martyres enim non poterant ſua voluntate, & poteſtate mortem impedire, & vitam tueri; Chriſtus autẽ poterat ſua virtute vitam tueri, & impedire Iudæos ne mortẽ inferrent, cũ omnes Iudæi, audita ſola Chriſti voce *Abierint retrorſum, & ceciderint in terram*, Ioan. 18. Vide Suar. d. 46. ſect. 1. col. 2. verſ. dices ergo.

Obijcies tertiò, ſi Chriſtus fuit Sacerdos, ſequitur ipſum obtuliſſe ſacrificium ſibi ipſi; nã ſacrificiũ offertur Deo ſecundum ſe, non verò vt eſt hæc, vel illa perſona; quæ autem Deo vniuerſim ſecundum ſe cõueniunt, cõmunia ſunt omnibus perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis.

Reſp. Chriſtũ obtuliſſe ſacrificiũ ſibi tanquam Deo; nam eadem perſona Chriſti, vt ſubſiſtens in *humana* natura, potuit ſibi vt *ſubſiſtenti* in diuina natura ſacrificium offerre.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 CHriſtus nõ ſolum fuit Sacerdos, verum etiam fuit *Sacrificium*. Ratio eſt, quia ipſe fuit offerens, & res oblata, Epheſ. 5. *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis*. Hebreor. 7. *Hoc enim fecit ſemel ſe ipſum offerendo*, & cap. 9. *Qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit*, & ca 10. *Sanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel.* Ita communiter Patres, apud Vaſquez diſp. 83. c. 5. num. 31. Idemque definitum eſt in Epiſtola Concilij Alexandrini, quæ eſt decima in ordine apud Cyrillum.

Obijcies, Sacerdos, & ſacrificium inter ſe diſtinguuntur; ſed Chriſtus non diſtinguebatur à ſe ipſo. Ergo

go Chriſtus non poterat eſſe Sacerdos, & ſacrificium.

Reſpondeo, non opus eſſe, vniuerſaliter loquendo, vt Sacerdos, & ſacrificium, ſeu vt offerens, & res oblata diſtinguantur inter ſe realiter; ſed ſufficit, vt formaliter, & ratione diſtinguantur; Chriſtus autem vt Sacerdos diſtinguebatur formaliter, & ratione à ſe ipſo, vt ſacrificio; Chriſtus enim fuit Sacerdos, quatenus ſe ipſum obtulit morti, illamq; ſponte acceptauit ad proteſtandam ſupremam Dei excellentiam; fuit verò ſacrificium, quatenus illatam ſibi mortem ſuſtinuit, vt bene Tannerus quæſt. 7. dub. 3. num. 43. & alij communiter.

Punctum Secundum.

Secundum quam naturam Chriſtus fuerit Sacerdos.

1 *Chriſtus non fuit Sacerdos ſecundũ naturam diuinam, ſed ſecundum humanam.*

2 *Chriſtus dicitur penetraſſe cęlos, vt homo.*

Dvplex natura in Chriſto reperitur, diuina, & humana. In hoc puncto quæritur, an Chriſtus fuerit Sacerdos ſecundum naturam diuinam, an potius ſecundum humanã.

VNICA PROPOSITIO.

1 Chriſtus non fuit Sacerdos ſecundum naturam diuinam, ſeu vt Deus; ſed ſecundum humanã, ſeu vt homo, ſeu in natura humana. Ratio eſt, quia functio Sacerdotis nõ potuit conuenire Chriſto ſecundum naturam diuinam; oblatio enim, ſeu ſacrificatio fit à perſona inferiore ad proteſtandam excellentiam ſuperioris; Chriſtus autem ſecundum naturam diuinam nõ eſt inferior reliquis perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis. Ita S. Ambroſius lib. 3. de fide cap. 5. S. Auguſtinus lib. 10. de Ciuitate cap. 20. S. Thom. 3. p. q. 22. art. 3. Suarez diſp. 46. ſect. 2. Bellarminus lib. 5. de Chriſto cap. 3. Vaſquez diſp. 83. ca. 3. nu. 21. vbi etiam addit Chriſtum vocari poſſe Sacerdotem, vt Deus homo eſt, ſeu vt homo Deus, quatenus valor ſacrificij pendet à perſona Verbi ſacrificium ipſum dignificante. Becanus cap. 22. num. 3. Tanner. d. 1. q. 7. dub. 3. num. 46. Valentia d. 1. quæſt. 22. puncto 4. & alij communiter.

Obiicies, Apoſtolus Hębr. cap. 4. loquens de Chriſto Sacerdote, ait, *Habemus Pontificem magnum, qui penetrauit cęlos*, & cap. 7. ait, *Sine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia*; ſed penetrare cælos, & eſſe ſine Patre, & Matre non conuenit Chriſto, vt homini, ſed potius, vt Deo, & homini; nam vt Deus, caret Matre, vt homo, caret Patre. Ergo Chriſtus non fuit Sacerdos, vt homo, ſed vt Deus, & homo ſimul, ideſt ſecundum diuinitatem, & humanitatem ſimul.

2 Reſpondeo, Chriſtum penetraſſe cęlos, vt hominem, quia penetratio arguit motum, qui non conuenit Deo; virtus verò penetrandi pendet à Deo, conſequenter Chriſtus ſecundum humanitatem penetrauit

cęlos, accepta à Deo virtute penetrandi; non tamen hinc ſequitur Chriſtum fuiſſe Sacerdotem ſecundum diuinitatem, & humanitatem ſimul, ſicut neq; id ſequitur, etiamſi Chriſtus dicatur eſſe ſine Patre, & Matre, quatenus Deus, & homo.

Punctum Tertium.

An Sacerdotium Chriſti fuerit eiuſdem rationis cum Sacerdotio legis naturalis, antiquæ, aut nouæ.

1 *Sacerdotium Chriſti non fuit eiuſdem rationis cum Sacerdotio legis naturæ.*

2 *Sacerdotium Chriſti nõ eſt eiuſdem rationis cum Sacerdotio legis antiquæ.*

3 *Sacerdotium Chriſti non fuit omninò eiuſdem rationis cum Sacerdotio legis nouę.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 SAcerdotium Chriſti non eſt eiuſdem rationis cum Sacerdotio legis naturæ. Ratio eſt, quia Sacerdotiũ legis naturę erat ſolũ ordinis naturalis; Sacerdotiũ verò Chriſti eſt altioris ordinis, altiorẽ habet originem, excellentiori gaudet poteſtate, maioresq; producere poteſt effectus. Ergo ſacerdotium Chriſti non eſt eiuſdem rationis cum ſacerdotio legis naturę. Vide Suarez diſp. 46. ſect. 3. concluſ. 3.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 SAcerdotium Chriſti non eſt eiuſdem rationis cum ſacerdotio legis antiquę. Ratio eſt primò, quia ſacrificia antiquæ legis erant figura ſacerdotij Chriſti, & nouæ legis. Secundò, quia Chriſtus fuit infinitæ dignitatis, maiorem habuit poteſtatem Sacerdotio antiquæ legis; & perfectiorem habuit finẽ, nempè redemptionem totius generis humani. Ergo Sacerdotiũ Chriſti fuit perfectius, & excellentius Sacerdotio antiquæ legis; hæc ratio accomodari etiam poteſt primæ propoſitioni. Ita Suar. loco cit. Becan. ca. 22. n. 6. Tannerus q. 7. dub. 3. n. 50. & alij.

TERTIA PROPOSITIO.

3 SAcerdotium Chriſti non fuit omnino eiuſdẽ rationis cum Sacerdotio nouæ legis ab ipſo Chriſto inſtituto; probatur, tum ex ſecunda ratione ſecundę propoſitionis. Tũ quia Sacerdotiũ Chriſti ad duplex ſacrificium, cruentum videlicet, & incruentũ peragendum referebatur; Sacerdotium verò nouæ legis refertur ſolum ad ſacrificiũ incruentum efficiendum. Ita Suarez loco citato, Tannerus, & alij.

Punctum Quartum.

An, & cur Chriſtus dicatur Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech; & An dici poſſit ſacerdos ſecundum Aaron, ſeu Aronicus.

1 *Chriſtus vocatur Sacerdos ſecundũ ordinẽ Melchiſedech; & hoc multis de cauſis.*

2 *Chriſtus vocatur Sacerdos ſecũdum ordi-*

ordinem Melchiſedech, Solum quo ad ſacrificium incruentum.

3 *Chriſtus non vocatur Sacerdos Aronicus, ſeu ſecundum ordinẽ Aaron.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus vocatur Sacerdos ſecundum Melchiſedech, Pſa. 109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Ratio autem, cur hoc nomine vocetur, eſt, primò, quia Melchiſedech obtulit panem, & vinũ domino, Geneſis 14. *In figuram carnis, & ſanguinis Chriſti, quæ Chriſtus obtulit ſub ſpecie panis, & vini*. Secundò, Melchiſedech Latino nomine vertitur Rex iuſtitiæ; ſolus autẽ Chriſtus eſt verus Rex iuſtitię eſſentialiter vt Deus, & ſecundario vt homo; ipſe enim iudicabit populos in iuſtitia. Tertiò, quia Melchiſedech fuit Rex Salem, idest, Rex pacis; Chriſtus autem fuit vera pax noſtra; nam *Per ſanguinem ſuum pacificauit, quæ in cęlis, & quæ in terra ſunt* 1. Epheſ. 2. Quartò, quia Melchiſedech introducitur ſine patre, & ſine matre, non quia verè non habuerit patrem, & matrem; (fuit .n. verus homo, & purus homo vt colligitur, tum ex Geneſi cap. 14. vbi vocatur Salem, & Sacerdos Dei Altiſſimi, & dicitur exiuiſſe obuiam Abrahæ, & obtuliſſe panem, & vinũ, & accepiſſe decimas ab Abraham; hæc autem non conueniunt, niſi vero homini; Tum quia natura humana nulli perſonæ diuinæ vnita fuit ante Incarnationẽ diuini Verbi. Hanc Melchiſedech aliqui putãt fuiſſe vnum ex Chananeis Virum iuſtum, & ſanctum. Alij fuiſſe Sem primogenitum Noe; vt pluribus proſequitur Suarez diſp. 46. ſect. 4.) ſed quia ſcriptura mentionem non facit patris, & matris ipſius; Chriſtus autẽ dicitur eſſe ſine Patre, & Matre, quia vt Deus caret Matre, vt homo caret Patre. Quintò, introducitur Melchiſedech, neque initium dierum, neque finem vitæ habens; Chriſtus autem neq; initium habuit quoad diuinitatem, neq; finem quoad Sacerdotium; Sacerdotium enim Chriſti durat in æternum, quia illi non ſucceſſit aliud Sacerdotium. Tũ quia Sacerdotes à Chriſto inſtituti incruentam hoſtiam ad finem vſque Mundi Deo offerent; æternũ .n. dicitur ẽt id quod licet perpetuo duraturum non ſit, durabit tamen ad finem vſque Mundi. Tum quia Sacerdotium Chriſti duraturũ eſt in æternum quoad effectum, ideſt gratiam, & gloriam. Tũ quia Chriſtus etiam in Eccleſia triumphante Sacerdotis officium exercebit per æternã commemorationem, & gratiarum actionem. Vide Suar. q. 22. in comment. art. 5. & diſp. 46. ſect. 4. & Vaſquez d. 85. c. 1. & 2. & d. 86. c. 1. & ſeqq.

2 Quæres, Vtrum Chriſtus dici poſſit Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, non ſolum quo ad ſacrificium incruentum, vt dictum eſt, verum etiã quoad ſacrificium cruentum in cruce peractum.

Reſpondeo, dici Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, ſolum quoad ſacrificium incruentum. Ratio eſt, quia Chriſtus dicitur Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, quia ſacrificiũ obtulit iuxta ritum, & morem Melchiſedech; (nã

illa verba *Secundum ordinẽ* ex Hębraica, & Græca lingua in latinā tranſlata ſignificant morem, ritum, & inſtitutum) ſed ritus, & mos ſacrificij Melchiſedech conſiſtebat in oblatione panis, & vini, quo ſignificatur incruentum, non autem cruentum Chriſti ſacrificium. Ergo Chriſtus dici debet ſacerdos ſecundũ ordinem Melchiſedech quoad ſacrificium incruentum, non autem quo ad cruentum; ita Salmeron. diſp. 16. in Epiſtola ad Hebreos, Suarez de Incarnat. diſp. 46. ſect. 4. Ribera in cap. 7. ad Hebreos num. 58. Bellarminus lib. 1. de Chriſto cap. 6. Tannerus quæſt. 7. dub. 3. num. 55. & alij communiter contra Henriquez lib. 9. cap. 3. num. 7. Vaſquez d. 86. cap. 2. num. 12. & alios.

Obijcies, ſacrificiũ Melchiſedech fuit vmbra, & figura ſacrificij cruenti Chriſti. Ergo Chriſtus dici poteſt ſacerdos ſecundum ordinẽ Melchiſedech, etiam quo ad ſacrificium cruentum.

Reſpondeo negando conſequentiam; nā Chriſtus vocatur ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, non quia ſacrificium Melchiſedech fuerit figura ſacrificij cruenti Chriſti (alioquin Chriſtus vocari deberet ſacerdos etiam ſecundum ordinem Abelis, Abrahę, Aronis, & aliorum quorum ſacrificia fuerunt vmbra, & figura ſacrificij cruẽti à Chriſto peracti in Cruce) ſed quia Melchiſedech ſacrificiũ offerebat Deo in pane, & vino, ſub quorum ſpeciebus Chriſtus confert corpus, & ſanguinem ſuum.

Obijcies ſecundò, Apoſtolus in Epiſtola ad Hębreos ſępius vocat Chriſtum Sacerdotem ſecũdum ordinem Melchiſedech; & tamen nunquam ibi mentionem facit ſacrificij incruenti Chriſti, ſed tantummodo cruenti. Ergo Chriſtus potius dicendus videtur Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech ratione ſacrificij cruenti, quam incruenti.

Reſpondeo negando conſequentiam; Apoſtolus enim non explicat, in quonam conſiſtat Sacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech. Tum quia id parum ad rem faciebat. Tum quia ſupponebat notum, & perſpectum fidelibus, nec tamen ait Chriſtum vocari Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ratione ſacrificij cruenti, licet illius ſępius meminerit, eo quod peractum fuerit ab eo, qui erat Sacerdos ſecũdum ordinẽ *Melchiſedech*. Aliam expoſitionem affert Suarez ſect. 4. verſ. ad interrogationem.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Chriſtus vocari non poteſt Sacerdos Aronicus, ſeu ſecundum Aaron, ſeu ſecundum ordinem Aaronis. Ratio eſt primò, quia id habetur Hębreor. 7. Secundò, quia Sacerdotalis poteſtas non poterat tranſmitti, niſi ad deſcendentes ex familia Aaronis, aut Leui; Chriſtus autem, ſaltem ſecundum lineam paternam Beatiſſimæ Matris ſuę Marię Virginis non deſcendebat ex familia Aaron, aut Leui, ſed ex tribu Iuda, vt apertè tradit Apoſtolus Hębreor. 7. & patet ex dictis diſp. 1. quæſt. 1. pun. 2. Ita communiter Doctores.

Obijcies, Chriſtus ideo vocatur Sacerdos ſecundum ordinem Melchi-

chiſedech; quia Melchiſedech obtulit panem, & vinum; ſed etiam Aaron hæc obtulit. Ergo Chriſtus vocari poteſt Sacerdos ſecundum ordinem Aaron.

Reſpondeo panem, & vinum in Sacerdotio Aaronis nunquam ſeparatim oblatum fuiſſe, ſed ſolum veluti partem quandam, & quaſi condimentum alterius ſacrificij, vt conſtat Exodi 29. & Numer. 28.

Punctum Quintum.

An ſacrificium Chriſti cruentum fuerit propitiatorium, alioſque effectus habuerit.

1 *Sacrificium Chriſti cruentum fuit propitiatorium.*
2 *Sacrificium Chriſti non fuit propitiatorium reſpectu ipſius Chriſti.*

HIc nõ loquor de Sacrificio Chriſti incruẽto, quo ſe ipſum Deo in vltima cęna obtulit; conſtat enim fuiſſe infiniti valoris, & meriti, quatenus morte cruenta conſumandum, & complendum erat, vt patet ex ſupradictis de merito Chriſti; ſed loquor de ſacrificio ipſo cruento.

VNICA PROPOSITIO.

1 SAcrificium Chriſti cruentum fuit propitiatoriũ. Ratio eſt, primò, quia reliquæ operationes Chriſti fuerunt infiniti meriti, & ſatisfactionis. Ergo multo magis ſacrificium Chriſti cruentũ, in quo Chriſti charitas, & amor erga nos maximè eluxit, iuxta illud, *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam panat quis pro amicis ſuis*. Secundò, promiſſio retributionis, & præmij facta fuerat Chriſto dependenter à morte, vt ſupra probatum eſt. Ergo ſacrificiũ Chriſti cruentũ fuit propitiatoriũ pro peccatis humani generis. Tertiò, quia ita expreſſe habetur in ſcriptura, Hębreor. 9. *Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quãto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti?* Addo mortem Chriſti, ſeu ſacrificium cruẽtum non ſolum fuiſſe propitiatorium, verum etiam impetratorium, & ſatiſfactorium; Deus enim omnia cum ipſo nobis promiſſa donauit. Ita communiter Doctores cum S. Thoma quæſt. 22. art. 3.

Obijcies, Chriſtus nullum habuit reatum. Ergo ſacrificium ipſius cruentum non fuit propitiatorium; propitiatio enim ſupponit peccatum.

Confirmatur ex Apoſtolo Hębr. 7. *Talis enim decebat, vt nobis eſſet Pontifex, Sanctus, Innocens, Impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cęlis factus, qui non habet neceſſitatẽ quotidiè, quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi*.

2 Reſpondeo, Sacrificium Chriſti non fuiſſe propitiatorium reſpectu ipſius Chriſti, cum nullius peccati capax eſſet, ſed reſpectu noſtrum. An autem fuerit impetratoriũ alicuius præmij etiam reſpectu Chriſti; reſpondetur affirmatiuè, vt patet ex ſupra

pra dictis de merito Christi, & benè docet S. Thomas quæſt. 22. art. 4. Vaſquez diſp. 84. cap. 2. Tannerus loco citato.

An autem, & quomodo Miſſæ ſacrificium ſit propitiatorum, & alios fructus afferat, patet ex dictis de Sacrificio Miſſæ.

QVÆSTIO
VIGESIMA PRIMA.
De Christo Propheta, & Doctore.

Punctum Primum.

An Chriſtus Propheta fuerit.

1 *Chriſtus Propheta fuit.*

2 *Prophetæ extiterunt etiam poſt Ioannem Baptiſtam.*

VNICA PROPOSITIO.

1 Chriſtus Propheta fuit. Probatur primò ex ſcriptura, Deut. 18. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius, &c.* Hunc autem Prophetam fuiſſe Chriſtum teſtatur S. Petrus Actor. 3. *Moyſes quidem dixit, quoniam prophetam ſuſcitabit vobis Dominus. &c. Et omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps, qui locuti ſunt, annunciauerunt dies iſtos.*

Probatur ſecundò ratione deſumpta ab officio Prophetarum; officiũ enim Prophetarum eſt primò, docere, & inſtruere populum; Chriſtus autem docuit, & inſtruxit populum, Matth. 26. *Quotidiè apud vos ſedebam docens in templo.* & Ioann. 15. *Vos vocatis me Magiſter, & Dominus, & benè dicitis, ſum etenim.* Secundò, redarguere delinquentes, vt patet exemplo Natan, qui redarguit Dauidem ob adulterium, & homicidium; Chriſtus autẽ redarguit Phariſcos, Matth. 15. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Tertiò, prædicere futura, vt patet in Prophetis antiquæ legis, qui aduentum Chriſti, & alia redemptionis noſtræ myſteria prædixerunt; Chriſtus autem multa futura prædixit, vt Mortem, Paſſionem, Reſurrectionem, Aſcenſionem, deſtructionem Templi Hieroſolimitani, excidium Vrbis Hieruſalem, perfidiam Hæreticorum, conuerſionem gentium, negationem Petri, proditionem Iudæ, martyrium Apoſtolorum, & alia. Quartò, intimas hominum cogitationes cognoſcere, vt patet in Samuele ſciente, quæ in animo Saulis latebãt. 1. Reg. 9. & in aliјs Prophetis; Chriſtus autẽ ſecretas cordis cogitationes percipio-

piebat, Matth. 9. *Cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit, vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* & Lucæ 6. *Ipſe verò ſciebat cogitationes eorum.* Ita S. Thomas q. 7. art. 8. Suar. ibid. diſp. 21. ſect. 1. Valentia q. 22. pun. 5. Becanus cap. 23. Vaſq. q. 7. d. 44. artic. 8.

Obijcies primò, de ratione prophetiæ eſt, vt futura, quæ prædicũtur euentura, obſcurè cognoſcantur; ſed Chriſtus clarè cognoſcebat omnia per viſionem beatificam, vel per ſcientiam infuſam. Ergo, &c.

Reſpondeo negando maiorem, vt patet ex ſupra dictis de virtutibus Chriſti.

Obijcies ſecundò, Propheta eſt minor Angelis; Sed Chriſtus non eſt minoratus ab Angelis. Ergo Chriſtus non fuit Propheta.

Reſpondeo cum S. Thoma loco citato ad 3. Angelum eſſe ſuperiorem Propheta, quia Angelus eſt cõprehenſor, & Propheta viator; non tamen fuit ſuperior Chriſto, quia Chriſtus non ſolum erat viator, verum etiam comprehenſor.

Obijcies tertiò, nullus Propheta extitit poſt Ioannem Baptiſtã. Matt. 11. *Omnes Prophetæ, & lex vſque ad Ioãnem prophetauerunt.* Ergo Chriſtus non fuit Propheta.

2 Reſpondeo negando, nullum Prophetam extitiſſe poſt Ioannem Baptiſtam, aut poſt Chriſti aduentum; nam Ioannes Euangeliſta plurima prædixit in Apocalipſi, S. Paulus nonnulla prænunciauit futura, vt coniectionem in vincula, Actor. 28. & ereptionem à maris tempeſtate, Act. 27. & Philippus Diaconus nonnullas filias prophetantes habebat, Act. 21. locus ille Matth. 11. intelligitur de Prophetis veteris teſtamenti, quibus datum erat, vt futurum Chriſti aduentum prædicerent; Ioannes verò cœpit annunciare Chriſtum præſentem. Vide Becanum cap. 23. num. 12.

Punctum Secundum.

An Chriſtus fuerit Doctor.

1 *Chriſtus verè fuit Doctor.*
2 *Chriſtus docuit myſteria diuina.*
3 *Chriſtus docere cœpit anno trigeſimo.*
4 *Libros vllos Chriſtus non ſcripſit.*

VNICA PROPOSITIO.

1 Chriſtus verè fuit Doctor. Ratio eſt, quia ipſe maximè functus fuit munere docendi, Iſaiæ 53. *Teſtem populis dedi eum ducem, ac præceptorem gentibus*, & Ioa. 13. *Vos vocatis me magiſter, & Dominus, & benè dicitis, ſum etenim*; & Matth. 26. *Quotidiè apud vos ſedebam docens in tẽplo.* Vide Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 30. ſect. 1. Valentiam loco proximè citando.

2 Quæres primò, quidnam Chriſtus docuerit.

Reſpondeo, Chriſtum nõ docuiſſe ſcientias naturales, ſed myſteria diuina; *erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſei*, Matth. 7. Addo Chriſtum non ſolum docuiſſe verbo, verum etiam exemplo, Ioann. 13. *Exemplum enim dedi vobis*, & Act. 1. *Cœpit Ieſus facere, & docere.*

3 Quæres ſecundò, quandonam Chriſtus cœperit docere.

Reſ-

Reſpondent S. Thomas q. 39. art. 3. & Valentia q. 22. pun. 8. incępiſſe anno 30. ſed de hac re infra diſp. 3. q. 1. pun. 7. vbi ex profeſſo loquar de prædicatione Chriſti.

4 An autem Chriſtus vllos libros ſcripſerit.

Reſpondent aliqui affirmatiuè; ſed negatiua ſententia nobis ſuſtinēda eſt cum Gelaſio Papa cap. Sancta Romana 15. diſt. vbi reijciuntur libri, qui à Chriſto conſcripti circumferebantur. Vide quæ infra tradam de prædeſtinatione Chriſti.

QVÆSTIO
VIGESIMA SECVNDA.
De Chriſto Rege.

IN hac Quæſtione non quærimus, An Chriſtus ratione diuinitatis habuerit ſupremum, & vniuerſale Dominiũ in omnia; cum enim eſſet verus Deus, non potuit hoc ei dominium denegari. Sed hoc in loco explicandum eſt, Vtrum Chriſtus ſecundum humanitatem habuerit dominium creatum in totum orbem; & primo quidē dubium eſſe poteſt de dominio ſpirituali. Secundò, de temporali.

Punctum Primum.

Vtrum Chriſtus ſecundum humanitatem habuerit dominium ſpirituale in omnes creaturas, ita vt Rex, & Monarcha ipſarum iure merito vocari poſſit.

1 *Chriſtus habuit dominium ſpirituale in omnes creaturas.*

2 *Dominio ſpirituali quandonam vſus fuerit Chriſtus.*

Bon. de Incarnat.

VNICA PROPOSITIO.

1 CHriſtus ampliſſimum habuit ſpirituale dominium in omnes creaturas tam cęleſtes, quam ſublunares, & terreſtres, ita vt illis vti poſſet ad finem ſpiritualem, quoties ei viſum fuiſſet. Probatur primò, ex ſcriptura Pſal. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Syon montem ſanctum eius prædicans præceptum eius*. Zachariæ 9. *Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus, & Saluator*, Iſaiæ 9. *Factus eſt principatus ſuper humerum eius, &*

vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis. Danielis 7. *Dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum,* & infra, *& regnum eius, quod non corrũpetur.* Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cęlo, & in terra,* Ioann. 18. *Tu dicis, quia Rex ſum ego.* 1. Corint. 15. *Omnia ſubiecit ſub pedibus eius; cum autem dicat omnia ſubiecta ſunt ei, ſine dubio pręter eum, qui ſubiecit ei omnia.* 1. Thimot. 6. *Beatus, & ſolus potens, Rex regum, & Dominus dominantium* Apocalipſ. 1. *Princeps Regum terræ,* cap. 17. *Rex Regum,* & cap. 19. *Habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium.* Secundo quia Chriſtus ratione vnionis hypoſtaticæ erat infinitæ dignitatis, & cum eſſet caput totius Eccleſiæ, & perfectus Redemptor, ſumma poteſtate potiri debebat, vt capitis partes, & perfecti redemptoris officiũ ritè obire poſſet. Tertiò, quia Chriſtus leges toti mundo præſcripſit; id autem fieri non potuit ſine poteſtate, & iuriſdictione. Ita communiter Doctores.

Obijcies, Chriſtus nunquam vſus eſt huiuſmodi poteſtate: Ergo non videtur ei data hæc poteſtas, nam Deus, & natura nihil faciũt fruſtra.

2 Reſpondeo, Chriſtum hac poteſtate ſępius vſum fuiſſe, vt quando leges toti mundo præſcripſit, quando Sacramenta inſtituit, quãdo Apoſtolos ad prædicandum Euangelium per totum terrarũ orbem miſit; eandem poteſtatem in extremo iudicij die exercebit, dum vnicuique iuxta ſua opera reddet.

Punctum Secundum.

An Chriſtus fuerit Rex temporalis, ſeu an temporale dominium in totum terrarum Orbem habuerit.

1 *Chriſtus ſecundum humanitatẽ non fuit Rex temporalis in hac vita.*
2 *Chriſtus dominium habuit aliquarum rerum.*
3 *Chriſtus indirectè habuit dominium in omnes res creatas.*
4 *Dominium quandonam collatũ fuerit Chriſto.*
5 *Dominium Chriſti diſtinctum erat à Sacerdotali dignitate.*
6 *Papa an dominium habeat in totum Orbem remiſſiuè.*

Primò quæram, an habuerit directum dominium. Secundò, indirectum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Chriſtus ſecundum humanitatem non fuit Rex temporalis in hac vita, ſeu non habuit vniuerſaliter directum dominium humanum, & ciuile. Ratio eſt primò, quia licet Deus potuerit humanitati Chriſti hanc poteſtatem conferre, vt nemine contradicente obſeruat Sotus in 4. diſt. 25. quæſt. 2. art. 1. re tamen ipſa non contulit. Tum quia neceſſarium non erat ad redemptionem, & ſalutem hominum, ob quam Chriſtus homo factus fuit, cum .n. Chriſtus dominium ſpirituale haberet, poterat illa omnia ſtatuere, etiam circa res temporales, quæ ad redemptionem, & ſalutem hominũ conducunt. Tum quia id non conue-

nie-

Digitized by Google

niebat fini redemptionis, & ſalutis, ſed potius oppoſitum, vt nobis ad terrena maximè propenſis exemplũ perfectæ paupertatis, & humilitatis præberetur. Secundò, quia ſequeretur Chriſtum ſuo aduentu priuaſſe Reges Regno, dominio, & proprietate, quod eſt falſum, & illi Eccleſię cantico directè aduerſum, *Non eripit mortalia, qui Regna dat cœleſtia*. Tertiò, quia Chriſtus, aut habuit vniuerſale dominium temporale iure hęreditario, aut titulo electionis, aut titulo iuſti belli, aut titulo donationis; nullo autem ex præfatis titulo dominium vniuerſale habuit; & quidem non habuit iure hęreditario, tum quia Dauid, à quo originem ducebat, nunquam fuit Rex totius Orbis. Tum quia etiãſi Dauid fuiſſet Rex totius Orbis, nihilominus alij fortè ſupererãt ex eadem ſtirpe ſeniores, & Dauidi proximiores, ad quos Regnum iure hęreditario pertinuiſſet. Tum quia ſtirps Dauidis poteſtatem regiam amiſerat ante Chriſti aduentum; Iechonias enim illa potitus non fuit, iuxta illud, quod prædictum fuerat Ieremiæ 22. ibi *Viuo Ego, dicit Dominus, quia ſi fuerit Iechonias filius Ioachim Regis Iuda anulus in manu dextera mea, inde euellam eum*, (& infra) *Hæc dicit Dominus, ſcribe virum iſtum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur, neque enim erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſoliũ Dauid, & poteſtatem habeat vltra in Iuda*. Vide Suarez d. 48. ſect. 1. Valentiam, & alios Doctores infra citandos. Præterea Chriſtus non habuit temporale dominium titulo electionis. Tũ quia electio eſt quid facti, quod non præſumitur, niſi probetur. Tum quia Chriſtus huiuſmodi electionẽ non accepiſſet, ſed potius reſpuiſſet, & repudiaſſet, vt patet Ioan. 6. vbi cum cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus. Neque obſtat popularis illa electio, qua Chriſtus conclamatus fuit Rex. Tum quia acceptata non fuit à Chriſto, vt probatum eſt. Tum quia fuit particularis, & tumultuaria, non legitima, & vniuerſalis; pręſertim cũ Romani tũc temporis eſſent legitimi Iudęorum Domini, vt benè Sotus lib. 4. de iuſtitia q. 4. ar. 2. & alij. Item Chriſtus non acquiſiuit vniuerſale dominium iure belli, quia Chriſtus nullum temporale, & politicum bellum geſſit; ſed ſolum ſpirituale cum antiquo ſerpente, vt illum foras è cordibus hominum eijceret, Ioan. 12. Denique illud non acquiſiuit titulo donationis, quia de hac non cõſtat. Quartò, quia ex multis ſcripturæ locis conſtat Chriſtum nõ habuiſſe temporale dominium; ſed potius verè pauperem fuiſſe, Pſa. 39. *Ego aũt mendicus ſũ, & pauper*. Pſ. 68. *Ego ſum pauper, & dolens*; Pſal. 108. *Libera me, quia egenus, & pauper ego ſũ*, Zachar. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus, & ſaluator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinã &c.* & 2. Corint. 8. *Propter vos egenus factus eſt, cũ eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis*. Ob id Athanaſius lib. de hum. nat. *Optimè*, ait, *inopiam in ſe ſuſcepit, vt nobis opulentiam ſuam largiretur*. Lucæ 12. *Quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos?* & Ioann. 18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo. Si ex hoc mundo*

eſſet Regnum meum, miniſtri mei vtiq; decertarent, vt non traderer Iudæis, nunc autem regnum meum non eſt hinc. Ita Toletus in cap. 18. Ioann. annotatione 25. Abulenſis cap. 21. in Matt. quæſt. 3. Bellarm. lib. 5. de Pontifice cap. 4. & 5. Becanus de Incarnat. cap. 24. num. 5. Valentia tom. 4. d. 1. quæſt. 22. pun. 6. Tanner. tom. 4. diſp. 1. quæſt. 7. dub. 4. num. 69. & ſeqq. & quamplures alij contra Ludouicum Molinam tom. 1. de iuſt. diſp. 28. Suarez 3. par. diſp. 48. ſect. 2. Hoſtienſem, Turrecrematam, Durandum, Nauarum, & alios aſſerentes Chriſtũ habuiſſe vniuerſale dominium tẽporale in vniuerſum Orbem in actu primo: ſed rationes noſtræ probant ipſum non habuiſſe dominium tam in actu primo, quam in actu ſecundo, contra Armacanum lib. 4. quæſt. Armen. cap. 16. Baconium in 4. quæſt. 1. & quæſt. 11. art. 3. Paulũ Burgenſem in cap. 1. Matt. aſſerentes Chriſtum fuiſſe Regem iure hæreditario; & contra Vaſquez diſp. 87. cap. 4. num. 31. & alios aſſerentes Chriſtum fuiſſe Regem, & Dominum omnium ratione vnionis hypoſtaticæ, quamuis hac poteſtate, & dominio nunquam vſus fuerit.

Obijcies primò, Pater tradidit, & communicauit omnia Chriſto, Matt. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cęlo, & in terra.* Ioann. 13. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus,* & Hebræo. *Quem conſtituit hæredem vniuerſorum.* Ergo Chriſtus eſt communis omniũ rerum Dominus.

Reſpondeo primò, Chriſto ſecundum humanitatem non fuiſſe communicatam immediatè præfatã poteſtatem; omnipotentia enim eſt attributum diuinum; nullum autem attributum diuinum immediatè cõmunicatũ fuit humanitati; ſed ſolũ mediatè mediante hypoſtaſi, in qua omnia ſunt, vt patet ex ſupradictis.

Reſpondet ſecũdò, Hyeronimus, Anſelmus, & alij, nomine omnis poteſtatis, eo loci intelligi poteſtatem ſpiritualem neceſſariam ad gubernandam ſpiritualiter omnem Eccleſiam, tam cęleſtem, quã terreſtrem, cuius caput, & Rex eſt Chriſtus Dominus. Hinc patet quomodo reſpondendum ſit ad alia multa Sacrę Scripturæ loca, quibus indicatur dominium, & regnum Chriſti; illa enim non intelliguntur de temporali, ſed de ſpirituali dominio.

Obijcies ſecundò, Chriſtus Matt. 8. *Miſit Dęmones in gregem porcorum abſque iniuria eorum, qui dominium in ipſos habebant,* & Matth. 21. *Maledixit ficulneæ, & aruit,* & Ioann. 2. *Eiecit de templo ementes, & vendentes;* ſed Chriſtus hæc facere non potuiſſet ſine iniuria dominorum, niſi dominiũ in res illas habuiſſet. Ergo Chriſtus dominium temporale habuit.

Reſponderi poteſt primò, Chriſtũ id feciſſe non tanquam hominem præciſè, ſed vt hominem Deum. Secundò, id feciſſe per potentiam ſpirituale, cui quaſi indirectè, & conſecutiuè adnexa erat potentia temporalis inſeruiens ſpirituali ad faciendum quicquid inſeruit fini ſpirituali, vt dicetur in ſecũda propoſitione. Alias reſponſiones affert Gregorius de Valentia diſp. 1. quæſt. 22. pun. 6. col. 12. verſ. 4. caput.

Obijcies tertiò, Chriſtus, vt homo, erat filius naturalis, & hæres vniuerſorum. Ergo competebat ipſi domi-

Digitized by Google

minium politicum, & ciuile.

Reſpondeo, etiamſi admittamus Chriſtum, vt hominem, aliqua ratione dici poſſe filium naturalem ratione hypoſtaſis, ſeu vnionis hypoſtaticæ, vt ſupradictum fuit, non tamen hinc ſequitur ipſum ſecundum humanitatem habuiſſe dominium temporale in totum Orbem.

Dices cum Vaſquez, & alijs, huiuſmodi dominium, & poteſtas debebatur Chriſto ratione vnionis, nã humanitas ratione vnionis facta fuit infinitæ dignitatis, & ab omnibus Regibus adoranda erat, vtpotè quaſi deificata, & ad ſuperiorem ſtatum euecta.

Reſpondeo, negando huiuſmodi dominiũ ei fuiſſe ratione vnionis, niſi mediatè, & indirectè in ordine ad finem ſpirituale, & humanitas Chriſti adoranda erat adoratione latriæ, non ratione dominij temporalis, ſed ratione vnionis hypoſtaticæ cũ perſona Verbi.

Obijcies quartò, Chriſtus nulli politicæ poteſtati ſubiectus erat, iuxta illud Matth. 17. *Ergo liberi ſunt filij*. Ergo Chriſtus politicum in alios dominium habebat.

Reſpondeo negando conſequentiam, aliud enim eſt non eſſe ſubiectum alteri, aliud dominium in alios habere.

Obijcies quintò, paupertas Chriſti magis commendaretur, ſi admittamus ipſum habuiſſe dominium rerum, & nihilominus ijs vſum non fuiſſe. Ergo Chriſtus habuit dominium rerum omnium.

Reſpondeo negando antecedens; maior .n. eſt perfectio paupertatis carere dominio, & vſu, quã ſolo vſu.

2 Quæres, Vtrum Chriſtus habuerit ſaltem dominium aliquarum rerum.

Reſpondeo affirmatiuè, ut patet, tum ex loculis, quorum curam Iudas habebat, Ioannis cap. 12. & 13. tum Extrauag. inter nonnullos, & quia quorundam, de verb. ſignif. vbi habetur, Chriſtum, & Apoſtolos habuiſſe ſolum paucarum rerum dominium. Ita Bellarm. l. 4. de Sum. Pont. c. 14. Suar. 3. par. tom. 2. d. 28. ſect. 2. Tannerus tom. 4. diſp. 1. q. 7. dub. 4. num. 70. & alij.

Obijcies, Nicolaus Tertius in cap. exijt, de verbor. ſignificat. in 6. *ait*, Chriſtum nihil proprij habuiſſe, neque in communi, neque in ſpeciali.

Reſpondeo, Nicolaum non aſſerere Chriſtũ nihil ſimpliciter *habuiſſe*; ſed aliquãdo nihil *habuiſſe*, *quod* verum eſſe potuit, ſaltem dum veſtibus ſpoliatus in cruce pendebat, & illarum veſtium dominium militibus ceſſerat. Ita præcitati Doctores.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 CHriſtus indirectè habuit dominium in omnes res creatas, & in omnia regna mundi, quo dominio vti poterat, quoties ei opportunum videbatur ad finem ſpiritualem. Probatur primò ex rationibus in primo pũcto allatis ad oſtẽdendum Chriſtum habere ampliſſimum dominium ſpirituale in omnes res creatas; ad exercendum enim liberè dominium ſpirituale opus erat, vt dominio ſpirituali Chriſti *ſecundario*, & quaſi per accidens *connecteretur* facultas circa temporalia. Secundò, quia Chriſtus etiam ſecundum

dum

Digitized by Google

dum humanitatem erat infinitæ dignitatis ratione vnionis hypoſtaticæ, & infinitè ſuperabat omnes Reges terræ, & cum eſſet perfectus Redemptor, & mediator, ea poteſtas illi cōcedenda erat, quæ ad officium perfecti redemptoris, & mediatoris cōducit. Tertiò, quia Chriſtus hac poteſtate vſus eſt, dum porcos in mare miſit, dum ficulneam exareſcere fecit, & ſimilia præſtitit, quæ dominiū ſaltem indirectum arguunt in creaturas. Voco autem dominium indirectum, quia illud conceſſum fuit Chriſto, non per ſe, & directè, ſed indirectè, & quaſi per accidens, quatenus ſcilicet Chriſto conducebat in ordine ad finē ſpiritualem. Ita Bellarm. Valentia, Tanner. & alij locis cit.

4 Quæres primò, quandonā hoc dominium, ſeu poteſtas collata fuerit Chriſto.

Reſpondeo, collatam fuiſſe ab inſtanti Conceptionis. Ratio eſt, tum quia præfata poteſtas debita quodāmodo erat Chriſto ratione vnionis, ſeu finis, ob quem Incarnatio facta fuerat. Ergo par fuit, vt initio Incarnationis conferretur. Tum quia perſpicuum eſt hanc poteſtatem Chriſto tributam fuiſſe ante mortem; nā Ioann. 13. dicitur, *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*; cum ergo ex ſcriptura, vel traditione non conſtet hanc poteſtatem aliō tempore Chriſto tributam fuiſſe, dicendum eſt datā ei fuiſſe ab inſtanti Conceptionis, cum tunc facta fuerit vnio, ratione cuius præfata poteſtas Chriſto quodāmodo debita erat. Ita Suar. d. 48. ſect. 2. col. 4. verſ. quæres, Tanner. lo. cit. num. 81. & alij, contra nonnullos alios aſſerentes hanc poteſtatē Chriſto collatā fuiſſe poſt Reſurrectionē.

Obijcies, Matth. vlt. dicitur *Data eſt mihi omnis poteſtas*, & Roman. 14. *In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, vt & viuorum, & mortuorum dominetur*; ſed hæc verba dicta fuerūt de Chriſto poſt ipſius Reſurrectionem. Ergo Chriſtus dominiū, & poteſtatē accepit poſt Reſurrectionē.

Reſpondeo, Chriſtum in Reſurrectione accepiſſe perfectum vſum ſui regni, & dominij, quia poſt mortem amplius ſubiectus non erat naturalibus vitæ noſtræ miſerijs, & hoſtium infeſtationibus.

5 Quæres ſecūdò, an dominium, ſeu poteſtas, qua Chriſtus in omnes creaturas gaudebat, diſtincta eſſet à Sacerdotali dignitate, & poteſtate.

Reſpondeo affirmatiuè; quia diuerſa erat vtriuſque dignitatis, & poteſtatis functio; nam Sacerdotalis dignitas propriè, & præcisè dirigebatur ad offerendum ſacrificiū, & preces Deo, iuxta naturam ſacrificij; dominium verò latius patebat, ſeque extendebat ad omne officium, & iuriſdictionem erga ſubditos, vt benè Valentia q. 22. pun. 6. col. 13. in reſponſione ad 3. & Tanner. loco cit. num. 80.

6 Quæres tertiò, Vtrùm Summus Pontifex dominium habeat ſaltem indirectum in totum Orbem, quod Chriſtus habebat.

Reſp., me de hac re ſatis egiſſe in expoſitione Bullæ Cœnæ, ad quā Lectorem, ne idem fruſtra repetam, remitto. Vide Vaſquez diſp. 87. cap. 5. Suarez diſp. 48. Valentiam tome 3. q. 12. de fide, & alios quos in præfata Bulla adduxi.

QVÆSTIO VIGESIMA TERTIA.

De Chriſto Legiſlatore, & Iudice.

DVo in hac Quæſtione breuiter explicabo. Primò, An Chriſtus fuerit Legiſlator. Secundò, An fuerit, vel futurus ſit Iudex.

Punctum Primum.

An Chriſtus fuerit Legislator.

1 *Chriſtus verè fuit Legislator.*
2 *Legibus humanis Chriſtus ſubiectus non fuit.*

VNICA PROPOSITIO.

1 CHriſtus verè, & propriè fuit Legislator. Probatur primo ex ſcriptura, Iſaiæ 13. *Dominus Iudex noſter, Dominus Legifer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſaluabit nos*, Matth. 28. *Docete eos ſeruare omnia, quæcũque mandaui vobis*, Ioan. 14. *Mandata mea ſeruate*, Corinth. 9. *In lege eſſem Chriſti*. Secundò, quia Chriſtus fuit rex ſpiritualis, & ſpirituale dominium habuit in totam Eccleſiam. Ergo potuit leges condere obligantes totam Eccleſiam. Tertiò, quia Chriſtus præcepit fidem multorum articulorum, quorum expreſſa cognitio à ſingulis antea non requirebatur, Matth. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui non crediderit, condemnabitur*. Ioan. 8. *Si nõ credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro*. Præterea Chriſtus imperauit vſum Sacramentorum, quorum ipſe authot fuit, Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poterit introire in Regnum Dei*, & Ioannis 6. *Niſi manducaueritis carnem Filij Hominis, non habebitis vitam in vobis*. Denique Chriſtus indiſſolubilitatem Matrimonij iniunxit, & repudij libellũ vetuit, Matt. 19. Quartò, quia, ita definitum eſt in Concilio Trid. ſeſſ. 6. canon. 21. Idemque ſuſtinetur à Patribus, quos citat, & ſequitur Valentia to. 4. d. 1. q. 22. pun. 2. Suarez diſp. 47. ſect. 2. Becanus cap. 25. num. 2. & ſeqq. & alij contra Luterum, & alios Hæreticos.

2 Ex dictis ſequitur, Chriſtũ nullis humanis legibus ſubiectũ fuiſſe; cum enim ipſe ſupremus eſſet poſt Deum Legiſlator, & Dominus, non poterat vlli creaturarum Legi ſubijci, vt ſuperius oſtenſum eſt dum loqueretur de ſubiectione Chriſti.

Digitized by Google

Punctum Secundum.

De Chriſto Iudice.

1 *Chriſtus in primò Aduentu non fuit Iudex.*
2 *Iudicium vniuerſale in fine mundi exercendum eſt à Chriſto.*
3 *Chriſtus particulare Iudicium exercet in morte cuiuſque.*

DE Iudicio à Chriſto exercendo plura differã Diſp.3.dũ loquar de extremo Iudicio. Hic ſolũ breuiter agendũ eſt primò, Vtrum Chriſtus in primo Aduentu fuerit Iudex. Secundò, An futurus ſit Iudex in vniuerſali Iudicio ſub mundi finem peragendo. Tertiò, An hoc munere fungatur in morte vniuſcuiuſque faciendo iudicium particulare.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus in primo Aduentu nõ fuit Iudex, ideſt non venit in Mundum, vt eo tempore iudicium exerceret; nam Ioannis 2. dicitur, *Non miſit Deus Filium ſuum, vt iudicet Mundum, ſed vt ſaluetur Mundus per ipſum.* Quo in loco ſermo tantum eſt de primo Aduentu, vt benè obſeruant Chriſoſtomus homil. 27. in Ioannem,& alij Doctores Catholici cõmuniter. Vide infra dicenda d.2.dũ loquar de extremo Iudicio.

Ex quo patet Lutherum iniquè calumniari Catholicos, ac ſi ipſi ſentirent Chriſtum in primo Aduentu veniſſe tanquam Iudicem.

Obijcies, qui non credit in Chriſtum, iam iudicatus eſt. Ioannis 3. *Qui credit in eum non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus eſt;* ſed ab alio non videtur iudicatus, quam à Chriſto. Ergo Chriſtus exercuit iudicium;conſequenter munere iudicis in primo aduentu functus fuiſſe videtur.

Reſp. illum, qui non credit, aut Deum offendit, dici iam iudicatum, non iudicio, & ſententia Iudicis,ſed iudicio legis: cũ enim ſententia iudicis ferenda ſit iuxta trangreſſionẽ, vel obſeruationem legis, ſequitur illum,qui deliquit,videri iudicatum in actu primo,ſeu iudicio legis,cuius tranſgreſſio continet reatum, & obligationem ad pœnam, cui Iudex in particulari, & vniuerſali iudicio delinquentem perenniter torquendum adijciet.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 PErſpicuum eſt de fide,Chriſtũ ſub Mundi finẽ exerciturum vniuerſale iudicium. Probatur primò ex Symbolo Apoſtolorum, *Inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos.* Secundò,Iſaiæ 3. *Dominus ad iudicandum veniet cum ſenibus populi ſui, & Principibus eius*, & Matth. 25. *Cum venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem Maieſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem.* Vide S. Thomam 3.p.q.59.art.5.

TERTIA PROPOSITIO.

3 CHriſtus particulare iudicium exercet in morte vniuſcuiuſque; probatur primò ex ſcriptura, *Facilè eſt Domino in die obitus retribuere*, Eccleſiaſt. 11. *Conſtitutum eſt* ho-

Digitized by Google

hominibus ſemel mori; poſt hoc autem iudicium, Hebreor. 13. Secundò, quia de fide eſt, & in Concilio Florentino definitum, animam à corpore ſeparatam ſtatim in cęlum euolare, ſi nulla peccatorum labe infecta eſt, aut in Infernum ſtatim tranſmitti, ſi mortali peccato obſtricta tenetur; id autem non ſit ſine præuio iudicio Chriſti, licet non ita ſolemni, ſicut fiet in extremo Iudicij die. Ita communiter Patres, & Doctores. Vide infra dicenda d. 3. dum fuſius agam de Iudicio.

QVÆSTIO VIGESIMA QVARTA.

De Antichriſto.

PRæmitto primò, Antichriſti nomen ſignificare Hoſtem, ſeu Aduerſarium Chriſti. Secundò, nomen Antichriſti ex Auguſtino lib. 2. contra aduerſarium legis ca. 12. & alijs, dupliciter accipi. Primò, pro quolibet Chriſti Aduerſario, cuiuſmodi ſunt omnes Hæretici, iuxta illud 1. Ioannis 2. *Nunc Antichriſti multi facti ſunt*, id eſt Hæretici ſentientes contra Chriſtum, de quibus ſubiungit Apoſtolus, *Ex nobis prodierunt, ſed nõ erant ex nobis.* & 1. Io. 4 *Omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & nunc iam in Mundo eſt*. Secundò, accipitur pro ſpeciali, primario, & principali Chriſti Aduerſario in Scripturis prænunciato, quem alij Antichriſti præfigurant, & præcurrunt. De hoc loquitur Apoſtol. 2. Theſſal. 2. *Niſi reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus.* His poſitis duo in hac Quęſt. explicabo. Primò, Vtrum Antichriſtus, ſpecialis, & primarius Chriſti hoſtis, adhuc venerit. Secundò, An Papa ſit Antichriſtus; multi enim Hæretici non verentur dicere, Papam eſſe Antichriſtum, vt defectionem ſuam à Catholica fide tegere poſſint prætextu defectionis ab Antichriſto.

Digitized by Google

Punctum Primum.

Vtrum Antichriſtus adhuc venerit.

1 *Antichriſtus nondum venit.*
2 *Antichriſti quinam ſint præter primarium Chriſti hoſtem.*

VNICA PROPOSITIO.

1 Antichriſtus nondum venit. Ratio eſt primò, quia ante aduentum Antichriſti prædicabitur Euãgelium per totum Orbem. Matth. 24. *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo Orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſumatio*; ſed Euangelium nondum prædicatum fuit in toto Orbe, cum multi adhuc inueniantur populi, ad quos Euangelium nondum peruenit, vt hiſtorici Indiarum fatentur. Ergo.

Secundò, quia Antichriſtus non veniet, niſi poſt euerſionem, & deſtructionem Romani Imperij, vt patet, tum ex Daniele c. 7. tum ex 2. Teſſal. 2. vbi dicitur, *Niſi venerit diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo peccati*; ſubintellige, non veniet dies Iudicij. Tum ex traditione Eccleſiæ. Tum ex antiquis Patribus tam Græcis, quam Latinis, Cyrillo Catecheſi 15. Hieronimo quæſt. 1. ad Algaſiam, Chriſoſtom. homil. 4. in 2. Theſſal. & alijs, quos citat, & ſequitur Bellarminus lib. 3. de Roman. Pontific. ca. 5. Tannerus tom. 3. diſp. 1. quæſt. 4. dub. 5. num. 186. Becanus de Incarnat. cap. 27. n. 2. ſed Romanum Imperium nondum euerſum, & deſolatum fuit, vt per ſe patet; nam adhuc feliciter viget ſub Auguſtiſſimo Ferdinandi Secũdi nomine; & licet aliquibus calamitatibus, & anguſtijs aliquando ſubiectum fuerit Romanũm Imperium, vt quando Goti Romam depopulati ſunt, aut quando Imperiũ deſtructum fuit in Oriente per Turchas, & reſtauratum in Occidente, nondum tamen euerſum, & deſtructum fuit.

Tertiò, quia tempore Antichriſti venient duo teſtes, ideſt Henoc, & Helias, iuxta plurimorum Patrum ſententiam, quam pluribus proſequitur Suarez cap. 12. & 13. vel vt alij volunt Moiſes, & Helias, Apocalipſ. 11. *Qui prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis, habebunt poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum, & poteſtatem conuertendi aquas in ſanguinem, & abſoluta prædicatione occidentur ab Antichriſto, & eorum corpora Hieroſolimis inſepulta iacebunt tribus diebus cum dimidio, quibus elapſis reuiuiſcent, & coram populo cęlum conſcendent; magnus ſubſequetur terręmotus, quo decima pars Ciuitatis cadet, & ſeptẽ millia hominum interficientur*; ſed pręfati duo teſtes nondum venerunt, nec præfata ſigna hactenus viſa ſunt. Ergo Antichriſtus nondum venit. Ita cõmuniter Doctores Catholici contra Luterum, & alios Hęreticos.

Obijcies, 1. Ioann. 2. dicitur, *Filioli, nouiſſima hora eſt, & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt*, & 1. Ioan. 4. dicitur, *Hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & nunc iam in mundo eſt*, & 2. Theſſ. 2. *Miſterium iam*

iam operatur iniquitatis. Ergo Antichriſtus venit.

2 Reſpondeo, præfata loca non intelligi de Antichriſto primario, & præcipuo Chriſti aduerſario, alioquin dicendum eſſet ipſum veniſſe à tempore Apoſtolorum, quod Hæretici ipſi non admittunt, & valde diſſentiunt circa tempus aduentus Antichriſti; ſed intelliguntur de hæreticis, & alijs Eccleſiæ perſecutoribus, qui à tẽpore Apoſtolorum cœperunt, & fuerunt typus, & figura Antichriſti, & ipſius præcurſores, quod etiam de Nerone aſſeritur à S. Paulo 2. Theſſal. 2. Vide Suarez in tract. de fidei defenſione lib. 5. cap. 10. & 3. par. tom. 2. diſp. 54. ſect. 2. ad finem, Tannerum tom. 4. diſp. 2. quæſt. 4. dub. 1. Becanum loco citato.

Punctum Secundum.

An Romanus Pontifex ſit Antichriſtus.

1 *Papa non eſt Antichriſtus.*
2 *Antichriſtus ſedebit in templo Dei Hieroſolimæ, non Romæ.*

VNICA PROPOSITIO.

1 Romanus Pontifex non eſt Antichriſtus, vt temerè aſſerunt Hæretici Catholicæ religionis hoſtes. Probatur primò, quia Antichriſtus nondum venit, vt probatum eſt puncto præcedenti; neque venturus eſt, niſi deſtructo Romano Imperio; Romanus autem Pontifex pridem venit florente Romano Imperio. Secũdò, quia Antichriſtus naſcetur ex Iudæorum ſtirpe, & ab ipſis pro Meſſia recipietur, Io. 5. *Ego veni in nomine Patris, & non accipitis me, ſi alius venerit in nomine ſuo* (nempè Antichriſtus, qui ſuo nomine veniet) *Illum recipietis*; ſed nullus Romanorum Pontificum adhuc fuit Iudæus, vel à Iudæis receptus pro Meſſia. Ergo Romanus Põtifex non eſt Antichriſtus. Tertiò, quia Antichriſtus regnabit, ſaltem quo ad perſecutionem, ſolum tribus annis cum dimidio Daniel. 7. & Apocalipſ. 12. *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, vbi prophetica phraſi tempus in ſingulari prolatum, ſignificat vnum annum, tempora duos annos, & dimidium temporis dimidiam anni partem, vt omnes Patres exponunt, & colligitur ex eodẽ Daniele, & Apocalipſis 11. *Menſibus quadraginta duobus*, & infra, *Diebus mille ducentis*; Summus autem Pontifex multis annis in ſæculo regnauit, & regnat. Vide Suar. 3. par. tom. 2. diſp. 54. ſect. 2. & loco proximè citando cap. 9. Pererium li. 15. in Danielem §. cęterum. Quartò, quia Antichriſtus faciet ignem de Cęlo deſcendere, Apocalipſ. 13. *Et fecit ſigna magna, vt etiam ignem faceret de Cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum*; ſed ſummus Pontifex non fecit ignem de Cęlo deſcendere in terram in cõſpectu hominum. Ergo non eſt Antichriſtus. Quintò, quia Antichriſtus vẽdicabit ſe pro Deo, 2. Theſſal. 2. *Aduerſabitur, & extolletur ſuper omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus*; Romanus, autem Pontifex id non facit, ſed ſolum exhibet

ſe

ſe tanquam viſibile caput Eccleſiæ à Chriſto inſtitutum, vt re ipſa eſt. Sextò, quia Eccleſia Catholica cognoſcit Romanum Pontificem tanquam caput, & Paſtorem ſuum, non tanquam Antichriſtum. Ergo Romanus Pontifex non eſt Antichriſtus; Eccleſia enim errare non poteſt in fide, vt docui in bulla cænæ. Septimò, quia ſi Romanus Pontifex eſt Antichriſtus, ſequitur Francos olim accepiſſe Imperium ab Antichriſto, & modo Germanos accipere Imperium ab Antichriſto, & Antichriſtum Germanis Principibus facultatem, & formam Imperatoris eligendi tradidiſſe; cõſequenter nullum hactenus legitimum Imperatorem in Germania extitiſſe. Ita Bellarminus lib. 3. de Pontifice, Tannerus tom. 3. lib. 1. de fide quæſt. 4. dub. 5. Becanus de Incarnat. c. 27. Valentia tom. 4. diſp. 11. q. 2. pun. 2. §. 1. Suarez in lib. de fidei defenſione lib. 5. cap. 2. & ſequentibus.

Obijcies, Antichriſtus ſedebit in templo Dei; Papa autem ſedet Romæ in Eccleſia Chriſti. Ergo Papa eſt Antichriſtus.

2 Reſpondeo primò, Antichriſtum ſeſſurum in templo Dei Hieroſolimæ, non autem Romæ; ſicut .n. ibi interfecturos eſt duos Prophetas, ita etiam ibi ſedebit, reſtaurato ibi templo ad abominationem, & impietatem exercendam, vt colligitur ex Daniel. 9. *Erit in templo abominatio deſolationis vſque ad conſummationem, & finem*, vt pluribus Suarez cap. 16.

Reſpondeo ſecundò negando conſequentiã, quamuis enim aliqua proprietas Antichriſti in aliquo Romano Pontifice inueniretur, non tamen hinc ſequeretur ipſum eſſe Antichriſtum, nam ad oſtendendum aliquem eſſe Antichriſtum, opus eſt, vt collectio omnium ſignorum Antichriſti in ipſo aſſignetur, vt benè Suarez loco citato cap. 10. num. 8.

Obijcies ſecundò, Antichriſtus negabit Chriſtum, deficiet à fide, & falſa faciet miracula; Papa autem negat Chriſtum, quia peruertit, & corrumpit Doctrinam de Chriſto mediatore, defecit à fide quia admittit Purgatorium, inuocationem Sanctorum, & ſimilia; Denique falſa miracula facit in Æde Lauretana, & alibi.

Reſpondeo, Papam non negare Chriſtum, aut corrumpere doctrinam de Chriſto mediatore; ſed rectam doctrinam tueri; falſam verò ab hæreticis ſuſtineri, vt ſupra docui de Chriſto mediatore. Prætereà Papa non defecit à fide admittendo Purgatorium, & inuocationem Sanctorum; ſed à fide deficiunt ij, qui præfata non admittunt. Denique miracula, quæ in Domo Lauretana, & alibi fiunt, non ſunt falſa, ſed vera, neque fiunt à Papa ſed à Deo.

Obijcies tertiò, Antichriſtus imprimet ſubditis characterem, Apocalipſis 13. ſed Papa imprimit characterem, præſertim in adminiſtratione Sacramenti Confirmationis. Ergo Papa eſt Antichriſtus.

Reſpondeo, Papam non imprimere illum characterem, quem imprimet Antichriſtus; primo enim character Antichriſti debet eſſe communis omnibus; nam Apocaliſis 13. dicitur, *Faciet omnes pu-*

ſillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & ſeruos habere characterem in dextera manu ſua, aut in frontibus ſuis. Secundò, character imprimi debet in dextera manu, aut in frótib᷑, vt patet ex pręcitatis verbis. Tertiò, nullus emere, aut vendere poterit, niſi inſignitus ſit charactere, Apocalipſis 13. *Faciet ne quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius*. Cum ergo character, quem Papa imprimit, has conditiones non habeat, dicendum non eſt Papam eſſe Antichriſtum. Nonnullas alias obiectiones affert Tannerus loco citato, & Suarez loco citato capit. 3. & ſequentibus quæ apud ipſos videri poſſunt, ſicut etiam videri poteſt Valentia tom. 5. diſp. 11. quæſt. 2. puncto 2. & Suarez locis citatis.

DISPVTATIO TERTIA.

De Myſterijs Chriſti Incarnationem ſubſequentibus.

IN hac Diſputatione primo loco agemus de Natiuitate Chriſti, alijsque Chriſti Natiuitatem comitantibus. Secundò, De Circunciſione, alijsque Vitæ Chriſti Myſterijs vſque ad ipſius Paſſionem. Tertiò, De Paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti vſque ad Reſurrectionem. Quartò, De Reſurrectione Chriſti, & ipſius Aſcenſione in Cælum: Quintò, De Aduentu Chriſti ad Iudicium, alijſque Iudicium antecedentibus, & conſequentibus.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO PRIMA.

De Natiuitate Chriſti, alijſque Natiuitatem comitantibus, vel quaſi proximè ſequentibus.

DVplex Natiuitas in Chriſto ab aliquibus aſſignatur. Prima eſt in vtero Beatiſſimæ Virginis. Secunda eſt extra vterum. Prima eſt illa, per quam Chriſtus habuit eſſe per Incarnationem in vtero, præuia Conceptione: Quamquam Conceptio propriè accepta non eſt Natiuitas, ſed quid præuium Natiuitati; ſignificat enim actionem illam, per quam fœtus in vtero formatur, organizatur, & diſponitur vſque ad animationem; quo poſito infans generatur, ſeu naſcitur in vtero; in Chriſto tamen eodem tempore facta fuit Conceptio, & Natiuitas in vtero. Secunda eſt illa, per quam Chriſtus elapſis nouem menſibus vtero egreſſus eſt. De Chriſti Conceptione, & prima eius Natiuitate in vtero Beatiſs. Virg. ſatis egimus in prima, & ſecunda diſputatione. Hic modo agendum ſupereſt de ſecunda Natiuitate, de qua primò diſſeremus, An Chriſtus verè, & propriè natus fuerit ex Beatiſſima Virgine. Secundò, Vtrum Natiuitas Chriſti peracta ſit ſine dolore Matris, & ſordibus puerperij. Tertiò, quo loco, & tempore facta ſit. Quartò, quibus ſignis, & quibus perſonis manifeſtata fuerit.

Punctum Primum.

An Chriſtus verè, & propriè natus ſit ex Beatiſſima Virgine Maria.

1 *Chriſtus verè natus fuit ex Beatiſſima Virgine.*
2 *Chriſtus exijt ex vtero Beatiſſimæ Virginis ea via, qua cæteri.*
3 *Maria V. actiuè concurrit ad emittendum ex vtero Chriſtum.*

VNICA PROPOSITIO.

1 CHriſtus verè, & propriè natus eſt ex Beatiſſima Virgine. Ratio eſt primò, quia id apertè habetur in ſcriptura, Iſaiç 9. *Paruulus natus eſt nobis*, & Ioannis 18. *In hoc natus ſum.* Secundò, quia Partus, & Natiuitas correlatiua ſunt; ſed Beatiſſima Virgo dicitur peperiſſe Chriſtum, Iſaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filiũ.* Lucæ 2. *Completi ſunt dies, vt pareret, & peperit filium ſuum primogenitum.* Ergo Chriſtus verè, & propriè natus eſt ex Beatiſſima Virgine. Tertiò, quia hæc eſt traditio Eccleſiæ, ſicq; definitum fuit in Concil. Lateranen. ſub Martino 1. conſultat. 5. can. 3. & in alijs Concilijs apud Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 13. ſect. 1.

2 Hinc ſequitur primò, Chriſtum egreſſum fuiſſe ex vtero Beatiſſimæ Virginis ea via, qua cæteri homines naſcuntur. Ratio eſt, tum quia verus Partus, & vera Natiuitas poſtulat, vt infans per naturalem viam exeat, alioquin non eſſet verus Partus, & vera Natiuitas. Tũ quia ita expreſsè docent Patres, Damaſcenus lib. 4. c. 15. *Conceptio, inquit, per aurem contigit; procreatio autem per eam partem, qua fœtus in lucem oriri conſueuit.* Tum quia Chriſtus non diceretur verus Filius Beatiſſimæ Virginis, nec Beatiſſima Virgo vera Mater, niſi eſſet verus Partus, & vera Natiuitas. Tum quia veroſimile non eſt Chriſtũ tranſiſſe de extremo ad extremum ſine medio, cum id fieri nõ poſſit ſine maiori miraculo.

2 Secundò ſequitur, Beatiſſimã Virginem actiuè concurriſſe ad emittendum ex vtero Chriſtũ. Ratio eſt, tum quia ita exigit ratio, & natura Partus, & Natiuitatis; alioquin Beatiſſima Virgo non diceretur peperiſſe Chriſtum; ſed ipſum Chriſtum vel propria virtute exijſſe, ſicut exijt de Sepulchro, vel aliena virtute eductũ fuiſſe, vt benè ratiocinatur Suarez loco citato ſect. 1. ad finem. Tum quia in hoc nulla apparet difficultas, & indecentia. Tum quia ſic canit Eccleſia, *Enixa eſt puerpera Regem.*

Punctum Secundum.

Vtrum Chriſti Natiuitas peracta ſit ſine dolore Matris, & ſordibus puerperij.

1 *Natiuitas Chriſti facta fuit ſine dolore Matris.*
2 *Obſtetricum opera neceſſaria nõ fuit in Natiuitate Chriſti.*
3 *Natiuitas Chriſti facta fuit ſine ſordibus puerperij.*
4 *Secundinæ nullæ emiſſæ fuerunt in partu Beatiſſimæ Virgini.*

PRI-

Digitized by Google

PRIMA PROPOSITIO.

1 Christi Natiuitas facta fuit ſine dolore Matris. Ratio eſt primò, quia ita canit Eccleſia, *Neſciens Virgo Virum, peperit ſine dolore Saluatorem ſæculorũ*. Secundò, quia dolor partus reſpondet libidini, & voluptati conceptionis, ex Damaſceno lib. 4. de fide cap. 15. Beatiſſima autem Virgo concepit Chriſtum ſine libidine, & carnali voluptate. Tertiò, quia dolor parientis oritur ex apertione meatuum, per quos proles egreditur; Chriſtus autem egreſſus eſt ex clauſo Matris vtero nulla meatuum apertione intercedente. Quartò, quia decebat, vt Chriſtus ſuo ortu nullum Matri ſuæ incommodum afferret; ſed potius gaudium & exultationem, iuxta illud Iſaiæ 35. *Germinans germinabit ſicut lilium, & exultabit latabunda, & laudans.* Ita S. Thom. 3. p. q. 35. art. 6. Gregorius Nazianzenus, Gregorius Niſſenus, S. Aug. & alij Patres, quos citat, & ſequitur Suarez 3. p. d. 13. ſect. 2. Tannerus to. 4. diſp. 2. q. 2. dub. 2. n. 28. & Azorius 2. p. lib. 1. cap. 9. quæſito 11.

2 Hinc ſequitur, in ortu Saluatoris opus non fuiſſe operâ Obſtetricum, quæ communiter in Natiuitate adhibentur ob parientis dolorem; Virgo enim ſine dolore peperit, & ipſa Infantem ſuum pannis inuoluit, & poſuit in præſepio. Ex quo licet colligere apochryphum eſſe librum inſcriptum De Ortu Saluatoris, in quo habetur, obſtetrices occurriſſe ad Natiuitatem Chriſti. Ita S. Thomas loco citato ad 3.

Obijcies contra propoſitionem, Geneſ. 3. dicitur, *In dolore paries filios.* Ergo etiam Beatiſſima Virgo peperit cum dolore, cum ex ſcriptura non conſtet ipſam ab hoc onere exemptam fuiſſe.

Reſpondeo, illa verba intelligi de fœminis naturali via cõcipientibus; Beatiſſima autem Virgo non concepit naturali via; conſequenter ab ea lege excipi debuit, & patet ex rationibus in propoſitione allatis.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Natiuitas Chriſti ſine conſuetis puerperij ſordibus perfecta fuit. Ratio eſt primò, quia ſicut non decuit, vt Chriſtus naſcendo Matri dolorẽ afferret, ita expediẽs fuit, vt nulla corporali immunditia Matrem inquinaret. Secundò, quia ita expreſsè aſſerunt Epiphan. lib. 3. contra hæreſes, in fine, *Natus eſt*, inquit, *per genitales meatus citra pudefactionem, impollutè, abſque inquinamentis.* Sophorinus in ſua Epiſtola, Cyprianus ſerm. de Natiuit. Auguſt. lib. 29. contra Fauſtum cap. 3. & 4. & alij Patres contra Abulenſem Leuit. 12. q. 2. 3. & 4. Eraſinum Lucæ 2. & alios apud præcitatos Doctores.

4 Ex quo licet inferre, Beatiſſimã Virginem pariendo nullas ſecundinas emiſiſſe. Tum quia emiſſio ſecundinarum non fit ſine puerperij ſordibus; ſecundina enim eſt pellis illa, quæ infantem circumdat, & excrementa infantis recipit, ex communi Medicorum ſententia. Tum quia ita definitum fuit in Synodo Trullana canon. 79. illis verbis, *Abſque vllis ſecundinis.* quæ verba licet in aliquibus Codicibus non legantur, tamen in plu-

pluribus editionibus leguntur, vt in Colonienſi, Romana, & alijs, & habentur in Græco textu; & licet præfati Canones apud nullos Doctores non cenſeantur eſſe magnæ authoritatis, vt ex Baronio, & Bellarmino obſeruat Tannerus loco cit. n. 34. contra Suarez loco cit. ſect. 2. concl. 2. & alios, nihilominus in re non aduerſante ſenſui Eccleſiæ, magnam pariunt probabilitatem ob auctoritatẽ ducentorũ viginti Patrũ, à quibus præfati Canones editi fuerunt.

Obijcies, Chriſtus in uentre Matris inuolutus erat ſecundinis; ibi .n. exiſtebat naturali modo, & iuxta naturæ exigentiam. Ergo etiam è ventre prodire debuit cum ſecũdinis, & ſordibus puerperij, cum non conſtet, quid de ſecundinis, & ſordibus illis factum ſit.

Reſpondeo, probabiliter credi poſſe membranas illas cum omni ſanguine, & excrementis in ijs mẽbranis, ac ſecundinis contentis, in aliam materiam fuiſſe reſolutas, aut alio miraculoſo modo in alium conuenientem locum tanslatas; cum .n. non poſſent ex vtero Beatiſſimę Virginis exire abſque ruptione clauſtri Virginalis ſine miraculo penetrationis, vel trãſitus ab extremo in eſtremum ſine medio, credendum eſt Deum elegiſſe illud miraculũ, quod facilius erat, & magis accomodatum dignitati myſterij, vt benè ratiocinatur Suarez 3. parte tomo 2. diſput. 13. ſectione 2. verſ. alius modus.

Punctum Tertium.

Quo loco, & quo tempore facta ſit Chriſti Natiuitas.

1 *Chriſtus natus fuit in Præſepio.*
2 *Chriſtus in Natiuitate primo exceptus fuit ab Angelis, deinde traditus Beatiſsimæ Virgini.*
3 *Chriſtus in Natiuitate cur in Præſepio collocatus fuerit.*
4 *Præſepium ex qua materia conſtaret.*
5 *Chriſtus natus fuit in diuerſorio.*
6 *Diuerſorium in quo natus eſt Chriſtus quid fuerit.*
7 *Natiuitas Chriſti facta fuit in Bethlem Iudæ, & quid nomine Bethlem ſignificetur.*
8 *Natiuitas Chriſti quãdo facta fuerit.*
9 *Natiuitas Chriſti contigit ſtatim poſt mediam noctem.*

PRIMA PROPOSITIO.

CHriſtus natus eſt in Præſepio, exiſtente in diuerſorio propè Bethlem Iudæ. Hæc propoſitio tres habet partes, quarum ſingulæ ſeorſim explicandæ ſunt.

1 Prima eſt, Chriſtũ natum fuiſſe in Præſepio. Probatur ex illis Verbis, *Peperit Filium ſuum, & reclinauit eum in Præſepio.*

2 Sed modò dubium eſt primò, quiſnam fuerit locus, quem Chriſtus Vtero Virginis egreſſus primo attigit. Aliqui putant fuiſſe terram, ſeu pauimentum illius domus, in qua natus eſt. Tum quia ibi nulla aderat obſtetrix, quæ Chriſtum naſcen-

ſcentem ſuſciperet. Tum quia Chriſtus naſcendo magnum humilitatis exemplum nobis præbere voluit. Ita Azor q. 7. ex S. Brigitta lib. 7. c. 21. Alij, vt Cyprianus ſermon. de Natiuitat. & Caietanus quæſt. 35. art. 6. exiſtimant exceptum fuiſſe immediatè manibus Beatiſſimæ Virginis; id enim ſine magno incommodo, & indecentia fieri potuiſſe videtur, cum Beatiſſima Virgo ſine dolore, & ſordibus infantem in lucem ederet. Alij denique arbitrantur, Chriſtum Angelorum miniſterio exceptum fuiſſe, & in manibus Beatiſſimæ Virginis collocatum. Ita Suarez diſp. 13. ſect. 3. & alij quorum opinio mihi ſatis probabilis videtur; ſed ſecunda probabilior.

3 Secundò, Dubium eſt, cur Beatiſſima Virgo Chriſtum natum in præſepio collocauerit.

Reſpondeo, id factum fuiſſe primò, quia Beatiſſima Virgo, & Ioſeph non poterant infantem ſemper manibus contrectare, & brachijs ſuſtinere. Secundò, vt adimpleretur ſcriptura, in qua dictum fuerat apud Iſaiam, *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui*; & apud Abacuch. 3. *Conſideraui opera tua, & expaui, in medio duorum animalium cognoſceris*. Ita S. Auguſtinus orat. contra Iud. & Paganos cap. 13. S. Hyeronimus Epiſt. 27. ad Euſtoch. Azorius 2. par. lib. 1. cap. 9. quæſito 13. & alijs.

4 Tertiò, Dubium eſt, ex qua materia conſtaret illud præſepe.

Reſpondeo, ex ligno; hæc enim eſt Eccleſiæ Romanæ traditio, & hoc ligneum præſepium reperitur Romæ in Eccleſia S. Mariȩ Maioris, quæ etiam vocatur ad Præſepe, vbi hoc venerationis gratia adorādum fidelibus proponitur. Ita Suarez loc. cit. & Azor quæſito 6. quamquam Chriſoſtomus homil. 1. in Lucam exiſtimauit Præſepium fuiſſe lapideum, ſeu luteum.

5 Secunda pars propoſitionis eſt, Chriſtum natum fuiſſe in diuerſorio, ideſt in præſepio exiſtenti in diuerſo, probatur ex Lucæ 2.

6 Sed modo Dubium eſt, quid fuerit illud diuerſorium.

Reſpondent S. Hieronimus Epiſt. 27. & alij, fuiſſe diuerſorium commune intra muros Bethlehem exiſtens, ad quod aduenæ ſe recipiebant. Alij putant fuiſſe ſpeluncam quandam in ſuburbijs Bethlehem exiſtentem, ad quam tanquam ad publicum receptaculum pauperes peregrini diuertebant; cum enim tunc temporis maxima populi multitudo ad Ciuitatem Bethlehem ex Cæſaris mandato confluerct, vt deſcriberetur, veroſimile eſt diuerſoria in Vrbe adeò repleta fuiſſe, vt aditus ad ipſa pauperibus non pateret, atque adeò Beatiſſima Virgo ad præfatam ſpeluncā extra Vrbem ſe recipere coacta ſit. Hoc autem diuino conſilio factum fuiſſe cenſendum eſt, tum vt Chriſtus exemplum nobis præberet contemnendi ſæculi pompas, & inanem mundi gloriam, vt benè S. Bernardus ſerm. 3. de Natiuit. Domini. Tum vt Matris Virginitas, & excellentia Natiuitatis Chriſti celaretur; nam ſi partus propè amicos, & notos, aut in Vrbe contigiſſet, opus fuiſſet conuocare obſtetrices, & alia adhibere, quæ in partu adiberi ſolent; ſicque Virginitas,

Digitized by Google

nitas, & admirandum Natiuitatis myſterium cęlari non potuiſſet. Ita Caietanus, & Suarez locis cit. Azor 2. par. lib. 1. c. 9. quæſito 8. & alij.

Obijcies, Chriſtus dicitur natus in Bethlehem. Ergo non eſt natus in ſpelunca.

Reſpondeo nomine Ciuitatis, vel Oppidi intelligi etiam Suburbia.

7 Tertia pars propoſitionis eſt, Chriſtum natũ fuiſſe in Bethlehem Iudæ, ideſt in diuerſorio exiſtente propè mœnia Ciuitatis Bethlehem. Ratio eſt, tum quia ita prædictum fuerat à Michea Propheta cap. 5. *Ex te enim exiet dux, qui regat populũ meum Iſrael*; nomine autem ducis Iſrael hoc in loco nõ intelligitur dux temporalis, ſed ſpiritualis, vt patet ex dictis diſp. 2. quæſt. 22. Tum quia ſic teſtantur Matth. cap. 5. & Ioann. cap. 7. Hæc Ciuitas Bethlehem Iudę dicta etiam fuit Bethlehem Ephrata, & non longè aberat ab Hieruſalẽ, teſte Hieronimo de locis Hebraicis, vbi ait abſuiſſe ſex milliaribus; dicta eſt autem Bethlehem Iudæ, vt diſtingueretur ab illa Bethlehem, quæ in tribu Zabulon exiſtebat, Iſaiæ 19. in hac Ciuitate Bethlehem, quæ explicatur domus pacis, & Ephrata, ideſt fructifera, Chriſtus naſci voluit, vt indicaret ſe eſſe panem vitæ fructiferum, iuxta illud, *Ego ſum panis viuus, qui de cęlo deſcendi*, & licet hæc Ciuitas parua eſſet, & humilis quantitate loci, & ſitus Micheę 5. *Et tu Bethlehem Ephrata minima es in millibus*, nihilominus dignitate, & nobilitate ob Chriſti Natiuitatem in ea peractam fuit magna, iuxta illud Matth. 2. *Nequaquam minima es in principibus Iuda*; Chriſtus autem exiguũ, & paruum oppidum elegit, vt nobis humilitatis exemplum præberet, & confunderet fortia. Vide S. Tho. q. 35. ar. 7. ad 3. Azor. loco cit. quæſito 9. & 10.

SECVNDA PROPOSITIO.

8 NAtiuitas Chriſti facta fuit circa annum quater milleſimum ab origine Mundi, vt patet ex ſupradictis diſp. 1. quæſt. 4. pun. 1. & alibi, vbi etiam innui, qua die menſis, & hebdomadæ Chriſti Natiuitas acciderit: dixi enim contigiſſe die 25. mẽſis Decembris, & in die Dominico, ſic enim habet communis Eccleſiæ traditio, vt benè obſeruant Azorius 2. par. lib. 1. cap. 9. quæſito 1. & alij, quos loc. cit. retuli.

9 Sed modo dubiũ eſt, qua diei hora Natiuitas Chriſti contigerit.

Reſpondeo, noctu contigiſſe ſtatim poſt mediam noctem proximè antecedentem. Quod contigerit noctu colligitur ex illis verbis Lucæ c. 2. *Paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem*. Quod contigerit poſt mediam noctem antecedentem probatur, quia alioquin Chriſtus diceretur natus die vigeſima quarta. Quod contigerit ſtatim, vel non longè poſt mediam noctem, probatur. Tum quia Eccleſia ſtatim, ac elapſa eſt media nox antecedens, celebrat Miſſam, & officium reſpondens reſiduo noctis ſubſequentis, iuxta inſtitutionem Teleſphori Papæ, qui primam Miſſam Natalis Domini circa mediam Noctem celebrari inſtituit, teſte Platina in Vita ipſius Teleſphori. Tum quia ad hoc facit id, quod Eccleſia ex Sapientia 18. deſum-

ſum-

Digitized by Google

ſumpſit, & ea die canit, *Cum quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus exiliens è cælo à regalibus ſedibus venit.*

Dices, fieri poteſt, vt Chriſtus natus ſit nocte proximè ſequenti, in qua dies vigeſimus quintus terminatur; ſicut enim Chriſtus auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit in Veſperis feriæ quintæ, cuius commemorationem Eccleſia ſolemniter celebrat matutino tempore illius diei; ita fieri potuit, vt Natiuitas Chriſti contigerit appropinquante nocte diei vigeſimi quinti Decembris iam elabentis, licet celebratio ſolemnitatis incipiat ſtatim poſt mediam noctem antecedétem, in qua dies vigeſimus quintus inchoatur.

Reſpondeo, ex traditione Eccleſiæ conſtare Natiuitatem accidiſſe ea nocte, in qua dies vigeſimus quintus inchoabatur. Vide Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 13. ſect. 4. ſub finem, & Azorium 2. par. lib. 1. c. 9. quæſito 4.

Punctum Quartum.

Quibus ſignis, & quibus perſonis manifeſtata fuerit Chriſti Natiuitas.

1 *Natiuitatem Chriſti multa ſigna præceſſerunt, vel comitata fuerunt.*
2 *Natiuitas Chriſti quibuſnam manifeſtata fuerit.*
3 *Magi venerunt ab Oriente.*
4 *Stella quæ Magis apparuit qualis fuerit.*
5 *Stella ab omnibus viſa nō fuit, quia erat terræ propinqua.*
6 *Stella ſemper comitata fuit Magos.*
7 *Stella non ſemper à Magis viſa fuit.*
8 *Stella extitit in Oriente.*
9 *Stella apparuit Magis ſtatim poſt Chriſti Natiuitatem.*
10 *Magi quomodo Chriſti Natiuitatem cognouerint viſa ſtella.*
11 *Magi quo tempore ad Chriſtum peruenerint.*
12 *Biennium, ſeu bimatus occiſionis Innocentium quomodo cōputādus ſit.*
13 *Innocentium cædes cur à Deo permiſſa fuerit.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 Multa referuntur ſigna, & prodigia, quæ Chriſto naſcente contigerunt. Primum fuit deſtructio templi pacis, quod à Romanis duraturum credebatur, donec Chriſtus naſceretur. Secundum, oleum, quod Romæ eadem die, ſeu nocte, qua Chriſtus natus eſt, fluxit, vt multi teſtantur, cuius rei adhuc extat memoria in templo S. Mariæ trās Tiberim. Tertiū eſt illud, quod aliqui teſtātur tres Soles in Hiſpania apparuiſſe, paulatim in vnū coeūtes. Quartum eſt mors eorum, qui nefando Sodomiæ vitio coinquinati erant; omnes enim hoc ſcelere infectos eadem nocte obiiſſe tradit S. Bonauentura opuſ. de quinque feſtiuitatibus cap. 2. Nauar. & quamplures alij. Hac de cauſa Virgilium eadem nocte extremum vitæ ſuæ diem clauſiſſe ferunt. Quintū fuit apparitio ſtellæ, de qua loquar in dubijs explicādis poſt ſecūdam propoſitionē. Sextum fuit pax vniuerſalis, quæ

tunc

Digitized by Google

tunc in Romano Imperio extitit. Vide S. Thomam 3. par. q. 35. art. 3. S. Bonauenturam loco cit. vbi alia refert, quæ ab aliquibus Doctoribus incerta exiſtimantur, Suarez 3. par. tom. 2. d. 14. ſect. 1. & Baronium in apparatu ad Annales, Oroſiũ lib. 6. ca. 20. & ſeqq. Iuliũ Obſequentem lib. de prodigijs cap. 128. & ſeqq.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 CHriſti Natiuitas aliquibus manifeſtata fuit; ſic enim decuit, quia ſicut in detrimẽtũ fidei cedere potuiſſet, ſi manifeſtatio Natiuitatis omnibus facta fuiſſet, ita etiam ipſius occultatio detrimento eſſe potuiſſet. Hac de cauſa Deus ſuo ſapientiſſimo conſilio nonnullos elegit, quibus hoc myſterium manifeſtari voluit; ac primò quidẽ hęc manifeſtatio facta fuit tribus Paſtoribus Iudęis tunc tẽporis propè Bethlehem exiſtentibus; iſti enim audita ab Angelis Chriſti Natiuitate Chriſtum ante alios viderũt: venerũt .n., & cognouerunt de Verbo, quod dictum erat illis. Secundò, hæc manifeſtatio facta fuit tribus Magis, qui lingua Perſica intelliguntur Sapientes, & veroſimile eſt fuiſſe Aſtrologos, iuxta Anſelmum, Leonẽ Papã, Cyprianum, & alios apud Suarez ſect. 2. & apud Azorium 2. par. lib. 1. cap. 11. quæſito 2. Imò iuxta cõmunem fidelium, & Eccleſiæ ſenſũ fuerunt Reges. Quamquam non videtur improbabilis ſententia Ianſenij cap. 9. Concordiæ, & aliorũ negantium fuiſſe Reges, quia ab Euãgeliſtis non vocantur Reges; nam ſi fuiſſent Reges, apparatu regio excepti fuiſſent ab Herode; vocati autem fuerunt Reges, non quia re ipſa præditi eſſent regia dignitate, ſed quia Reges, & Principes Caldeorũ omnia faciebant iuxta ſententiam Magorum, ideſt Sapientum; ſed cõmunis ſententia præferenda eſt. Magis igitur datum fuit ſignũ Natiuitatis Chriſti præuia ſtella, qua duce ad Chriſtũ die Veneris 13. poſt Natiuitatem peruenerunt, illucque eodem, quo natus erat loco, inuenerunt, adorauerunt, & munera eidem obtulerunt tanquam Meſſiæ, & humani generis Saluatori, vt communiter docent SS. Patres teſte Suar. loco citato, & Azorio loco cit. quæſito 9. Nomina Magorũ ſunt Melchior, Gaſpar, & Balthaſar teſte Beda in Collectaneis, Azorio 2. p. lib. 1. c. 3. quæſito 4. & alijs communiter.

3 Sed modò Dubium eſt primò, Vtrum Magi ab Oriente venerint?

Reſpondet S. Thomas quæſt. 36. art. 3. veniſſe ab Oriente, vel quia venerũt ab vltimis Oriẽtis partibus, vt aliqui arbitrantur, & probari poteſt ex Pſal. 71. vbi dicitur, *Corã illo procidẽt Aethiopes*, & Pſ. 67. *Aethiopia præueniet manus eius Deo, Reges Tharſis, & Inſulæ*, vel quia venerunt ex partibus propinquis Iudęæ vergentibus ad Orientem; vel quia, vt alij volunt, venerunt ex Arabia fœlice, quæ habita ratione Ciuitatis Ieruſalem reſpiciebat Orientem plagam. Ratio eſt primò, quia ſic colligitur ex Pſal. 71. *Reges Arabum, & Saba dona adducent*, & infra, *& dabitur ei de auro Arabiæ*. Et Iſaiæ 6. *Dromedarij Madian, & Epha omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes*. Secũdò, quia Magi obtulerũt munera

Arabiæ, quæ ferax eſt auri, & Aromatum. Tertiò, quia hæc eſt ſententia multorum Patrũ, Iuſtini, Cyrilli, & aliorum, quos ſequitur Baronius anno 1. Suarez diſp. 14. ſect. 3. vbi etiam reſpondet argumentis primæ ſententiæ, Azor loco citato quæſito 6. Tannerus tom. 4. d. 2. q. 2. dub. 2. num. 37. An autem ſinguli Magi ſingula munera obtulerint, ideſt vn' aurum, alius thus, & tertius myrrhã. Reſpondẽdum probabilius videtur ſingulos omnia obtuliſſe. Tum quia ſic colligi videtur ex prçcitatis ſcripturæ verbis. Tum quia ſinguli ſuis muneribus fidem, & religionẽ ſuam in Chriſtũ profeſſi fuerunt. Ita Azorius loco cit. quæſito 10. & alij.

4 Secundò, Dubium eſt, quænã, & qualis fuerit ſtella, quæ Magis apparuit.

Reſpondeo, fuiſſe ſtellam quandam ex aere, ſeu materia elementari à Deo productam, & inſtitutam ad indicãdam Chriſti Natiuitatem, vt benè S. Thomas quæſt. 36. art. 7. Abulenſ. Matt. 2. Suarez diſp. 13. ſect. 5. Tannerus tom. 4. diſp. 2. q. 2. dub. 2. num. 39. & ſequentibus, & Azor. 2. par. lib. 1. cap. 11. quæſito 14. Ex quo ſequitur iuxta probabiliorem ſententiam, Stellam illã non fuiſſe vnam ex cęleſtibus. Tum quia non habebat motum cõtinuum, aut conſtantem, ſed diſcontinuum, & inconſtantem. Tum quia erat terrę admodum propinqua. Tum quia non ſolum noctu, verum etiam die apparebat, & tanta luce, & claritate fulgebat, vt Solis ſplendore non offunderetur, & vinceret Solis Rotã decore, ac lumine, vt canit Eccleſia. Quod ita intelligendum videtur, nõ quod lumen ſtellæ ſplendidius eſſet ſubſtantia ipſa ſolis, ſed quo ad effectum, quia hæc ſtella, non obſtante Solis lumine, videbatur, & lucem emittebat (erat .n. propinqua terræ, & cõſtabat denſa materia; quod maximè proderat, vt videretur) aut quia per modum ſigni illuminabat corda, indicãdo Saluatoris aduentũ.

5 Dices, ſi Stella illa tanti ſplendoris erat, cur viſa non fuit ab omnibus, & cur non omnes etiam in remotis regionibus exiſtentes in ſui admirationem traxit, & per totum Orbem ipſius fama percrebuit?

Reſpondeo, Stellam illam fuiſſe terræ propinquam, conſequenter videri potuiſſe ſolum ab ijs, qui in eiſdem locis reperiebantur. Ita Nicephor. lib. 1. Hiſtor. cap. 13. Suarez loco citato quæſt. 5. verſ. nihilominus, & alij.

6 Tertiò, Dubium eſt, Vtrum Stella ſẽper comitata fuerit Magos.

Reſpõdeo affirmatiuè, iuxta probabiliorem ſententiam. Ratio eſt, tum quia ſic colligitur ex eo, quod canit Eccleſia, *Ibant Magi, quam viderant, Stellam ſequentes præuiam*. Tũ quia ex Euangelio nihil in contrariũ colligitur. Tum quia hæc eſt communior antiquorum Patrum, & Doctorum ſententia, Chriſoſt. homil. 6. in Matt., Leonis Papæ ſerm. 4. Epiphaniæ, Hier. Matth. 2. S. Thomæ q. 36. art. 8. & aliorum, quos citat, & ſequitur Suarez diſp. 14. ſect. 5. col. 3. & Azo. loco cit. quæſito 16. contra Caietanum Matth. 2. Ianſenium cap. 9. Concordiæ, & alios arbitrantes Stellam ſemel tantũ viſam fuiſſe in principio, & poſtea diſparuiſſe, donec iterum ſe illis videndam præbuit,

buit, dum Magi egreſſi ſunt Ieruſalem, vt Bethlehem pergerent.

Obijcies, ſi Stella ſemper comitata fuiſſet Magos, ſemper ab eis viſa fuiſſet, conſequenter Magi non diuertiſſent à via, nec opus eis fuiſſet inquirere, vbi Chriſtus natus.

Reſpondeo, non ſemper à Magis viſam fuiſſe. Tum quia cum moueretur ab Angelo, fieri poterat, vt arbitrio Angeli occultaretur, vel vt lumen ab ea non emanaret ſuſpendente Deo concurſũ, vel vt ita eleuaretur, vt à Magis cerni non poſſet. Quamobrem veroſimile eſt ſtellam diſparuiſſe Magis appropinquantibus Ieruſalem. Ex quo factum fuit, vt Magi putauerint hunc eſſe terminum itineris, & inquirerent Chriſtũ natum, exiſtimantes Regem natum in Ciuitate Regia requirendum fuiſſe, ex Chriſoſt. homil. 6. in Mat., Cur autem Deus voluerit Chriſtum natum in Ieruſalem inquiri, & permiſerit turbationem Herodis, Videri poteſt apud S. Thomam q. 36. art. 2. apud Suarez loco citato ſect. 5. col. 4. & apud prҽcitatos Patres.

Quartò Dubium eſt, Vtrũ ſtella exiſteret in Oriente, illamque Magi in Oriente exiſtentẽ viderint, vel an ipſi in Oriẽte exiſtẽtes viderint Stellam alibi exiſtentem.

8 Reſpondeo, Stellam extitiſſe in Oriente, ſemperq; ſẽ comitatam fuiſſe Magos, illis iter demoſtrans, ſicut Populus Iſrael prҽuia columna nubis, & ignis ducebatur per deſertum. Ratio eſt, tum quia ſic apertè colligitur ex illis verbis, *Et ecce Stella quam viderant Magi in Oriente, antecedebat eos* Tum quia cum valdè propinqua eſſet terrҽ, Magi in Oriente exiſtentes illam nõ facilè videre potuiſſent. Tum quia producta fuerat gratia Magorũ. Ergo par fuit, vt prope Magos exiſteret, vt viã illis demoſtraret. Ita S. Thomas q. 36. art. 7. Suarez loco cit. col. 5. verſ. vlt. Tannerus tom. 4. d. 2. q. 2. dub. 2. n. 44. Azor. 2. p. lib. 1. cap. 11. quҽſito 12. Baronius, & alij cõtra Emanuelẽ Sà in ſuis annotat. Matth. 2.

9 Quintò Dubiũ eſt, Vtrũ Stella Magis apparuerit ante Natiuitatẽ, vel poſt Chriſti Natiuitatem.

Reſpondeo, iuxta probabiliorem ſententiam, Stellam poſt Chriſti Natiuitatem apparuiſſe Magis, qui ea viſa ſtatim iter ſuſceperũt ad Chriſtũ adorandum. Ratio eſt, tum quia ſic colligitur ex Matt. 2. vbi Magi non inquirunt de Chriſto naſcituro, ſed nato; nam per traditionem ſcire poterant Stellam à Baalamo prædictã, demonſtraturam Chriſtum non naſciturum, ſed natũ. Tũ quia ſi Stella apparuiſſet ante Chriſti aduentum, difficile cognoſcere potuiſſent, quãdonam Chriſtus naſciturus fuiſſet. Ita Leo ſerm. 1. & 2. de Epiphania, Auguſt. ſer. 4. de Epiph. S. Tho. 3. par. q. 36. art. 6. ad 3. Suarez 3. p. tom. 2. d. 14. ſect. 4. Baronius in ſuis annalibus anno 1. Tannerus loc. cit. n. 45. Azor. 2. p. lib. 1. c. 11. quҽſito 8. contra Chryſoſtomũ homil. 6. in Mat., Theophilatũ, Mat. 2. & alios arbitrantes Stellã apparuiſſe Magis biennio ante Chriſti Natiuitatem.

10 Sextò Dubium eſt, quomodo Magi viſa Stella cognouerint Chriſti Natiuitatem.

Reſpondeo, id cognouiſſe ex vaticino Baalam, cuius ipſi erãt ſucceſſores, Numeror. 24. *Orietur ſtella ex Iacob,*

Digitized by Google

ceb; & conſurget Virga de Iſrael. Propterea Magi ſumma cura, & ſollicitudine obſeruarunt, & expectarunt aduentũ illius Stellę, eaq; viſa ſtatim aggreſſi sũt iter ad quærendũ Regẽ apparitione Stellę indicatũ. Ita communiter Patres, & Doctores; ex quo patet Stellam iſtã non fuiſſe ſignũ naturale Chriſti nati, vt putarunt Petrus de Aliato q. 30. in Geneſim, Sixtus Senenſis lib. 6. Bibliot. anno 10. & alij; ſed fuiſſe ſignum à Deo inſtitutũ ad indicandam Chriſti Domini Natiuitatem, quod ſignũ Magi ex vaticino, & traditione acceperant. Vide S. Thomam 3. par. q. 36. art. 8. Azoriũ quæſito 13. & Suarez 3. par. tom. 2. d. 14. ſect. 6. qui addunt Magos ſimul cum externo ſigno Stellę accepiſſe diuinũ lumen, & internam illuſtrationem.

11 Septimò Dubiũ eſt, quo tẽpore Magi ad Chriſtum peruenerint.

Reſpondeo, Magos decima tertia die poſt Chriſti Natiuitatẽ perueniſſe ad Chriſtum adorandũ, hic .n. eſt cõmunis ſenſus Eccleſię. Addo hanc adorationẽ Magorũ factã fuiſſe die Veneris; ſic .n. neceſſario aſſerendũ eſt, poſita ſentẽtia affirmante Chriſti Natiuitatẽ cõtigiſſe die Dominica, ab ea .n. die incluſiuè vſq; ad ſecundum diẽ Veneris proximè ſequentẽ tredecim dies enumerantur.

Dices, in tom. 3. Concil. decreto 8. poſt ſextã Synodum habetur, adorationem Magorum factã fuiſſe die Dominica. Ergo facta non fuit die Veneris.

Reſpondeo, in prędicto decreto id non haberi, ſed ſolum dici apparitionem Stellę factã fuiſſe die Dominico, quod etiam ego admitto, cum Stella Magis apparuerit ſtatim poſt Chriſti Natiuitatẽ. Ita Suarez diſp. 14. ſect. 4. ad finem; Azor. 2. p. lib. 1. cap. 9. quęſito 2. ſub finẽ, & alij.

12 Octauò Dubium eſt, an computatio bimatus, ſeu biennij, intra quod Innocentes dicuntur occiſi, facienda ſit à biennio ante aduentum Magorum, ſeu apparitionem Stellę, an potius à biennio proximo ante tempus edicti ab Herode facti.

Reſpondeo, computationem faciẽdam eſſe à biennio proximo antè tempus edicti Herodiani. Ratio eſt, quia inter aduentum Magorum, & tempus edicti plures dies, & menſes interceſſerũt; prius .n. Herodes aliquibus diebus expectauit Magos. Pręterea Beatiſſima Virgo poſt Circumciſionem pręſentauit Filiũ in tẽplo; deinde Ioſeph admonitus fuit de fuga in Ægyptũ, quę omnia multorum dierum moram poſtulabant. Imò Sanctus Thomas q. 36. art. 6. ad 3. ait, Herodem poſt biennium pueros interfeciſſe. Alij dicunt Herodem interim accuſatum Romam adiuiſſe, vel aliquorum periculorum terroribus agitatum, à cura interficiendi puerum interim deſtitiſſe, vel fortè crediđiſſe Magos fallacis Stellę viſione deceptos fuiſſe, & ob id ipſos erubuiſſe ad ſe redire. Ita S. Thomas loco citato ex Auguſtino lib. de conſenſu Euangelij cap. 11. Salianus verò ex communiſſima Antiquorum Patrum, & recentiorũ Doctorum ſentẽtia, ait hoc factũ fuiſſe intra tres circiter Menſes à Chriſti Domini Natiuitate. Vide Tannerũ to. 4. d. 2. q. 2. n. 50. & q. 3. n. 137.

14 Hinc obiter Rogabis, Cur Innocẽtiũ cędes à Deo permiſſa fuerit.

Reſ-

Reſpondeo, permiſſam fuiſſe, tũ ad ipſorum commodum, & gloriã, vt martyrij palma coronarentur, tũ vt infantes infanti deſeruirent, & ipſius Natiuitatis teſtes, & præcones exiſterent. Vide S. Bern. ſer. de Innocent. S. Leonem Magnũ ſer. 2. de Epiph. Suar. d. 14. ſect. 5. ad finem, Barr. & alios Sacræ Scrip. Cõmentat. de cæde Innoc. prolixius agentes.

QVÆST. II.

De Circumciſione, alijsq́; Vitæ Chriſti Myſterijs vſque ad Paſſionem.

IN hac Quæſtione primo loco agam de Circumciſione Chriſti. Secundò, De Præſentatione Chriſti. Tertiò, De Purificatione Beatiſſimæ Virginis. Quartò, De Baptiſmo Chriſti. Quintò, De Transfiguratione Chriſti. Sextò, De ratione, & modo viuendi Chriſti. Septimò, De prædicatione Chriſti. Octauò, De miraculis Chriſti in genere.

Punctum Primum.

De Circumciſione Chriſti.

1 *Chriſtus circumciſus fuit.*
2 *Chriſtum circumcidi neceſſe nõ fuit.*
3 *Circumciſio Chriſti decens fuit.*
4 *Circumciſionis cauſa præcipua quænam fuerit.*
5 *Præputium Chriſti ſeruatum fuit à Beatiſſima Virgine.*

QVæ hic de Circumciſione diſſeri poſſent, à me iam explicata fuerunt in Tractatu de Sacramentis diſp. 1. quæſt. 1. pun. 3. §. vnico, quæ ibi videri poſſunt, ne fruſtra hic repetantur. In hoc puncto ſolum agam, an Chriſtus circũciſus fuerit, & an neceſſarium, vel decens fuerit Chriſtum circumcidi.

PRIMA PROPOSITIO.

1 DE fide certum eſt Chriſtum circumciſum fuiſſe, Lucæ 2. *Poſtquam conſumati ſunt dies octo; vt circumcideretur Puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus*, ideſt poſtquam aduenit dies octauus circumciſioni deſtinatus, & poſtquam eo die circumciſus eſt puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 NOn fuit neceſſarium Chriſtum circumcidi; fuit tamen honeſtum, & decens. Quod non fuerit neceſſarium, patet. Tum quia Chriſtus non tenebatur legem antiquam ſeruare. Tum quia circũciſio inſtituta fuerat ad delendum peccatum originale; Chriſtus aũt nullum vnquam habuit peccatum.

3 Quod verò decens, & honeſtum fuerit, probatur. Primò, quia ſicut multi alij, qui lege circumciſionis non tenebantur, licitè eam rece-

ceperunt, ita Chriſtus. Secundò, quia Chriſtus per Circumciſionem indicauit ſe veram carnem humanam aſſumpſiſſe. Quo pacto confutantur, tū Manichei aſſerentes Chriſtum habuiſſe corpus phantaſticum; Tū Apollinaris aſſerens corpus Chriſti eſſe conſubſtantiale Patri. Tum Valentinus affirmans Chriſtum de cęlo corpus attuliſſe. Tertiò, vt approbaret Circumciſionē, quā Deus olim inſtituerat. Quartò, vt oſtenderet ſe eſſe ex ſemine Abrahæ, cui datum fuerat Circumciſionis mandatum. Quintò, vt Iudæis auferretur occaſio ſcandali, aut reijciendi Chriſtum tanquam incircumciſum. Sextò, vt exemplum obedientię alijs præberet. Septimò, vt quia venerat in ſimilitudinem carnis peccati, non reſpueret remedium, quo caro peccati mundari conſueuerat. Octauò, vt legis onus ſuſtinens, alios à legis onere liberaret. Ita ferè ad verbum S. Thomas 3. par. quæſt. 37. art. 1. ſecutus Epiphanium lib. 1. hæreſi 30. Chriſoſt. homil. 38. in Acta Apoſtol. Auguſt. ſermon. 13. de tempore, quos etiam ſequitur Suarez 3. par. tom. 2. d. 5. ſect. 1. & Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 2. dub. 3. num. 53.

Obijcies primò, ſecluſo Dei pręcepto non eſt licita abſciſſio, ſeu mēbri mutilatio. Ergo Chriſtus licitè circumcidi non poterat, cum circūciſio ſit quædam membri abſciſſio, & nullum de ipſo circumcidendo præceptum ęxtaret.

Reſpondeo, abſciſſionem non eſſe licitam, niſi fiat ex præcepto, vel authoritate diuina; Circumciſio autem fiebat ſaltem authoritate Dei, ſupremum ius in vitam hominum habentis, tamquam actio ſacra, & religioſa ad diuinum cultum inſtituta.

Obijcies ſecundò, Circumciſio inſtituta fuerat tanquam ſignum fęderis inter Deum, & Abrahamum, *De Chriſto ex ſemine Abrahami naſcituro*, Geneſis 17. hæc autem ſignificatio ceſſabat in Chriſto, quia non poterat in ipſo eſſe ſignum Chriſti naſcituri, cum ipſe natus eſſet, ſicut neque in nobis huius ſigni rationem habere poteſt Circumciſio, & ob id licita nobis non eſt.

4 Reſpondeo præcipuam rationem, ob quam circumciſio inſtituta fuerat, fuiſſe ad conſignandum populum Dei, & ad homines diuino cultui deſtinandos, Geneſis 17. *Statuam pactum meum inter me, & te, vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te*; quæ ratio etiam in Chriſto militabat; aliæ verò ſignificationes, cum non eſſent in Lege expreſſę, non erāt adeò neceſſariæ, quin circumciſio fieri potuiſſet, ipſis non exiſtentibus; alioquin Paulus, qui multo tempore poſt Chriſti mortem circumcidit Thimoteum, id facere non potuiſſet, cum eius circumciſio ſignificare nō poſſet Chriſtum venturum; vt benè Suarez loco citato verſ. neq;, Tannerus loco citato num. 54. & alij.

5 Quæres, quid factum fuerit de Chriſti præputio.

Reſpōdeo, ſeruatum fuiſſe à Beatiſſima Virgine magna cum reuerentia, & veneratione; hoc enim pietati, & charitati conſentaneum fuit. Ita Suarez ſect. 1. citata ad finem, Toletus, & Tannerus, quos ſupra retuli, vbi etiam explicaui, an

præ-

præputium illud in reſurrectione reaſſumptum fuerit.

Hac occaſione agere poſſem de nomine Ieſus, in Circumciſione impoſito, ſed ne in explicatione iſtius tractatus conſuetos breuitatis meæ terminos excedere videar, remitto vos ad S. Thomam 3. par. quæſt. 37. art. 2. Azorium 2. par. lib. 1. cap. 10. quæſito 5. Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 15. ſect. 2. Baradium, & alios ſcripturę Sacrę Expoſitores.

Punctum Secundum.

De præſentatione Chriſti in Templo.

1 *Prę̨ſentationis præceptum, ſeu oblationis extabat in antiqua lege.*

2 *Chriſtus in templo præſentatus fuit.*

3 *Præſentatio, ſeu oblatio Chriſti quandonam facta fuerit.*

4 *Maria Virgo quodnam pretium obtulit ad redimẽdum filium oblatũ.*

1 PRo intelligentia huius ſacri myſterij obſeruandum eſt, mandatum fuiſſe parentibus, vt primogenitos offerrent, illoſque certo pretio redimerent. Exodi 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filijs Iſrael, tam de Hominibus, quam de Iumentis; mea enim ſunt omnia,* & infra, *Omne autem primogenitum hominis pretio redimes;* pretium autem ad redimendum primogenitum erant quinque ſicli argenti Numer. 18. verſ. 15. vbi etiam mandatur animal immundum eodẽ pretio redimi. Hoc poſito dubium eſt primò, Vtrum Chriſtus in templo præſentatus fuerit. Secundò, quo tempore præſentatus fuerit.

PRIMA PROPOSITIO.

2 CHriſtus in templo præſentatus fuit. Hæc propoſitio eſt de fide, Lucæ 2. ibi, *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius ſecundum legem Moyſi, tulerũt illum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini.* Ad probandam autem præſentationis Chriſti cõuenientiam adduci poſſunt rationes allatæ ad probandam decentiam, & honeſtatem Circumciſionis Chriſti.

Obijcies primò, præſentatio fiebat, vt primogenitus purificaretur; Chriſtus autẽ nullam habebat maculam diluendam.

Reſpondeo, præſentationem inſtitutam non fuiſſe, vt purificaretur infans; ſed vt ſpeciali ritu Deo conſecraretur in memoriam accepti beneficij, quo Deus primogenitos Ægypti interfecit, vt populum ex Ægypto educeret.

Obijcies ſecundò, Chriſtus non erat ſubditus præcepto præſentationis, tum quia generaliter loquendo non erat ſubditus legi antiquæ, vt ſuperius oſtenſum eſt diſp. 2. q. 14. Tum quia probabilius eſt Chriſtum verbis legis inducentis præceptum præſentationis comprehenſum non fuiſſe. Nam Exodi 13. dicitur, *Sanctifica omne primogenitum, quod aperit vuluam in filijs Iſrael;* aperire autem vuluam propriè ſignificat naſci more conſueto, perfectè aperiẽdo vias, & meatus generationis; hac de cauſa maſculus naſcens poſt fœminam non erat præſentandus, quia nõ aperiebat vuluam matris; ſed apertam inueniebat ex priori partu fęminæ.

Reſpondeo, Chriſtum non fuiſſe obſtrictum lege antiqua, aut lege præſentationis, nihilominus dignis de cauſis voluiſſe præſentari.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 CHriſtus oblatus fuit in templo eo tẽpore, quo facta fuit purificatio Beatiſs. Virginis. Ratio eſt, quia ante purificationem non poterant matres filios præſentare, cum ab ingreſſu templi prohiberentur. Præterea non decebat præſentationem differri. Ergo præſentatio facta fuit eo tempore, quo facta fuit purificatio, quamquam præfixus nõ erat certus dies, quo illa oblatio primogeniti facienda eſſet. Ita Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 16. ſect. 1. Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 2. dub. 3. num. 62.

4 Quod autem pretium Beatiſſima Virgo dederit ad redimendum filium oblatum, patet ex dictis in principio iſtius puncti; *Tradebatur .n. pretium ſiclorum argenti quinque pondere ſanctuarij*. Numer. 18.

Punctum Tertium.

De Purificatione Beatiſſimæ Virginis.

1 *Purificationis præceptum quodnam eſſet.*
2 *Purificationis præceptum non afficiebat Beatiſſimam Virginem.*
3 *Purificationis ritus in quonam conſiſteret.*
4 *Maria V. in purificatione obtulit id, quod ab alijs offerebatur.*
5 *Maria V. obtulit duos Turtures, vel duos pullos columbarum.*
6 *Sacrificium in Purificatione offerendum erat pro ipſa Matre.*
7 *Purificatio hoc tempore licita non eſt, quamuis Mulier quæ poſt partum reuerentiæ cauſa abſtinet ob ingreſſu Eccleſiæ, non peccet.*

1 HIc breuiter agam de purificatione: cuius præceptum licet afficeret fęminas parientes; nihilominus adimpleri conſueuerat, dum proles ad templum pręſentabatur. Vt autem hoc intelligatur, præmittendum eſt Leuit. 12. latam fuiſſe legem, qua præcipiebatur, vt mulier, quæ maſculum opera viri conceptum peperiſſet, immũda ſeptem diebus eſſet, & triginta tribus diebus in purgatione remaneret; expletis autem diebus purgationis ad tẽplum accederet, offerens agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ, ſeu turturem, aut duos turtures, vel duos pullos columbarum, ſi ob paupertatem non potuiſſet agnum offerre. Hoc poſito agendum eſt, An Beatiſſima Virgo exẽpta eſſet à lege purificationis. Secundò, quo ritu purificatio perageretur.

PRIMA PROPOSITIO.

2 BEatiſſima Virgo immunis erat à lege purificationis. Ratio eſt primò, quia lege purificationis afficiebatur ſolum mulier, quę ſuſcepto ſemine pariebat; ſic enim habetur in vulgata editione, ſicque legunt Septuaginta. Secundò, quia purificatio inſtituta erat ob immunditiam legalem, quæ inducta videba-

batur ob immunditiam puerperij,& ob peccatum; in Beatiſſima autem Virgine non aderat immunditia legalis,ſeu puerperij.Ita Origenes homil.8. in Leuit. S.Hieronimus Leuit. 12. S.Bernardus ſerm. 3. de purificat. & alij communiter, quos citat, & ſequitur Suarez 3. par. tom. 2. d. 16. ſect. 2. Tannerus loco cit. nu. 8. Azorius 2. par. lib. 1. cap. 18. quæſito 3. & alij contra Caietanum in Leuiticum, & nonnullos alios arbitrantes Beatiſſimam Virginem obligatam fuiſſe ad purificationis legem, quia falſo putant in ſcriptura legi, *Mulier, quæ ſeminificauerit, ſeu ſemen fecerit*; Beatiſſima autem Virgo ſemen fecit.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Ritus purificationis, ſeu purgationis conſiſtebat in duplici ſacrificio, ſcilicet in holocauſto, & ſacrificio pro peccato, vt colligitur ex illis Verbis Leuit. 12. *Tradet Sacerdoti qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, ſic mundabitur à profluuio ſãguinis ſui*; iſta lex eſt pariẽtis maſculum, vel fęminam, quod ſi non inuenerit manus eius, nec poterit offerre agnum, ſumat duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnum in holocauſtum, & alterum pro peccato, orabitque pro ea Sacerdos, & ſic mundabitur.

4 Quæres primò, Vtrum Beatiſſima Virgo obtulerit hæc munera in holocauſtum, & ſacrificium.

Reſpondeo affirmatiuè; nam ſic habetur Lucæ 2. *Vt darent hoſtiam, ſecundum quod dictum eſt in lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum*; Mulier enim quę Filium pariebat, tenebatur præfata offerre, & ſi Filius erat primogenitus, præter hæc, tenebatur etiam Filium offerre, & redimere, vt dictum eſt puncto præcedenti.

5 Rogabis, an Beatiſſima Virgo obtulerit Agnum cũ pullo columbæ, ſeu turture, an potius duos turtures, vel duos pullos columbarum.

Reſpondeo nõ obtuliſſe Agnum, ſed duos turtures, vel duos pullos columbarum. Ratio eſt, tum quia cum ipſa offerret verum Agnum, opus non erat, vt figuratum agnum offerret. Tum quia cum ipſa eſſet pauper, vel benè affecta erga paupertatem, & cum ipſa conſcia eſſet amoris, quo filius erga paupertatem tenebatur, voluit holocauſtum iuxta morem pauperum offerre.

An autem obtulerit turtures potius, an columbas, Euangeliſta non explicat; Euangeliſta enim ſolum voluit ſignificare nobis Virginis paupertatem, quod nobis prodeſſe poterat ad mundum deſpiciendum. Quod verò obtulerit turturem, vel pullum columbę, parum ad noſtram inſtitutionem referebat. Vide S.Thomam q. 36. art. 3. & ipſius Commentatores ibidem. Abulenſem Leuit. 13. q. 29. Suarez d. 16. ſect. 1. verſ. 4. & Azorium 2. p. lib. 1. ca. 18. quæſito 11. vbi veroſimilius ait, obtuliſſe pullos columbarum, quia hi facilius reperiri poterant.

6 Quæres ſecundò, vtrum ſacrificium, quod in lege antiqua offerri præcipiebatur pro peccato, offerendum eſſet pro filio, an pro matre.

Reſpondeo, offerendum fuiſſe pro ipſa matre. Ratio eſt, quia ſic apertè

col-

colligitur ex ipſis ſcripturæ verbis, Leuit. 12. *Et tradet Sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & ſic mundabitur à profluuio ſanguinis ſui*, & infra, *Orabitque pro ea Sacerdos, & ſic mundabitur*, videlicet ab immunditia legali. Interim enim prohibebatur tangere aliquid ſanctum. Ita Abul. Leuit. 12. q. 23. & 30. Lyranus, & Caiet. ibid. Tanner. loco cit. num. 68. Azorius 2. par. lib. 1. c. 18 quæſito 8. & alij contra S. Thomam q. 37. art. 3. & alios arbitrantes ſacrificium offerendum fuiſſe ad expiandum aliquod peccatum prolis, & contra Suarez 3. p. d. 16. ſect. 1. exiſtimantem ſacrificium offerendũ fuiſſe pro infãte, & pro matre ſimul.

Obijcies primò, Leuit. 12. ſignificari videtur ſacrificium offerendum fuiſſe pro ipſo infante; nam dicitur, *Cumque expleti fuerint dies Purificationis ſuæ pro filio, ſiue pro filia, defferet agnum anniculum, &c.*

Reſpondeo illa verba, *Pro filio, ſiue pro filia*, non coniungi cum verbo *Defferet*, ſed cum verbis antecedentibus; hic enim eſt ſenſus, Defferet agnũ anniculũ, cũ expleti fuerĩt dies purgationis pro filio, ſiue pro filia.

Obijcies ſecundò, Lucæ 2. dicitur *Cum inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo*, vbi notanda ſunt illa verba, *Facerent pro eo*; id autem, quod iuxta cõſuetudinem fiebat, erat oblatio holocauſti, & ſacrificij.

Reſpondeo primò, illa verba non intelligi de oblatione holocauſti; ſed de præſentatione ipſius Chriſti in templo; hac enim de cauſa Chriſtus inducebatur in templum, vt offerretur, & redimeretur.

Reſpondeo ſecundò, illis verbis idem ſignificari, quod eius cauſa.

Obijcies tertiò, Eccleſia ipſa in officio Purificationis expreſsè canit, *Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum.*

Reſpondeo, illa verba, *Pro eo*, accipi pro cauſa, ſeu occaſione, ideſt cauſa nati, ſiue natiuitatis; cum enim Eccleſia vtatur illis verbis ad imitationem Scripturæ, cenſetur præfata verba adhibere eo modo, quo in Scriptura adhibentur.

7 Quæres tertiò, vtrũ Purificatio hoc tempore licita ſit.

Reſpondeo negatiuè; nam poſt ſufficientem nouæ legis promulgationem lex vetus ceſſauit, & illius obſeruatio mortifera eſt, vt docui de Sacramentis; negandum tamen non videtur, quin etiam hoc tempore licitum ſit fœminis ſe domi poſt partum aliquandiù continere, & ab ingreſſu Eccleſię abſtinere, & poſtea infantem deferre, vt pro ea preces fiant, & gratiæ peragantur; non enim abſtinent ab Eccleſiæ ingreſſu ad ſeruandam purificationem antiquæ legis, & Moſaicum ritum, ſed ob reuerentiam loci ſacri; ſicque permittitur in ca. vnico de Purificatione poſt partum. Vide Suarez d. 16. ſect. 2. ad finem, Tannerum loco citatò num. 83. Maiolum, Caietanum, & alios, quos retuli de Sacram. d. 4. q. vltima pun. vlt. ad finem.

Punctum Quartum.

De Baptiſmo Chriſti.

1 *Chriſtus baptizatus fuit baptiſmo Ioannis.*

2 Bap-

2 *Baptiſmus Ioannis non dedecuit Chriſtum.*
3 *Chriſtus cur proprio baptiſmo baptizatus non fuerit.*
4 *Baptizari in Iordane decuit Chriſtũ.*
5 *Chriſtus baptizatus fuit inchoato anno trigeſimo.*
6 *Baptiſmus collatus fuit Chriſto die ſexto Ianuarij.*
7 *Aquæ conuerſio in vinum non contigit eadem die eiuſdem anni, quo Chriſtus baptizatus fuit.*

TRia principaliter in hoc puncto explicabo. Primò, an Chriſtus baptizatus ſit, & quo Baptiſmo. Secundò, quo in loco. Tertiò, qua ætate. Quartò, quo die.

VNICA PROPOSITIO.

1 CHriſtus baptizatus fuit Baptiſmo Ioannis. Hæc propoſitio certa eſt de fide, Lucæ 3. & 4.

2 Sed modò dubium eſt primò, an decuerit Chriſtum baptizari Baptiſmo Ioannis.

Reſpondeo affirmatiuè. Primò, vt Chriſtus comprobaret Baptiſmum Ioannis, vt in ſimili dictum eſt de Circumciſione. Secundò, vt humilitatis exemplum hominibus præberet. Tertiò, vt prius faceret, quam doceret; cum enim ſuum Baptiſmum inſtituturus, & præcepturus eſſet, par erat, vt ipſe prius baptizaretur. Quartò, vt ea occaſione ſuum Baptiſmum inſtitueret dirigendo materiam, & alia ad Baptiſmum neceſſaria. Vide S. Thomam 3. p. q. 39. art. 1. Suarez ibid. in Comment. & alios S. Thomę Commentatores ibidem.

Obijcies primò, baptizari eſt ablui; ſed Chriſto non conuenit ablui, cum in ipſo nulla impuritatis macula fuerit. Ergo non decuit ipſum baptizari.

Reſpondeo, Chriſtum non fuiſſe baptizatum, vt ablueretur; ſed vt ablueret, inſtituẽdo ſuum Baptiſmum.

Obijcies ſecundò, Baptiſmus Ioannis erat Baptiſmus pœnitentię; ſed pœnitentia non conueniebat Chriſto, cum ipſe non peccaſſet. Ergo nõ debuit baptizari Baptiſmo Ioannis.

Reſpõdeo, Chriſtum potuiſſe baptizari Baptiſmo Ioannis, ſicut ipſe poterat actus pęnitentiæ elicere ad ſatisfaciendum pro alienis peccatis. Chriſtus ergo Baptiſmum Ioannis ſuſcepit, non vt peccata ſibi remitterentur, ſed vt aliena peccata dilueret, & expiaret, inſtituendo ea occaſione proprium Baptiſmum.

3 Secundò, Dubium eſt, cur Chriſtus baptizatus non fuerit proprio Baptiſmo, cum hic perfectior ſit, & excellentior Baptiſmo Ioannis.

Reſpondeo cum S. Thoma 3. par. q. 39. art. 2. Chriſtum baptizatum non fuiſſe proprio Baptiſmo, ſed Baptiſmo Ioannis, quia Baptiſmus Ioãnis conſiſtebat ſolum in aqua, nõ autem in ſpiritu; Baptiſmus autẽ Chriſti non ſolum conſiſtebat in aqua, verum etiã in ſpiritu, quo homines ſpiritualiter regenerantur. Ideò Chriſtus baptizari noluit ſuo Baptiſmo, ne ſpirituali regeneratione indigere videretur.

4 Tertiò, Dubium eſt, An Chriſtus debuerit baptizari in Iordane.

Reſpondeo, decuiſſe Chriſtum baptizari in Iordane. Ratio eſt, quia cum filij Iſrael per Iordanem fluuiũ intrauerint terram promiſſionis, meritò

Digitized by Google

rito Chriſtus baptizari voluit in Iordane ad indicandum effectum ſui Baptiſmi, per quem in regnum Dei, quod per terram promiſſionis ſignificatur, conceditur ingreſſus, Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poterit introire in regnum Dei.* Vide S. Thomam 3. par. quæſt. 39. art. 4. vbi etiam art. 5. docet Chriſto baptizato conueniēter apertos fuiſſe cęlos, vt oſtēderetur Baptiſmo Chriſti, qui tunc inſtituebatur, aperiri cælos. Præterea art. 6. docet Spiritum Sanctum conuenienter ſuper Chriſtum baptizatum deſcendiſſe in ſpecie Columbæ, vt oſtendatur eos, qui ſine fictione baptizantur, recipere Spiritum Sanctum, cuius typus eſt columba ob ſimplicitatem, & ob alias ipſius proprietates. Addo Columbam illam fuiſſe verum animal; cum enim Spiritus Sanctus ſit Spiritus veritatis, non eſt vſus fictione, ſed veram columbam formauit, & in illa apparuit, non autem in ſpecie ſuæ diuinæ ſubſtantiæ, vt pluribus docet idē Sanctus Doctor art. 7. & præterea art. 8. oſtendit Chriſto baptizato conuenienter auditam fuiſſe Patris voluntatem, vt ſufficienter indicaretur Sanctiſſima Trinitas, cuius virtute Baptiſmus Chriſti cōfertur; dū enim Chriſtus ipſe ſubſiſtens ſubſiſtentia Verbi baptizaretur, Spiritus Sanctus apparuit in ſpecie Colūbæ, & Pater externa illa voce ſe ipſum manifeſtauit, *Hic eſt Filius meus dilectus.* Vide S. Thomam loco citato, & Suarez diſp. 27.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Chriſtus baptizatus eſt circa annum trigeſimum. Hæc propoſitio eſt de fide, & apertè cōſtat ex Lucę cap. 3. *Ieſus erat incipiēs, quaſi annorum triginta.*

Maior difficultas eſt, quo anno precisè baptizatus fuerit.

Reſpondeo, baptizatum fuiſſe inchoato, ſed nondum expleto anno trigeſimo. Ratio eſt quia hic videtur verus prędictorum verborum ſenſus. *Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta*, ideſt incępit agere, & ferè attingere annum trigeſimum, quia ſcilicet annus erat per aliquot menſes inchoatus, ſed nondum expletus. Ita Origines homil. 1. in Ezechielem, Epiphanius hęreſi 51. Hieronim. Ezech. 1. S. Thomas 3. par. quęſt. 39. art. 3. Suarez 3. par. diſp. 26. ſect. 2. Abulenſis Lucę 3. Salianus tom. 6. anno Chriſti 30. vbi plures alios refert, Azor. 2. par. lib. 1. cap. 11. quęſito 19. Tannerus tom. 4. diſp. 2. quęſt. 2. dub. 5. n. 114. contra Caietanum Lucę 3. exiſtimantem Chriſtum baptizatum fuiſſe anno 29. contra Gordonum tom. 2. Cronolog. anno Chriſti 31. Baronium, & alios exiſtimātes baptizatū fuiſſe anno trigeſimo primo.

TERTIA PROPOSITIO.

6 Chriſtus baptizatus fuit die ſexta Ianuarij. Ratio eſt, tum quia Baptiſmus Chriſti, ſeu manifeſtatio Chriſti in baptiſmo facta fuit ea die, qua Chriſtus manifeſtatus fuit per Magos, & ab ipſis adoratus;

Digitized by Google

ratus; ſic enim ea die canit, & profitetur Eccleſia; Sed Chriſtus adoratus fuit à Magis die 6. Ianuarij, vt patet ex ſupradictis q. 1. pun. 4. Ergo Chriſtus 6. die Ianuarij baptizatus fuit. Tum quia hæc eſt cōmunis Patrum, & Doctorum ſententia, teſte Azorio quæſito 20. contra Pererium lib. 11. in Danielem. Idem dic de miraculo conuerſionis aquæ in vinum; iſtud enim miraculum Eccleſia profitetur factum fuiſſe eodem die ſexta Ianuarij, in quam incidit dies Epiphaniæ, & Baptiſmi Chriſti; hanc enim vetuſtiſſimam eſſe traditionē, & obſeruationem Eccleſiæ, communemque Doctorum ſentētiam teſtantur Pererius loco citato, Suar. 3. p. to. 2. diſp. 26. ſect. 1. Tannerus loco cit. num. 134. contra Toletum in Ioannem cap. 2. annotat. 15. Baronium anno Chriſti 31. Gordianum loco cit. Tannerum loco citato num. 150. & alios.

7 Sed modo dubium eſt, vtrum miraculum conuerſionis aquæ in vinum contigerit eadem numero die eiuſdem anni, quo Chriſtus Baptizatus fuit.

Reſpondeo, non fuiſſe factum eodem die eiuſdem anni, ſed poſt annū integrum trāſactum; probatur, quia Chriſtus poſt Baptiſmum ſeceſſit in deſertum, ieiunauit quadraginta diebus, vocauit Diſcipulos, ac denique in Nuptijs Canæ Galileæ aquam in vinum miraculosè conuertit, Mat. 3. & Ioann. 1. & 2. Ita nonnulli recentiores contra Azorium 2. p. lib. 1. ca. 11. quæſito 21. & alios.

Dices, Baptiſmus, & miraculum Nuptiarum factum fuit die Dominica, ex Auguſt. ſerm. 154. Ergo vtrūque accidit eadem numero die eiuſdem anni, alioquin vtrumque non fuiſſet factum die Dominica. Reſpōdeo negando vtrumque miraculum factum fuiſſe die Dominico. Neque contrarium aſſeritur ab Auguſtino. Nam ſermo ille falsò tribuitur Auguſtino. Tum quia Auguſtini ſtylum non redolet. Tum quia nihil continet Auguſtino dignum. Ita Suarez diſp. 26. ſect. 1. ad finem, Tannerus loco cit. num. 138. & alij.

Punctum Quintum.

De Transfiguratione Chriſti.

1 *Transfiguratio Chriſti quid fuerit.*
2 *Transfiguratio Chriſti vnde proueniebat.*
3 *Claritas corporis glorioſi propriè non emanat à gloria animæ.*
4 *Claritas, ſeu ſplendor Chriſti in Transfiguratione fuit altioris rationis, quam ſit ſplendor Solis.*
5 *Transfiguratio Chriſti fuit ſupernaturalis.*
6 *Claritas glorioſi corporis naturaliter videri poteſt.*
7 *Claritas in Transfiguratione tranſfuſa fuit per totum Chriſti Corpus.*
8 *Claritas in Transfiguratione tranſfuſa ſolùm fuit ad exteriores corporis partes.*
9 *Transfiguratio Chriſti multis de cauſis facta fuit.*
10 *Transfiguratio Chriſti facta fuit in Monte Tabor.*
11 *Transfiguratio Chriſti facta fuit anno trigeſimo ætatis Chriſti.*
12 *Transfigurationi quinam interfuerint.*
13 *Chriſtus qua de cauſa in Transfiguratio-*

ratione adhibere voluit Moyſen, & Eliam, &c.
14 *Corpora Moyſis, & Eliæ in Transfiguratione ſplenduerunt.*
15 *Moyſes, & Elias quomodo cogniti fuerint ab Apoſtolis.*
16 *Chriſtus in Transfiguratione cur nõ adhibuerit Angelos, & homines.*

IN hoc puncto explicabo primò, quid fuerit Transfiguratio Chriſti. Secundò, vnde prouenerit. Tertiò, an fuerit miraculoſa. Quartò, an ſplendor ille oculis corporeis cerni poſſet. Quintò, an afficeret totum corpus. Sextò, cur facta fuerit tranſfiguratio. Septimò, quo in loco. Octauò, quo tempore, ſeu qua ætate. Nonò, quosnam Chriſtus voluerit intereſſe Transfigurationi.

PRIMA PROPOSITIO.

1 TRansfiguratio nihil aliud fuit, quàm aſſumptio illius claritatis, quæ eſt vna ex dotibus glorioſi corporis, quamquam non eſt dicenda propriè dos, quia dos ſolet eſſe ſtabilis, & permanens, ſicut eſt ipſa beatitudo, quam dos conſequitur: eſſentialiter tamen fuit dos, quia Chriſtus faciem ſuam, aliaſque corporis partes exteriores, ac etiam veſtes fulgere voluit ea claritate, qua fulgebunt corpora Beatorum; vocatur autem Transfiguratio, non quia Chriſtus faciem, formam, ac figuram amiſerit, aut aliud corpus aſſumpſerit; id enim fieri non poterat ſine magna alteratione, & mutatione intrinſeca corporis Chriſti; ſed quia ſplendorem in facie, & candorem in veſtibus ſuſcepit; cum enim color, & ſplendor circa corporis extremitates exiſtant, ad figuram quodammodo pertinere videntur, atque adeò Chriſtus recipiendo nouum ſplendorem, & claritatẽ, dici poteſt transfiguratus, Matth. 17. *Transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit facies eius ſicut Sol; veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* Ita S. Thomas 3. par. q. 45. art. 1. Suarez 3. p. tom. 2. q. 45. in comment. art. 1. Tannerus tom. 4. diſp. 2. q. 2. dub. 6. num. 159.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 TRansfiguratio, ideſt ſplendor ille, & candor proueniebat ab ipſa claritate, & gloria animæ, ſeu ab ipſa diuinitate, cui humanitas Chriſti vnita erat mediante ſubſiſtẽtia Verbi. Ratio eſt, quia poſita gloria animæ, debita quodammodo eſt corpori talis claritas.

3 Quæres primò, vtrum claritas corporis glorioſi verè, & propriè emanet à gloria animæ, ſeu à claritate glorioſa animæ.

Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, quia gloria, ſeu claritas glorioſa animæ nihil eſt aliud, quam lumen gloriæ, aut viſio beata; lumen autem gloriæ eſt virtus quædam intellectualis, quæ ex ſua natura ſolũ eſt principiũ ſui act⁹ intellectualis, qui eſt viſio, & viſio eſt actus immanens, qui per ſe, & natura ſua nihil efficit extra ſuam potentiam. Ergo gloria corporis, ſeu claritas corporis non poteſt verè, propriè, ac phyſicè pendere à gloria animæ. Ita Suarez loco citato in comment. art. 2. vbi explicat S. Auguſtinum Epiſt. 56. ad Dioniſiũ, & S. Thomam q. 45. artic. 2. citato, aſſerentes

cla-

claritatem corporis glorioſi deriuati à claritate animæ; in Chriſto verò deriuari à diuinitate illi corpori cõiuncta; cum enim corpori Chriſti nõ ſit immediatè vnita diuinitas, ſed ſubſiſtentia Verbi; ſubſiſtentia autẽ Verbi, vt ſic, non ſit principium alicuius actionis ad extra, non potuit illa claritas proficiſci à ſubſiſtentia Verbi, vt ſic, ſed dicitur ab ea deriuari, quia claritas illa debita erat humanitati ob vnionem cum perſona Verbi, qua vnione poſita claritas illa efficiebatur à diuinitate.

4 Quæres ſecundò, vtrum illa claritas fuerit eiuſdem ſpeciei cum ſplendore, & claritate Solis.

Reſpõdeo, fuiſſe altioris rationis. Ratio eſt primò, quia alia eſt radix, & principiũ claritatis Solis, alia corporis glorioſi. Principium, & radix claritatis Solis eſt ipſe Sol; principiũ, & radix claritatis corporis glorioſi certa quadam ratione eſt gloria animæ, quæ eſt altioris ordinis. Ergo ẽt ipſa claritas corporis debet eſſe altioris ordinis. Secũdò, quia intelligi poteſt claritas in ſua ſpecie nobilior claritate Solis. Ergo negare non debemus illam communicatam fuiſſe corpori glorioſo; nam perfectioni illius ſtatus conſentanea eſt. Ita S. Thom. in 3. d. 16. q. 2. art. 1. Scotus ibid. q. 15. Suarez 3. p. tom. 2. d. 32. ſect. 1. col. 3. dub. 1. Sotus in 3. diſt. 16. q. 4. art. 8. Henriq. in ſumma lib. vlt. c. 28. n. 5. ad finem, & alij contra Durandum in 3. d. 16. q. 2. Tannerum tom. 4. diſp. 1. quæ. 3. dub. 6. num. 62. & alios.

Obijcies, claritas Beatorum comparatur claritati Solis. Nam Matth. 17. dicitur, *Splenduit facies eius ſicut Sol*, & Matth. 13. *Fulgebunt iuſti ſicut Sol*. Ergo ſplendor, & claritas Beatorum eſt eiuſdem ſpeciei cum ſplendore, & claritate Solis.

Reſpondeo negando conſequentiam; comparatur enim ſplendori Solis, non quia ſit eiuſdem ſpeciei; ſed quia non extat aliud exemplum, quo intellectus excitari poſſit ad intelligendam admirandam illam glorioſorum corporum claritatem.

TERTIA PROPOSITIO.

5 Transfiguratio Chriſti fuit ſupernaturalis, & miraculoſa. Quod fuerit ſupernaturalis, probatur. Tum quia viribus naturæ acquiri non poteſt. Tum quia corpus exiſtens in ſtatu mortali, & corruptibili, vt ſic, non eſt capax claritatis gloriæ. Quod fuerit miraculoſa, probatur, quia illud eſt miraculoſum, quod fit ſupernaturaliter præter legẽ, & ordinarium modũ; transfiguratio autẽ Chriſti facta fuit præter legem, & ordinarium modum; nam claritas illa communicata fuit corpori paſſibili, & mortali, & non permanenter, ſed tranſeunter, non coniuncta cum alijs dotibus, ſed ſeparata, quod eſt præter naturam claritatis glorioſæ.

Obijcies, illud eſt alteri connaturale, quod ei debetur; ſed corpori informato anima beata debetur claritas. Ergo claritas in transfiguratione fuit naturalis.

Reſpondeo, negando claritatem fuiſſe debitam corpori Chriſti, poſito ſtatu corporis paſſibilis, & mortalis, vel ad ſummum non erat debita co modo.

QVAR-

Digitized by Google

QVARTA PROPOSITIO.

6 CLaritas glorioſi corporis oculis corporeis naturaliter videri poteſt. Ratio eſt, tum quia Diſcipuli Chriſti illam in Transfiguratione viderunt. Tum quia non videtur eſſe extra latitudinem obiecti viſibilis, etſi forſan corruptibilis oculus illam non poſſit conſtanter intueri, niſi confortetur. Qua de cauſa Durandus ait Diſcipulorum oculos confortatos fuiſſe, vt in claritatem corporis Chriſti intendere poſſent. Vide S. Thomam in 4. d. 44. q. 1. art. 4. quæſtiuncula 2. Suarez diſp. 32. ſect. 1. col. 4. Azor. 2. p. lib. 1. cap. 15. q. 6.

QVINTA PROPOSITIO.

7 CLaritas in Transfiguratione transfuſa fuit per totũ Chriſti Corpus. Ratio eſt, tum quia claritas corporis glorioſi non magis debita eſt vni parti, quam alteri. Tum quia credibile eſt candorem veſtiũ ab ipſa corporis claritate prouenisse. tum quia totum corpus informabatur anima beata. Ergo totum corpus hac claritate fulgebat, cum gloria animæ ſit veluti radix, & fundamentum claritatis corporalis. Tum quia totum corpus dicitur transfiguratũ, ſeu transformatum, vt ait Marcus Euangeliſta. Tum quia licet Matth. 17. dicatur, *Reſplenduit facies eius, ſicut Sol*, & Lucæ 9. *Facta eſt ſpecies vultus eius altera*, non tamẽ excluduntur reliquæ corporis partes; perſpicuum enim eſt manus ſplendore perfuſas fuiſſe, cum oculis conſpici poſſent; reliquæ verò corporis partes, quæ veſtibus cooperiebantur, quamuis immediatè in ſe non conſpicerẽtur, cernebantur tamen quodammodo in veſtibus ob candorem veſtibus communicatum, & ex corpore radiãtem, vt benè Cyprianus Lucæ 9. Suarez 3. p. to. 2. d. 32. ſect. 1. col. 5. dub. 3.

8 Sed modò dubium eſt, vtrum illa claritas in Transfiguratione Chriſti fuerit tantum in ſuperficie corporis Chriſti, an etiam in intimis corporis partibus.

Reſpondeo, iuxta probabiliorem ſententiam, illam claritatem transfuſam fuiſſe ſolum ad exteriores corporis partes. Ratio eſt, tum quia ſic colligitur ex ipſo nomine Transfigurationis, quæ ſuperficiem tantum afficit. Tum quia ſi partes interiores corporis Chriſti illuſtratæ fuiſſent, diaphanę, & tranſparentes fuiſſent, cum non poſſit eſſe claritas tam profundi corporis, quin efficiat illud tranſparens, & viſu penetrabile; corpus autẽ Chriſti factum non fuit tranſparens; alioquin Apoſtoli interiores illius partes vidiſſent, cum autem perhibeantur ſolum vidiſſe faciem eius, & veſtes fulgere. Tum quia licet probabile ſit corpora Sãctorum futura eſſe omninò lucida, & tranſparentia (ob id comparantur carboni ignito, qui etiam interius fulget, & Soli, qui in tota ſua ſubſtantia lucidus eſt) non tamen neceſſe eſt id affirmare de corpore Chriſti transfigurato, quia Chriſtus non aſſumpſit claritatem corporis glorioſi modo perfecto, & ſtabili; ſed tranſeunter, vt ſpecimen aliquod futuræ gloriæ Apoſtolis præberet. Vide infra dicẽda de dotibus glorioſi corporis.

SEX-

Digitized by Google

SEXTA PROPOSITIO.

9 Transfiguratio Chriſti multis de cauſis facta fuit. Prima eſt, vt Diſcipuli certiores fierent de gloria Reſurrectionis. Secundò, ne ſcandalizarentur in paſſione Chriſti. Tertiò, vt excitarentur ad labores, & cruciatus perferendos ſpe retributionis, vt benè Beda in Matth. ca. 9. S. Thomas 3. par. quæſt. 45. art. 1. Suarez ibid. in commentar. Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 2. dub. 6. num. 159.

SEPTIMA PROPOSITIO.

10 Transfiguratio Chriſti facta fuit in monte Thabor, vt patet ex ipſis Euangeliſtis. In hunc montem, vt multi volunt, aſcenderũt etiam Diſcipuli Chriſti, vt intuerentur Chriſtum aſcendentem in Cœlum, qua de cauſa magno in honore habitus fuit à Chriſtianis, ex S. Hieronimo in epitaphio Paulæ, Beda de locis Sanctis cap. 17. & Damaſceno in orat. de transfiguratione, vbi ait tũc adimpletum fuiſſe illud Pſal. 88. *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt*. nam Hermon exultauit, dum Chriſtus in Baptiſmo vocatus fuit nomine filij, & Thabor exultauit, dum in ipſo facta fuit transfiguratio, & audita fuit vox illa æterni Patris, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*. Ratio vero, cur Transfiguratio in monte facta fuerit, hæc eſſe poteſt, quia mons ab hominum turba remotior eſt, & cęlo propinquior. Ita Azorius 2. parte libro primo capit. 15. quæſito 2. & alij.

OCTAVA PROPOSITIO.

11 Transfiguratio Chriſti facta fuiſſe videtur anno ætatis Chriſti trigeſimo tertio, qui non longè aberat à Paſſione, de qua Chriſtus paulò ante locutus fuerat Matth. 16. ita Ianſen. in concord. Baronius in Annalibus, Suarez loco citato ſect. 3. Azor. 2. p. lib. 1. cap. 15. quæſito 4. & alij.

Hic ſolum Dubium eſt circa Euãgeliſtas, qui non eodem modo loquuntur; nam Mattheus, & Marcus aſſerunt Chriſtum transfiguratum fuiſſe poſt ſex dies ab eo die, in quo Chriſtus ſermonem habuit cum Diſcipulis, eosq; hortatus eſt ad crucẽ ferendam. Lucas verò ait transfiguratum fuiſſe ferè poſt dies octo.

Reſpondeo, Lucam numeraſſe dies extremos, ideſt illum, in quo Chriſtus ſermonem habuit, & illum, in quo transfiguratus fuit, quod ab alijs Euangeliſtis factum non fuit. Ita Damaſcenus in orat. de transfigurat. Epiphan. lib. 2. hæreſ. 66. in fine, Auguſt. de conſ. Euang. cap. 56. Suarez loco citato, & alij.

NONA PROPOSITIO.

12 Transfigurationi corporis Chriſti interfuerunt, primo Moyſes in reaſſumpto corpore proprio, vt ait S. Hieronimus cap. 17. Matth. 5. Auguſtin. & alij, aut in alio aereo tunc formato. Secũdo, Elias in proprio corpore, cum non-

Digitized by Google

dum obierit. Tertio Petrus, Ioannes, & Iacobus, vt patet ex ipſo contextu Euangelij.

Sed modo Dubium eſt primo, cur Chriſtus voluerit hos adhibere, & aſſiſtere ſuæ transfigurationi.

Reſpondeo, multis de cauſis id feciſſe. Primò, vt excluderetur opinio illorum, qui aſſerebant Chriſtum eſſe Eliam, aut Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Secundò, vt hac ratione oſtēdatur Chriſtum eſſe Iudicem viuorum, & mortuorum. Tertiò, elegit Moyſen, vtpotè datorem legis, & Eliam, vtpotè ſollicitum de gloria Dei, vt reijcerentur calumniæ Iudæorum aſſerentium Chriſtum tanquam trangreſſorem legis, & contemptorem Dei. Petrus adhibitus fuit ob excellentiam poteſtatis, & amoris in Chriſtum, Ioānes ob prærogatiuam Virginitatis, Iacobus ob prærogatiuam martyrij ante alios conſumandi. Ita Damaſcenus in orat. de transfigurat., Chriſoſtom. homil. 57. in Matth. S. Thom. quæſt. 43. art. 3. Suarez 3. par. d. 32. ſect. 2. vbi de hac re fusè agit, Azor loco citato quæſito 8. & 9. & alij communiter.

14 Secundò dubium eſt, Vtrum corpora Moyſis, & Eliæ apparuerint ſplendentia, & rutilantia.

Reſpondeo, participaſſe quidem aliquo modo gloriam, & claritatem Corporis Chriſti ex conſortio, & redundantia corporis Chriſti, vt colligitur ex verbis illis Lucæ 9. *Erant autem Moyſes, & Elias viri in Maieſtate*; non tamen verè habuerunt claritatem gloriæ. Ratio eſt, tum quia de ſolo Chriſto dicitur, *reſplenduit facies eius, ſicut Sol.* Tū quia animę Moyſis, & Eliæ nondū erant beatæ, Ergo corporibus ipſorum nondum conueniebat claritas beatitudinis. Ita Azor. 2. p. li. 1. c. 15. q. 7. & alij.

15 Tertiò dubium eſt, quomodo Moyſes, & Elias cogniti fuerint ab Apoſtolis.

Reſpondeo, cognitos fuiſſe, vel interna reuelatione, quia cum adhiberentur tanquam teſtes transfigurationis, cognoſci debebant, vel ex colloquio cum Chriſto, appellante eos proprijs nominibus, vel ita de paſſione cum ipſis agente, vt cognoſci potuerint. Ita Ianſenius cap. 67. concordiæ, Suarez loco citato ſect. 2. ad finem, Azorius loco citato q. 6.

16 Quartò dubium eſt, cur Chriſtus in ſua trāsfiguratione non adhibuerit Angelos, ſed homines.

Reſpondeo, adhibitos ſolum fuiſſe homines, quia Chriſtus in transfiratione manifeſtabat Diſcipulis gloriam corporis, quæ non pertinebat ad Angelos, ſed ad ſolos homines, vt benè S. Tho. q. 45. art. 3. ad primū, vel dic Chriſtum oſtendiſſe gloriam illis, quibus illā meruerat; Chriſtus autem non meruit gloriam Angelis, iuxta probabiliſſimam Doctorum ſententiam, contra Suarez 3. par. q. 45. in Commentar. art. 3. & alios.

Punctum Sextum.

De ratione, ac modo viuendi Chriſti.

1 *Chriſtus vitam communem, & ſocialem traduxit.*

2 *Chriſtus non duxit vitam auſteram, ſed accommodatam moribus hominum.*

3 *Per-*

3 *Perfectionis regula non eſt metienda ex auſteritate vitæ, ſed ſimul ex omnibus alijs medijs.*

4 *Chriſtus non coluit ſtatum formaliter religioſum.*

5 *Chriſtus perpetuam caſtitatem ſeruauit.*

6 *Paupertatem Chriſtus ſeruauit.*

7 *Chriſtus obedientiam ſeruauit.*

IN hoc puncto tria principaliter explicabo. Primò, an Chriſtus vitam Heremiticam, & ſolitariam ab hominum conſortio ſeparatam elegerit. Secundò, an vitam auſteram, vel potius moderatam ſectatus ſit. Tertiò, an vitæ religioſæ ſtatum coluerit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus non elegit vitam ſolitariam, & heremiticam, ſed potius vitam communem, & ſocialem. Ratio eſt, Primò, quia ita prędictum fuerat Baruch. 3. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Secundò, quia illam viuendi rationem inſtituit, quæ accomodata erat fini, ob quem humanam carnem aſſumpſerat; vita autem ſocialis, & communis accomodata erat fini, ob quem Chriſtus carnem aſſumpſerat; non enim carnem aſſumpſit ſolũ, vt eſſet Redemptor, verum etiam vt eſſet Doctor, & Magiſter, docendo, & tradendo veram, & ſalutarem doctrinam hominibus, iuxta illud Ioannis 18. *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati*; officium autem docendi non fit in ſolitudine, ſed palam, & coram populo Ioann. 18. *Ego palam locutus ſum Mundo, Ego ſemper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil*, & Matth. 9. *Circuibat Ieſus omnes Ciuitates, & Caſtella, docens in Synagogis eorum & prædicans Euangelium Dei, & curans omnem languorem, & infirmitatem.* Tertiò, quia Chriſtus venit, vt homines tãquam Medicus ab ægritudine peccatorum liberaret, 1. ad Timoth. 1. *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundũ, peccatores ſaluos faceret:* Medicus autem, vt infirmos curet, ad ipſos accedit. Quartò, quia Chriſtus in mundum venit, vt per ipſum acceſſum habeamus ad Deum; ideò cũ hominibus familiariter conuerſatus eſt, vt homines inde occaſionem arriperent accedendi ad ipſum magna cum fiducia, vt contigit Matth. 9. *Diſcumbente eo in domo, Ecce multi publicani, & peccatores venientes diſcumbebant cum Ieſu, & Diſcipulis eius.* Quartò, quia Chriſtus in mundum venit, vt homines ipſius exemplo ad virtutis ſtudium incitarentur; ad hoc autem potius conducit vita ſocialis, quam ſolitaria, & heremitica. Ita Sanctus Thomas 3. parte queſtione 40. artic. 1. Suarez 3. parte tomo 2. diſputat. 28. ſect. 1. Tannerus tomo 4. diſputat. 2. quæſtione 2. dubio 4. numero 84. & ſequentibus.

Obijcies, Chriſtus eligere debuit perfectiſſimam viuẽdi rationem; ſed vita ſolitaria, ſeu contemplatiua, eſt perfectiſſima. Tum quia prodeſt ad exercendos nobiliores actus, & ad familiarius cum Deo agendum, iuxta illud Oſeæ 2. *Ducam eam ad ſo-*

litudinem, *& loquar ad cor eius*. Tum quia Chriſtus ipſe de vita ſolitaria loquens ait, *Optimam partem elegit ſibi Maria*. Ergo dicendum videtur Chriſtum eligere debuiſſe ſolitariam, & heremiticam viuendi rationem.

Reſpondeo, vitam contemplatiuam eſſe ſimpliciter meliorem, quã vitam actiuam, quæ verſatur circa res corporales, non per ſe ad ſalutem animæ ordinatas; tamen vita actiua, qua quis alteri tradit, quæ contemplando meditatus eſt, perfectior eſt, quam vita ſola contemplatiua, quia huiuſmodi vita actiua præſupponit abundantiam cõtemplationis; Chriſtus autem nunquam deſiſtebat à contemplatione interiori, cum ſemper videret, & amaret Deum, & opportunis temporibus ſe etiam abduceret, & ſegregaret ab hominum cõſortio, Marci 6. *Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum*; & Lucæ 6. *Exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei*, & antequã prędicationi initiũ daret, ſeceſſit in deſertũ, vbi quadraginta dieb. ieiunio, orationi, & cõtẽplationi vacauit, quod ab eo prẹſtitũ eſſe putandũ eſt, vt Prædicatoribus verbi Dei exemplum daret muniendi ſe ieiunio, & contemplationis ſtudio, antequam miniſterium Euangelij aggrediantur. Ita Sanctus Thomas loco citato ad ſecundum, Suarez, & Tannerus locis citatis.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Chriſtus non coluit vitam auſteram, & aſperam, ſed accommodatam moribus hominum. Ratio eſt primò, quia ſic colligitur ex loco illo Matth. 11. *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens, & dicunt Dæmonium habet; venit Filius hominis manducans, & bibens, & dicunt, Ecce homo vorax, & potator vini publicanorum, & peccatorũ amicus*. Secundò, quia Chriſtus ea viuendi ratione vſus fuit, quia poſſet homines ad ſe allicere; ratio autem alliciendi aliquem, eſt, vt dum quis cũ aliquo verſatur, accomodet ſe moribus ipſius. Ergo Chriſtus accomodauit ſe moribus aliorum, ſalua decentia, & honeſtate; iuxta illud Apoſtol. 1. ad Corint. 9. *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos*. Ita S. Thomas 3. par. quæſt. 4. Suarez diſp. 28. ſect. 3. Tannerus loco citato num. 90. & alij.

Ex quo ſequitur primò, conuenientiſſimum fuiſſe, vt Chriſtus in cibo, & potu ita ſe communiter haberet, ſicut alij ſe habebant.

Secundò, ſequitur Chriſtum vſũ non fuiſſe veſte aſpera, & rigida, vt veſte contexta ex pilis Camelorum, aut Zona pellicea, ſicut Ioannes vſus fuit. Ratio eſt, tum quia alioquin vſus non fuiſſet communi ratione viuendi; menſa enim vulgaris, & cõmunis non ritè cohęret cum veſte aſpera, & rigida. Tum quia ſi veſtes Chriſti fuiſſent aſperæ, viles, & rigidæ, milites contentionem inter ſe non habuiſſent in facienda veſtium diuiſione, & in mittendis ſuper ipſas ſortibus, præſertim ſuper tunicã inconſutilem, quam nullo modo ſcindere voluerunt, ne tota diſſolueretur.

Neque tamen putes veſtimenta Chriſti fuiſſe pretioſa. Tum quia id non

non decebat paupertatem, quam Chriſtus profitebatur. Tum quia, *Qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt*, inquit Chriſtus; ſed veſtis illa Chriſti erat veſtis communis, & vulgaris ex lana confecta, & iuxta communem illius populi morē contexta.

Tertiò, ſequitur Chriſtum non inceſſiſſe nudis pedibus, ſed calceatum ſandalijs, aut etiam alia ratione, iuxta communem illius gentis morem ab honeſtioribus viris eiuſdem conditionis receptum.

Quartò, Chriſtum vſum non fuiſſe vnico tantum veſtimento, ſed pluribus, ſicut reliqui vti conſueuerant, vt colligitur, tum ex allatis rationibus, tum ex loco illo Ioann. 13. *Surgit à cęna, & ponit veſtimenta ſua*; non eſt autem veroſimile Chriſtum depoſuiſſe omnia veſtimenta, alioquin nudus remanſiſſet, quod non eſt cōforme ſummæ honeſtati, & modeſtię Chriſti. Ergo Chriſtus pluribus veſtibus vtebatur. Tum quia milites in Paſſione Chriſti diuiſerūt ipſius veſtimenta, & ſuper tunicam inconſutilem miſerunt ſortem. Ergo fatendum eſt Chriſtum indutum fuiſſe pluribus veſtimentis; Neque ob id agebat contra conſilium, quod ipſe Apoſtolis dederat, Matth. 10. *Neq; duas tunicas*, & Lucæ 3. *Qui habet duas tunicas, det non habenti*, quia Chriſtus non loquebatur de veſtibus diuerſarum rationum, quæ vnum veſtimentum completum conſtituunt, ſed de veſtibus ſuperfluis ad eundem finē confectis, vt ſunt duo pallia, quorum ſingula ad ſuum munus ſufficiunt. Ita Suarez loco citato ſectione 3. & alij.

Objicies primò, Chriſtus ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, Matth. 4. Ergo coluit vitam auſteram, & aſperam.

Reſpondeo, id ſemel tantum factū fuiſſe à Chriſto, vt nos ſuo exemplo hortaretur ad ieiunium, quo tanquā ſcuto contra nefarias Dęmonis inſidias vteremur; illa tamen ieiunandi ratio, vtpotè miraculoſa, non proponitur imitanda iuxta modum ſuum, ſed iuxta virium noſtrarum facultatem.

Objicies ſecundò, Chriſtus multo magis prædicauit perfectionem vitæ, quam Ioannes; ſed Ioannes vitā auſteram duxit, non quidem propter peccata, quæ vel nulla, vel exigua in ipſo fuerunt, ſed ne illa committeret, & vt hominibus exemplum pęnitentiæ præberet. Ergo multo magis decuit, vt Chriſtus aſperam vitam inſtitueret, vt exemplum pœnitentiæ hominibus daret.

Reſpondeo cum S. Thoma 3. par. quæſt. 40. art. 2. ad 1. Chriſtum dediſſe exemplum in omnibus, quę per ſe pertinent ad ſalutem; abſtinentia autem cibi, & potus per ſe non pertinet ad ſalutem, iuxta illud Romanor. 14. *Non eſt regnum Dei eſca, & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*; quia tamen abſtinentia licita eſt, & laudabilis, vtraque viuendi ratio, aſpera ſcilicet, & mitis; (licitè enim, & laudabiliter poteſt quis à communi hominum conſortio ſegregatus abſtinentiam ſeruare, & alter in ſocietate aliorum poſitus communem viuendi rationem ſequi) exēplo Chriſti, & Ioannis approbatur, & quidem Deus Ioannem ieiunio fulgere voluit, Chriſtū ve-

verò voluit contraria incedere via, intrando ad mēſam Publicanorum, & manducando, & bibendo. Ita S. Thomas loco cit. ferè ad verbum, quod etiam idem S. Thomas clarius explicauit Matth. 11. *Dupliciter*, inquit, *Homines attrahuntur ad bonam vitam; quidam .n. per ſpeciem ſanctitatis, alij per viā familiaritatis; Dominus, & Ioannes diuiſerunt ſibi duas vias. Ioannes* (*imò Dominus per Ioannem*) *elegit ſibi viam auſteritatis. per ſe elegit viam lenitatis*. Hoc diligenter aduertendum videtur pro varijs diuerſarum religionum inſtitutis, quarum vna certo viuendi genere, alia ferè contrario vtitur. Vt benè Tannerus loco citato num. 92.

3 Ex quo licet obiter inferre, perfectionem vitæ, ſeu potius regulam perfectionis non eſſe penſandā, & metiendam ex vitæ auſteritate, ſed ſimul ex omnibus alijs medijs, quæ ad aſſequendam perfectionem, præſertim charitatem Dei, & proximi conducunt. Ratio eſt, tum quia ad hoc facit illud 1. ad Thimot. 4. *Exercitatio corporalis ad modicum vtilis eſt: pietas autem ad omnia.* Tū quia auſteritas non eſt neceſſaria ad perfectionem propter ſe, ſed tamquam medium ad virtutem; ſi ergo aliquid auſteritatis remittatur, & defectus auſteritatis compenſetur alio medio magis neceſſario, & opportuno in aliquo ſtatu, ſpectato fine, & actionibus illius ſtatus, quæ ſummam illā auſteritatem nō patiuntur, nihil diminuitur de perfectionis ſtatu. Tum quia auſteritas, & ſimilia non ſunt bona ex ſua natura, ſed ſunt opera pœnalia, & medicinalia, inquit S. Thomas, & ſi homo non peccaſſet, nihil horū fuiſſet, & ſicut reſiobarbarum non eſt bonum, niſi quatenus coleram extinguit, ita auſteritas bona eſt, quatenus concupiſcētias frenat, moderatur, & comprimit; regula igitur perfectionis alicuius ſtatus ſumenda eſt ex fine, & medijs ad illum conducentibus, ita vt quo finis perfectior eſt, & media magis accommodata ad illum obtinēdum, ſtatus perfectior cenſeatur; & quia finis Chriſti, & media, quæ ipſe adhibebat ad finem aſſequendū, erant magis neceſſaria, & opportuna, quam abſtinentia, & ſeueritas vitæ (imò diminutio ſeueritatis conducebat ad finem aſſequendū) ſequitur Chriſtum in maximo fuiſſe perfectionis ſtatu. Vide Suarez 3. par. tom. 2. d. 28. ſect. 3. col. 4. verſ. ex quo, vbi de hac re benè differit.

Obijcies tertiò, aſperum viuendi genus maximè prodeſt ad eſſequēdam perfectionem, & maximè ad compeſcendos carnalis concupiſcētiæ motus; cum autem vita Chriſti maximè dirigeretur ad docendos, & excitandos homines ad perfectionem, par fuit, vt Chriſtus vitæ ſeueritatem amplecteretur.

Reſpondeo, aſperum viuendi genus prodeſſe ad perfectionem, & maximè ad continentiam; aſperitatis tamen defectum ſuppleri poſſe alijs virtutum actibus, vt meditatione, iuxta illud Eccleſ. 12. *Frequens meditatio, carnis afflictio eſt*, aut laborioſis operibus, & his ſimilibus.

Addo Chriſtum, licet non coluerit vitam ſeueram, & aſperam, coluiſſe tamen valdè moderatam, & accomodatam muneri, quod ipſi incumbebat; non verò mollem, blan-

dam,

dam, & ſuauem; ipſum enim decebat frugalem, & valdè moderatam vitam agere, vt nos ſuo exemplo alliceret ad id. quod prædicabat, & prius faceret, quam doceret.

TERTIA PROPOSITIO.

4 CHriſtus non coluit formaliter ſtatum religionis, ſi loquamur de ſtatu religionis conſiſtēte in tribus eſſentialibus votis; Ratio eſt, quia incertum eſt, an aliquod votum emiſerit; & quidem ſi ſermo ſit de voto obedientiæ, perſpicuum eſt illud à Chriſto emiſſum non fuiſſe, quia Chriſtus nullum habebat hominem ſuperiorem, cui ſubijceretur, quod ad obedientiam religioſā neceſſarium eſt. Imò S. Thomas 2.2. quæſt. 88. art. 4. ad 3. & Medina 3. par. quæſt. 40. art. 3. abſolutè negant Chriſtū vouiſſe; nā illa ſcripturæ verba Pſal. 21. *Vota mea Domino reddam*, ſi de Chriſto intelligantur, non ſignificant votum propriè acceptum; ſed propoſitum, & deſiderium, ſeu promiſſionem genericè acceptam. Contrarium docent Suar. diſp. 28. ſect. 2. & Tannerus loc. cit. num. 106. aſſerentes Chriſtum potuiſſe votum emittere, & probabiliter in inſtanti Cōceptionis ſe voto conſecraſſe Deo ad redimendos homines, & in hunc finem voto obtuliſſe Deo omnes ſuas actiones, & paſſiones vitæ ſuæ.

Obijcies contra propoſitionē, ſtatus Religionis conſiſtit in obſeruatione Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ; ſed Chriſtus hæc omnia ſeruauit, vt probabo in quæſitis proximè ſequentibus. Ergo Chriſtus fuit verè, & propriè Religioſus.

Reſpondeo, ſtatum religioſum formaliter conſiſtere in tribus votis eſſentialibus, quæ incertū eſt, an Chriſtus emiſerit; eminenter tamen habuit quicquid perfectionis reperitur in ſtatu religioſo.

5 Quęres primò, vtrum Chriſtus perpetuam caſtitatem ſeruauerit.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt primò, quia licet id expreſsè in Euāgelio non habeatur, tamen ex ipſa Euangelij ſerie colligitur, ſicque ſemper credidit, & credit Sancta Mater Eccleſia, nec ipſimet Hæretici id vnquam in dubium vocarunt. Secundò, quia Virginitas eſt per ſe amabilis, & digna Chriſto, & conueniebat fini Incarnationis, & officio Doctoris, Summiq; Sacerdotis. Tertiò, quia Chriſtus prædicaturus erat Virginitatem. Ergo neceſſe fuit, vt ipſe virginitatem coleret, vt alios ſuo exemplo ad virginitatem excitaret, vt benè ratiocinatur Suarez 3. p. to. 2. d. 28. ſect. 2. col. 1. Tannerus loco citato num. 104.

Addo, non videri improbabile, (quamuis non ſit certum) Chriſtum vouiſſe Virginitatem. Tum quia Virginitas eſt per ſe amabilis, & digna Chriſto. Ergo etiam illius perfectio, & conſecratio. Tum quia ipſe elegit Matrem Virginē, & Virginitatis Voto obſtrictam, noſq; ad idem faciendum hortatus eſt. Ergo negandum non videtur ipſum ſe voto Virginitatis obſtrinxiſſe, cum ipſe *cœperit facere, & docere*, Actor. 1.

6 Quæres ſecundò, vtrum Chriſtus Paupertatem ſeruauerit.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt primò, quia ſic apertè colligitur ex

multis Scripturæ locis, Matth. 8. *Filius hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* Matth. 17. dum Chriſtus miſit Petrum ad mare, vt offerret quo tributum ſolueret.

Secundò, quia Chriſtus conſilium dabat ſectandi paupertatẽ, Matt. 10. *Nolite poſſidere aurum, neq; argentum*; maximè autem decebat, vt exemplũ cęteris præberet, & doceret facto, quod prædicabat verbo. Ideò Matt. 19. ait, *Si vis perfectus eſſe, vade, & vẽde omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me*, ideſt imitare me ipſũ. Ideò Petrus reſpondit, *Ecce nos relinquimus omnia, & ſecuti ſumus te*.

Tertiò, quia ſi Chriſtus diuitias admiſiſſet, viſus fortè aliquibus fuiſſet prædicare potius cauſa lucri, quam ſalutis hominum.

Quartò, quia cum multi ad inferna loca ob immoderatas opum cupiditates detrudantur, ęquum fuit, vt Chriſtus propoſito paupertatis exẽplo homines ad ſalutis viam reuocacaret; Ita S. Thomas 3. p. q. 40. art. 3. Suar. 3. par. tom. 2. d. 28. ſect. 2. Tannerus loco cit. n. 96. & ſeqq. & alij.

Addo Chriſtum in tanta paupertate extitiſſe, vt aliquando victum mendicando comparauerit; nam Lucæ 19. Chriſtus ipſe dixit, *Zachee in domo tua oportet me manere.* Tum quia in ſcriptura vocatur mendicus, Pſ. 39 *Ego autem mendicus ſum, & pauper.* Ita Valdenſis lib. 4. doctrinæ fidei c. 3. & 4. Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 28. ſect. 2. col. 8. Tannerus loco citato, & alij contra Caietanum Matth. 5. Medinam 3. p. q. 40. art. 3. & alios, negantes Chriſtum vnquã mẽdicaſſe.

An autem Chriſtus aliquarum rerum dominium habuerit, patet ex ſupradictis d. 2. quæſt. 22. dũ loqueret de Chriſto Rege.

7 Quæres tertiò, Vtrum Chriſtus obedientiam ſeruauerit.

Reſpondeo, ſeruaſſe, tã circa præcepta Dei, & iuris naturalis, quam circa legem Moſaicam, vt ſupra probatũ fuit q. 14. de ſubiectione Chriſti; quãuis de iure legi humanæ obedire non teneretur, vt ibidem docui.

Punctum Septimum.

De Prædicatione Chriſti.

1 *Chriſtus publicè prædicauit ſolum Iudæis, & non gentibus.*
2 *Prædicandi poteſtas conueniebat Chriſto ratione vnionis hypoſtaticæ.*
3 *Chriſtus magnam habuit prædicandi excellentiam, & efficaciam.*
4 *Chriſtus ſemper docuit publicè, & nihil in occultò.*
5 *Chriſtus docuit verbo, & nõ ſcripto.*
6 *Chriſtus prædicauit tribus annis, & tribus menſibus.*
7 *Prædicatio Chriſti non profuit omnibus.*
8 *Chriſtum prædicare decuit etiam cũ offenſione Iudæorum.*

CVm de fide certum ſit Chriſtũ hominibus prædicaſſe, hic primo loco explicabo, quibus ex inſtituto prædicauerit. Secundò, qua poteſtate. Tertiò, qua efficacia. Quartò, an occultè, vel publicè. Quintò, an ſcripto vnquam docuerit. Sextò, Quandiú prædicauerit. Septimò, quo fructu, ſeu an prædicatio Chriſti profecerit omnibus illam audientibus.

PRI-

PRIMA PROPOSITIO.

1 Chriſtus publicè, & ex inſtituto prædicauit ſolum Iudæis, & non gentibus. Ratio eſt primò, quia ex inſtituto prædicauit illis, ad quos principaliter miſſus fuerat ex præciſa promiſſione; Chriſtus autem principaliter miſſus fuerat ad Iudæos, quia illis promiſſus fuerat; Matth. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael*. Secundò, quia Chriſtus ante Paſſionem id etiã ab Apoſtolis fieri præcepit, Matt. 10. *In viam gentium ne abieritis, & in Ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, ſed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Iſrael*.

Tertiò, quia decebat, vt Chriſtus prædicaret Iudæis, non ſolum quia ipſis promiſſus fuerat, & ex ipſorum ſtirpe natus erat, verum etiam quia ipſi magis diſpoſiti erant ad recipien dum verbum Dei, cum ipſi propinquiores eſſent Deo ob fidem, & cultum vnius Dei.

Quartò, quia cõueniebat, vt Chriſtus per ſe ipſum aliquibus prædicaret; cum autem non poſſet omnibus, æquum fuit, vt ipſe id munus Iudæis præſtaret. Ita S. Thomas 3. p. q. 42. art. 1. Suar. ibidem in comment. eiuſdem articuli, Tannerus to. 4. diſp. 2. 2. q. 2. dub. 5. num. 115. & alij.

Obijcies primò, Chriſtus vocatur lux gentium, Iſaiæ 49. *Dedi te in lucem gentium, vt ſit ſalus mea vſque ad extremum terræ*. Ergo Chriſtus prædicare debuit, non ſolum Iudæis, verum etiam gentilibus.

Reſpondeo, Chriſtum vocari lucẽ gentium, non quia per ſe ipſum illis prædicauerit; ſed quia poſt Paſſionẽ id fieri mandauit per Diſcipulos; Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes*, Ideò Deus prædixerat aliquos ex Iudæis mittendos eſſe ad Gentiles, vt eos inſtruerent, Iſaiæ 66. *Mittam ex eis, qui ſaluati fuerint ad gentes*, &c. *Et annunciabunt gloriam meam gentibus*.

Obijcies ſecundò, Chriſtus prædicauit Samaritanæ, Ioannis 4. & Cananeæ, Matth. 15. quæ gentiles erant. Ergo non ſolum prædicauit Iudæis, verum etiam gentibus.

Reſpondeo, id factum non fuiſſe à Chriſto ex inſtituto, ſed obiter, ne ſpes Gentilibus præcluderetur, vt bene S. Thomas q. 42. art. 1. ad 3.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Poteſtas prædicandi conueniebat Chriſto ratione vnionis hypoſtaticæ. Ratio eſt, quia Chriſtus ratione vnionis hypoſtaticæ eſt caput omnium; conſequenter poterat in omnes influere modo opportuno, & accomodato; præterea Chriſtus eſt ſummus Sacerdos, & ſupremus Eccleſiæ Pontifex; ad ſummum autem Pontificem ſpectat inſtruere, & docere ſibi ſubditos. Ita Suarez diſp. 30. ſect. 1. concluſ. 2. Tannerus loco citato num. 117.

TERTIA PROPOSITIO.

3 Magna fuit excellentia, & efficacia Chriſti in prędicando, ſeu docendo. Ratio eſt. Primò, quia Chriſtus maxima pollebat ſapientia, vt dictum eſt diſp. 2. Secundò, quia Ioannis 7. dicitur, *nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo*. Tertiò, quia Chriſtus ſuam do-

ctrinam maximis miraculis confirmabat. Quartò, quia Chriſtus loquebatur cum magna vi, & efficacia ad perſuadendum, ſuamq; doctrinam magna authoritate proponebat: loquebatur enim quaſi dominium habens, cum diceret, *Ego autem dico vobis*. deniq; quod docebat verbo, facto, & probitate vitæ confirmabat. Ita S. Thomas quæſt. 42. art. 1. ad ſecundum, Suarez diſp. 30. ſect. 1. Tannerus num. 117.

QVARTA PROPOSITIO.

4 Chriſtus ſemper docuit publicè, & nihil in occulto. Ratio eſt. Primò, quia ipſe Chriſtus de ſeipſo ait, Ioan. 18. *Ego palam locutus ſum Mundo, & in occulto locutus ſum nihil*. Secundò, quia ille dicitur occultè, & non publicè loqui, qui loquitur paucis, vel ſecretè, cum intentione, vt doctrina ſua multis non manifeſtetur; ſed Chriſtus non loquebatur paucis, ſed toti turbæ, vel omnibus ſuis diſcipulis, & volebat doctrinam ſuam alijs manifeſtari. Ergo Chriſtus ſemper docuit publicè. Ita S. Thomas 3. par. quæſt. 42. art. 3. Suarez ibid. in Commentar. Tannerus loco citato num. 125. & alij communiter.

Quomodo autem Chriſtus dicatur ſemper docuiſſe publicè, conſtabit ex dicendis in obiectionibus.

Obijcies primò, Chriſtus ſæpè de rebus diuinis cum diſcipulis ſuis ſecreto egit, Matth. 17. *Acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum ſecretò*, & cap. 20. *aſſumpſit duodecim diſcipulos ſuos ſecretò*, & Matth. 17. cum in transfiguratione gloriam ſuam tribus Apoſtolis oſtendiſſet, ait illis, *nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat*. Ergo Chriſtus non ſemper docuit palam.

Reſpondeo, nos poſſe dupliciter loqui de doctrina Chriſti; vel enim loquimur de doctrina communi ad omnes ſpectante, vel de altioribus quibuſdam myſterijs. Si loquamur de doctrina communi, Chriſtus nunquam illam tradidit occultè, nec voluit illam ab alijs ignorari. Si verò loquamur de altioribus myſterijs, perſpicuum eſt Chriſtum aliqua tradidiſſe Apoſtolis, quæ alijs non tradidit, & aliqua à Spiritu Sancto tradenda reſeruauit, iuxta illud Ioannis 14. *Me vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis*.

Obijcies ſecundò, Chriſtus loquebatur in parabolis ita obſcurè, vt à paucis intelligeretur; ob id doctrinam ſuam Apoſtolis priuatim declarabat, & dicebat, *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt audientes non intelligant*. Ergo Chriſtus non ſemper docuit publicè.

Reſpondeo, Chriſtum quoad modum docendi non ſemper docuiſſe publicè, quatenus ab omnibus non intelligebatur, dum figurata, & parabolica locutione vtebatur; quoad ſubſtantiam tamen ſemper publicè docuit, nec quicquam ſecretò docuit contrarium illi, quod publicè docuerat; quo pacto intelligi poſſunt ea verba; *Ego palam locutus ſum Mundo, & in occultò locutus ſum nihil*. Vel dic præfata verba intelligi de doctrina communi ad omnes ſpectante.

QVIN-

Digitized by Google

QVINTA PROPOSITIO.

5 CHriſtus Verbo ſolum, non autem ſcripto docuit. Ratio eſt, tum quia ita tenet, & tenuit Eccleſia, quæ id per traditionem accepit. tum quia veroſimile non eſt Chriſtum quicquam ſcripſiſſe, illudq; ab Eccleſia receptum non fuiſſe. tum quia modus docendi verbo, quod immediatè ab ore docentis prouenit, & in corda audientium influit, excellētior, & efficacior eſt. Ergo opus non eſt vti ſcriptura, dum finis verbo obtineri poteſt. tum quia proprium eſt ſupremi legislatoris doctrinam ſuam, *Non in tabulis lapideis, inſtar Moyſis ſcribere, ſed in tabulis cordis carnalibus*. Inquit Apoſtolus 2. Corint. 3. Ita S. Thomas 3. par. quæſt. 42. art. 4. Suárez ibidem in commentar. Tannerus loco citato num. 129. & ſeqq. Valentia tom. 4. d. 1. quæſt. 22. pun. 8. & alij. Hac de cauſa Gelaſius Papa cap. Sancta Romana 15. diſt. reprobat libros, quia à Chriſto conſcripti circumferebantur, & inter apochryfas ſcripturas recenſet Epiſtolam illam, quam à Chriſto ſcriptam, & ad Regem Abgarum miſſam fuiſſe refert Euſebius lib. 1. Hiſtor. cap. 13. quamquam illa Epiſtola potius videtur officioſa, quam doctrinalis. Neq; obſtat Chriſtum in terra ſcripſiſſe verba illa, *Qui ex vobis ſine peccato eſt, primus in illam lapidem mittat*; nam ſcriptura illa non erat durabilis, & permanſura. Ita Suarez, Valentia, & alij locis citatis.

SEXTA PROPOSITIO.

6 CHriſtus prædicauit tribus annis, & tribus menſibus. Ita communiter Patres, & recentiores Doctores, quorum aliqui valdè probabiliter hanc ſententiam ſimpliciter, & abſolutè ſuſtinent, & defendunt, etiam incipiendo à Baptiſmo Chriſti vſq; ad mortē; alij verò diſtinguunt hoc pacto, ſi tempus prædicationis Chriſti computetur à Baptiſmo, Chriſtus prædicauit quatuor annos integros cum tribus ferè menſibus inchoandis à ſexta die Ianuarij vſq; ad tempus Paſchatis, ſeu mortis Chriſti. Si verò tempus prædicationis Chriſti computetur à miraculo conuerſionis aquæ in vinum in nuptijs Canæ Galileæ, quo Chriſtus maiori cum celebritate prædicare cœpit, Chriſtus prædicauit per tres annos cum tribus ferè mēſibus. Ratio eſt primò, quia Chriſtus Baptizatus fuit anno trigeſimo nondum expleto, & in hac mortali vita vixit paulo plus triginta tribus annis, cum ergo à Baptiſmo Chriſti vſq; ad ipſius mortem interceſſerit ſpacium pluſquam quatuor annorum, & à miraculo nuptiarum vſq; ad mortem elapſum ſit ſpatium pluſquam trium annorum, ſequitur Chriſtum prædicaſſe vltra quatuor annos incipiendo à Baptiſmo, & vltra tres annos incipiendo à miraculo nuptiarum. Secundò, quia poſt miraculum nuptiarum quatuor Paſchata numerantur à Ioanne cap. 2. 5. 6. & 11. & miraculum nuptiarum factum fuit poſt annum à Baptiſmo. Ergo neceſſe eſt dicere Chriſtum à Baptiſmo prædicaſſe quatuor annis cum tri-

Digitized by Google

tribus ferè menſibus, à miraculo verū nuptiarum prædicaſſe tribus annis cum tribus ferè menſibus. Ita Salianus tom. 6. anno Chriſti 30. nu. 33. Baradius tom. 2. lib. 6. cap. 1. & lib. 9. cap. 16. Azorius 2. par. lib. 1. cap. 7. q. 6. Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 30. ſect. 3. & alij contra Clementem Alexandrinum lib. 1. Stromat. & alios exiſtimantes Chriſtū mortuum eſſe trigeſimo ætatis ſuæ anno, conſequenter vno tantum anno prædicationi operam impendiſſe, & contra Cyrillum Alexādrinum cap. 29. Iſaię, & alios arbitrantes Chriſtum duos annos in Euangelij prædicatione inſumpſiſſe.

SEPTIMA PROPOSITIO.

7 Prædicatio Chriſti non profuit omnibus, & ipſius doctrina non fuit ab omnibus recepta. Probatur primò, Iſaiæ 56. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem*. Secundò, Matth. 23. *Ieruſalem, quare occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt? quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* & Ioā. 6. *Sunt quidam ex vobis, qui non credūt*, & alibi *Loquor vobis, & non creditis?* Tertiò, quia Chriſtus omnia permiſit conſilio diuinæ prædeſtinationis; ita vt illis prodeſſet Chriſti prædicatio, quibus credendi gratia à Deo concedebatur, iuxta illud Ioann. 10. *Vos non creditis quia non eſtis ex ouibus meis; oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequūtur me*, & Ioannis 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum.*

Addo, prædicationem Chriſti nō ſolum nō profuiſſe omnibus, verum etiam multos ex Iudęis effectos fuiſſe deteriores, Lucæ 2. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionē multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicetur*. Matth. 11. *Beatus, qui nō fuerit ſcandalizatus in me*, & Lucę 11. *Cum autem hęc ad illos diceret, cęperunt Phariſei, & Legiſperiti grauiter inſiſtere, & os eius opprimere de multis, inſidiantes ei*, & cæt.

Sed. modò Dubium eſt, Vtrum decuerit Chriſtum prædicare cum Iudęorum offenſione.

8 Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia prædicatio Chriſti erat ex ſua natura bona, & ad publicā hominū ſalutē dirigebatur; nullus aūt abſtinere tenetur ab opere bono publicam vtilitatem reſpiciente, etiāſi aliquorum offenſio, & ruina inde præuideatur; iuſta enim ſubeſt cauſa permittendi illorum ruinam, & hoc non vocatur ſcandalum actiuū, ſed paſſiuum, non datum, ſed acceptum, non illatum, ſed permiſſum, vt pluribus docui in Tractatu de Legibus diſp. 2. quæſt. 4. pun. 2. §. vnico, cum Sanchez, Valentia, Leſſio, & alijs; idemque in terminis docent S. Thomas 3. par. qæſtione 42. art. 2. Suarez ibidem diſputat. 30. ſectione 2.

Obijcies primò, 1. Corint. 10. dicitur *Sine offenſione eſtote Iudęis, & gentibus, & Eccleſiæ*.

Reſpondeo, id intelligi de actione ex ſua natura mala, aut etiam de actione honeſta, ex qua præuidetur alterum arrepturum occaſionem offenſionis, ſeu peccati, & ad illud permittendum non ſubeſt iuſta cauſa

ſa, vt quando maius malum timetur, quam ſit bonum, quod rationabiliter ſperatur; quo pacto etiam intelligitur illud Prouerb. 9. *Noli arguere deriſorem, ne oderit te*, & illud Matt. 7. *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos*.

Obijcies ſecundò, Paulus 1. ad Timoth. 5. ait, *Seniorem ne increpaueris; ſed obſecra vt patrem*, ſed Sacerdotes, & Principes Iudeorũ erant ſeniores illius populi. Ergo increpandi nõ erant durioribus verbis.

Reſpondeo, ſeniores, qui non ſolum ſunt ſenes ætate, vel authoritate, verum etiam honeſtate, non eſſe increpandos; ſi autem non ſint ſenes honeſtate, arguendi ſunt, ſeruatis prudẽtię regulis, iuxta quas publicè peccantes, publicè, & acriter increpandi ſunt, ſicut fecit Daniel ca. 13. *Inueterate dierum malorum*, & Stephanus Actor. 7. *Dura ceruice, & incircũciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis ſicut Patres veſtri, ita & vos*.

Punctum Octauum.

De miraculis Chriſti.

1 *Miracula multa perpetrata fuerũt à Chriſto.*

2 *Chriſto conuenitẽs fuit effectio miraculorum.*

3 *Miracula non fuerunt ſimpliciter neceſſaria ad perſuadendũ Chriſti doctrinam.*

4 *Miracula Chriſti adeò efficacia erãt, vt audientes illis viſis Chriſto docenti credere tenerentur.*

5 *Miracula non fuerunt per ſe ſufficientia ad demonſtrãdum Chriſtum eſſe Meſſiam, & verum Deum.*

6 *Iudęi videntes Chriſti miracula, illiſque credentes cognouerunt Chriſtum eſſe Meſſiam, & verũ Deum.*

7 *Dęmones cognouerant Chriſtum eſſe Meſſiam, & verum Deum.*

8 *Dęmones in infantia non cognouerunt Chriſtum tamquam Meſſiã.*

9 *Somnium Vxoris Pilati, an à bono Angelo immiſſum fuerit, vel à Dęmone.*

IN hoc puncto primò loco oſtendam, an Chriſtus miracula patrauerit. Secũdò, an conueniens fuerit, vt Chriſtus miracula faceret. Tertiò, an ſimpliciter neceſſarium fuerit, vt Chriſtus miracula operaretur ad perſuadendam doctrinam. Quartò, Vtrum miracula Chriſti ita confirmarent doctrinam, vt qui illa conſpexerant, tenerentur credere.

PRIMA PROPOSITIO.

1 PErſpicuum eſt de fide Chriſtũ multa miracula perpetraſſe, vt paſſim apud Euangeliſtas legitur, ac primò quidẽ miracula fecit circa ſubſtãtias ſpirituales, prę ſertim circa Dęmones, liberando obſeſſos à Dęmonibus; vt benè oſtendunt S. Thomas 3. par. quæſt. 44. art. 1. & ipſius Commentatores. Secundò circa cęleſtia corpora, vt inducendo tenebras, & obſcurando ſolem; vt benè probant S. Thomas loco cit. art. 2. & ipſius Commentatores. Tertiò circa homines, præſertim in ſanandis corporibus, & mortuis ad vitam excitandis. Non eſt tamen de ratione miraculi, vt perfecta ſanitas ſimul

ſimul reſtituatur. Ideò Chriſtus nō ſemper ſimul perfectam ſanitatem reſtituit, vel propter ægrorum infidelitatem, & imperfectam fidem, vt de cęco illo Marc. 8. obſeruat Chriſoſt. homil. 9. in Matth. vel vt magnitudo beneficij agnoſceretur, & pluris æſtimaretur ex Beda c. 34. in 8. Matth. tom. 2. vel vt aliud myſterium ſignificaretur. Vide S. Thomam 3. par. quæſt. 44. art. 3. ad 2. Suarez ibid. in Comment. art. 3. ad finem, Tannerum tom. 4. diſp. 2. q. 2. dub. 6. num. 156. & alios S. Thomæ Commentatores loco citato. Quartò, circa creaturas irrationales, vt imperando ventis, & mari, multiplicando panes, conuertendo aquam in vinum, quæ conuerſio dicitur fuiſſe primum Chriſti miraculum, Ioannis 2. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galileæ*, non quia hoc ſimpliciter fuerit primum miraculum, ſed quia primum fuit inter illa, quæ Chriſtus manifeſtè, & publicè coram hominibus ad cōfirmādam ſuam doctrinam perpetrauit. Ita S. Thomas loco citato art. 4. & ipſius Commentatores. His addi poſſunt maxima miracula, quæ Chriſtus circa ſe ipſum fecit, vt ieiunando quadraginta diebus, ambulando ſuper aquas, reſurgendo à mortuis, aſcendendo ad cęlos. Ratio, cur hæc miracula fecerit, eſt, quia finis miraculorum erat, vt diuinitas, & conſequenter authoritas, & dominium Chriſti manifeſtaretur; cōſentaneū ergo fuit in his omnibus miracula patrari, vt planè ſignificaretur ipſum eſſe maximæ authoritatis, & eſſe dominum cęli, & terræ, hominum, & Angelorum, viuorum, & mortuorum, & omnia ipſius pedibus ſubiecta eſſe.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Conuenientiſſimum fuit, vt Chriſtus miracula faceret. Ratio eſt primò, quia Chriſtus in Mundum venerat, vt genus humanum redimeret, & homines ad Deū cōuerteret. Ergo adhibere debuit media huic fini conſentanea, & accomodata; inter cætera autem media ſunt miracula; nam virtus miraculorum duabus de cauſis concedi ſolet. Prima eſt, vt fides docenti præſtetur. Secunda, vt cognoſcatur auctoritas, & ſanctitas ipſius perſonæ operantis miraculum; vtraque autē cauſa in Chriſto militabat, vt manifeſtè colligitur ex illo Ioann. 10. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere operibus credite, vt cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre*. Secundò, quia perpetuo vſu receptum eſt, vt Deus nouam, & inuſitatam doctrinam, hominibus diuinitus annunciandam miraculis confirmet. Ita ſentire videtur S. Gregorius lib. 27. moral. c. 6. vbi ait, *Sanctis Prædicatoribus nequaquam ad perſuadēdum verba ſufficiunt, niſi etiam miracula addantur*. Vide Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 31. ſect. 1. & Tannerum tom. 4. diſp. 2. q. 2. dub. 6. num. 167. & 171.

TERTIA PROPOSITIO.

3 Non fuit ſimpliciter neceſſarium, vt Chriſtus miracula faceret ad perſuadendum doctrinam.

nam. Ratio eſt primò, quia Ioannes fuit ritè inſtructus ad prædicandum verbum Dei, & tamen ipſe nulla præſtitit miracula. Secundò, quia multi Samaritanorum crediderũt in Chriſtum, audito ſolum ipſius ſermone, & non inſpecto vllo miraculo, Ioann. 4. *Iam non propter tuam loquelam credimus; ipſi enim audiuimus, & ſcimus, quia hic eſt verè Saluator mundi.* Teriò, quia virtus Chriſti non erat alligata miraculis; Chriſtus enim potuiſſet doctrinam ea ratione proponere, & audiẽtes interius ità illuminare, & permouere, vt crederent, vt benè Suarez loco citato ſect. 1. col. 3. verſ. ſecundo certum.

Dixi, non fuiſſe ſimpliciter neceſſarium, quia loquimur de neceſſitate ex ſuppoſitione vaticiniorum de Chriſto loquentium, dicendum eſt neceſſarium fuiſſe, vt Chriſtus miracula faceret. Ratio eſt primò, quia prædictum fuerat Chriſtum facturũ miracula, Iſaiæ 35. *Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos. Tunc aperientur oculi cęcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut Ceruus claudus &c.* Si ergo Chriſtus non feciſſet miracula, ſuppoſitis vaticinijs, ac prophetijs, non fuiſſet habitus, vel cognitus tanquam Deus, & tanquam Meſſias. Ad hoc idem facit locus ille Ioann. 25. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Secundò, quia 1. Corint. 15. dicitur, *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides veſtra, inuenimur autem, & falſi teſtes Dei*, ideſt ſi Chriſtus nõ reſurrexiſſet, ſicut prædictum fuerat ipſum reſurrecturum, inanis eſt fides; quia ſi falſa, & mendax in vno inueniatur, redolet ſuſpicionem falſitatis in omnibus, & ſi Chriſtus non reſurrexit neq; nos reſurgemus, & ſic tã fides, quã ſpes noſtra inanis erit. Neceſſaria ergo fuit miraculoſa Chriſti reſurrectio, atq; adeò neceſſaria fuerũt Chriſti miracula ſuppoſitis vaticinijs.

QVARTA PROPOSITIO.

4 Miracula Chriſti adeò efficacia erant, ſicque doctrinam ipſius confirmabant, vt illa conſpicientes poſſent, & tenerentur credere Chriſto docenti. Ratio eſt primò, quia ſic apertè colligitur ex ſcriptura, Ioann. 5. *Ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me*, & Ioann. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Secundò, quia Chriſtus plurima miracula faciebat, & quaſi ex propria virtute; nam *virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*. Tertiò, quia miracula Chriſti erant tanti põderis, vt omnes humanas vires excederent, & non niſi ſupernaturali virtute fieri poſſent. Quamobrem cęcus ille à Chriſto illuminatus, Ioann. 9. aiebat, *A ſęculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cęci nati, niſi eſſet hic à Deo non poterat facere quicquam.*

5 Maior difficultas eſt, Vtrum miracula euidenter cognita per ſe ſufficerent ad demonſtrandum Chriſtum eſſe Meſſiam, & verum Deum.

Reſpondeo, per ſe ſola non fuiſſe ſufficientia. Ratio eſt, tum quia etiã Apoſtoli, & Prophetæ patrarunt miracula, & tamen ex ipſis colligi non potuit ipſorum diuinitas, quæ nulla

erat.

Digitized by Google

erat. Imò miracula ipſa per ſe, ac neceſſario non ſignificant operantē miracula iuſtum eſſe, ac Sanctum, quia virtus miraculorum eſt gratia gratis data, quæ etiam in peccatore inueniri poteſt, vt benè Suarez diſp. 31. ſect. 2. concl. 1. & alij communiter, & patet ex Matt. 7. Tum quia omnia illa miracula fieri poterant à puro homine per potentiam obedientialem tanquam inſtrumentum diuinæ virtutis. Tum quia Chriſtus ipſe ait Diſcipulos ſuos patraturos maiora miracula. Ioann. 14. *Amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet*. Quamobrē ſicut fimbria veſtimentorū Chriſti ſanabat ægros; ita vmbra Diſcipulorum ſanitatem ægris afferebat; maius autem miraculum eſt quoad ſpeciem, & modū, vt vmbra ſanet, quam veſtes.

Dixi, per ſe ſola non fuiſſe ſufficientia ad oſtendendum Chriſtum eſſe Meſſiā, & verum Deum, vt innuerem primò, miracula fuiſſe ad hoc ſufficientia, ſi conſiderentur vt coniuncta cum prophetijs cognitis, & creditis; nam authoritas, & teſtimonium Dei eſt infallibile, Deus enim mentiri non poteſt; ſed ex teſtimonio, & authoritate Dei in ſcriptura expreſſa Iſaiæ 35. conſtabat Meſſiā futurum eſſe verum Deum, & patraturum certa miracula, quibus cer. ò dignoſci poſſet. Ergo qui conſpiciebat illa miracula, & cognoſcebat eſſe illa, quæ patranda erant à Meſſia, euidēter cognoſcebat Chriſtum eſſe Meſſiam, & verum Deum. Hoc argumento vſus videtur Chriſtus, dū Diſcipulis à Ioanne miſſis, & interrogantibus, an ipſe eſſet Meſſias, reſpondit, *Euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis, cęci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euāgelizantur*, quaſi diceret, qui hæc facit, eſt verus Meſſias, vt prædixit Iſaias cap. 35. vbi hæc exprimuntur. Sed ego hæc facio. Ergo ſū Meſſias.

Secundò, vt innuerem miracula Chriſti fuiſſe ad hoc ſufficientia, ſi conſiderentur vt coniuncta cum teſtimonio ipſius Chriſti aſſerentis ſe eſſe Meſſiam, & verum Deum. Ratio eſt, tum quia quicquid Deus ſua authoritate confirmat, eſt verū; ſed Deus ſua authoritate per vera miracula confirmabat id, quod Chriſtus aſſerebat; nempè ſe eſſe Meſſiā, & verum Deum. Ergo verum erat ipſum eſſe Meſſiam, & verum Deū. Tum quia cum miracula fiant diuina virtute, & Chriſtus illa faceret ad oſtendendum diuinitatem, credēdum erat ipſum eſſe verum Deū; Deus enim non concurrit ſpeciali auxilio ad mendacium, & falſitatē. Ergo credendum erat Chriſtum miracula illa patrantem eſſe Meſſiam, & verum Deum. Ita S. Thomas 3. p. quæſt. 44. art. 4. Caietanus ibidem, Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 31. ſect. 2. concl. 2. & 3. Tannerus tom. 4. d. 2. quæſt. 2. dub. 6. num. 177. & ſeqq. Scotus, & alij.

6 Ex dictis colligi poteſt ſolutio illius difficultatis, qua quæritur, Vtrum Iudęi cognouerint Chriſtum eſſe Meſſiam, & verum Deum.

Reſp. enim illos, qui viderūt Chriſti miracula, & ipſum audierūt, aut ſcripturas intellexerūt, crediderunt Chriſtum eſſe Meſſiam, & verum Deum; nam miracula coniuncta cū pro-

phetia, aut teſtificatione Chriſti, cogebant ad credendum ipſum eſſe Meſſiam, & verum Deum, vt dictũ eſt. Verum quia ipſi, aut non credebant miraculis, aut quia fidem Chriſto non adhibebãt, aut quia ritè ſcripturas non intelligebant, puto paucos cognouiſſe Chriſtum eſſe Meſſiam, & verum Deum. Ratio eſt, tum quia Chriſtus ipſe dixit, *ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt*. Tum q̃a ad cognoſcẽdũ Chriſtũ eſſe Meſſiã, & verũ hominẽ, opus erat, vt fides pſtaretur miraculis, & pphetijs, ſeu atteſtatione ipſius Chriſti. Tum quia Iudæi ſperabant Meſſiam futurum Regem temporalem. Ita Abulenſ. Matth. 21. quæſt. vlt. Caietanus Lucæ 23. Suarez ex parte 3. par. tom. 2. d. 31. ſect. 4. & alij. Negandum tamen non videtur primò quin Iudæi vehemẽter ſuſpicarẽtur Chriſtum eſſe Meſſiã, & verum Dei filiũ, tũ ob miracula, tum ob frequentem populi rumorem de hac re ſubortũ.

Secundò negari non poteſt, quin præter eos, qui vera, & infuſa fide in Deum credebant, multi crediderint ex fide humana Chriſtum eſſe Meſſiam, ſaltem quando actuali paſſione odij, iræ, aut inuidiæ non ſinebant ſe agitari, & obcęcari, vt ſæpè contingit in ijs, quæ vulgo dicuntur, & veroſimilibus coniecturis probantur. Imò multi Patres aſſerũt Iudęos cognouiſſe Chriſtum eſſe Meſſiam, & verum Deum; & nihilominus ex odio, & ira ipſum interfeciſſe; ſicut Herodes credidit Chriſtum naſciturum in Bethlehem, & nihilominus conatus eſt illum occidere. Ita Origenes tract. 19. in Matth. Chriſoſt. homil. 40. imperfecti, Beda lib. 3. in Matth. & alij exponentes locum illum Matth. 21. *Agricolæ autem videntes filium dixerunt intra ſe, hic eſt hæres, venite occidamus eum.*

Tertiò à fortiori negari non poteſt, quin Iudæi omnes, vel ferè omnes euidẽter cognouerint Chriſtum eſſe virum iuſtum, & innocentem. Tum quia Iudas ipſis ait ſe tradidiſſe ſanguinem iuſtum. Tum quia id Chriſto dicenti Iudæis, *Quis ex vobis arguet me de peccato*, nullus quicquam ei obiecit, etiãſi illũ maximè odiſſent. Ita Suar. ſect. 4. cit. ad fin.

7 Maior difficultas eſt, Vtrũ Dęmones cognouerint Chriſtum eſſe Meſſiam, & verum Deum.

Reſpondeo affirmatiuè primò, quia id colligitur ex Sacra Scriptura, Matth. 1. vbi Dęmon ſic ait, *quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene? veniſti perdere nos, ſcio te, quod ſis Sanctus Dei*. & Lucę 4. *non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum*. Secundo, quia in ſcriptura extat Meſſiam venturum, miracula patraturum, & futurum verum Dei filium, ſed Dęmon ritè intelligebat ſcripturas, & videbat miracula: Dęmones enim vident ſubſtantias rerũ prout in ſe ſunt. Ergo cognoſcebant Chriſtum eſſe Meſſiam, & verum Deum.

Tertiò, quia Dęmon bis audiuit Patrem appellantem Chriſtum filiũ ſuum, in Baptiſmo, & in Transfiguratione, idem audiuit ab ipſo Chriſto, à quo etiam miracula patrabantur in huius rei confirmationem. Quartò, Dęmon ſciebat miracula patrari non poſſe, niſi diuina virtute; cum enim cognoſcat naturas rerum in ſe, ſciatq; res naturales hac virtute pręditos non eſſe, viſis Chriſti mi-

miraculis credere debebat hęc ab ipſo prętari diuina virtute; conſequenter ipſum eſſe Meſſiam, & verum Deum. Ita Caietanus 3. par. q. 44. art. 4. Suarez loco citato diſp. 31. ſect. 3. & alij contra Cartuſianū loco ſtatim citando, aſſerentem à Dęmonę nunquā cognitū fuiſſe Chriſtū, dū in hac mortali vita exiſtebat, tanquam Meſſiam, ita vt certò definitè, & indubitanter ita iudicaret.

Obijcies primo, ſi Dęmon Chriſtum cognouiſſet, citius curaſſet illi mortem inferri; ſed in infantia non curauit illum interfici, ſicut curauit adulta ætate. Ergo Dęmon non videtur Chriſtum cognouiſſe ſaltem in infantia.

8 Reſpondeo, Dęmonem in infantia non cognouiſſe Chriſtum tanquam Meſſiam, Deo impediente, ne ipſum cognoſceret; nam ſi Dęmon Chriſtum cognouiſſet, citius ipſum perſecutus fuiſſet, & curaſſet ipſum citius interfici, quam Deus diſpoſuerat, ex S. Thoma 3. par. q. 29. art. 1. ad tertium, Cartuſiano Lucæ 4. & Marci 1. & alijs à fortiori aſſerentibus Dęmonem toto tempore mortalis vitæ Chriſti impeditum fuiſſe à Deo, ne omnia Chriſti myſteria intueretur; vel ne omnia eius verba audiret, vel ne omnes prophetias, quæ de illo erant, conſideraret, & inter ſe conferret, & conſequenter, ne definitè, & indubitanter iudicaret ipſum eſſe Meſſiam, & verum Deum. Sed quamuis admittamus Dęmonem non cognouiſſe definitè, & indubitanter Chriſtum in infantia eſſe Meſſiam, nihilominus id poſtea cognouit, vt probatum eſt in ſolutione difficultatis, & poſita hac cognitione curauit Chriſto inferri mortem, & omnia mala; nam ita Deum odio proſequitur, vt ipſammet diuinitatem, ſi fieri poſſet, in nihilum quodammodo redigeret, & deſtrueret; conſequenter etiamſi cognouerit Chriſtum eſſe Meſſiam, & verum Deū, non propterea abſtinuit ab ipſo perſequendo, & à malis omnibus illi procurandis, vt benè Caietanus 1. ad Corint. 2. Suarez loco citato ſect. 3. col. 7. & alij.

Obijcies ſecundo, ſi Dęmon cognouit Chriſtum eſſe verum Meſſiam, ac verum Deum, cognouit etiam ipſum redempturum genus humanum; conſequenter ſua morte aſſecuturum gloriam nō ſolum ſuam, verum etiam aliorum, vt per Prophetas prædictum fuerat; conſequenter non ſolū non curaſſet mortem Chriſto inferri, ſed potius ab illa inferenda diſſuaſiſſet, & auertiſſet.

Reſpondent Anſelmus, & Caietanus Matth. 27. & alij Dęmonem in nocte Paſſionis ſuſpicatum fuiſſe Chriſtum eſſe Redemptorem, conſequenter voluiſſe mortem Chriſti impedire, immiſſo ſomnio vxori Pilati ad mortem impediendam.

9 Alij verò, vt Origenes, Hyeronimus, Chriſoſtomus, & alij in cap. 27. Matth. putant ſomnium illud immiſſum fuiſſe à bono Angelo, non ad impediendam mortem, ſed ad magis confirmandam noſtram fidem, & ad auferendam Pilato omnem excuſationis occaſionem.

Ego igitur Reſpondeo, Prophetias illas loquentes de Chriſto Redemptore non fuiſſe adeò claras, vt neceſſe eſſet illas intelligi, antequam adimplerentur; conſequenter Dęmon

mon

mon facilè potuit illas ignorare, aut non animaduertere, præſertim cum totus intenderet in Chriſtum deſtruendum, vel ſuperandum; ſicut enim homo vehementi paſſione agitatus, aut graui ira percitus erga inimicum non ſemper aduertit incommoda inde ſecutura, aut illis fidem non præſtat, ita contigit Dæmoni peſſimè affecto erga Chriſtum, vt benè Suarez loco citato col. 7. in ſolut. primæ difficultatis.

QVÆSTIO TERTIA.

De Paſſione Chriſti, alijſque vitæ ipſius Myſterijs vſque ad Reſurrectionem.

IN hac Quæſtione hoc ordine incedam. Primò, exordium ſumam à venditione Chriſti. Secundò loco agam De ſudore ſanguinis, quem Chriſtus præ nimia doloris anguſtia inter orandum in horto effudit. Tertiò, De oſculo Iudæ, fuga Diſcipulorum, comprehenſione Chriſti, caſu militum, amputatione auriculæ, & negatione Petri. Quartò, De flagellatione Chriſti. Quintò, De ſententia condemnatoria ad mortem. Sextò, De Cruce, Crucis delatione, & crucifixione. Septimò, De titulo Crucis impoſito. Octauò, De diuiſione veſtimentorum Chriſti. Nonò, De vino, & aceto, quod Chriſto datum fuit ad bibendum. Decimò, De loco in quo Chriſtus crucifixus fuit. Vndecimò, De Latronibus inter quos Chriſtus crucifixus fuit. Duodecimò, An Chriſtus teſtamentum in Cruce cōdiderit. Decimotertiò, De morte Chriſti. Decimoquartò, De magnitudine dolorū Chriſti. Decimoquintò, De prodigijs, ac miraculis, quę in Chriſti morte contigerūt. Decimoſextò, De vulneratione lateris Chriſti. Decimoſeptimò, De ſepultura Chriſti. Decimo octauò, De Chriſti deſcenſu ad Inferos.

Digitized by Google

Punctum Primum.

De Venditione Chriſti.

1 *Chriſtus venditus fuit Iudæis.*
2 *Venditio Chriſti facta fuit die Mercurij.*
3 *Chriſtus venditus fuit à Iuda triginta argenteis.*
4 *Argenteorum nomine, quibus Chriſtus venditus fuit, quid intelligatur*
5 *Venditionis Chriſti cauſæ multæ aſſignantur.*
6 *Iudas quomodo adduci potuerit ad vendendum Chriſtum.*

IN hoc puncto quatuor principaliter explicabo. Primò, an Chriſtus venditus fuerit. Secundò, quandonam venditus fuerit. Tertiò, quo pretio. Quartò, quam ob cauſam.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus venditus fuit Iudæis à Iuda; Iudas enim pactum inijt cum Iudæis, vt ipſis Chriſtum traderet, Marci 14. Lucæ 22. & Matth. 26. *Tunc abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait illis, quid vultis mihi dare, & ego vobis eũ tradã?*

SECVNDA PROPOSITIO.

2 VEnditio, ſeu pactio de vendendo Chriſto facta fuit à Iuda die Mercurij, ideſt feria quarta proximè præcedente feriam ſextam, in qua Chriſtus morti affixus fuit. Ratio eſt, tum quia ſic habet Eccleſiæ traditio, tum quia ſic colligitur ex loco illo Matth. 26. *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur, vt crucifigatur: tunc congregati ſunt Principes Sacerdotum &c.* Tum quia ob id dies Mercurij numeratur inter dies ſpectantes ad Paſſionem Domini, & olim eo die ieiunari conſueuerat in memoriam, & honorē Paſſionis Chriſti, quæ eo die inchoata cēſebatur, ex Aug. Ep. 86.

Obijcies primò, Paſcha inchoatur die Iouis ad Veſperam, ſi ergo pactio de Chriſto vendendo facta fuit triduo ante Paſcha, dicendum eſt illam pactionem factam fuiſſe feria tertia, ideſt die Martis, non autē die Mercurij.

Reſpondeo, pactionem illam factam fuiſſe die Mercurij; nam dies Paſchæ fieri debebat feria ſexta; quamuis inciperet in Veſperis feriæ quintæ. Propterea computatio illius bidui non eſt facienda reſpectu ferię quintæ, in cuius Veſpere incipiebat Paſcha, ſed reſpectu ipſius diei feſti, qui feria ſexta colebatur.

Obijcies ſecundò, Iudas vendidit Chriſtum ſtatim poſt cęnam factam in Bethania, vt colligitur ex Matth. 26. ſed cęna illa facta fuit ſexto die ante Paſcha, ex Ioanne cap. 12. Ergo Iudas non vendidit Chriſtum biduo ante Paſcha, ſed ante.

Reſpondent Origenes tract. 35. in Matth. & alij, quibus adhæret Baronius anno 32. & 34. cęnam à Mattheo deſcriptam, non eſſe illam, de qua loquitur Ioannes; conſequenter illam de qua loquitur Matthęus celebratam fuiſſe biduo ante Paſcha; illam verò, de qua loquitur Ioannes, celebratam fuiſſe ſexto die ante Paſcha; quod autem iſtæ duæ cęnæ diſtinctæ videantur, probatur, quia celebratæ videntur in diuerſis domibus; nam Matthęus indicat Chriſtũ cęnaſſe in domo Leproſi, Ioannes in domo Marthæ, preſente Lazaro, & Maria, & miniſtrante Martha.

Reſ-

Reſponderi poteſt ſecundò, negādo Chriſtum venditum fuiſſe ſtatim poſt cęnam factam in Bethania, nec Mattheus aſſerit cęnam illam factā fuiſſe biduo ante Paſcha; ſed narrat Concilium Iudæorum, & proditionem in eo factam à Iuda, ſimulque mentionem facit cęnæ antea factæ, vt indicaret Iudam occaſionem proditionis ſumpſiſſe ab illa cęna, in qua Maria vnguentum inſumpſerat ad vngendum Chriſtum, quod vnguentum Iudas cupiebat vēdi, & eius pretium ſibi tradi. Neque obſtare videtur ratio in contrarium allata de diuerſitate domorum, vnica enim fuit cęna celebrata in domo Simonis, vbi Martha intereſſe voluit, & miniſtrauit ob peculiarem erga Chriſtum deuotionem, vel ob cognationem, & familiaritatem, quam ipſa cum Simone habebat. Vide Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 34. ſect. 1. & Tannerum to. 4. d. 2. q. 3. dub. 1. num. 17.

TERTIA PROPOSITIO.

3 CHriſtus venditus fuit à Iuda pretio triginta argenteorum, vt patet Matth. 27.

Sed modo dubium eſt, cuius pretij eſſet argenteus nummus.

Reſpondeo, varias eſſe de hac re Doctorum ſententias. Nā Rubertus lib. 10. in Matth. ait argenteos illos æquales fuiſſe regali Hiſpanico, ſeu Iulio Romano, vel Regali Mediolanenſi, aut decem cruciferis, ſiue duobus bazijs iuxta monetam Imperialem. Lyranus Matth. 26. ait ſingulos argenteos ęquales fuiſſe valori decem Iuliorum Romanorū, aut decem regalium Hiſpanicorum, vel Mediolanenſium. Sed hæc dici videntur ſine ſufficienti fundamento. Baronius in appendice ad annum 34. ait argenteum hoc loco ſignificare libram argenteam; ſed neque hoc mihi probatur, quia nomine argētei potius ſignificatur genꝰ quoddā monetæ, quam pondus, & menſura argēti.

4 Probabilius ergo dicendum videtur nomine argenteorum ſignificari ſiclos, quorum nonnulli etiam hoc tempore viſuntur Romæ, & alibi; ſicli autem apud Hæbræos erant duplicis generis; alij erant ſacri, & imaginem ſacram impreſſam habebant, quorum valor erat vnius talleri Imperialis, ſeu vnius fere ducati argentei Italici. Alij erant profani, & vſuales, quorum valor erat ferè dimidij nummi, ſeu ducati argentei Italici, uel dimidij talleri Imperialis, ſeu quatuor Iuliorum Romanorum, aut quatuor regalium Hiſpanicorū. Chriſtus ergo uenditus fuit triginta ſiclis, quo pretio apud Iudęos æſtimabatur ſeruus, uel ancilla, Exod. 21, uerſ. 32. ita Salianus anno Chriſti 34. Ribera Amos 8. Suarez 3. par. to. 2. d. 34. ſect. 1. col. 5. Tannerus loco citato, Emanuel Sa, Maldonatus, Baradius, & alij apud Salianū, & apud Suarez locis cit.

Obijcies primò, ex pecunia illa, qua uenditus fuit Chriſtus, emptus fuit ager, in quo ſepeliri poſſent peregrini. Ergo ueroſimile eſt illos argenteos fuiſſe magni ualoris, & pretij, alioquin ſufficientes minimè fuiſſent ad emendum agrum.

Reſpondeo primò, in ſcriptura aſſeri ex illis argenteis emptum fuiſſe agrum, non tamen affirmari agrum ex illis ſolis emptum fuiſſe.

Reſp. ſecūdò, fieri potuiſſe, ut ager

ille ex ſolis triginta argenteis emeretur; tū quia ager ille infęcūdus ferè, & deuaſtatus iam erat, exhauſta terra ad uaſa à figulis conficienda. Tū quia ager ille paruus erat, cum ad ſepeliendos peregrinos ad Vrbem confluētes modicū ſufficiat Cęmeteriū, & exiguus locus. Tum quia pecunia eo tempore rarior, & charior erat, quam nunc; conſequenter ager ille emi poterat triginta ſiclis communibus, & uſualibus.

Obijcies ſecundò, uenditio Ioſeph fuit figura uenditionis Chriſti; ſed Ioſeph uenditus fuit ſolum uiginti argenteis, Geneſ. 37. Ergo etiam Chriſtus uendi debuit ſolum uiginti argenteis.

Reſpondent aliqui in præfato loco Geneſis legendum eſſe *triginta*, ſed id gratis aſſerunt, cum in nullo codice habeatur.

Reſpondeo ego negando conſequentiam, quamuis enim Ioſeph venditus fuerit ſolum viginti argenteis, non ſequitur Chriſtum eodem prorſus pretio vendendum fuiſſe; non enim neceſſe eſt, vt figura in omnibus conueniat figuratò. Imò huic figuræ maximè conueniebat, vt Ioſeph minori pretio venderetur, quā Chriſtus, cum ſeruus minori pretio vendendus ſit, quam dominus, vt benè obſeruant Hieronimus Matth. 26. & alij, quos ſequitur Suarez diſp. 34. ſect. 1. ſub finem, & Tannerus loco citato num. 20.

QVARTA PROPOSITIO.

5 MVltę recēſētur cauſæ vēditionis Chriſti. Prima ex parte Chiſti eſt, vt nobis exemplum daret ad ferendum hoc genus iniuriæ, infidelitatis, ingratitudinis, & proditionis. Secūda cauſa ex parte Iudęorū, ira, & odio in Chriſtum percitorum fuit, vt illum clam in carcerem conijcerent; nam ſicut timebant illum occidere in die feſto, ne tumult⁹ fieret in populo, ita etiam timebant palam, & publicè illum comprehendere, ne ſeditio fieret in populo, & ne ab amicis, & diſcipulis defendi poſſet. Tertia cauſa ex parte Iudæ fuit auaritia, vt patet, tum ex illis verbis Matth. 16. *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Tum quia cū Iudas in cęna vidiſſet vnguē tum effundi ſuper caput Ieſu, indignatus eſt; volebat enim illud vendi, & ſibi pecuniam dari, vt aliquid ſuffurari poſſet, tantaq; fuit eius indignatio, vt ipſum Chriſtum vendere decreuerit ad reſarciendam lucri iacturam, vt colligitur ex illis verbis Ioannis 12. *Non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat.*

6 Quæres, quomodo Iudas, qui tot, ac tanta Chriſti miracula inſpexerat, adduci potuerit ex ſolo pecuniæ affectu ad vendēdum Chriſtum.

Hieronimus Matth. 26. Reſpondet Iudam non perſtitiſſe fidem Chriſti miraculis, neque exiſtimaſſe illa eſſe vera miracula, ſed ficta, apparentia, & ope Dęmonis facta, alioquin nunquam exiſtimaſſet Chriſtum capi, & decipi poſſe.

Alij Reſpondent, Iudam crediſſe miracula eſſe vera, & Chriſtū eſſe virum iuſtum, & Sāctum, vt poſtea ipſemet confeſſus fuit, *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum*; non tamen crediſſe ipſum eſſe verum Deum; conſequenter auaritia excęcatum, & indi-

Digitized by Google

indignatione commotum auſum fuiſſe Chriſtum Iudeis conuento pretio tradere. Ita Suarez loco cit.

Punctum Secundum.

De ſudore ſanguinis Chriſti in Horto orantis.

1 *Chriſtus inter orandum verum ſanguinis ſudorem emiſit.*

2 *Sudor ſanguinis Chriſti non fuit miraculoſus, ſed naturalis.*

3 *Angelus apparuit Chriſto oranti confortans ipſum.*

IN hoc puncto prius explicabo, an Chriſtus verè ſudorem ſanguinis emiſerit. Secundò, an præfatus ſudor fuerit naturalis, ſeu ex cauſa naturali.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus inter orandum verũ ſanguinis ſudorem emiſit. Ratio eſt, quia hæc ſunt verba Euangeliſtarum, quę cõtinent hiſtoriam, conſequenter propriè intelligenda ſunt, & non per hyperbolem, & ampliationem; cum enim proximum eſſet Paſſionis tempus, Chriſtus receſſit in Montem Oliueti, ſabbati habentem iter, ideſt diſtantem ab Ieruſalem ſpatio vnius milliaris, vel ſex ſtadijs, vt alij volunt, tantum .n. itineris licebat Iudeis peragere in ſabbato, ex Ioſeph lib. 6. de bello Iudaico cap. 3. eo in loco. *Chriſtus cœpit pauere, & tędere, & mœſtus eſſe, & factus in agonia prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram*, Lucæ 22. Ita communiter Patres contra Theophilatum aſſerentem præfata verba dicta fuiſſe per hyperbolem; ſicut enim qui amare flet, dicitur ſanguinem flere; ita qui præ nimio labore, & anixietate ſudat, dicitur ſanguinẽ ſudare; & contra Euthymium Matt. 64. vbi ait Lucam non aſſerere Chriſtum ſudaſſe ſanguinem, ſed ſudorẽ eius fuiſſe veluti guttas ſanguinis, ideſt ſudorem fuiſſe craſſum, & concretum, ſicut ſunt guttæ ſanguinis; ſic enim colligitur ex illa dictione, *Sicut*; quæ ſimilitudinem, non verò identitatem, & veritatem ſignificat: Sed hæc ſententia reijcitur. Tũ quia ſi Euangeliſta voluiſſet ſolum aſſerere ſimilitudinem, potius dixiſſet ſudorẽ factum fuiſſe ſicut guttæ aquę, nam guttæ ſudoris maiorem habent ſimilitudinem cum guttis aquæ, quã cum guttis ſanguinis. Tum quia illa dictio, *Sicut*, non ſemper ſignificat ſimilitudinem, ſed identitatem, & veritatem, vt patet Ioannis 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti*. Tum quia Eccleſia communi ſenſu, etiam à temporibus Apoſtolorum, ſemper intellexit Chriſtum ſudaſſe verum ſanguinem. Ita communiter Patres apud Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 34. ſect. 2. col. 3.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 SAnguis ille, quem Chriſtus ſudauit, non fuit miraculoſus, ſed naturalis, & ex cauſa naturali proueniẽs, ideſt vi internæ affectionis, anxietatis, & agoniæ, quam Chriſtus in ea oratione paſſus fuit. Ratio eſt primò, quia ſi ſudor ille ſanguinis fuiſſet miraculoſus, & non naturalis, non certò indicaſſet ma-

gnam Chriſti anxietatã, & triſtitiã interiorem; nam miraculosè fieri poterat cum parua, aut nulla triſtitia, & afflictione; ſed conſequens eſt falſum, nam communiter Patres sẽtiunt ſudorem ex magna afflictione emanaſſe. Ergo ſanguis ille non fuit miraculoſus, ſed naturalis. Secundò, quia non ſunt multiplicanda miracula ſine ſufficienti ratione, & fundamento, non adeſt autem ſufficiẽs ratio ad aſſerendum ſanguinem illum non fuiſſe naturalem, ſed potius ratione, & experientia naturali probatur ipſum eſſe naturalem; nam ſicut magnitudo Paſſionis violenter emittit ſudorem, ita ſi paſſio ſit vehemens, & valdè grauis, fieri poteſt, vt deficiente ſudore emittat ſanguinẽ, ſicut natura ad venerem coacta, deficiente ſemine in proprijs organis, ſanguinem pellit loco ſeminis, & p vbera nimiũ emungit, deficiente lacte, ſanguinem elicit, vt eſt tritum ſermone prouerbium. Ita Maldonatus in cap. 26. Matth. Caietanus Lucæ 22. Suarez loco cit. ſect. 2. concl. 2. Tannerus tom. 4. diſp. 2. quęſt. 3. dub. 1. n. 24. & 25. & alij.

Obijcies primò, metus, & triſtitia reuocant ſanguinem ad cor, natura ita proſpiciente, vt principaliori membro ſubueniatur.

Reſpondeo, metum, & triſtitiam attrahere ſanguinem ad cor, modo afflictio proueniens ex triſtitia non ſit tanta, vt alteret, commoueat, & inflammet corpus; tunc enim adeò attenuatur ſanguis, vt apertis poris ad exteriores partes prodeat, & profluat, vt benè Suar. lo. cit. & alij.

3 Obijcies ſecundò, Chriſto orãti apparuit Angelus confortans illum. Ergo ipſius afflictio tanta fuiſſe non videtur, vt ſanguinem ſudare debuerit.

Reſpondeo, Chriſto apparuiſſe Angelum de cęlo confortantẽ eum, ſed non ob id ſublatam fuiſſe Chriſto afflictionem. Dupliciter enim dici poteſt Chriſtum ab Angelo cõfortatum fuiſſe. Primò impropriè, & per metaphoram, ita vt verbum illud, confortare, non ſignificet animare, ſiue excitare ad fortiter agendum, ſed potius prædicare, ſeu admirari, & laudare Chriſti fortitudinem; ſicut nos dicimur magnificare Deum, dum ipſius laudes, & magnitudinem pronunciamus, & prædicamus. Ita S. Chryſoſtomus tom. 5. homil. de Trinitate, & alij. Secũdò, magis propriè, proponendo rationes, quibus triſtitia mitigari, & inferior portio confortari poſſet; quamuis enim Chriſtus illas rationes optimè noſſet, nihilominus per portionem ſuperiorem adeò illas cõſiderabat, vt parti inferiori nullus relinqueretur ſolatij locus. Hoc pacto dicitur Angelus cõfortaſſe Chriſtum, quia quantum in ſe erat illum confortauit proponendo, & in mentem reuocando rationes, quæ triſtitiam lenire, & conſolationem afferre poterant, quamuis Chriſtus illud conſolationis genus admiſiſſe non videatur; ſtatim enim factus in agonia prolixius orabat. Ita Hilarius 10. de Trinit. Beda Lucæ 22. S. Thomas 3. par. quæſt. 12. art. 4. ad 1. Hieronimus, & alij apud Suarez 3. par. tom. 1. quęſt. 12. in comment. art. 4.

Quis autem fuerit ille Angelus incertum eſt, & à Sanctis Patribus non declaratur.

Pun-

Punctum Tertium.

De oſculo Iudæ, fuga Diſcipulorum, caſu militum, amputatione auriculæ, comprehenſione Chriſti, & negatione Petri.

1 *Iudas cur pactũ oſculi cum Iudæis inierit.*
2 *Apoſtoli aufugerunt dum Chriſtus caperetur.*
3 *Apoſtoli non peccarunt fugiendo dum Chriſtus caperetur, modo fugam per ſe ſpectemus.*
4 *Milites volentes Chriſtum capere, ceciderunt retrorſum.*
5 *Chriſtus cur fecerit milites retrorſum cadere.*
6 *Milites cur potius retrorſum, quam in faciem ceciderint.*
7 *Chriſtus comprehenſus fuit magno cum armorum ſtrepitu.*
8 *Petrus videtur actum materialiter peccaminoſum feciſſe amputando auriculam Malco.*
9 *Petrus non videtur formaliter peccaſſe amputando auriculam.*
10 *Petrus negauit Chriſtum.*
11 *Petrus quoties Chriſtum negauerit.*
12 *Petrus grauiter peccauit negando Chriſtum.*
13 *Petrus non amiſit fidem, ſed gratiã, & charitatem negando Chriſtum.*
14 *Petrus cur permiſſus fuerit à Deo in negationis peccatum prolabi.*
15 *Petrus pœnitentiam egit peccati negationis.*
16 *Chriſtus reſpexit Petrum corporalibus oculis.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 IVdas cum Phariſeis conuenerat, vt illum caperent, cui ipſe oſculum impinxiſſet. Ratio autẽ, cur Iudas ſignum oſculi dederit Iudęis, hæc fuit, quia cum Chriſtus noctu comprehẽdendus eſſet, fieri potuiſſet, vt alter loco ipſius comprehenderetur. Tum quia Iacobus erat Chriſto ſimillimus. Tum quia cohors militum, quę ad Chriſtum capiendum accedebat, forte ipſum de facie non agnoſcebat. Alij alias afferunt rationes, quas vide apud Suar. 3. par. tom. 2. diſp. 32. ſect. 3.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 APoſtoli, dum Chriſtus caperetur, aufugerunt, nulluſque comprehenſus fuit, vt patet ex Euangelio; Chriſtus enim noluit illos comprehendi, quia facile eum negaſſent.

Obijcies, Marcus affirmat captũ fuiſſe adoleſcentem, & nudum relicta ſindone è manibus eorum effugiſſe, quem adoleſcentem aliqui putant fuiſſe Ioannem Euangeliſtam, alij verò Iacobum fratrem Domini.

Reſpondeo, illum adoleſcentem non fuiſſe vllum ex Apoſtolis, tum quia verbum Chriſti efficax erat; cũ autem Chriſtus dixerit, vt nullus Apoſtolorum comprehenderetur, credendum eſt nullum comprehenſum fuiſſe. Tum quia ille, qui comprehenſus fuit, erat iuuenilis ætatis; Iacobus autem, vel Ioannes non erat iuuenilis ætatis; Iacobus enim ſexageſimum, & Ioannes vigeſimum

ætatis annum agebat, ſi tempus, quo mortui ſunt, inſpiciatur. Tum quia veroſimile non eſt aliquem Apoſtolorum tunc fuiſſe nudum, & ſola ſyndone indutum. Quamobrem facile credi poteſt adoleſcẽtem illum fuiſſe aliquem ſeruum, vel medicum hominẽ illius Villæ, ex Suarez, Caietano, & alijs.

3 Sed modo dubium eſt, Vtrum Apoſtoli peccauerint fugiendo, & deſerendo Chriſtum.

Reſpondeo negatiuè, ſi fugam per ſe præcisè ſpectemus. Ratio eſt, tum quia fuga non aduerſatur confeſſioni fidei, cum ſuſcipiatur non ad indicandam mentem, ſed ad ſeruandam vitam. Tum quia nullum tunc præceptum extabat exponendi vitam. Tum quia Apoſtoli audierant à Chriſto nolle eos comprehendi, *Si me quæritis, ſinite hos abire*.

Dixi, ſi fugam per ſe præcisè ſpectemus, nam ob aliam cauſam fuga Apoſtolorum potuit eſſe peccaminoſa, vt ratione ſcandali, aut erroneæ conſcientiæ, aut dubitationis in fide, vel fiducia Chriſti, vt benè Suarez loco citato.

TERTIA PROPOSITIO.

4 Milites, qui ad capiendum Chriſtum acceſſerant, auditis illis verbis Chriſti, *Ego ſum*, retrorſum ceciderunt; ſic habetur Ioannis 18.

5 Sed modò Dubium eſt primò, cur Chriſtus hoc miraculum eo tempore facere voluerit.

Reſpondeo, id feciſſe, tum ne eo tempore, quo infirmior, & imbecillior videbatur, poteſtatem, & maieſtatem amiſiſſe exiſtimaretur. Tũ ne inuitus, & coactus pati videretur.

6 Secundò Dubium eſt, cur tanta hominum multitudo retrorſum potius corruerit, quã in faciem, aut alio modo.

Reſpondeo, id factum fuiſſe ob efficaciam Verbi Chriſti, quę in hoc deiectionis modo eluxit.

QVARTA PROPOSITIO.

7 Chriſtus magno cum armorũ ſtrepitu comprehenſus fuit. Matth. 26. qua ocaſione Petrus auriculam Malcho amputauit, illamq; Chriſtus ei miraculosè reſtituit; cauſa autem huius miraculi fuit, tum vt nobis exemplum maſuetudinis, & patientiæ præberetur. Tum ne Iudęi occaſionem hinc arriperẽt accuſandi Chriſtum de violentia publicis Reipublicæ miniſtris illata.

8 Sed modo Dubium eſt, Vtrum Petrus peccauerit auriculam amputando.

Reſpondeo, factum ipſum fuiſſe materialiter peccaminoſum. Tum quia non licet vim alteri propria authoritate inferre, niſi fortè id fiat ad neceſſariam ſui, vel innocẽtis defenſionem cum moderamine inculpatę tutelæ; id autem neceſſarium non erat ad Chriſti defenſionem, cui inutilis erat Petri defenſio, nam etiãſi Petrus aliquos milites interfeciſſet, nihilominus Chriſtus non euaſiſſet, vt benè ratiocinatur Suarez diſp. 34. ſect. 3. circa finem. Tum quia Chriſtus reprehendiſſe videtur Petrum, dum ait, *Conuerte gladium tuum in vaginã, omnes enim qui acceperint gladium* (propria videlicet authoritate,

at

vt ait Auguſtinus lib. 22. cōtra Fauſtum cap. 70.) *Gladio peribunt*, (non quidem quoad factum, ſed quoad ius, ſeu reatum, quia digni ſunt, vt gladio interficiantur. Tum quia Petr' ſine iuſta cauſa expoſuit Chriſtū maiori periculo, & ſe periculo mortis; inde .n. Iudęi occaſionē arripere poterant ſęuiendi in Chriſtum, & occidendi ipſum Petrum. Ergo factum Petri fuit materialiter peccaminoſum.

9 Maior difficultas eſt, Vtrum factum Petri fuerit formaliter peccaminoſum, ita vt ipſi imputandum fuerit ad culpam.

Reſpondendum mihi videtur negatiuè. Tum quia cum Chriſtus mādauerit vendi tunicam ad emendum gladiū, Petrus credere poterat hac de cauſa mandaſſe, vt illo vteretur, & conſequenter id ſibi licere Domino ipſo permittente. Tum quia veroſimile non eſt Petrū voluiſſe Chriſtum offendere, ipſique iniuriam inferre, dum ipſum ab hoſtium inuaſione tueri conabatur. Tum quia tātus erat amor Petri erga Chriſtum, vt nullam de malitia actus conſiderationem haberet, & inuincibiliter ignoraret actum illum illicitum eſſe. Ita ſentire videtur S. Hyeronimus Matth. 26. S. Ambroſius Lucæ 22. indicans actum illum fuiſſe quaſi ex dono Spiritus Sancti, Suarez d. 34. ſect. 3. ad finem, Chriſoſtom. & alij contra S. Auguſt. loco cit. & alios.

QVINTA PROPOSITIO.

10 Chriſto comprehenſo, eoq; ad Annam miſſo, & ab Anna tranſmiſſo ad Caifam, multiſq; iniurijs à Iudæis affecto; Petrus Chriſtū ſequens, cupienſq; videre, quæ circa Chriſtum fiebant, interrogatus fuit, an eſſet Chriſti Diſcipulus, vel Socius, & ipſe negauit. Hæc propoſitio patet ex ipſis Euangeliſtis. Quā poſita.

11 Dubium eſt primò, quoties Petrus negauerit Chriſtum.

Reſpōdeo, iuxta communiorē ſententiam ter negaſſe. Ratio eſt, tum quia Chriſtus ipſe ait, *Ter me negabis*. Tum quia ſinguli Euangeliſtæ trinā ſolum negationem ſcripſerunt. Ergo Petrus ter ſolum negauit Chriſtum. Ita S. Auguſtinus tract. 123. in Ioannem, S. Ambroſ. lib. 2. de Sacram. ca. 7. S. Hyeronimus Epiſt. 149. ad Marcellam, & alij apud Suarez 3. p. to. 2. d. 35. ſect. 1. contra Caietanum Ioann. cap. 18. & alios aſſerentes Petrum negaſſe Chriſtum pluries, quātet. Imò aliqui putant negaſſe ſexies, ter in domo Annæ, & ter in in domo Caiphæ. Sed hoc gratis aſſeritur, vt patet ex allatis rationibus, & benè docet Suarez loco citato oſtendens negationes Petri contigiſſe in domo Caiphæ, non autem Annæ.

12 Secundò Dubium eſt, An, & quomodo Petrus peccauerit negando Chriſtum.

Reſpondeo, grauiter peccaſſe. Ratio eſt primò, quia negare Chriſtum eſt mortale peccatum ex ſuo genere. Ob id Chriſtus ipſe ait, *Qui me negauerit corā hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*. Secundò, quia mendacium pernicioſum, & iniurioſum ex ſuo genere eſt mortale peccatum, præſertim ſi iuramento firmetur; ſed Petrus negando Chriſtum commiſit mendacium iniurioſum Chriſto, & per-

pernicioſum confeſſioni Chriſti, illudque iuramento firmauit. Ergo mortaliter peccauit. Tertiò, quia id ſatis indicatur ex pœnitentia à Petro peracta, qui ob huiuſmodi mendacium fleuit amarè. Ita communiter Doctores Catholici contra Hilariũ cap. 32. in Mattheum; & S. Ambroſ. l. 10. in Lucam 22. excuſantes verba Petri à mendacio, eo quod ipſe aliter illa acceperit, quam audientes. Sed iſti refellendi ſunt, quia dum conantur defendere Petrum, videntur de mendacio accuſare Chriſtum, qui ait Petro, *Ter me negabis*.

13 Tertiò dubium eſt, an Petrus negando Chriſtum amiſerit fidem.

Reſpondeo, non amiſiſſe fidem; ſed gratiam, & charitatẽ. Ratio eſt, quia fides non amittitur, niſi ſentiendo contra fidem; Petrus autem negãdo Chriſtum non ſenſit cõtra fidem, ſed ſolum exterius negauit Chriſtũ. imò neq; exterius negauit ipſum eſſe Meſſiam, aut Deum, ſed ſolum ſe noſſe illum, aut illũ ſequutum fuiſſe, quod eſt peccatum contra confeſſionem fidei, non autem propriè contra fidem, ſicut qui exterius dicit ſe non eſſe Chriſtianum, non negat fidei veritatem, ſed deficit in eius confeſſione, vt patet ex dictis de fide.

14 Quartò dubium eſt, cur Deus permiſerit Petrum in hæc peccata labi.

Reſpondeo, multis de cauſis permiſiſſe. Primò, ne nobis fidamus, & de nobis quicquam præſumamus; permiſſum eſt enim Petrum cadere, quia nimium de ſua conſtantia fiduciam habuerat, dum ait, *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo*. Secundò, quia vt Petrus, qui futurus erat aliorũ Paſtor, ſuo exemplo diſceret aliorum miſereri, & alienis infirmitatibus compati. Tertiò, vt vis pœnitentiæ cognoſcatur, per quam Petrus non ſolum veniam peccatorum obtinuit, verum etiam ad Eccleſiæ principatum euectus fuit. Vide Suar. 3. p. to. 2. d. 35. ſec. 2. col. 6. ver. quas verò.

15 Quintò dubium eſt, an Petrus pœnitentiam ſui peccati egerit, & remiſſionem obtinuerit.

Reſpondeo affirmatiuè; nam conuerſus Dominus reſpexit Petrũ, qui recordatus verbi ſibi à Chriſto dicti, *Antequam gallus cantet, ter me negabis, exijt foras, & fleuit amarè.* Imò tam grauem de ſuo peccato pœnitentiam egit, vt genæ ipſæ ob lacrymarũ copiam ex oculis defluentium adeò excauatæ, & attritæ fuerint, vt fouea quædam, ſeu alueus in eis appareret.

16 Rogabis, Vtrum Chriſtus reſpexerit Petrum corporalibus oculis, an ſolum interiori illuſtratione, & ſpirituali intuitu.

Reſpondendum mihi probabiliter videtur, Chriſtum reſpexiſſe Petrum etiam corporalibus oculis; nã Lucas ait, *Conuerſus Dominus reſpexit Petrum*; cum enim Chriſtus auerſam à Petro faciem haberet, illam cõuertens reſpexit Petrum. Ita Maximus Turienſis in homilijs de negatione Petri, & Suarez loco cit. ſect. 1. ad finem contra S. Auguſtinum lib. 1. de gratia Chriſti cap. 45. Bedam lib. 6. in Lucam cap. 22. & alios.

Obijcies, Petrus erat in atrio, & Chriſtus in Aula. Ergo fieri non potuit, vt Chriſtus oculis corporalibus reſpexerit Petrum.

Reſpondeo, fieri potuiſſe, vt Chriſtus foras eductus fuerit, & inter trãſe-

Digitized by Google

ſeundum reſpexerit Petrum, vel vt Petrus cupiens videre Chriſtum ad Aulam peruenerit, itaut à Chriſto conſpici potuerit, vt benè Suarez loco citato, & alij.

Punctum Quartum.

De flagellatione Chriſti.

1 *Chriſtus flagellatus fuit.*
2 *Flagellatus fuit Chriſtus ſemel tantum.*
3 *Chriſtus aſperè flagellatus fuit.*
4 *Columna ad quam Chriſtus flagellatus fuit, qualis fuerit.*
5 *Flagella, & verbera Chriſti illata, quot fuerint.*
6 *Chriſtus qua de cauſa flagellis cędi voluerit.*

IN hoc Puncto primo loco explicabo, quandonam Chriſtus flagellatus fuit. Secundò, quoties. Tertiò, quam durè, & quot flagellis. Quartò, cur flagellis ſe ſubiecerit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus flagellatus fuit, antequam ſententia mortis in ipſum prolata eſſet. Ratio eſt, quia ſic apertè colligitur ex Ioannis 19. vbi aſſeritur, Pilatum oſtẽdiſſe Chriſtum Iudęis flagellis cęſum, & cum eis contendiſſe, an morte dignus eſſet, ac denique timore agitatum ſententiam mortis in Chriſtum protuliſſe.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 CHriſtus ſemel tantum flagellatus fuit. Ratio eſt, tũ quia hic eſt cõmunis Eccleſiæ ſenſus. Tũ quia ſic apertè conſtat ex Ioanne loco citato, vbi habetur, Chriſtũ poſt flagellationem condemnatum fuiſſe à Pilato, & traditum Iudęis ad crucifigendum.

Obijcies, Matthęus, & Marcus indicant Chriſtum flagellis cęſum fuiſſe poſt ſententiam; ſed ex Ioanne cõſtat etiam flagellis cęſum fuiſſe ante ſententiam. Ergo bis flagellatus fuit, præſertim cum reliqui ad mortem condemnati poſt ſententiã flagellarentur, antequam mors inferretur.

Reſpondeo, Matthęum, & Marcum non aſſerere Chriſtum bis flagellatum fuiſſe; ſed per recapitulationem referre flagellationem poſt ſententiã, licet facta fuerit ante ſententiam, & licet alij flagellarentur poſt ſententiam; Chriſtus tamen flagellatus non fuit poſt ſententiam, quia iam antea cęſus fuerat.

TERTIA PROPOSITIO.

3 ASperè, acriter, & durè flagellatus fuit Chriſtus. Ratio eſt primò, quia Pſal. 72. dicitur, *Fui flagellatus tota die*, ideſt tam aſperè, & crudeliter, ac ſi tota die flagellatus fuiſſet. Secundò, quia Pilatus Chriſtum flagris cędi iuſſit, vt Iudæi inſpecta flagellatione dura, & graui, aliqua ratione placarentur, & commiſeratione promouerentur ad non vlterius ſęuiendum cõtra Chriſtum, eumq; morte condemnandum. Tertiò, quia Chriſtus flagellatus non fuit ab ipſo Pilato immediatè, & phyſicè, ſed mediatè, moraliter, & imperatiuè, quo pacto intelligitur lo-

locus ille Ioannis, *Apprehendit Pilatus ieſum, & flagellauit.* Pilatus enim tradidit Chriſtum militibus, vt flagellaretur; milites autem maximè ſæuierunt in Chriſtum, illumque non ſolum magna vi flagellarunt, verum etiam præter iuſſum Pilati ſpineam coronam capiti Chriſti impoſuiſſe videntur. Quartò, quia flagella, quibus flagellatus fuit Chriſtus, funiculis, aut loris contexta erant, quibus admixtæ erant catenæ, vt aliqui affirmant, & in extrema parte addita erant ferrea quædam puncta ad carnem lacerandam, vt aliqui arbitrantur. Imò aliqui putant, (quod tamen nõ eſt certum) Chriſtum primo cęſum fuiſſe duris funibus, deinde ferreis ſcorpionibus, poſtea catenis, deniq; ſpineis virgis, non quia quater flagellatus ſit, ſed quia ſucceſſiuè in eadem flagellatione hæc omnia inſtrumẽta admixta fuerũt. Quintò, quia Chriſtus alligatus fuit ad columnam, vt acrius cæteris cędetetur. Hæc columna modo reperitur Romæ in Æde S. Praxedis.

4 Dices, S. Hyeronimus Epiſt. 27 aſſerit columnam illam, ad quam Chriſtus flagellatus fuit, fuiſſe vnam ex illis, quæ porticum Eccleſiæ ſuſtinebant, conſequenter illa columna fuit magna, & non parua, vt eſt illa, quæ in æde S. Praxedis exiſtit.

Reſpondeo primò cum communi ſententia, columnam illam, quæ in æde S. Praxedis exiſtit, eſſe partem illius columnæ.

Reſpondet ſecundò Suarez diſp. 35. ſect. 2. concl. 3. col. 3. Hyeronimum intelligendum eſſe de inferiori porticu, ad cuius ſuſtentationẽ ſufficere poterat humilior columna. Sed hæc reſponſio mihi non probatur, nam columna illa adeò exigua eſt, & parua, vt ſufficere non potuerit ad vllam porticum ſuſtinendam.

5 Quæres, quot plagæ, ſeu verbera illata fuerint Chriſto.

Reſpondeo, nihil certi in hâc re ſtatui poſſe; aliqui enim putant Chriſto illatas fuiſſe ſolum quadraginta plagas vna minus, iuxta conſuetudinem Iudęorum. Sed hoc veroſimile non eſt. Tum quia Chriſtus crudelius flagellatus fuit. Tum quia flagellatus nõ fuit more Iudęorum, ſed Romanorum. Alij putant plagas exceſſiſſe numerum quinque millium, idque cuidam fęminæ reuelatum fuiſſe ferũt Ludulphus in Vita Chriſti 2. par. cap. 58. & alij. Sed hoc nõ eſt certum, præſertim cum reuelationibus fęminarum credere non teneamur, inquit Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 35. ſect. 2. ad finem.

QVARTA PROPOSITIO.

6 Chriſtus multis de cauſis flagellis cędi voluit. Primò, vt nobis exemplum præberet patienter pro ipſo ferendi incommoda, & flagella, ſi inferãtur, iuxta illud Act. 5. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Secundò, vt à nobis auerteret flagella diuinæ iracundiæ. Ratio, cur Pilatus hoc ſupplicij genus Chriſto inferri voluerit, eſt, quia nulla erat grauior pœna excepta morte, & mutilatione, nullaque maioris erat opprobrij, & ignominiæ; erat enim pęna ſeruorum, & Ciuis Romanus flagellari ob ignominiam non poterat.

Pun-

Punctum Quintum.

De iniuſta cōdemnatione Chriſti ad mortem, ſeu iniuſtitia ſententiæ.

1 *Sententia Pilati in Chriſtum iniuſta fuit.*

2 *Pilatus grauiter peccauit condemnando Chriſtum.*

3 *Iudæi grauius peccarūnt, quam Pilatus.*

VNICA PROPOSITIO.

1 PErſpicuum eſt ſententiam Pilati condemnantis Chriſtum ad mortem iniuſtam fuiſſe. Probatur primò, quia Chriſtus erat vir innocens, iuſtus, ac ſanctus. Secundò, quia Chriſtus de iure ſubiectus non erat humanæ poteſtati, quamuis de facto ſubijci voluerit, non quidem concedendo facultatem Pilato, vt poteſtatem contra ſe ipſum exerceret, ſed permittendo; quo pacto explicatur locus ille, *Non haberes in me poteſtatem vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Tertiò, quia 1. Petri cap. 2. dicitur, *Tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè.*

2 Ex quo ſequitur primò, Pilatū grauiter peccaſſe condemnādo Chriſtum ad mortem. Tum quia id patet ex illis verbis Chriſti Ioan. 19. *Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Tum quia Pilatus nouerat Chriſti innocentiam, vt ipſemet confeſſus eſt, & indicauit lotione manuum, ſciebatque Iudæos Chriſti mortem expetere ex odio, ira, & inuidia. Tum quia ſententiam tulit non ſeruata iudicij forma, nimia cū celeritate, & temeritate, & poteſtatem exercuit in non ſubditum, ſciēs, vel dubitans Chriſtum eſſe Dei filium, cum ab ipſis Iudæis audiuiſſet, quod Chriſtus filiū Dei ſe feciſſet.

3 Secundò ſequitur, peccatum Iudæorum grauius fuiſſe peccato Pilati. Tum quia peccatum Pilati ab ipſis originem traxit. Tum quia Iudæi peccarunt ex odio, Pilatus ex timore. Tum quia Iudæi maiorem de Chriſto cognitionem habebant, quā Pilatus; conſequenter ipſorum peccatum minorem habuit excuſationis cauſam. Vide Suarez 3. par. diſp. 36. ſect. 1. ad finem.

Punctum Sextum.

De Cruce, Crucis delatione, & crucifixione.

1 *Crux Chriſti duplici ligno cōſtabat.*

2 *Chriſtus proprijs humeris Crucem portauit.*

3 *Chriſtus Crucem detulit ſaltem ad eum locum in Simon quo Cyreneus ſibi occurrit.*

4 *Maria Virgo occurrit Chriſto Crucem deferenti.*

5 *Maria Virgo ſpaſmum paſſa non fuit.*

6 *Chriſtus verè crucifixus fuit.*

7 *Chriſtus clauis affixus fuit Cruci, non verò funibus.*

8 *Latrones ipſi clauis affixi fuerunt Cruci.*

9 *Claui, quibus Chriſtus Cruci affixus fuit, quotnam fuerint.*

10 *Chriſtus an cruci affixus fuerit antequam crux erigeretur, incertū eſt.*

11 Chri-

11 *Chriſtus cum ſpinea corona crucifixus fuit.*
12 *Chriſtus, an nudus crucifixus fuerit.*
13 *Iudæi cur mortem Crucis Chriſto intulerint potius, quam aliud genus mortis.*

IN hoc puncto primo loco explicabo, quanta fuerit Crucis magnitudo. Secundò, an Chriſtus proprijs humeris Crucem portauerit. Tertiò, an verè Cruci affixus fuerit, præſertim clauis, & quot clauis, & cum ſpinea corona, & an crucifixus fuerit, dum iaceret in terra, vel eleuatus in aere, an nudus, vel tectus, & cur fuerit crucifixus.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CRux Chriſti duplici ſaltem ligno conſtabat, recto ſcilicet, & tranſuerſo; rectũ quoad magnitudinem erat quindecim palmorum, vt multi Doctores volunt; quo ad latitudinem tantæ erant craſſitudinis, vt hominem, etiam magnæ ſtaturæ, facilè ſuſtinere poſſet. Lignum tranſuerſum credendum eſt fuiſſe proportionatum ligno recto. Præterea in ſuperiori parte Crucis, ſeu ligni recti affixa fuit tabula, in qua inſcriptus erat titulus, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*. Quamquam non deſunt Doctores aſſerentes Crucem factam fuiſſe inſtar figuræ literæ. T. qua ſignificabatur liberatio à percuſſione Angeli, Ezech. 9. & apud Egyptios ſignificabatur vita, ex Rufino lib. 5. hiſtor. cap. 17. ad inſcribendum tamen titulum ſuperadditam, & affixam fuiſſe partem aliquam ligni, quam modo Romæ in Eccleſia Sanctiſſimæ Crucis in Hieruſalem repetiri arbitrantur cõmuniter Scriptores. Alij addũt Crucem in parte inferiori defixam non fuiſſe in terra, ſed affixam fuiſſe alteri ligno in terra defoſſo; ſed hoc ego nõ facilè conceſſerim ſine firmiori fūdamento, cum ipſummet Crucis lignum in terra defigi potuerit.

SEPTIMA PROPOSITIO.

2 DE fide certum eſt Chriſtum proprijs humeris Crucem detuliſſe. Tũ quia id expreſſè tradit Ioann. 19. *Baiulans ſibi Crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum.* Tum quia id prædictum fuerat ab Iſaia propheta cap. 9. *Factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Tum quia hæc eſt communis Patrum, & Doctorum ſententia, cui adhęrens Euthimius in Ioannem ait, *Ferebat Crucem in humeris, tanquam ſtrenuus miles lanceam, qua deiecturus erat aduerſarium.* Tum quia in more poſitum erat apud antiquos, vt homo crucifigendus Crucẽ deferret, teſte Plutarcho lib. de ſera numinis vindicta.

Obijcies, Euangeliſtæ affirmant Iudęos angariaſſe quẽdam Symonẽ Cyreneum, eique conuento pretio Crucem impoſuiſſe. Ergo Chriſtus ipſe non detulit Crucem.

3 Reſpondeo, Chriſtum detuliſſe Crucem, ſaltem ad eũ locum, in quo obuium habuit Simonem Cyreneũ; occurrente verò Simone Cyreneo Crucem Chriſto iam defatigato, & deficienti in via ſublatam fuiſſe, & impoſitam Simoni, præcedente poſtea Chriſto, & Simone ipſum ſequente. Ita Origenes tract. 35. in Matth.

Matth. Hyeronimus Matth. 27. & alij Patres ferè communiter apud Azorium 2. p. lib. 1. cap. 16. quæſito 3. & apud Suarez loco citato, quamquam Caietanus Lucæ 23. aſſerit Chriſto nunquam ſublatam fuiſſe Crucem, ſed Simonem in via occurrentem conductum fuiſſe, vt Chriſtū adiuuaret ad ferendam Crucem, ita vt Chriſtus anteriorem partem præeundo deferret, & Simon poſteriorem partem, ſequendo Chriſtum, geſtaret. Ratio eſt, quia ſcriptura indicat Chriſtum portaſſe Crucem vſq; ad Caluariæ locum, Ioann. 19. *Et baiulans ſibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum.*

4 Quæres, vtrum Chriſto Crucē deferenti occurrerit Beatiſſima Virgo Maria.

Reſpondeo affirmatiuè, quia Beatiſſima Virgo adfuit, dum Chriſtus Cruci affixus fuit. Ergo veroſimile eſt etiam occurriſſe Chriſto Domino in via Crucem portanti. Ita S. Bonauentura in lib. meditatio. Vitæ Chriſti cap. 77. Suarez d. 36. ſect. 2. ſub finem, & alij, quibus adde S. Brigittam lib. 1. Reuelat. cap. 10. aſſerentem Beatiſſimam Virginem interfuiſſe flagellationi Chriſti, delationi Crucis, & crucifixioni.

Obſerua tamen, Beatiſſimā Virginem non fuiſſe vnam ex illis Mulieribus, quibus flentibus Chriſtus dixit, *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper filios veſtros.* Quamuis enim Beatiſſima Virgo ſummè doluerit, & fleuerit nullo exterius edito vociferationis, vel perturbationis ſigno; non tamen fleuit ex ſola naturali compaſſione, quo pacto flebant illæ Mulieres putātes eum coactè pati, & ignorantes cauſam mortis, & peccatum Crucifigentiū, vt benè ait Leo Papa ſer. 10. de Paſ. Suar. d. 36. ſec. 2. ad fin.

5 Maior difficultas eſt, vtrū Beatiſſima Virgo, dum Chriſto ferenti Crucem occurrit, præ nimio dolore ſenſum amiſerit, & quaſi exanimis conciderit, ſeu ſpaſmum paſſa ſit.

Reſpondent aliqui affirmatiuè, aſſerentes hac de cauſa in via Caluariæ alias conſtructum fuiſſe templū, qđ S. Maria de Spaſmo vocabatur.

Sed oppoſitum ſentiendum eſt. Ratio eſt, tum quia Beatiſſima Virgo paſſa non eſt ſpaſmum, dum Chriſtus grauiſſimos in Cruce dolores perferebat; nam Ioan. cap. 19. dicitur, *Stabat autem iuxta Crucem Ieſu Maria Mater eius.* Ergo neque alio tēpore illum paſſa fuit; nam ipſa tunc maximè doluit, quando filius magis dolebat; animo enim, & affectu cum eo crucifixa erat. Tum quia Beatiſſima Virgo in ſententia multorū perfectum habuit dominiū ſuper omnes actus, & affectus ſuos, ſicque partem inferiorē regebat, & moderabatur, vt nihil indecens, & indecorum in ea permitteret; indecens autem videbatur propter inferioris partis triſtitiam, corporis viribus, & rationis vſu priuari. Tū quia Beatiſſima Virgo conſcia erat dolorum, cruciatuū, mortis, & Reſurrectionis Chriſti. Ergo veroſimile non eſt ipſam dolore adeò grauatam fuiſſe; vt deficeret, cum ex alia parte glorioſa Chriſti Reſurrectio, de qua certiſſimam ſpem habebat, non mediocriter dolorem lenire poſſet.

Ex quo licet inferre, Beatiſſimam Virginem præ dolore non defeciſſe, non ſolum quando occurrit Chriſto

1 *Bon. de Incarnat.*

Digitized by Google

Crucem portanti, verum neque quãdo vidit Chriſtum nudum in Cruce extendi, aut lancea vulnerari, aut qñ illum ex Cruce depoſitum in vulnis ſuſcepit. Neque obſtant Patres, aut picturæ ſpaſmum Beatiſſimæ Virginis ſignificantes. Tum quia Patres loquũtur per exaggerationem ad ſignificãdum acerbiſſimum Beatiſſimæ Virginis dolorem. Tum quia nonnulla ſcripta apogripha videntur. Tum quia illæ picturæ ex vulgi opinione introductæ fuerunt, quia fortè eximius Beatiſſimæ Virginis dolor aliter cõmodè exprimi non poterat. Vide Suar. 3. p. to. 2. d. 40. ſect. 2. ad fin. hoc etiam pacto explicandę ſunt Cõfraternitates ſub titulo S. Mariæ de Spaſmo inſtitutæ.

TERTIA PROPOSITIO.

6 Chriſtus verè, & propriè Cruci affixus fuit. Hæc propoſitio eſt de fide prædicta in veteri teſtamento, Deuteron. 32. *Erit vita tua pendens ante te*, quem locum Tertullianus contra Iudæos cap. 11. & 12. ſic legit, *Erit vita tua pendens in ligno ante oculos tuos*. Pſal. 95. *Dicite in gentibus quia Dominus regnauit à ligno*. Ieremiæ cap. 11. *Mittamus lignum in panem eius*, ideſt crucẽ in corpus eius, qđ eſt panis vitæ, vt explicant Cyprianus lib. 2. contra Iud. c. 15. & 20. Tertul. Iuſtinus, & alij apud Suar. lo. cit. d. 36. ſect. 3. concluſ. 1. & in hac propoſitione conueniunt omnes Catholici Doctores contra nonnullos Hæreticos, negantes Chriſtum crucifixum fuiſſe, ſed Simonẽ Cyreneũ loco ipſius Chriſti.

Obijcies, ſi Chriſtus in ligno pependiſſet, maledictus fuiſſet, iuxta illud Deuteron. 21. *Maledictus omnis, qui pendet in ligno*, ſed Chriſtus non fuit maledictus. Ergo non pependit in ligno.

Reſp. primò, illum fuiſſe maledictum, qui ob propriam culpã crucifigebatur, non aũt qui abſq; vlla culpa crucifixus fuit ad delendas culpas.

Reſp. ſecundò, dici poſſe Chriſtũ factum fuiſſe maledictũ pro nobis, iuxta illud ad Galatas 3. *Vt nos redimeret de maledicto legis, factus eſt pro nobis maledictum*; ſicut enim ex eodẽ Apoſtolo Chriſtus dicitur fact⁹ pro nobis peccatũ, non quia aſſumpſerit peccatum, ſed quia aſſumpſit ſimilitudinẽ peccatoris; ita dicitur factus maledictum, nõ quia aſſumpſerit id, quod eſt dignum maledictione, ſed quia aſſumpſit ſimilitudinem. Ita S. Auguſtinus lib. 14. contra Fauſtum cap. 2. & 12.

7 Sed modo dubium eſt. Primò, an Chriſtus verè in cruce affixus fuerit clauis, an ligatus funibus, aut alia ratione.

Reſp. Chriſtũ verè fuiſſe in cruce clauis affixum. Ratio eſt, tũ quia id expreſsè prædictũ fuerat Zacchar. cap. 12. *Aſpicient in me, quem confixerunt*, Pſ. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos*, Actor. 2. & 4. *Quem vos crucifixiſtis*, 1. Chor. 1. *Prædicam⁹ Chriſtum, & hunc crucifixum*, & Ioan. 20. Thomas dixit, *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, non credam*, & Chriſtus ei poſtea dixit, *Infer digitũ tuum huc, & vide manus meas*. Ita cõmuniter Patres, & Doctores Catholici contra nonnullos Hæreticos aſſerentes Chriſtum in cruce affixũ non fuiſſe clauis, ſed ligatum fuiſſe funibus, aut alia ratione.

Obij-

Obijcies primò, vſu receptum nõ erat apud Hæbreos, vt qui in cruce ſuſpendebantur, clauis affigerentur; Deuter. 21. Ergo neque Chriſtus videtur in cruce confixus clauis.

Reſp. primò; Chriſtum punitum fuiſſe non à Iudæis, ſed à Romanis, apud quos in vſu erat hoc ſupplicij genus, vt docet Couarr. 4. variar. c. 5. conſequenter multa pertulit Chriſtus, quæ in lege veteri præſcripta non erant.

Reſpondeo ſecundò, etiam apud Iudæos morem aliquãdo viguiſſet, vt aliqui clauis in cruce figerentur, vt patet de ſeptem filijs Saul, 2. Reg. cap. 21. quamuis enim lex vetus non præciperet cruci affigi, non tamen prohibebat affigi.

8 Obijcies ſecundò, Latrones cũ Chriſto non fuerunt clauis affixi; ergo neque Chriſtus.

Reſpondeo, etiam Latrones clauis affixos fuiſſe crucibus. Tum quia dum in ſcriptura legimus aliquem crucifixum fuiſſe, & non tantum ſuſpenſum, intelligẽdum eſt clauis affixum fuiſſe; verba enim propriè intelligenda ſunt. Tum quia Euangeliſtæ eodem pacto loquuntur de Latronibus, ac de Chriſto. Tum quia cum cruces inuentæ fuiſſent, cognoſci non potuit abſque miraculo, in quanam pependiſſet Chriſtus. Ergo ſignum eſt omnes cruces fuiſſe eiuſdem figuræ, & habuiſſe foramina clauorum. Ita S. Aug. ſerm. 130. de tempore, Greg. 18. mor. cap. 23. & alij, quibus adde Abulenſem in parad. 3. cap. 44. & Suarez 3. p. tom. 2. q. 46. in commentar. ar. 11. aſſerentes conſuetudinem quorundam, qui Latrones pingunt ligatos, & non affixos, ex indiſcreta aliquorum deuotione introductam fuiſſe. Contra Azor. 2. p. lib. 1. cap. 16. quæſito 4. & alios aſſerẽtes latrones funibus alligatos; non autem clauis confixos fuiſſe.

9 Secundò dubium eſt, quot clauis Chriſtus in cruce ſuſpẽſus fuerit.

Reſpondeo, certum eſſe clauos fuiſſe tres, vel quatuor, & nõ plures; non tamen certò conſtare, an definitè fuerint tres, vel quatuor. Nam Gregorius Turon. lib. 1. de gloria Martyr. cap. 7. putat fuiſſe quatuor. Tum quia id habetur in reuelationibus S. Brigittę lib. 1. cap. 10. Tũ quia etiam hoc tempore inueniuntur aliquæ antiquæ Imagines, in quibus apparet ſingulos Chriſti pedes ſeorſim proprio clauo confixos fuiſſe. Tum quia vterque pes nõ poterat ſine difficultate, & periculo confractionis alicuius oſſis, vno clauo cõfigi, & tamen de fide eſt nullum os corporis Chriſti confractum fuiſſe. Alij verò, vt S. Bonauentura in lib. medit. Vitę Chriſti c. 78. Ludulphus Carthuſ. 2. par. Vitę Chriſti cap. 63. Azorius 2. 2. p. lib. 1. cap. 16. quæſito 5. & alij exiſtimant claues fuiſſe tantum tres. Tum quia hic videtur communis fidelium ſenſus, & vſus picturarum Chriſti crucifixi. Tum quia tres claui ſufficiunt, & vno clauo cõfigi potuerunt ambo pedes, quãuis clauus longior, & craſſior eſſe debuerit, maioremq; cruciatum attulerit.

10 Tertiò dubiũ eſt, an Chriſtus cruci affixus fuerit, antequã crux in aere erigeretur, & in terra figeretur.

Reſp., nihil certi definiri poſſe; nonnulli .n. arbitrantur Chriſtũ cru-

ſti affixum fuiſſe, antequam crux erigeretur. Alij putant Crucem prius erectam, deinde Christum eleuatũ fuiſſe, vt in ea figeretur. Ita S. Bonauentura, & Ludulphus Carthuſ. locis citatis, & alij apud Azorium 2. par. l. 1. c. 16. qu. 6. & apud Suar. loco citato; conſentiunt tamen Doctores, foramina in Cruce prius facta fuiſſe, deinde corpus Christi validè fuiſſe extenſum, vt pedes, & manus ad foramina in cruce facta peruenirent. In quẽ ſenſum à S. Augustino, & ab alijs exponitur locus ille Pſalm. 21. *Dinumerauerunt omnia oſſa mea*, & ille, *Diſperſa ſunt omnia oſſa mea*, ideſt adeò diuulſa, & diſtenta fuerunt per vim attrahentium, vt dinumerari poſſent.

11 Quartò dubiũ eſt, an Christus crucifixus fuerit cum ſpinea corona.

Reſpondeo affirmatiuè, iuxta probabiliorem ſententiam. Ratio eſt, tũ quia veroſimile eſt id factum fuiſſe, vt Iudæi maiorem Christo dolorem inferrent. Tum quia dum Christus Crucem ad Caluariæ locum deferret, faciem linteo terſit, in eoq; effigiem ſuam impreſſit tinctam ſanguine per faciem defluente ob ſpineam coronam. Ita Origen. tract. 35. in Matth. & alij apud Azorium quæſtio 8. contra Euthimium cap. 67. in Matth.

Obijcies, dum Christus portare deberet crucem ad Caluariæ locum, indutus fuit proprijs veſtibus, ſpoliatusq; fuit veſte purpurea, alijsq; inſignibus regijs, quamuis ludicris. Ergo veroſimile eſt ablatam etiam ei fuiſſe ſpineam coronam, præſertim cum impedimento eſſe poſſet ad induendum proprias veſtes.

Reſpondeo, Christum quidẽ ſpoliatũ fuiſſe purpurea veſte. Tũ quia erat aliena. Tũ quia fieri poterat, vt eſſet alicuius pretij, eamq; dñs ſibi reſtitui vellet; non tñ exutum fuiſſe ſpinea corona. Tũ quia Euangeliſtæ aſſerunt Christum ſpoliatũ fuiſſe veſte illa coccinea, & nihil affirmãt de ſpinea corona. Tũ quia fieri poterat, vt Christus exueretur, & indueretur veſtibus, remanente ſpinea corona, cũ ſpinæ non eſſent valdè oblõgæ, & veſtis, licet inconſutilis, potuerit eſſe in ſuperiori parte ſatis lata, & diuiſa. Quamquam aliqui putãt coronã, dum Christus veſte inconſutili indutus, vel exutus fuit, ſublatam fuiſſe, & poſtea iterũ impoſitã, ſicq; dolores Christi auctos fuiſſe. Ita S. Brigitta lib. 1. Reuel. c. 10. & 11. & alij.

12 Quintò dubium eſt, vtrum Christus crucifixus fuerit omninò nudus.

Reſpondeo, nihil certi ſtatui poſſe; communior tamen Sanctorũ Patrum ſententia affirmat Christum crucifixum fuiſſe omninò nudum, & abſque vllis partis velamine. Ratio eſt; tum quia huius nuditatis figura extitit Noe, qui cum vineam plantaſſet, illius vitio inebriatus nudat⁹ eſt, Gen. 9. quod de Christo intelligunt Aug. 16. de Ciuit. cap. 2. Rupertus in Geneſim, & alij Patres. Tum quia Christus flagellis cæſus fuit abſque vllo velamine, vt communiter conceditur à Doctoribus. Ergo neque videtur recuſaſſe hanc ignominiã pati in cruce. Tum quia Iudæi adeò in Christum ſæuierant, vt nullum pietati locum relinquerent, & curarent Christum oĩ dedecori, & ignominiæ ſubijci, atq; adeò ſi qua mulier velamen

mẽ,qđ exhibere voluiſſet, Iudęi non permiſiſsẽt. Tũ quia ſua nuditate voluit nuditatem noſtrã tegere,& cooperire. Ita S. Ambroſ. lib. 10. in Lucam, S. Athanaſ. orat. de Paſſione, & Cruce, S. Bonauent. in lib. de meditat. vitæ Chriſti cap. 78. Ludulphus 2. par. vitæ Chriſti c. 63. Suar. 3. par tom. 2. diſp. 36. ſect. 4. Azorius 2. par. lib. 1. cap. 16. quæſito 7. & alij contra nonnullos alios aſſerentes verenda Chriſti velamine tecta fuiſſe, quorum opinio probabilis eſt, & probabilibus nititur rationibus, & coniecturis. Primò, quia ſic habetur in lib. reuelat. S. Brigittæ. Secũdò, quia veroſimile non eſt voluiſſe Chriſtum pati huiuſmodi indecentiam honeſtati valdè repugnantem. Tertio, quia Crucifixi imagines ob naturalem honeſtatẽ pingi ſolent tectis,& velatis verendis. Ergo ob eandẽ honeſtatẽ credipõt à Deo permiſsũ nõ fuiſſe, vt Deus nudatis verẽdis crucifigeretur, ne figura, & repreſentatio differat à re ipſa repreſentata.

13 Sextò dubium eſt, cur Iudæi potius hoc genus mortis Chriſto intulerint, quam aliud.

Reſpondeo, id feciſſe. Primò, ex ſola ira,& odio, vt maiorem ignominiam Chriſto inferrent; nullibi enim decretum fuit, vt vir innocens, & iuſtus morte puniatur: & licet Iudęi dixerint Chriſtum blaſphemaſſe Matth. 26. *Blaſphemauit, quid adhuc egemus teſtibus?* tamen contra blaſphemos non erat impoſita pęna Crucis, ſed lapidationis, Leuit. 24. Secundò, quia cum tempore Paſchatis reus vnus liberandus eſſet, Pilatus Iudæis propoſuit quemnam liberari vellent, Ieſum an Barrabam, ipſi reſponderunt, Barrabam; cum autem Barrabas eſſet homicida, & Latro, & tam homicida iuxta morem Iudæorum, quam famoſus Latro iuxta morem Romanorũ crucifigi conſueuiſſet, duplici titulo Chriſtus crucifixus fuit, quia ſupplicium Barrabæ, qui duplici titulo crucifigendus erat, in ipſum translatum fuit. Tertiò, quia Chriſtus dixerat ſe eſſe Regem, quæ de cauſa Iudæi putarunt eſſe reum criminis læſæ Maieſtatis, illiq; ſummam, & acerbiſſimam pęnam imponi curarunt. Ita Suarez 3. par. tom. 2. d. 36. ſect. 1. col. 2.

Punctum Septimum.

De Titulo Cruci impoſito.

1 *Titulus Crucis quiſnam fuerit.*
2 *Pilatus cur titulũ cruci appoſuerit.*
3 *Titulus Crucis quonam Idiomate conſtaret.*
4 *Titulus Crucis videtur appoſitus poſt crucifixionem.*
5 *Crucibus Latronum non fuerunt appoſiti tituli.*

VNICA PROPOSITIO.

1 Titulus cruci ſuperpoſitus hic erat, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*. Hæc propoſitio clarè cõſtat ex ipſomet titulo, qui in æde S. Crucis in Ieruſalem reperitur, tum ex Ioanne cap. 19. primum verbum continet Nomen, ſecundum Patriã, tertium Cauſam, ob quam Iudæi dixerunt ſe Chriſtum crucifigere, in qua cauſa exprimenda; alij Euangeliſtæ ſolliciti fuerunt non curantes præcedentia verba formaliter, & explicitè exprimere quamobrem. Matth. 5. cap. 27. ait hunc fuiſſe ti-

Digitized by Google

tulum. *Hic eſt Ieſus Rex Iudæorum*, Lucas cap. 23. *Hic eſt Rex Iudæorum*, Marcus cap. 15. *Rex Iudæorum.*

2 Sed modò Dubium eſt. Primò, cur Pilatus hũc titulum appoſuerit, ſimpliciter appellando Chriſtum Regem, cum Iudæi de hoc titulo conquererentur, & vellent inſcribi, quia dixit, Rex ſum Iudæorum.

Reſpondeo Primò, Pilatum hunc titulum appoſuiſſe, quia cum ſciret ipſum eſſe innocentem, & ab ipſo audiſſet ſe eſſe Regem Iudęorum, exiſtimauit ipſum non mentiri; conſequenter aliqua ratione, & in confuſo credidit ipſum eſſe Regem Iudæorum, & ad ipſos miſſum, vt eos in rebus ad religionem pertinentibus inſtrueret; hac ratione non dicitur Pilatus hunc titulum poſuiſſe in dedecus, & opprobrium Chriſti, ſed potius in honorem, & excuſationem ipſius Chriſti, & in ignominiã, & indignationem Iudæorum, quos odio habere videbatur, eo quod ipſum ad innocentem cõdemnandum impuliſſent. Ita Toletus cap. 18. in Ioannem.

Reſp. ſecũdò, hunc titulum à Pilato appoſitum fuiſſe ex timore humano, ne indignationem Cęſaris incurreret; cum enim audiſſet Iudęos ſibi comminantes, *Si hunc dimittis, non es amicus Cęſaris*, teſtimonio publico indicare voluit ſe diligenter rem Cęſaris egiſſe condemnando eum, qui accuſatus fuerat, quod regnum affectaſſet. Vide Suarez 3. par. tom. 2. d. 37. ſect. 1. col. 4.

3 Secundò, Dubium eſt, quonam idiomate inſcriptus fuerit hic Titulus.

Reſpondeo inſcriptum fuiſſe triplici Idiomate, Hebraico, Græco, & Latino, non quia ſemel tantum inſcriptus ſit, partim Hebraicè, partim Gręcè, & partim Latinè, ſed quia ter in præfatis Idiomatibus integrè expreſſus fuit, vt patet ex inſpectione tituli, qui Romæ in Eccleſia S. Crucis in Ieruſalem reperitur. Inſcriptus autem fuit titulus hoc triplici Idiomate, vt ab omnibus ferè gentibus intelligeretur; nam Chriſtus crucifigebatur in celeberrima vrbe, ad quam occaſione celebrationis diei feſti confluxerant homines omnium gentium, & nationum; illa autem erant Idiomata, quæ tunc temporis præcipuè, & frequentiùs in Orbe vſurpabantur.

4 Tertiò, Dubium eſt, vtrum appoſitio tituli facta fuerit, antequam Chriſtus in Cruce eleuaretur, vel poſt.

Reſpondeo, nihil certi conſtare; probabile tamen eſt Chriſtum prius crucifixum fuiſſe, & poſtea appoſitum fuiſſe titulum. Vide Suarez loco citato.

5 Quarto, Dubium eſt, vtrum tituli ſuperpoſiti etiam fuerint crucibus Latronum.

Reſpondeo negatiuè, iuxta plurium Patrum ſententiam. Tum quia Euangeliſtæ non narrant. Tum quia Euthimius cap. 67. in Matth. & alij aſſerunt inuentam Chriſti crucem à titulo potiſſimum agnitam fuiſſe; cum enim Helena cruces inueniſſet, diſcreuit Crucem Chriſti ab alijs, quia media erat, & habebat titulum, quo cruces Latronum carebant. Ratio autem, cur titulus Cruci Chriſti ſuperpoſitus fuerit, & non alijs crucibus, hæc eſſe potuit, quia cauſa

Chri-

Chriſti inſignior erat, & fortè vſu receptum non erat, vt in omnibus ſupplicijs hic titulus adhiberetur; ſed ſolum in grauioribus, vt etiam hoc tempore fieri cernimus. Alij verò putant Crucem Chriſti cognitam non fuiſſe ſine ſpeciali miraculo, & fortè omnibus Crucib⁹ affixos fuiſſe titulos. ita Suarez diſp. 37. ſect. 2. Verum hæc opinio ſubſiſtere non poteſt, quia ſi ſingulæ Cruces titulum habuiſſent, titulus Crucis Chriſti diuerſus fuiſſet à crucibus Latronum; conſequenter Crux Chriſti præciſo miraculo potuiſſet ex titulo diſcerni, modo titul⁹ adhuc ei adhæreret.

Punctum Octauum.

De diuiſione veſtimentorum Chriſti, & de illorum ſorte.

1 *Veſtes Chriſti diuiſæ fuerunt à Militibus.*

2 *Milites non diuiſerunt ſibi veſtimenta Latronum.*

3 *Diuiſio veſtiũ Chriſti multis de cauſis facta fuit.*

4 *Sortes miſſę fuerunt ſuper omnes veſtes Chriſti.*

VNICA PROPOSITIO.

1 VEſtes, quibus Chriſtus antequam crucifigeretur ſpoliatus fuerat diuiſæ ſunt à militibus in quatuor partes, & ſortes ſuper illis miſſæ fuerunt. Hæc propoſitio apertè colligitur ex Ioann. 19. *Fecerunt quatuor partes vnicuiq; militi partem*, ex quo loco Euthimius, & alij colligunt veſtes ipſas obtigiſſe militibus absq; ſciſſione alicuius veſtis, ſed ipſaſmet veſtes per futuras ſciſſas fuiſſe, iuxta numerum militum, qui quatuor erant, ex Auguſt. tract. 118. in Ioannem, Suarez d. 37. ſect. 1. & alijs (quamquam improbabile non videtur veſtes ſciſſas non fuiſſe, ſed integras diſtributas fuiſſe in quatuor partes, vnoquoq; milite vnam accipiente) tunica tamen inconſutilis ſciſſa non fuit, Ioan. 19. *Non ſcindamus eam*, alioquin reddita fuiſſet inutilis; cum enim hæc veſtis contexta eſſet (& quidem Eutimius ait à Beatiſſima Virgine Maria contextam fuiſſe) ſectione, ac ſciſſione diſſoluta fuiſſet, conſequenter nullius vtilitatis extitiſſet.

Ex quo licet obiter inferre, milites grauiter peccaſſe ſubtrahendo veſtes Chriſto, ſiue ſubtraxerint, vt irriderent Chriſto, & ſic peccarunt peccato contemptus, & furti, ſeu rapinæ, ſiue ſubtraxerint ex auaritia, & ſic peccarunt peccato furti, ſeu rapinæ ex Suarez d. 37. ſect. 1. & alijs.

2 An autem milites diuiſerint ſibi veſtimenta Latronum incertum eſt, quia Euangeliſtæ non exprimũt; opinioni affirmatiuę adhærere videtur Suarez loco citato. Sed oppoſitum mihi probabilius videtur, tum quia non conſtat Latrones nudos in cruce ſuſpẽſos fuiſſe. Tũ quia veroſimile eſt veſtes illorũ nullius valoris fuiſſe, præſertim cũ fieri poſſit, vt Iudæi in maiorem Chriſti cõtemptũ, viliores, & pauperiores aſſumpſerint.

3 Sed modo Dubium eſt. Primò, Cur facta fuerit veſtium Chriſti diuiſio.

Reſpondeo, multis de cauſis fa-

ctam fuiſſe. Primò, vt adimpleretur Scriptura, Pſal. 21. *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Secundò, quia Chriſtus ſpoliari voluit omnibus bonis, vt nobis ad contemnendum bona temporalia exemplum daret.

4 Secundò, Dubium eſt, vtrum milites miſerint ſortes ſuper omnes veſtes, an tantum ſuper tunicam.

Reſpondeo iuxta communiorem ſententiam, ſortes miſſas fuiſſe non ſolum ſuper tunicam inconſutilem, verum etiam ſuper alias veſtes, quas milites in quatuor partes diuiſerāt. Ratio eſt, tum quia ita colligitur ex Matth. 27. & Lucæ 23. dum aiunt, *Diuidentes veſtimenta miſerunt ſortes*, & Marci 15. *Mittentes ſortem ſuper eis, quis quid tolleret.* Tum quia hoc pacto vitabatur occaſio contentionum, & rixarum. Ita S. Amb. Lucæ 23. Suarez 3. par. tom. 2. d. 37. ſect. 1. & alij cōtra S. Auguſt., & S. Thomam in Ioannē.

Obijcies, Pſal. 21. dicitur, *Super veſtem meam miſerunt ſortem*, & Ioan. 19. *non ſcindamus eam, ſed ſortiamur*, in quibus locis ſermo eſt tantummodo de tunica inconſutili.

Rñdeo, in præfatis locis ſermonem eſſe de tunica incōſutili, ſed nō excludi, quin etiam ſuper alijs veſtibus iactæ fuerint ſortes.

Punctum Nonum.

De vino, & aceto, quod Chriſto datum fuit ad bibendum.

1 *Chriſto bis ſaltem datum fuit potus occaſione mortis.*
2 *Chriſtus verè ſitiuit.*
3 *Acetū verè Chriſto propinatū fuit.*

In hoc puncto principaliter explicabo, quoties datus fuerit Chriſto potus occaſione crucifixionis.

VNICA PROPOSITIO.

1 Bis ſaltem propinatus fuit potus Chriſto, vt patet ex Euāgeliſtis, Mattheo, & Marco. Prima vice propinatus fuit ſtatim, ac peruenit ad Caluariæ locum, paulò ante crucifixionem: ſic enim indicarint præfati Euangeliſtæ, Mattheus, & Marcus, & veroſimile eſt hanc fuiſſe illius temporis conſuetudinem, vt dum quis extremo ſupplicio plectendus erat, vinum deferretur ad ipſum confortandum, ſicut etiam nunc aliquibus in locis vſus viget. Imò multi Doctores valdè probabiliter putāt Chriſto bis propinatum fuiſſe vinum ante crucifixionem. Primò, quidem mirratum vinū, quod cum Chriſtus repudiaſſet, & guſtare noluiſſet, datum ei deinde fuit vinum cum felle mixtum, quod Chriſtus guſtauit, ſed non bibit. Ita Euthymius cap. 67. in Matth. Theophilatus in Marcū, & Baronius loco proximè citando. Alij verò ferè communiter putant Chriſto ante crucifixionem datum fuiſſe vnicum potū; ſed diſſentiunt in qualitate vini; aliqui enim ferè cōmuniter teſte Azorio 2. par. lib. 1. c. 16. quæſito vlt. putant vocatum fuiſſe myrratum vinum, eo quod eſſet amarū; alij quia erat vinum in vaſis myrrenis contētum, vt odorem, & ſaporem imbiberet, atque adeò prodeſſet ad confortandos eos, qui capite plectendi erant, vt ex Plinio lib. 14. hiſtor. c. 12. docet Baronius anno 34., veroſimile

mile tamen cenſeo cum Suarez d. 37. ſect. 3. illud vinum non fuiſſe totum myrrenum,& optimum, ſed admixtum alteri minus perfecto, ſeu aceſcenti, quod ob id vocatum fuiſſe videtur acetum à Mattheo, eo quod ad acetum vergeret, ſed conditum fuerit myrrino vino, aut etiam permixtum felle, & ob id Matth. ait fuiſſe permixtum felle. Hoc pacto conciliari poſſe videntur Euangeliſtæ, nam Mattheus nõ vocat vinum, ſed acetum, Marcus myrratum vinũ, & rurſus Mattheus dicit, cum felle mixtum.

Ex quo patet adimpletum fuiſſe vaticinium illud Pſal. 68. *Dederunt in eſcam meam fel*, ideſt fel in cibo meo miſcuerunt; dicitur autem fel in eſcam,ſeu cibũ dari, etiamſi id, quod in cibum datur, ſit permixtum vino, aut alteri liquori, vt benè Suarez loco citato.

Secunda vice Chriſto in Cruce pendenti, & dicenti, *ſitio*, propinatus fuit potus, non quidem vinum, ſed acetum; Iudæi enim acceperũt ſpongiam plenam aceto, illamq; calamo, ſeu arundini ligantes nexu herbæ Hyſopi obtulerunt ori Chriſti; hoc pacto intelligitur locus ille Ioan. 19. *Illi autem ſpongiam plenam aceto hyſopo circumponentes obtulerunt ori eius*; quamquam alij aliter explicant, vt videri poteſt apud Suarez ſect. 2. citata col. 3. verſ. tertio apud Baronium anno 34. & apud alios.

2 Sed modo Dubium eſt. Primò, Vtrum Chriſtus verè ſitierit,& vnde eius ſitis orta fuerit.

Reſpondeo, Chriſtum non ſolum moraliter ſitiuiſſe, verum etiam phyſicè, & realiter; hęc enim eſt propria ſignificatio illius verbi, *ſitio*, ſicq; prędictum fuerat Pſal. 68. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto*. naturalis autem ſitis Chriſti ex multiplici cauſa orta fuerat, tum quia multum laborauerat, ſudauerat, & totum ferè ſanguinem emiſerat. Tum quia ab hora cęnæ nihil biberat, & ſemper vigilauerat.

3 Secundo Dubium eſt, cur Chriſto ſitienti propinatum fuerit acetum.

Reſpondeo, propinatum fuiſſe, quia mos inualuerat tradendi acetũ condemnatis, vt cruciatus longior, & productior eſſet, vt colligitur tum ex verbis Marci 14. *Quidam de circumſtantibus audientes dicebant, Ecce Eliam vocat; currens autem vnus, & implens ſpongiam aceto, circumponensq; calamo potum dabat ei dicens, Sinite, videamus an veniat Elias ad deponendum*, ex quo loco patet acetum Chriſto propinatum fuiſſe ad differendam mortem. Tum quia acetum ſiue bibatur, ſiue vulneribus applicetur, vim habet ſiſtendi ſanguinẽ, & confortandi, vt ex Plinio, & alijs docet Baronius loco citato; quãuis Ianſenius, Caietanus, & alij contrarium ſentiant ob rationem in obiectione proximè ſequenti adducendam.

Obijcies, vſu receptum fuit apud Iudæos, vt potatione aceti crucifixis mors acceleraretur, quod à fortiori ſeruatum fuiſſe videtur in morte Chriſti, quã veroſimilius eſt Iudęos milites voluiſſe potius accelerare, quam retardare. Tum quia erat dies feſtus. tum ne milites diutius cogerentur immorari in cuſtodia damnatorum.

torum. Tum vt lex præcipiens eadem die crucifixos è patibulo deponi, ſeruaretur. Tum quia acceleratione mortis vitabatur occaſio tumultus, qui Chriſto diutius viuente, in populo excitari potuiſſet.

Reſpondeo negando, apud Iudæos inualuiſſe conſuetudinem deferendi acetum cauſa accelerandæ mortis, ſed potius cauſa retardandæ, vt dictum eſt; nec veroſimile eſt Iudæos milites voluiſſe hanc cõſuetudinem immutare, vt benè Suarez 3. par. tom. 2. d. 37. ſect. 3. col. 4. verſ. ſed inquiro.

Punctum Decimum.

De loco, in quo Chriſtus Crucifixus fuit.

1 *Chriſtus Hieroſolimis mortuus fuit.*
2 *Crucifixus fuit Chriſtus extra muros Ciuitatis Hieruſalem.*
3 *Chriſtus crucifixus fuit in monte Caluario.*
4 *Caluariæ nomen vnde ſumptũ fuerit.*

PErſpicuũ eſt Chriſtum crucifixũ fuiſſe Hieroſolimis extra muros Ciuitatis in Monte Caluariæ.

Sed modo dubium eſt. Primo, cur Chriſtus Hieroſolimis Crucifixus fuerit. Secundo, cur extra muros. Tertio, cur in Monte Caluariæ, & vnde mons ille nomen Caluariæ acceperit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus Hieroſolimis conuenienter mortuus fuit. Primo, quia Lucæ 13. dicitur, *Non capit Prophetam perire extra Hieruſalem*; ſed Chriſtus erat Propheta. Ergo ſicut alij Prophetæ, qui ad Hieruſalem mittebantur, ibi occidebantur, vt patet, tum ex loco Lucæ citato, tum ex illo, *Hieruſalem, Hieruſalem, quare occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt*. Ita etiam Chriſtus conuenienter in Hieruſalẽ mortuus eſt. Secundò, quia Hieruſalem erat ciuitas à Deo conſtituta ad ſacrificia Deo offerenda. Ergo conueniens fuit, vt etiam in illa fieret maximũ hoc ſacrificium, ad quod ſignificandum reliqua ſacrificia inſtituta fuerant. Tertiò; quia par erat, vt Chriſtus, qui ſalutem omnibus afferebat, in medio terræ moreretur, ad indicãdam virtutem Paſſionis ad totum mundum diffundendam eſſe; Hieruſalem autem in medio terræ ſita eſſe dicitur, ex Tertulliano lib. 2. carminum cõtra Marcionem cap. 4. S. Thoma 3. par. q. 46. art. 10. qui hoc confirmat ex illo Pſalmi 73. *Deus autem Rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ*, id eſt in Hieruſalem, quæ dicitur eſſe vmbilicus terræ. Quartò, quia ita exigebat maxima Chriſti humilitas; ſicut enim ob humilitatis virtutem turpiſſimum mortis genus elegit; ita ad ipſius humilitatem pertinebat, vt in loco tam celebri confuſionem pati non dedignaretur. Vide S. Thomam 3. par. q. 46. art. 10. Suarez ibidem, Valentiam tom. 4. diſp. 2. q. 3. puncto 1. ſub finem, & alios commentatores S. Thomæ ibidem.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 CHriſtus extra muros Ciuitatis Hieruſalem crucifixus fuit

fuit. Hæc propoſitio patet ex ipſis Euangeliſtis, Marci 14. *Perducunt illum in Golgotha locum, quod eſt interpretatum Caluariæ locus*, & Ioann. 13. *Suſceperũt autem Ieſum, & eduxerunt, & baiulans ſibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum*. Ratio autem, cur Chriſtus extra Ciuitatem crucifixus fuerit, eſt, tum quia malefactores extra Ciuitatem frequentius occidi conſueuerant. Tum quia blaſphemi iuxta legẽ Moyſi ducẽdi erãt extra caſtra, vt punirẽtur; Chriſtus autem accuſatus fuerat, vt blaſphemus. Tum vt figuratum rñderet figuræ vituli, & hirci, qui in ſolemni ſacrificio extra caſtra offerebantur. Tum vt Chriſtus oſtenderet ſe non pro illa tantum gente obtuliſſe, vel vt indicaret Paſſionem ſuam parum profuturam illi genti, & Paſſionis fructum ad alios peruenturum. (Propterea aliqui traditione acceptum referunt, Chriſtum in Cruce exiſtentem terga vertiſſe Ciuitati Hieruſalem) tum, vt nobis exemplũ daret exeundi ab humana conuerſatione. Vide S. Thomam art. 10. citato ad 2. & ipſius Commentatores ibidem.

Obijcies, Chriſtus dicitur crucifixus, & mortuus in Hieruſalem. Ergo non extra muros.

Reſpondeo, nomine Ciuitatis intelligi etiam ſuburbia, ſeu vicina loca.

TERTIA PROPOSITIO.

3 Chriſtus crucifixus fuit in Mõte Caluariæ, vt patet ex textibus in ſecunda propoſitione allatis. Ratio autem, cur Chriſtus ibi crucifixus fuerit, eſt, quia ille erat communis damnatorum locus. In hoc Monte Abraham filium Iſahac ſacrificare voluit, teſte Auguſtino ſerm. 71. de tempore, Beda de locis Sanctis cap. 2. & alijs, qui id aſſerũt ex traditione Iudæorum.

4 Maior difficultas eſt, vnde nomen Caluariæ originem traxerit.

Reſpondeo, traxiſſe nomen à caluitie, ſeu à capite, accepta per ſynedochen parte pro toto; ille autem Mons dictus eſt Caluariæ, Primò, quia ibi ſepultus erat primus hominum parens Adam, ex Tertulliano lib. 2. carminum contra Marcionem cap. 4. Origene cap. 35. in Mattheũ, Chriſoſtomum homil. 84. in Ioannẽ, Ambroſio lib. 5. Epiſt. 19. Auguſt. ſerm. 71. de tempore, Azorio 2. p. l. 1. cap. 16. ad finem, & Suarez 3. par. to. 2. q. 46. art. 10. vbi ait hanc fuiſſe communem Patrum traditionem, contra nonnullos alios exiſtimantes Adamum ibi ſepultum non fuiſſe, cũ Ioſue 14. dicatur, *Adam maximus inter Enacim ſitus eſt*; Ergo ſepultus non fuit in Monte Caluariæ. Sed ad hoc reſponderi ſolet, nomine maximi Adami eo loci non intelligi primum hominem generis parentem, ſed quendam proceræ ſtaturæ gigantem eo nomine appellatũ. Secundò, quia ibi capita damnatorũ truncabãtur; ex Hyeronimo Matth. 27. S. Thoma loco citato ad 3. Azorio 2. p. lib. 1. cap. 16. ad finem, & alijs. Tertiò, quia verum Eccleſiæ caput Chriſtus ibi Crucem ſuſtinere debebat; ob id locus ille, Caluaria, propheticè vocatus fuit. Ita Cyrillus Hieroſolimitanus catech. 14. & alij.

Pun-

Punctum Vndecimum.

De Latronibus inter quos Chriſtus crucifixus fuit.

1 *Chriſtus inter Latrones crucifixus fuit.*
2 *Chriſtus quibus de cauſis inter Latrones crucifigi voluerit.*
3 *Alter Latronum pœnitentiam egit.*
4 *Latro quomodo Chriſtũ cognouerit.*
5 *Latro ſaluari potuit ſine baptiſmo.*
6 *Latro ſtatim poſt mortem conſecutus eſt beatitudinem.*
7 *Latro non obtinuit gloriam primus omnium.*
8 *Latro non ſtatim poſt mortem aſcendit in cœlum licet ſtatim beatus fuerit.*

DVo præcipuè explicabo. Primò, an Chriſtus inter Latrones crucifixus fuerit. Secundò, cur, ſeu an conueniẽs fuerit Chriſtum inter Latrones crucifigi.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus inter duos Latrones crucifixus fuit. Hæc propoſitio certa eſt de fide, & patet, tum ex Euangeliſtis, *Et cum eo crucifigunt duos latrones, vnum à dextris, alium à ſiniſtris*. Tum quia ita prædictum fuerat Iſaiæ 53. *Et cum iniquis deputatus eſt*.

TERTIA PROPOSITIO.

2 CHriſtus inter Latrones crucifigi voluit, tum vt adimpleretur ſcriptura Iſaiæ 53. Tum vt maius humilitatis, & patientiæ exemplum præberet, ferendo mortem inter Latrones, inter quos Iudęi ipſum crucifixerunt, vt latro exiſtimaretur. Tum vt iuſtitia, & innocentia Chriſti magis eluceſceret, iuxta vulgatum illud Philoſophorum axioma; *Oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt*. Vide S. Thomã 3. par. quæſt. 46. art. 11. & eius cõmentatores ibidem.

3 Obſerua tamen, vnum ex præfatis Latronibus pęnitentiam egiſſe, & ſaluatum fuiſſe, Lucæ 23. dicebat enim *Memento mei Domine, dum veneris in Regnum tuum*, cui Chriſtus reſpondit, *Hodie mecum eris in Paradiſo*.

Obijcies, Marci 14. dicitur, *Et qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei*; & Matth. 27. *Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*. Ergo nullus Latronum pœnitentiam egit.

Reſpondeo, vnum tantum Latronem conuitiaſſe, nam Lucæ 23. habetur vnum ita locutum fuiſſe, *Domine memento mei, &c.* Ideo dici poteſt Mattheum, & Marcum vſos fuiſſe numero plurali pro ſingulari, vt ſępius fieri ſolet, ex Auguſtino lib. 3. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 16. vel vtrumq; Latronem initio blaſphemaſſe, ſed alterum poſtea viſis ſignis crediſſe, ex S. Hyeronimo cap. 27. Matth. S. Thoma 3. par. quæſt. 36. art. 11. Valentia tom. 4. diſp. 2. quæſt. 3. pun. 1. col. 4. verſ. nec obſtat.

4 Sed modo Dubium eſt. Primò, quomodo Latro cognouerit Chriſtum.

Reſpondeo, cognouiſſe, quia Deus illi tunc aſtitit peculiari illuſtratione; vel etiam quia Chriſtum

præ-

Digitized by Google

prædicantem antea audierat.

5 Secundò, Dubium eſt, quomodo Latro ille ſaluari potuerit ſine Baptiſmo.

Aliqui dicunt illum fuiſſe Martyrem. Ita Cyprianus Epiſt. 73. ad Iuſtinum. Alij dicunt fuiſſe baptizatũ aquâ è latere Chriſti defluente. Ita S. Aug. li. 1. de anima c. 9. Sed hæc gratis, & ſine ſufficienti fundamento aſſeruntur. Tum quia Latro non ſuſtinuit mortem in contemptum Chriſti, vel virtutis à Chriſto prædicatæ, quod requiritur ad martyrium. Tum quia illa aqua non adeò violenter è latere Chriſti effluxit, & exilijt, vt ad Latronem peruenire potuerit, vel etiamſi ad illum perueniſſet, nō ob id Latro baptizatus dici poſſet, quia nullus aderat baptizans, & Chriſtus iam mortuus erat, vt benè obſeruat Suarez 3. par. tom. 2. q. 46. in comment. art. 11. Ego cenſeo ſaluatum fuiſſe præuia contritione, quæ vocari ſolet Baptiſmus flaminis.

6 Tertiò Dubium eſt, An Latro ille ſalutem, & beatitudinem conſecutus ſit ſtatim poſt mortem.

Reſpōdeo affirmatiuè, iuxta probabiliorem Sanctorum Patrum ſententiam, tum quia Chriſtus dixit, *Hodie mecum eris in Paradiſo*, quæ verba licet per ſe non indicent beatitudinē ſine mora conſequendam, coniuncta tamen cum alijs coniecturis hoc indicant, & innuunt pleniſſimam remiſſionem. Tum quia cum hæc conuerſio valdè fuerit miraculoſa, credendum eſt adeò perfectam fuiſſe, vt Latro totam culpā, ac pœnæ remiſſionem obtinuerit; opera enim Chriſti perfecta erāt. Tū quia tam grauis fuit cruciatus crucis, & confractionis crurum, vt prodeſſe potuerit ad pleniſſimam remiſſionem obtinēdā.

7 Quartò Dubium eſt, An bonus Latro primus omnium conſecutus ſit gloriam.

Reſpondeo negatiuè, quia morte Chriſti aperta eſt cæli Ianua, & animæ Sanctorum in Limbo exiſtētium ſtatim aſſecutæ fuerunt beatitudinē; cum autem Chriſtus mortuus fuerit, antequam Latrones obirent (ob id enim Chriſto confracta nõ fuerunt crura, quia milites illum mortuum inuenerunt) ſequitur Latronem nõ fuiſſe primum, qui beatitudinem aſſequeretur. Verum eſt tamen ipſi primum omnium factam fuiſſe peculiarem promiſſionem, & datam certam ſpem aſſequendi ſtatim poſt obitum beatitudinem, quod nulli antea conceſſum fuerat.

8 An autē Latro ille ſtatim aſcēderit in cælum.

Reſpondeo, ſtatim fuiſſe beatum, vt probatum eſt, non tamen ſtatim aſcendiſſe locum illum ſpecialem, in quo Sancti beatitudine frui ſolent, vt conſtabit ex dicendis de beatitudine. Ratio eſt, quia licet animæ illæ, quæ poſt Chriſti mortem nihil purgandum habebant, ſtatim poſt Chriſti mortem effectæ fuerint beatæ, vt nunc ſuppono ex infra dicendis pun. 18. propoſitione 4. tamen cælum nō conſcenderunt, niſi poſt quadraginta dies à morte Chriſti, *Dum Chriſtus aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem*. Epheſ. 4.

Obijcies, illa Chriſti verba, *Hodie mecum eris in Paradiſo*, intelligenda ſunt, vel de Paradiſo terreſtri, vel de cæleſti; ſed non poſſunt intelligi de paradiſo terreſtri. Tũ quia Chriſtus

ſtus Latroni promiſit, quod petebat; latro autem non petebat Paradiſum terreſtrem. Tum quia Chriſtus eo die futurus non erat in Paradiſo terreſtri. Tũ quia multi Paradiſum terreſtrem nunc temporis putant non extare. Ergo intelligenda ſunt de Paradiſo cęleſti, licet Euthimius c. 81. in Lucam intellexerit de Paradiſo terreſtri.

Reſpondeo, non intelligi formaliter de paradiſo Cęleſti, ſeu de Cęlo Empyreo; ſed generatim de loco gloriæ, ac beatitudinis, in quo Beati perfruuntur Deo, vbicunque Deus ſit; ſiue de regno Chriſti, quod Latro expetiuerat. Ita S. Auguſt. Epiſt. 57. ad Dardanum, & alij, quos citat, & ſequitur Suarez loco citato, Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 3. dub. 3. num. 79. ad finem.

Punctum XII.

An Chriſtus teſtamentum in Cruce, aut alia occaſione condiderit.

1. *Teſtamentum à Chriſto conditum fuit in vltima Cęna.*
2. *Teſtamentum factum non fuit à Chriſto vt priuato homine.*

NOtandum eſt Chriſtum dupliciter conſiderari poſſe. Primò, vt caput Eccleſiæ. Secundò, vt priuatum hominem. In hoc puncto prius agam, an Chriſtus vt caput Eccleſiæ teſtamentum inſtituerit, deinde vt priuatus homo.

PRIMA PROPOSITIO.

CHriſtus vt caput Eccleſiæ, non condidit propriè teſtamentum in Cruce, ſed illud præcipuè condidit in vltima cęna.

1 Quod illud præcipuè condiderit in vltima cæna, probatur, quia teſtamentum nihil eſt aliud quam vltima voluntas, qua teſtator diſponit, & relinquit alicui ſua bona; ſed Chriſtus in vltima cęna id fecit; ibi enim reliquit Eccleſiæ corpus, & ſanguinem, atque ſe ipſum totum, in quo omne bonum continetur, ibiq; præcipua nouæ legis præcepta tradidit, nimirum præceptum ſacrificij; *Mandatum nouum do vobis, hoc facite in meam commemorationem*, Matt. 26. præterea præceptum charitatis, *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicẽ ſicut dilexi vos*. Ergo tunc præcipuè condidit teſtamentum.

Dixi, præcipuè in vltima cęna, nã aliqua ad teſtamenti integritatem pertinẽtia alijs temporibus inſtituit; cum enim teſtamentum nouum multa contineat, potuit paulatim, & ſucceſſiuè perfici quo ad varia præcepta, & ſacramenta, etiã poſt Chriſti mortem, cum ipſe ſtatim ad vitã rediturus eſſet, & omnia abſoluturus, antequam cælum conſcenderet.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 CHriſtus, vt priuatus homo, propriè teſtamentum non fecit. Ratio eſt, quia non habebat bona temporalia, de quibus diſponeret.

Obijcies, Chriſtus in Cruce exiſtens

ſtens ea omnia feciſſe videtur, quæ in teſtamentis fieri conſueuerunt; teſtator enim primo animam ſuam offert Deo, quam etiam Chriſtus obtulit, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Secundò, iniurias ab inimicis acceptas remittit, quod etiam Chriſtus fecit, *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt*. Tertiò, prouidet, & conſulit filijs, & parentibus; Chriſtus autem inter Matrẽ, & Diſcipulum *Diuiſit pietatis officia*, inquit S. Ambroſius Epiſt. 81. ad finem. Quartò, hæreditatem promittit, quã etiam Chriſtus latroni, & omnibus in ipſum credẽtibus promiſit. Quintò, teſtamentum coram teſtibus facere conſueuit; Chriſtus autem id fecit publicè coram populo, in loco alto, voce publica, teſtibus Beatiſſima Virgine, Ioanne Euangeliſta, Magdalena, & alijs. Sextò, dũ nouũ teſtamentũ conditur abrogatur vetus, ſi quod antea factũ fuerat; Chriſtus autem in cruce abrogauit vetus; dicẽdo *conſumatum eſt*, indicauit prophetias, & prædictiones completas eſſe, conſequenter antiquum teſtamentum eſſe ablatum, & nouum inſtitutum.

Reſpondeo, Chriſtum in Cruce ſeruaſſe quidem quandam teſtamenti formam, ſed propriè loquendo nõ cõdidiſſe teſtamentũ, vt patet ex ratione in ſecunda propoſitione allata. Idemque docet Suarez d. 37. ſect. 4.

Punctum XIII.

De morte, quam Chriſtus in Cruce ſubijt.

IN hoc puncto primo loco explicabo, an neceſſarium, vel conueniens fuerit Chriſtum mori, præſertim morte Crucis. Secũdò, quęnam, & qualis vnio per mortem diſſoluta ſit. Tertiò, quo anno, menſe, die, & hora Chriſtus mortuus fuerit.

Paragraphus Primus.

An neceſſarium, vel conueniens fuerit Chriſtum mori.

1 *Mors Chriſti non fuit abſolutè neceſſaria.*

2 *Chriſtum conueniens fuit mori pro redemptione generis humani.*

3 *Mors Crucis valdè conueniens fuit Chriſto.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 NOn fuit abſolutè neceſſariũ, vt Chriſtus moreretur; fuit tamen valdè conueniens. Quod non fuerit abſolutè neceſſariũ, probatur primò, quia Chriſtus alia ratione ſaluare poterat genus humanũ, quã per Incarnationem, & Mortem, vt probatum eſt diſp. 2. quæſt. 1. punct. 3. Secundò, quia ſingulæ actiones Chriſti erant infiniti valoris, & dignitatis. Tertiò, quia Chriſtus per mortem in facto eſſe non meruit, nec ſatisfecit; homo. n. deſinit per inſtans extrinſecum, in quo verum eſt dicere, nunc non eſt homo, immediatè ante fuit; dum autem quis nõ eſt homo in hac mortali vita degens, non meretur, nec ſatisfacit, vt ſuperius oſtenſum eſt, & clarius conſtabit ex dicendis de merito in tractatu de gratia.

Dixi,

Dixi, abſolutè neceſſarium, nam ſi loquamur de neceſſitate non abſoluta, nec ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione diuinæ ordinationis, & conuentionis inter Deum, & Chriſtum hominem factæ, ſentio mortem Chriſti fuiſſe neceſſariam; nam Deus decreuerat non acceptare operá Chriſti in redemptionem generis humani, niſi ſub cōditione mortis Chriſti, vt probatū fuit d. 2. q. 12. pūn. 2. n. 5.

2 Quod vero valdè conueniens fuerit, vt Chriſtus mortem ſubijret pro redimēdo genere humano, probatur primò, quia is, qui pro alio ſatisfacere intendit, non poteſt conuenientem ſatisfactionē exhibere, niſi pœnam illam luat, pro qua ſatisfacere intendit; ſed totum genus humanum obnoxium erat morti ob peccatum Adæ, Geneſ. 2. Ergò conueniēs fuit, vt Chriſtus mortem ſubiret ad luendam pœnam humano generi debitam. Secundò, quia Chriſtus moriendo oſtendit ſe eſſe verum hominem, nam ſi Chriſtus ſtatim euanuiſſet, & mortem euitaſſet, comparatus fuiſſet phantaſmati. Tertiò, quia mortem ſubeundo eripuit nos à timore mortis. Quartò, quia moriendo propter peccatum, ſeu ad delendum peccatum dedit nobis exēplum ſubeundi mortem potius, quā delinquendi. Quintò, quia moriēdo, & reſurgendo indicauit mortem vitari non poſſe, ſed ſpem ſupereſſe reſurgendi, & ad cęleſtē patriā aduolendi. Vide S. Thomam 3. p. q. 50. art. 1. & Commentatores ibidem.

Obijcies, maior eſt defectus mortis, quam morbi; ſed non fuit conueniens Chriſtum ſubijci morbo. Ergo neq; conueniēs fuit ſubijci morti.

Reſpondeo, defectum mortis maiorem eſſe, quam defectum morbi, dum mors prouenit à cauſa intrinſeca, & naturali; mors autem Chriſti non prouenit à cauſa intrinſeca, ſed ab extrinſeca, & violenta, cui Chriſtus voluntariè ſe ſubiecit; vt benè S. Thomas loco citato ad 2.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Valdè conueniens fuit, vt Chriſtus mortē Crucis pateretur. Hæc propoſitio probari poteſt rationibus allatis à S. Thoma q. 46. art. 4. quarum ſingulæ probant fuiſſe conueniens aliquid, quod in eo mortis genere reperitur; omnes autem ſimul ſumptę ritè concludunt illud mortis genus aptiſſimum fuiſſe ad noſtrum exemplum, & ad reparationem generis humani; prima ergo ratio eſt, vt exemplū nobis præberetur ad non reformidandum vllum mortis genus, quamuis acerbū; nam mors Crucis inter alia mortis genera formidabilior eſt. Secundò, vt ſatisfactio reſponderet peccato; ſicut enim homo peccauit eſu ligni vetiti, ita par fuit, vt Chriſtus ſineret ſe ligno affigi, & ſic quodammodo reſtitueret, quód Adam abſtulerat, iuxta illud Pſal. 64. *Quæ non rapui, tunc exoluebam.* Tertiò, vt corpore ſublatus aerem mundaret corpore, & terram ſanctificaret ſanguine, iuxta illud Ioann. *Oportet exaltari filiū hominis.* Quartò, vt à terra ſublatus viā nobis ad cęlū pararet, & affectus noſtros à terra auocaret, & ad ſe traheret, iuxta illud Io. 12. *Ego ſi exaltatus fuerò à terra, omnia trahā ad me ipsū.* Quintò, vt diuerſarum virtutum exemplum nobis exhiberetur; nam latitu-

latitudo Crucis ſignificat pia opera, ad quæ manus extenduntur; longitudo deſignat longanimitatem, & perſeuerantiam bonorum operum; altitudo expectationem supernorū; profunditas ligni, quod in terra figitur, ſignificat profunditatē gratuitæ gratiæ. Sextò, quia hoc genus mortis reſpondet multis figuris, nam arca lignea de diluuio aquarum humanum genus liberauit, virga Moyſis mare diuiſit, & Pharaone demerſo populum Dei redemit; lignum Moyſis in amaram aquam dimiſſum, amaritudinē abſtulit. Septimò, Chriſtus voluit tam ignominioſum mortis genus pati, tum vt copioſior redemptio appareret, tum vt magis eluceret charitas Chriſti erga nos, & obedientia erga Patrem, tum vt hinc aliquod ſumeretur argumentū pęnæ de peccatis à Deo ſumēdę. Eadem de cauſa S. Thomas oſtendit, Chriſtum voluiſſe crucifigi in die Paſchatis, in Vrbe celeberrima, corā magno hominum cętu, inter Latrones, in loco infami, qui erat communis decollatorum, & damnatorum locus, vt ſupra oſtenſum eſt. Vide S. Thomam 3. par. quæſt. 46. art. 9. 10. & 11.

Paragraphus Secundus.

Quanam, & qualis vnio per mortem diſſoluta ſit.

1 *Vnio corporis cum anima diſſoluta fuit per Chriſti mortem.*

2 *Separata anima à corpore Chriſti, non fuit producta noua forma ſubſtantialis.*

Bon. de Incarnat.

VNICA PROPOSITIO.

1 PEr mortem Chriſti diſſoluta fuit vnio corporis cū anima. Ratio eſt quia mors eſſentialiter cōſiſtit in ſeparatione animę à corpore; ſed de fide eſt Chriſtum verè mortuum fuiſſe. Ergo per mortem Chriſti diſſoluta fuit vnio corporis cum anima.

Hinc ſequitur primò, dici nō poſſe Chriſtum in triduo mortis hominem fuiſſe; nam homo deſinit per ſeparationem animæ à corpore, vt benè S. Thomas 3. par. q. 50. art. 4.

Secundò, ſequitur in triduo mortis, ſecundum proprietatem verborum, dici non poſſe fuiſſe Chriſtum, aut Ieſum, ſeu hunc hominem. Ratio eſt, quia Chriſtus ſignificat ſuppoſitum ſubſiſtens in natura diuina, & humana, & Ieſus ſignificat ſuppoſitum ſubſiſtens in natura humana; ſuppoſitum autem Chriſti nō potuit in triduo mortis dici ſubſiſtere in natura humana, cum natura humana conſtet anima, & corpore vnitis; per mortem autem ſublata fuerat vniò animæ ad corpus. Ita Durandus in 3. diſp. 26. quæſt. 2.

Dices, Chriſtus dicitur fuiſſe in ſepulchro, & deſcendiſſe ad Inferos. Ergo in triduo mortis erat Chriſtus, alioquin hæc de Chriſto dici non poſſent. Reſpondeo hæc de Chriſto dici non poſſe, ſi ſtrictam verborum proprietatem inſpiciamus; nihilominus ſpectato communi loquendi vſu, quo per ſynedochen pars pro toto accipitur; Chriſtus dicitur iacuiſſe in ſepulchro ratione corporis, & deſcendiſſe ad Inferos ratione ani-

Digitized by Google

mæ; communi enim loquendi vſu receptum eſt in hac materia, vt acci piatur pars pro toto, & animæ, quãuis ſeparatæ, tribuatur nomen ſuppoſiti. Ob id dicimus S. Petrum eſſe in Cęlo, & Iudam, atque Epulonem in Inferno.

Tertiò, ſequitur per mortẽ Chriſti neceſſariam non fuiſſe nouã vnionem animæ ad Verbum, aut corporis ad Verbum, quia per mortem Chriſti diſſoluta fuit vnio corporis, & animæ inter ſe; non autem vnio corporis ad Verbum, aut animæ ad Verbum, vt patet ex dictis in ſecunda diſputatione. Præſertim cum Verbum prius vnitum ſit animæ, & corpori, quã anima, & corpus inter ſe.

2 Sed modò difficultas eſt, Vtrũ facta ſeparatione animæ à corpore, producta fuerit noua forma informans corpus.

Reſpondeo, in hac re varias eſſe Doctorum ſententias, quæ in phyſicis examinari ſolent.

Prima eſt S. Thomæ 3. par. q. 50. art. 5. quam ſequuntur Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 38. col. 3. & multi Doctores Societatis Ieſu, alijque Diſcipuli S. Thomæ, aſſerentes ſeparata anima à corpore, introduci nouam formam cadaueris, alioquin materia remaneret ſine forma.

Secunda ſententia, quæ mihi valdè probabilis videtur, eſt Scoti in 4. diſp. 1. quæſt. 3. Durandi in 3. d. 21. quæſt. 2. Tanneri tom. 4. diſp. 2. q. 3. dub. 2. num. 34. & aliorum aſſerentium non introduci nouam formam ſubſtantialem, ſed remanere formas partiales, quam ſingula animalis membra habere ſolent. Ratio eſt primò, quia iſtæ formæ partiales negari non poſſunt, cum ſenſu pateant. Secundò, quia alioquin ſequitur non fuiſſe idem numero corpus Chriſti mortuum, quod erat viuum; conſequenter non idem numero corpus fuiſſe vnitum Verbo ante mortẽ, & poſt mortem. Tertiò, quia ſequeretur in triduo mortis veram fuiſſe hanc propoſitionem, Deus eſt cadauer; nam per communicationẽ idiomatum attributa, quæ conueniunt vni parti componenti, prædicari poſſunt de altera, vt patet ex ſupradictis diſp. 2. quæſt. 6. de communicatione Idiomatum. Quartò, quia ſequeretur in morte Chriſti formam cadaueris vnitam fuiſſe noua vnione cum perſona Verbi, aut compoſitum cadaueris habuiſſe nouam ſubſiſtentiam diſtinctam à ſubſiſtẽtia diuina, quod eſt contra communem Doctorum, & Patrum ſententiam, aſſerentium animam, & corpus Chriſti poſt mortem ſubſtitiſſe ſolum ſubſiſtentia Verbi, quia *Quod Deus aſſumpſit, nunquam dimiſit*. Denique ſequeretur Chriſtum reſurgendo dimiſiſſe vnionem formæ cadaueris ad Verbum.

Paragraphus Tertius.

Quo anno, menſe, die, & hora Chriſtus mortuus ſit.

1 *Chriſtus mortuus fuit expleto anno trigeſimo tertio.*

2 *Chriſtus mortuus fuit Luna decima quinta primi menſis.*

3 *Iudæi duplicem, ſolemnitatem celebrabant, Paſchatis ſcilicet, & Azymorum.*

4 *Chriſtus mortuus fuiſſe videtur die 25. menſis Martij.*

5 Chri-

Digitized by Google

5 *Chriſtus mortuus fuit die Veneris.*
6 *Chriſtus mortuus fuit hora diei nona.*
7 *Chriſtus quomodo dicatur mortuus hora tertia.*

VNICA PROPOSITIO.

CHriſtus crucifixus, & mortuus fuit anno ætatis ſuæ trigeſimo tertio expleto, Luna decima quinta primi mẽſis, id eſt Martij, feria ſexta, ſeu die Veneris, quæ iuxta computationem noſtrorum menſium contigit die 25. Martij, hora diei nona.

1 Hęc propoſitio plures habet partes. Prima eſt, Chriſtũ mortuũ fuiſſe anno trigeſimo tertio expleto, ſeu inchoato anno trigeſimo quarto. Ratio eſt, tum quia Chriſtus anno trigeſimo baptizatus fuit, poſt annum prædicare incæpit, & tribus annis cum aliquot menſibus prædicauit; ſi autem omnes iſti anni coniungantur, triginta tres anni completi efficientur. Tum quia Chriſtus baptizatus fuit anno decimo quinto Imperij Tiberij, vt communiter concedunt Doctores, & mortuus fuit anno decimo nono eiuſdem Imperij; cum autem baptizatus ſit anno trigeſimo, & poſt Baptiſmum elapſi fuerint tres anni completi à decimo quinto anno Tiberij ad decimum nonum eiuſdem, ſequitur Chriſtum vixiſſe triginta tres annos completos, & mortuum fuiſſe anno trigeſimo quarto inchoato, ſeu trigeſimo tertio completo. Ita Onufrius in faſtis, Bellarminus in ſua Cronologia, Hyeronimus, Chriſoſtomus, & Nicetus apud Baronium anno Chriſti 34. Baradius, Salmer. Tornielius, & alij apud Salian. to. 6. anno Chriſti 34. Marian. Scot. & alij apud Azor. 2. p. lib. 1. cap. 7. quæſito 5. & apud Tanner. tom. 4. diſp. 2. q. 3. dub. 2. num. 48. Beda, Marianus, Scotus, & alij apud Suarez 3. p. tom. 2. d. 40. ſect. 1. col. 3. verſ. ſexta, & apud Valẽtiam tom. 4. diſp. 2. quæſt. 3. pun. 1. col. 6. Flauius Lucius Dexter in Chronico anno 34. & Franciſcus Biuarius ibidem Commentario 1.

Hinc ſequitur falſas eſſe, aut ſaltem reijciendas eorum ſententias, quorum aliqui affirmarunt Chriſtũ ad quinquageſimum ferè annum perueniſſe, regnante Claudio, non vero Tiberio. Ita Ireneus lib. 2. c. 39. Alij affirmant Chriſtum mortuũ fuiſſe anno ætatis ſuæ trigeſimo, anno decimo quinto Tiberij. Ita Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. Lactantius lib. 4. de vera ſapientia cap. 10. & Tertullianus lib. contrà Iudæos cap. 8. Alij anno trigeſimo primo. Ita Seuerus Sulpitius lib. 2. hyſtoriæ ſacræ. Alij anno trigeſimo tertio inchoato.

2 Secunda pars eſt, Chriſtum mortuum fuiſſe luna decima quinta primi menſis, eo ſcilicet menſe Lunari, in quo celebrabatur Paſcha, & erat primus dies Azymorũ; vt hoc intelligatur.

3 Obſeruandum eſt, duas ſolemnitates præceptas fuiſſe Iudęis; quarũ altera vocabatur Phasè, ſeu Paſcha. Altera erat feſtum Azymorum, quæ eodem die incipiebat, & ob id vna pro altera aliquando accipitur; Re tamen ipſa ſunt diuerſæ. Primò, quia feſtum Paſchæ celebrabatur vno tantum die, qui incipiebat Luna decima quarta primi menſis (qui vocabatur Niſan, & reſpondebat

partim Menſi noſtro Martij, partim Aprili) ad Veſperam, quo tempore imolandus, & comedendus erat agnus paſchalis. Feſtum verò Azymorum celebrabatur ſepem diebus integris, quorum initium ſumebatur ab eadem veſpera decimæ quartæ lunæ vſque ad vigeſimam primam eiuſdem menſis; ipſa tamen ſolemnitas Azymorũ propriè pertinebat ad decimam quintam lunam primi menſis, vt conſtat ex Leuit. 23. ibi, *Menſe primo quarta decima die menſis ad Veſperam Phaſe Domini eſt, & quinta decima menſis huius ſolemnitas Azymorum Domini eſt*; qua ſolemnitatis die vacabatur ab operibus ſeruilibus, à quibus non abſtinebatur decima quarta luna. Secundò, quia Paſcha ſolum Hieroſolimis, ſeu in loco ad hoc ſpecialiter electo celebrabatur; Azyma verò edenda erant in omnibus finibus Iudeæ, ita vt ſi quis veſci vellet pane, veſceretur pane azymo, & abſtineret à fermentato, Deuteronom. 18. *Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis ſeptem diebus*. Chriſtus igitur luna decima quarta exeunte ad Veſperam iuxta præſcriptum legis agnum paſchalem edit, & die ſequenti, in quam incidit ſolemnitas Paſchalis, ſeu Azymorum, mortuus fuit, vt patet ex omnibus Euangeliſtis, Mattheo 26. Marco 14. Luca 22. Ioanne 13. Vide Suarez diſp. 40. ſect. 2. & ſeqq. vbi de hac re optimè agit, Valentiam tomo 4. diſput. 2. quæſtione 3. puncto 1. col. 6. & 7. Azorium 2. par. lib. 1. cap. 6. quæſito 1. & 2.

4 Tertia pars eſt, Chriſtum mortuum fuiſſe luna decima quinta, quę iuxta computationem noſtrorum menſium contigiſſe videtur die vigeſima quinta menſis Martij; traditum enim eſt à maioribus Chriſtum paſſum fuiſſe ea die, qua conceptus fuit; Chriſtus autem conceptus fuit die 25. Martij, vt in præcedentibus oſtenſum eſt. Ita S. Auguſtinus lib. 4. de Trinitate cap. 5. S. Thomas in Ioannem cap. 2. Baronius in Martyrologio die 25. Martij, Beda lib. de ratione temporum cap. 28. & 45. & alij apud Suarez 3. par. tom. 2. d. 5. ſub finem, & apud Tannerum tom. 4. diſp. 2. quęſt. 3. dub. 2. num. 54. quamquam Suarez putat hanc rem incertam eſſe, quia multi Doctores oppoſitum ſentiunt; aliqui enim putant mortem Chriſti contigiſſe mẽſe Aprilis die 2. aut 3., alij die 16., Alij menſe quidem Martio ſed die 23., alij die 26. Vide pręcitatos Doctores.

5 Quarta pars propoſitionis eſt, Chriſtum mortuum fuiſſe die Veneris. Ratio eſt, tum quia ita habet communis traditio Eccleſię, quæ ob id illum diem ſpecialiter colit, & veneratur. Tum quia ſic apertè colligitur ex ſcriptura Ioannis 19. vbi dicitur, Chriſtum poſt mortem ſepultum, *Ne die Sabbati corpora in cruce remanerent; magnus enim erat dies ille Sabbati*, vtpotè incidens in primum, & ſolemnem diẽ Azymorum. Idem colligitur ex Matt. 27. & Marci 15. vbi habetur Chriſtum mortuum fuiſſe in die Paraſceues, qui erat ante Sabbatum; & Lucæ 23. dicitur, *Et dies erat Paraſceues, & Sabbatum illuceſcebat*, quia ſcilicet ſolemnitas Sabbati incipiebat in Veſperis diei præcedentis.

Ita

Ita Origenes lib. 10. in Leuiticum, S.Auguſtinus lib.4. de Trinitate c.5. Ignatius, Clemens Alexandrinus,& alij apud Suarez d. 40. ſect. 5. col. 1. quibus adde Valentiam tom. 4. d.2. quæſt. 3. pun. 1. col.9. vbi etiam obſeruat diem illum, in quo Chriſtus crucifixus fuit, vocatum fuiſſe Paraſceuen Paſchæ, ideſt præparationem Paſchæ, non quia eſſet præparatio Paſchæ, quo ad primum, vel ſecundum diem illius feſti Paſchalis, ſed quo ad tertium, qui eo anno fuit Sabbatum, quod duplici titulo erat valdè ſolemne, & quia Sabbatum, & quia ſimul Paſchale. Ob id appellatur quaſi antonomaſticè Paſcha, Marci cap. 15.

6 Quinta pars eſt, Chriſtum mortuum fuiſſe hora diei nona; crucifixus enim fuit circa horam ſextam, & circa horam nonam mortuus eſt, vt apertè conſtat ex Lucæ 23. *Erat autē ferè hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram vſque in horam nonā, & clamans voce magna Ieſus ait, Pater in manus tuas commendo ſpiritum meū, & hæc dicens expirauit.* Idem habetur Marci 15. verſ. 33. & 37. & Ioannis 19. verſ. 14. Idem etiam expreſsè docet Ignatius Epiſt. ad Trallianos, aſſerens Chriſtum hora tertia ſentētiam à Pilato accepiſſe, ſexta crucifixum eſſe, nona expiraſſe, ante ſolis occaſum ſepultum eſſe.

7 Obijcies, Marci 15. verſ. 25. dicitur, *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*, & in hymno horæ tertiæ iuxta ritum Ambroſianum dicitur, *Iam ſurgit hora tertia, qua Chriſtus aſcendit Crucem*. Ergo Chriſtus crucifixus fuit hora tertia, & mortuus eſt hora ſexta, cum in Cruce perſtiterit ſolum ſpatio trium horarum.

Reſpondent nonnulli, textū Marci mendoſum eſſe, & incuria Scriptoris poſitum fuiſſe, tertia, pro ſexta. Sed hæc reſponſio mihi non probatur, quia idem habetur in omnibus Codicibus tam Græcis, quam Latinis, nullaque in ipſis diuerſitas reperitur. Quamobrem ego reſpondeo, Chriſtum crucifixum fuiſſe hora ferè ſexta; dicitur vero crucifixus hora tertia, vel quia Iudęi ea hora clamarunt Chriſtum crucifigi; Iudęi .n. quantum fuit ex parte ſua tunc temporis Chriſtum crucifixerunt, vt benè S. Thomas 3. par. quæſt. 46. art. 9. ad 2. & alij, quibus Ego adhęſi in Tract. de Horis Canonicis, vel quia dies in quatuor partes æquales, ſicut nox in quatuor vigilias, diuidebatur, quarum prima ab ortu ſolis vſq; ad tertiū vocabatur prima, deſūpta denominatione à prima hora, non à fine horæ; à tertia verò vſque ad ſextam vocabatur tertia; à ſexta vſque ad nonam vocabatur ſexta; à nona vſq; ad occaſum ſolis vocabatur nona, in qua comprehendebatur etiam Veſpera; cum ergo Chriſtus mortuus ſit circa meridiem, vt inconfeſſo eſt apud omnes, qua hora tertia perficiebatur, & hora ſexta incohabatur, mirum nō eſt affirmari à Marco, Chriſtum crucifixum fuiſſe hora tertia; ab alijs verò hora ſexta, ſeu hora ferè ſexta. Ita Ianſenius in concordia cap. 143. Barradius, Tornielius, & alij, quos citat, & ſequitur Salianus tom. 6. anno Chriſti 34. n. 51. Marcellus Francolinus de Horis Canonicis cap. 21. & ſeqq. eamque probabilem putant Suar. 3. p. tom. 2.

Digitized by Google

diſp. 40. ſect. 6. col. 8. & Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 3. dub. 2. n. 59. nec diſſentiunt Toletus in c. 19. Ioannis, & Valentia tom. 4. diſp. 2. quæſt. 3. pun. 1. ſub finem verſ. nec rurſus.

Punctum XIIII.

De magnitudine dolorum Chriſti.

1 *Dolores Chriſti extenſiuè fuerunt maximi.*
2 *Dolores Chriſti intenſiuè maximi fuerunt.*
3 *Dolor immediatè recipitur in ea potentia cuius eſt actus.*
4 *Dolor Chriſti non fuit æqualis dolori exiſtentium in Purgatorio, vel in Inferno.*

Magnitudo dolorũ Chriſti dupliciter ſpectari poteſt. Primò, intenſiuè. Secundò, extenſiuè. Magnitudo extenſiua deſumitur ex varijs cruciatibus, quos Chriſtus paſſus eſt; magnitudo intenſiua deſumitur ex grauitate cuiuslibet cruciatus, quem Chriſtus pertulit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Magnitudo dolorum Chriſti extenſiuè fuit maxima, & ſingularis. Probatur ratione S. Thomæ 3. par. quæſt. 46. art. 5. quia Chriſtus paſſus eſt omnem paſſionẽ, quæ ab extrinſeco inferri poteſt. Nã vel paſſio conſideratur ex parte hominum, à quibus infertur; vel ex parte eorum, in quibus homo aliquid patitur; vel ex parte ſingulorũ membrorum, & partium corporis.

Si paſſio conſideretur ex parte eorum, à quibus infertur, paſſio Chriſti fuit maxima; Chriſtus enim paſſus eſt aliquid à Gentilibus, & à Iudęis, à maſculis, & à fęminis, (vt patet in Ancillis accuſantibus Petrum) paſſus eſt à Principibus, & miniſtris, & à popularibus, iuxta illud Pſal. 2. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania, aſtiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtũ eius*; paſſus eſt etiam à familiaribus, & notis, vt à Iuda ipſum prodente, & à Petro ipſum negante.

Si paſſio conſideretur ex parte eorum, in quibus homo poteſt aliquid pati, paſſio Chriſti fuit maxima; nã Chriſtus paſſus eſt in ſuis amicis eũ deſerentibus, in fama per blaſphemias contra eum prolatas, in honore, & gloria per irriſiones ei illatas; in rebus, cum etiam veſtibus ſpoliatus fuerit, in anima per triſtitiam, tędium, & timorem, in corpore per vulnera, & flagella, quorum dolor per redundantiam diffuſus eſt in omnes corporis partes.

Si conſideretur ex parte ſingulorum membrorũ, & ſenſuum, paſſio Chriſti fuit maxima; Chriſtus enim paſſus eſt in capite coronam pungẽtium ſpinarum, in manibus, & pedibus fixionem clauorum, in facie alapas, & ſputa, & in toto corpore flagella; ſecundum tactũ paſſus eſt flagella, & clauos; ſecundum guſtum potatus fuit felle, & aceto; ſecundũ olfactum ſuſpenſus fuit in loco fętido cadauerum mortuorum; ſecundum auditum laceſſitus fuit vocibus blaſphemantium, & irridentium; ſecundum viſum vidit Matrem, & Diſcipu-

Digitized by Google

diſcipulum, quem diligebat, flentes; hæc S. Thomas loco citato ferè ad verbum.

Cur autem Chriſtus voluerit tot paſſionum genera perferre, hęc ratio aſſignari poteſt, vt omnes illas paſſiones deificaret, & hominibus expetendas, & ſine timore ſuſtinendas redderet, iuxta illud, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam verò occidere non poſſunt*. Ita Caiet. 3. par. quæſt. 46. Suarez 3. p. tom. 2. d. 33. ſect. 1. ad finem, & alij.

Obijcies primò, Chriſtus nō fuit combuſtus igne, aut merſus aqua. Ergo paſſio Chriſti nō fuit maxima.

Reſpondeo negando conſequentiam; quamuis enim Chriſtus paſſus nō fuerit quamlibet ſpeciem paſſionum, præſertim cum nonnullæ paſſionum ſpecies ſibi contrariæ ſint, vt combuſtio in igne, & ſubmerſio in aqua; nihilominus paſſus eſt omne genus paſſionum, quia ſcilicet paſſus eſt in omni bono humano, in omni exteriori parte corporis, ab omnibus perſonis, vt patet ex ratione facta à partium enumeratione.

Obijcies ſecundò; Chriſtus nullū paſſus fuit morbum. Ergo ipſius paſſio non videtur maxima.

Reſpondeo negando conſequentiam; quamuis enim paſſus non fuerit morbum prouenientem à cauſa intrinſeca, vt ſuperius oſtenſum eſt, paſſus tamē fuit maximos cruciatus ſibi ab extrinſeco illatos.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Magnitudo dolorum Chriſti intenſiua maxima fuit. Probatur primò, quia Trenor. 1. in perſona Chriſti dicitur, *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attēdite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus*. Secundò, quia vel loquimur de dolore exteriori, vel de interiori.

Si loquimur de dolore exteriori, paſſio Chriſti maxima fuit. Primò, ob generalitatem paſſionis, de qua dictum eſt in prima propoſitione. Secundò, ob genus paſſionis, quia mors cōfixorum in Cruce eſt acerbiſſima; configuntur enim in manibus, & pedibus, quæ ſunt partes neruis abundantes, & maximè ſenſibiles, & ipſum pondus corpus in Cruce pendentis dolorem iugiter auget, cui accedit diuturnitas doloris, quia confixi Cruci non ſtatim moriuntur, ſicut qui gladio interficiuntur. Tertiò, ob conditionem ſubiecti patientis, nam quo quis eſt melioris, & perfectioris complexionis, eò magis dolore afficitur, dum ei læſio infertur; in eo enim magis viget ſenſus, tactus, & ex perceptione læſionis ſequitur dolor; corpus autem Chriſti fuit optimę complexionis, vt potè formatum miraculosè operatione Spiritus Sancti, ſicut & alia, quę per miracula facta ſunt, fuerunt alijs potiora, vt fuit vinum miraculosè factum.

Si loquimur de dolore interiori, qui prouenit ex apprehenſione mali, paſſio Chriſti fuit maxima. Primò, ob cauſam doloris, quæ fuerunt tum omnia peccata humani generis, pro quibus ſatisfacere debebat patiendo, tum caſus Iudæorum, & aliorum in eius morte delinquētium, ac præſertim Diſcipulorū, qui in eius morte ſcandalum paſſi ſunt, tum amiſſio vitæ, ſeu mors, à qua natura humana abhorret, cum ſit omnium terri-

bilium terribiliſſimum. Secūdò, ob puritatem doloris non habentis admixtum quicquam lætitiæ; nam in alijs patientibus minuitur dolor, & triſtitia ex conſideratione aliqua rationis, per quam capi poteſt aliqua delectatio redundās etiam in partē inferiorem; hoc autem in Chriſto non contigit, quia vnicuique potentiæ permiſſum eſt agere quod eſt ſibi proprium, vt ex Damaſceno lib. 3. fidei cap. 15. docet S. Thomas 3. p. quæſt. 46. art. 6. ex quo hæc ferè ad verbum deſumpſi. Tertiò, quia tota anima paſſa fuit dolorem, iuxta illud Pſal. 47. *Repleta eſt malis anima mea*; dicitur autem tota anima paſſa dolorē, quatenus potentiæ animæ capaces doloris illum paſſę ſunt; totū .n. dicitur reſpectu partiū partes autem animæ dicuntur potentiæ eiuſdem.

3 An autem dolor immediatè recipiatur in potentijs, vel in eſſentia animæ.

Reſpondeo, immediatè recipi in potentia, cuius eſt actus vitalis, & immanens. Quamquam etiam anima dicitur pati, & ſentire dolorem, quia eſt principale principium doloris. Vide S. Thomam 3. par. q. 46. art. 7. & Suarez ibid. in commentar. eiuſdem articuli.

4 Sed modò Dubium eſt, Verum dolor Chriſti tantus fuerit, vt æquari poſſit dolori, quem patitur anima in Purgatorio, vel in Inferno exiſtens.

Reſpondeo negatiuè cum S. Thoma loco citato art. 6. ad 3. & alijs. Ratio eſt, quia dolor animæ ſeparatę pertinet ad ſtatum futuræ damnationis, quę ſuperat omne malū huius vitæ, ſicut gloria Sanctorum ſuperat omne bonum præſentis vitæ. Vide S. Thomam loco citato, & Suarez d. 33. ſect. 2. col. 2. verſ. 2. & col. 7. verſ. ſecundo colligitur.

Ex quo licet inferre, Chriſtum paſſum non fuiſſe pęnas damnatorū, & dolores inferni, præſertim cum hi repugnēt ſtatui beatitudinis, in quo Chriſtus ab initio conceptionis ſemper fuit. Quomodo autem in Chriſto potuerit ſimul eſſe dolor, & beatitudo, oſtenſum eſt ſupra diſp. 2. q. 10. pun. 5. num. 3.

Obijcies primò, Chriſtus cōquerens, & deſperans exclamat ſe derelictum fuiſſe à Deo, Matth. 27. *Deus Deus meus, vt quid me dereliquiſti?* hoc autem eſt proprium damnatorum.

Reſpondeo, Chriſtum dici derelictum à Patre, quia permiſſum fuit ipſum ſubire dolores, à quibus Pater eum eripere poterat; ſed eos permiſit ad noſtram redemptionem, illamque vocem, ac clamorem nobis innoteſcere voluit, vt acerbitas dolorum Chriſti nobis nota, & perſpecta eſſet. An autem Chriſtus præfatis verbis actum deſperationis exercuerit, conſtat ex dictis diſp. 2. q. 10. pun. 2. non exercuiſſe, vt ibidem docui cum Becano, & alijs.

Obijcies ſecundò, Pſal. 17. in perſona Chriſti dicitur, *Dolores Inferni circundederunt me*; & Actor. 2. *Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus Inferni, iuxta quod impoſſibile erat illum teneri ab eo.* Si ergo Chriſtus circundatus fuit inferni doloribus, à quibus poſtea ſolutus fuit, ſequitur Chriſtum illis detentum fuiſſe.

Reſpondeo, nomine dolorum Inferni non intelligi dolores damnatorum, vel exiſtentium in Purgatorio; ſed intelligi dolores mortiferos trahen-

Digitized by Google

ſentes hominem ad Infernum, ideſt ad inferiorem locum mortuis deputatū, à quibus Chriſtus ſolutus fuit, quia reſurgendum ei erat. Vide Tannerum tom. 4. diſp. 2. q. 3. num. 13. & 14. Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 43. ſect. 1. ſub finem, & Valentiam tom. 4. d. 1. q. 4. pun. 2. col. 7. vbi has, & alias obiectiones affert.

Punctum XV.

De prodigijs, ſeu miraculis, quæ in Chriſti morte contigerunt.

1 *Sol defecit in Chriſti morte.*
2 *Tenebræ factæ ſunt in toto Orbe moriente Chriſto,*
3 *Solis defectio, ſeu obumbratio quomodo contigerit in Chriſti morte.*
4 *Velum templi ſciſſum eſt poſt Chriſti mortem.*
5 *Veli ſciſſio, quid ſignificet.*
6 *Terræmotus factus eſt poſt Chriſti mortem.*
7 *Terræmotus poſt Chriſti mortē, quibus in locis contigerit.*
8 *Terræmotus qua de cauſa à Deo permiſſus fuerit.*
9 *Sciſſio petrarum poſt Chriſti mortē facta fuit.*
10 *Petras ſcindi, cur Deus voluerit.*
11 *Sepulchrorū patefactio ſecuta fuit poſt Chriſti mortem.*

QVinque ſaltē miracula, ſeu prodigia in Chriſti morte contigerunt. Primum eſt defectio Solis, ſeu inductio tenebrarum ſuper vniuerſam terram. Secundū eſt ſciſſio veli templi. Tertium eſt terræmotus. Quartum, diruptio, & diuiſio petrarum. Quintum eſt patefactio ſepulchrorum.

PRIMA PROPOSITIO.

1 IN Chriſti morte Sol defecit, & tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, Lucæ 23. *Erat autem hora ferè ſexta, & tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram vſque in horam nonam, & obſcuratus eſt Sol.* idem aſſeritur ab alijs Euangeliſtis, Matth. 27. & Marco 15.

2 Sed modò dubium eſt. Primò, vtrum Sol adeò defecerit, vt tenebræ factæ fuerint in toto Orbe.

Reſpondeo, tenebras factas fuiſſe in toto Orbe, ſaltem in Orbe cognito, & habitabili. Ratio eſt, tum quia Mattheus dicit, *Super vniuerſā terram*, Marcus, *Per totam terram*, Lucas, *In vniuerſam terram*. Ergo tenebræ factæ ſunt in toto Orbe; verba .n. ſcripturæ intelligenda ſunt prout ſonant, niſi aliud obſtet. Tum quia hæc eſt communis Patrum ſentētia, Euthimij, Theophilati, Origenis, Auguſtini, Hyeronimi, Dioniſij Areopagitæ, & aliorum apud Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 39. ſect. 1. Baronium anno 34. Tannerum tom. 4. diſp. 2. q. 3. dub. 2. num. 39. contra Origenem tract. 25. in Mattheum, Maldonatū cap. 27. in Matth. & alios arbitrantes nomine vniuerſæ terræ intelligi ſolum Iudæam.

3 Secundò dubium eſt, quando, & quomodo præfatus ſolis defectus acciderit.

Reſpondeo, accidiſſe in plenilunio per Eclipſim, ideſt per interpoſitionem Lunæ ad Solem; Luna enim magna celeritate retroacta ab Oriēte verſus Occidentem, ſeq; Soli obijciens, tenebras per tres horas ſuper vni-

vniuerſam terram induxit, Lucæ 23. *Tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terrã vſque ad horam nonam, & obſcuratus eſt Sol*, (vbi notanda eſt illa dictio, *Et*, quæ vim cauſalis habet, vt ſæpius contingit, ita vt ſit ſenſus, tenebræ factæ, quia obſcuratus eſt. Vel dic illa verba, *Et obſcuratus eſt Sol*, poni declaratiuè.) Ita expreſsè Dyoniſius teſtis de viſu Epiſt. 7. ad Policarpũ, S. Thomas q. 44. art. 2. & alij communiter.

Obijcies primò, Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſum terrã; ſed per interpoſitionem Lunæ nõ poſſunt tenebræ ſuper vniuerſam terrã induci, vt conſtat ex aſtrologia. Ergo aliunde aſſignanda eſt cauſa iſtarum tenebrarum.

Reſpondeo primò, cum Origene tract. 35. in Matthæum, Tannero to. 4. diſp. 2. q. 3. dub. 2. n. 43. præfatã obſcuritatem in Iudæa, alijsq; partibus finitimis contigiſſe per interpoſitionem Lunæ, vt dictum eſt; in alijs verò remotioribus Orbis partibus huius noſtri Emiſpherij cõtigiſſe per extraordinariam nubium condenſationem. Neque tamen hinc ſequitur, quin Stellæ, præciſa illa parte, quæ condenſatas nubes reſpiciebat, conſpicerentur; magna enim alioquin erat aeris ſerenitas ex Phlegonte, & Euſebio in ſuo Cronico.

Reſpondere poſſe videtur ſecũdò, Lunæ tantam vim miraculosè communicatam fuiſſe, vt ipſius interpoſitio totum ſolem à parte inferiori offuſcaret, & obtenebraret; ſicut enim Luna per tres horas Solẽ miraculosè obſcurauit, (Eclipſis enim naturalis tanto tempore durare non põt) ita etiam fieri poteſt, vt præfata virtus obſcurandi Lunæ communicata fuerit.

Alij verò, vt S. Hyeronymus cap. 27. in Matthæum, Beda lib. 4. in Marcum cap. 15. Suarez 3. par. tom. 2. d. 39. ſect. 1. & alij reſpondent cauſam; ob quam ea Eclipſi obſcurari potuit vniuerſus Orbis, hanc fuiſſe, quia Sol continuit radios, ſaltem ex parte inferiori, quæ terram reſpicit, quãuis ſuperiores cœli partes interim illuminaret. Sed hoc mihi non probatur, quia alioquin opus non fuiſſet tam miraculoſa Eclipſi, cum aliunde Sol obſcuratus fuiſſet, quàm per interpoſitionem Lunæ, quod eſt contra S. Dyoniſium, & alios communiter.

Obijcies ſecundò, nullus Scriptor externus mentionem illius defectionis, Solis, & Eclipſis fecit. Ergo illa Eclipſis, vel non contigit, vel non fuit vniuerſalis.

Reſpõdeo, Phlegontem, & plures alios teſte Euſebio apud Frãciſcum Biuarium anno 34. comment. 2. mentionem illius feciſſe. Sed inſtar omnium nobis ſufficit Dyoniſius Areopagita, teſtis omni exceptione maior, cum teſtetur de viſu, illumq; ſequuti ſint omnes ferè Theologi. Ratio autem, cur alij Scriptores non meminerint illius Eclipſis, hæc eſſe poteſt, quia cum miraculosè cõtigerit, & eius cauſa ignota ipſis eſſet, ſolliciti non fuerunt in obſeruanda, & deſcribenda illa Eclipſi.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Statim poſt Chriſti mortẽ ſciſſum eſt velum Templi, vt patet Matth. 27. *Emiſit ſpiritum, Et ecce*, (ideſt, ſtatim, ac ſubitò,) *velum templi*

pli ſciſſum eſt, & Marci 14. *Et velum templi ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum.* Ita S. Auguſtinus lib. 3. de conſenſ. Euang. cap. 9.

Sed modò dubiũ eſt primò, quodnam velum templi ſciſſum fuerit, quamuis enim Ianſenius cap. 143. concord. exiſtimet vnum tantũ fuiſſe velum templi; tamẽ Origen. trac. 45. in Matth. Ioſeph lib. 6. de bello Iudaico cap. 6. Hyeronim. Ep. 150. q. 8. & alij aſſignant duo vela, vnum in intima parte templi, quæ Sancta Sanctorum vocabatur; alterum in exteriore parte templi, diuidens Sancta ab alia parte templi magis externa. Dubium ergo eſt, quodnam velum ſciſſum fuerit; Cyrillus libro 12. in Ioannem cap. 37. & alij ferè communiter arbitrantur ſciſſum fuiſſe velum, quod Sancta Sãctorum tegebat; cum enim ſciſſio Templi facta fuerit ad ſignificandum ianuam cœli aperiri, veroſimile eſt ſciſſũ fuiſſe velum illud, quod Sancta Sanctorum occultabat. Origenes verò, & Hyeronimus locis citatis aſſerunt ſciſſum fuiſſe velum exterius; quod mihi à fortiori ſentiendum videtur, ſi velum extrinſecum tale erat, vt totum Templum circumdaret, & in circuitu clauderet, vt aliqui Scriptores arbitrati ſunt; veroſimile enim eſt illud uocatũ fuiſſe ſimpliciter, & per anthonomaſiam velum Templi.

5 Secundo dubium eſt, quid ſignificatum fuerit ſciſſione veli.

Reſpondeo primò, ſignificatam fuiſſe deſitionem legis Iudaicæ. Secũdò, Sacramenta nouæ legis, quæ ſub velamine antiquæ legis tegebantur, & morte Chriſti patefacta fuere. Tertiò, viam Sanctorum, & cœli ianuam apertam fuiſſe. Alias myſticas huius rei ſignificationes referunt Patres apud Suar. 3. p. to. 2. d. 38. ſect. 2.

TERTIA PROPOSITIO.

6 Poſt Chriſti mortem ſecutum eſt prodigium terrẹmotus. Hoc enim prędictum fuerat Pſal. 17. *Commota eſt, & contremuit terra, fundamenta eius conturbata ſunt, quoniam iratus eſt eis Deus.*

7 Sed modo dubium eſt primò, quibus in locis hic terrẹmotus contigerit.

Reſpondet Origenes tract. 35. in Matth. contigiſſe ſolum Ieroſolimis, vel ad ſummum in terra Iudęæ; nam ex Euangelio non colligitur alibi cõtigiſſe. Euſebius verò anno 18. Tiberij, & alij putant etiam in alijs locis terrẹmotum factum fuiſſe, & pluri mas ędes corruiſſe.

8 Secundò dubium eſt, qua de cauſa Deus voluerit terræmotum fieri.

Reſpondeo, factum fuiſſe ad indicãdam Dei indignationem, Pſal. 17. *Quoniam iratus eſt eis.* Secundò, mutationem rerum futurarum. Tertiò, ſupplicium, quod Iudæis inferendũ erat. Vide Suarez loco citato.

QVARTA PROPOSITIO.

9 Poſt Chriſti mortem facta eſt ſciſſio petrarum, *Et petræ ſciſſæ ſunt*, Matth. 27. nec ſolũ in Iudæa, verum etiam alibi ſecutum fuit hoc prodigium ſciſſionis petrarum; diruptus enim fuit mons Aluerniæ in Hetruria, & promontorium Caietæ prope Campanum ſitus, vt ex tradi-

tione

tione incolarum obſeruat Baronius in Annalibus anno 34.

10 Sed modò dubium eſt, cum à Deus petras ſcindi voluerit.

Reſpondeo, id factum fuiſſe ad ſignificandam Iudæorum duritiam, ipſorum enim corda duriora fuiſſe videntur ipſis ſaxis, cum ſaxa ſciſſa fuerint, corda verò Iudæorum non fracta, non emolita, non commota.

QVINTA PROPOSITIO.

11 POſt Christi mortem ſecuta fuit ſepulchrorum patefactio; *Monumenta aperta ſunt*, Matth. 27. Sepulchra autem aperta, & patefacta fuerunt ad ſignificandum mortem deuictam fuiſſe, & immortalem vitam acquirendam. *Quamobrem multa Sanctorum corpora ſurrexerunt, ſtatimque reſurrexerunt, exierunt de ſepulchris, venerunt in Sanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis*, Matt. 27. probabile tamen eſt illa corpora non ſurrexiſſe vſque ad Chriſti Reſurrectionem, vt infra oſtendam, etiamſi patefactio ſepulchrorum, terręmotus, & ſciſſio petrarum eodem tempore ſequuta fuerint, præſertim in ſententia eorum, qui aſſerunt terręmotum fuiſſe cauſam ſciſſionis petrarum, & apertionis ſepulturarum.

Prædictis prodigijs alia addūtur; nam Chriſto moriente, omnes homines vbicumque exiſtentes ſubitò terrore, & horrore perculſi fuerunt, cauſam illius effectus ignorantes. Præterea aliquibus in locis auditæ fuerunt voces, quibus dęmonem ſuperatum, ſeu principem huius mundi foras eiectum fuiſſe indicabatur. Vide Suarez diſp. 39. ſect. 2. ad fin.

Punctum XVI.

De vulneratione Lateris Chriſti.

1 *Latus Chriſti lancea vulneratum fuit.*

2 *Chriſtus quo in latere vulneratus fuerit, incertum eſt, nam aliqui in dextero, alij in ſiniſtro latere vulneratum fuiſſe ferunt.*

3 *Sanguis, & aqua de Chriſti latere manauit.*

4 *Sanguine, & aqua, quæ de Chriſti latere fluxerunt, quid ſignificetur.*

TRia principaliter explicabo in hoc puncto. Primò, an Chriſtus uulneratus fuerit poſt mortem. Secundò, in quo latere. Tertiò, quid ex eo latere uulnerato manauerit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 COrpus Chriſti poſt mortem lancea perforatum fuit. Hęc propoſitio certa eſt de fide, Ioan. 19. *Ad Ieſum aūt cum veniſſent, vt viderūt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, ſed vnus militum lācea latus eius aperuit.* Ratio autem, ob quā Chriſtus Corpus ſuum lācea aperiri permiſerit, eſt, tum ut euidentius conſtaret de ipſius morte; tum ut idem uulnus teſtimonium eſſet Reſurrectionis Chriſti; tum ut hac occaſione totus eius ſanguis pro nobis effunderetur; uoluit autem Chriſtus lancea uulnerari poſt mortem, & non ante, ne uideretur ex neceſſitate, ſed uoluntariè mori, ut benè obſeruant Suarez diſp. 41. ſect. 1. col. 2. & alij.

SE-

SECVNDA PROPOSITIO.

2 INcertum eſt, quo in latere Chriſtus vulneratus fuit; nam aliqui putant Chriſtum in dextero latere vulneratum fuiſſe, quia vſu receptum eſt, vt Imagines Chriſti crucifixi in dextero latere vulneratæ pingãtur; vſus autem innixus videtur traditioni, & conſenſui Eccleſiæ. Suarez verò loco citato probabiliter putat Chriſtum vulneratũ fuiſſe in ſiniſtro latere, in quod vergit cor humanum. Ratio eſt, tum quia veroſimile eſt, Chriſtum in eo latere vulnerari voluiſſe, vt manifeſtius conſtaret de ſua morte; nullus enim tranſuerberato corde viuere poteſt. Tum quia in ea parte vulneratus fuit Chriſtus, ex qua Eua formata fuit; Eccleſia enim formata fuit de Chriſti latere, ſicut Eua de latere Adæ; ſed Eua formata fuit ex coſta ſiniſtri lateris, in qđ vergit cor humanum, ad indicandũ amorem, qui inter virum, & vxorem reperiri ſolet, ex S. Thoma 1. p. q. 92. art. 2. & alijs. Ergo etiam Chriſtus in eadem parte vulneratus fuit, alioquin figuratum non reſponderet figuræ. Tum quia manifeſtare voluit amorem erga Eccleſiam ſuam ſponſam, iuxta illud Canticor. 4. *Vulneraſti cor meum*. Tum vt conſtaret patere viam, per quam ad cor Chriſti ingredi, & in eo quieſcere poſſimus.

TERTIA PROPOSITIO.

3 DE Chriſti latere verus ſanguis, & vera aqua manauit. Ratio eſt, tum quia verba ſcripturæ accipienda ſunt in propria ſignificatione, Ioann. autem 19. dicitur, *Eluxiſſe ſanguinem, & aquam*. Tum quia ſic definitum fuit ab Innocentio ca. in quadam, de celebrat. Miſſ.

4 Sed modò dubiũ eſt primò, quid ſignificent ſanguis, & aqua, quæ de Chriſti latere fluxerunt. Alij aliter ſentiunt. Nam Chriſoſtomus hom. 84. in Ioannem, Auguſtinus, & alij putant ſignificare Baptiſmũ, & Euchariſtiam. Hyeronimus Ep. 83. ad Decanum, Tertullianus, & alij exiſtimant indicare duo Baptiſmata, ſanguinis ſcilicet, & aquæ. Ambroſius verò, Beda, & alij arbitrantur oſtendere Baptiſmum aquæ, & pretium redemptionis noſtræ. Vide Vaſquez 3. par. tom. 1. diſp. 76. cap. 2. num. 15. Suarez 3. p. tom. 1. diſp. 51. ſect. 1. col. 3. & 4. Becanum de Incarnat. cap. 14. quæſt.

5 Secundò dubium eſt, an ſanguis, & aqua exierit permixta, an ſeparatã.

Reſpondeo, exiiſſe diſtincta, & loco ſeparata, ita vt ſanguis ex vna lateris parte, & aqua ex alia effluxeret, vel ita vt prius totus ſanguis exierit, & poſtea tota aqua. Ratio ad probandum iſta duo diſcretè, & ſeparatim exiiſſe, eſt, tum quia Ioan. c. 19. dicitur, *Continuò exiuit ſanguis, & aqua*. Tum quia diſcerni, & diſtingui non potuiſſet ſanguis ab aqua, ſi vtrumq; permixtum è latere Chriſti fluxiſſet, & Ioannes ipſe de ſe ipſo teſtatur à ſe viſum fuiſſe ſanguinem, & aquam, & ſuum teſtimonium verum eſſe, *Et qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius*; ibi enim Ioannes non loquitur de tertia perſona, ſed de ipſo in tertia perſona, vt benè obſeruat Suar. loc. cit. col. 5.

6 Ex

6 Ex quo licet obiter inferre, apocrypham, & falſam eſſe aſſertionem illorum, qui aſſerunt, eum, qui Chriſtum vulnerauit, fuiſſe cęcum, & appellatum Longinum, atque adeò ex eo liquore reſtitutam ei fuiſſe oculorum ſanitatem. Sed errant, nam Ioannes ſimpliciter dicit fuiſſe militem, non expreſſo illius nomine, nec veroſimile eſt ipſum fuiſſe cęcum; quomodo enim cęcus militare pôt? Longinus autem potius videtur fuiſſe Centurio ille, qui in Euãgelio Matthæi dicitur glorificaſſe Deum, dicẽdo, *Verè hic homo iuſtus erat*, ſeu, *Verè Filius Dei erat iſte*, & poſtea martyrij palma coronatus fuit, ex Surio to. 2. & Metaphraſte die 25. Martij, & 16. Octobris.

Punctum XVII.

De Sepultura Christi.

1 *Chriſtus verè ſepultus fuit.*
2 *Sepultura Chriſti conueniens fuit.*
3 *Chriſtum ſepeliri conueniens fuit, etiam quo ad circumſtantias, vt vnguenti, &c.*
4 *Corruptioni ſubiectum non fuit Chriſti corpus poſt mortem.*

IN hoc puncto primo loco explicabo, An Chriſtus verè, & propriè ſepultus fuerit. Secundò, An conueniens fuerit Chriſtum ſepeliri. Tertiò, An Chriſti corpus poſt mortem corruptum fuerit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CErtum eſt de fide Chriſtum ſepultum fuiſſe. Ratio eſt, tũ quia hic eſt articulus fidei in Symbolo Apoſtolico expreſſus. Tum quia ſic expreſsè aſſeritur ab Euãgeliſtis. Tum quia licet anima per mortem ſeparata fuerit à corpore, nihilominus corpus manſit vnitum perſonæ Verbi; conſequenter idem Chriſti corpus ſepultum fuit, non ſolum ratione materiæ, vt in alijs hominibus, verum etiam ratione ſuppoſiti diuini, præſertim cum identitas numerica potiſſimum ex identitate ſuppoſiti ſumatur, vt benè Valentia to. 4. d. 2. q. 4. pun. 1.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 COnueniens fuit Chriſtum ſepeliri. Primò, vt certius conſtaret de morte Chriſti; nullus enim ſepulturæ tradi cõſueuit, niſi de morte ipſius iam conſtet, de qua etiam explorationẽ fecit Pilatus Marci 15. Secundò, vt daretur ſpes reſurgendi ijs, qui ſepeliũtur. Tertiò, vt reſurrectio Chriſti mirabiliter appareret. Vide S. Thomam 3. p. q. 51. art. 1. & ipſius Commentatores ibid.

Sed modo dubium eſt, vtrum cõueniens fuerit Chriſtum ſepeliri etiã quo ad alias circumſtantias.

Reſp., conueniens fuiſſe Chriſtũ ſepeliri. Primò, à viris nobilibus Ioſeph, & Nicodemo. Secundò, cum aromatibus mirrhæ, & aloes. Nam Ioann. 19. Nicodemus dicitur *attuliſſe mixturam mirrhæ, & aloes quaſi libras centum*, & licet quantitas myrrhæ, & aloes nimia, videatur, inſpecto ſolo Chriſti corpore, quod vngẽdũ erat, nihilominus cũ Nicodemus eſſet vir diues, nobilis, & potẽs, rem magnificè agere voluit ſepeliendo

do Chriſtum, non vt reum, ſed vt magnum, & admirandum virum, & potius voluit vnguentum abundare, & ſupereſſe, quam deficere, & deeſſe. Ita Suar. 3. p. quæſt. 51. in comment. art. 2. & alij. Quo autem animo ea vnctio facta fuerit. Reſponderi probabiliter poteſt, factam fuiſſe honoris cauſa; ſicut enim Iudæi abluere ſolebant corpora mortuorum propter decentiam, & in ſignum beneuolentiæ, ſicut etiam hoc tempore pluribus in locis obſeruari cernimus, ita etiam id fieri potuit à Nicodemo, & Ioſepho erga Chriſtũ. Vel dic cum communi Doctorum ſententia id factum fuiſſe non ſolum cauſa honoris, verum etiam cauſa præſeruationis à corruptione, non quidem præſernationis perpetuæ (alioquin corpus Chriſti exenterari debuiſſet, cum tamen conſtet exenteratum nõ fuiſſe) ſed temporalis, qualis per externam vnctionem haberi poteſt. Vide Suarez d. 51. ſect. 2. col. 3. verſ. ad difficultatem. Tertiò, in ſindone mũda; in hac. n. inuolui voluit ad indicãdam puritatem mentis, cũ qua Chriſtũ ſuſcipere debem⁹, vt benè S. Hyeronimus cap. 27. Matth. Ex quo mos in Eccleſia inualuit celebrandi, non in ſerico, neque panno, ſed in ſimplici lino, ex Beda cap. 15. Marci, Valẽtia to. 4. d. 2. q. 4. pun. 1. col. 3. & alijs. Quartò, in alieno ſepulchro; tum ad indicandam Chriſti paupertatem. Tum ad ſignificandum ipſum pro aliorum ſalute mori. Ita S. Aug. ſer. 113. & alij. Quintò, in Sepulchro nouo, in quo nullus antea ſepultus fuerat. Tum reuerentiæ cauſa. Tum vt magis de reſurrectione ipſiuſmet Chriſti conſtaret, ne quis alius ſurrexiſſe poſtea fingeretur. Sextò, in monumẽto exciſo in petra, & benè clauſo, vt euidentius eſſet Reſurrectionis miraculum, ex Hyeronimo Matt. 27. Vide S. Thomam q. 51. art. 2. Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 40. ſect. 3. Valentiam loco citato.

TERTIA PROPOSITIO.

3 Corpus Chriſti poſt mortem corruptum non fuit; quamuis enim anima Chriſti poſt mortem ſeparata fuerit à corpore; ipſum tamen corpus diuina virtute conſeruatum fuit, ne in cineres, ſeu in elementa redigeretur. Tum vt adimpleretur ſcriptura Pſal. 15. *Non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, quem locum de Chriſti corpore mortuo exponunt S. Petrus Actor. 2. & alij communiter. Tum quia non crederetur in ipſo fuiſſe virtutem diuinam. Ideo Pſal. 29. dicitur, *Quæ vtilitas in ſanguine meo*, ideſt in paſſione, *ſi deſcendero in corruptionem?* Tum quia ſicut non decuit Chriſtum morbis, & infirmitatib. corporis ſubiacere, aut in ęgritudine mori, ne videretur hæc pati potius ex neceſſitate naturę, quã ex uoluntate, ita non decuit ipſum poſt mortem ſubijci corruptioni, ne mors infirmitati naturæ adſcriberetur. Vide S. Thomam 3. par. quæſt. 51. art. 3. Suarez ibidem, Valentiam loco citato, & alios S. Thomæ commentatores.

Pun-

Digitized by Google

Punctum XVIII.

De Chriſti deſcenſu ad Inferos.

1 *Chriſtus verè quo ad animam ad Inferos deſcendit.*

2 *Limbus Patrum, non verò puerorũ cum originali decedentium, aut exiſtentium in Purgatorio, vel in Inferno, fuit locus ad quem Chriſtus deſcendit poſt mortem.*

3 *Chriſtus toto triduo mortis manſit in Limbo Patrum.*

4 *Latro an ſtatim poſt mortem in Paradiſo extiterit cum Chriſto.*

5 *Chriſtus animabus Patrum in Limbo exiſtentibus beatitudinem contulit.*

6 *Patrum animæ an ſtatim poſt Chriſti mortem effectæ fuerint beatæ.*

7 *Chriſtus non ſolum contulit beatitudinem Patribus Limbi, verum etiã illas reſurgens ab eo loco eduxit.*

8 *Chriſti anima quid operata fuerit poſt mortem.*

9 *Chriſtus ad Inferos deſcendens nullas damnatorum animas ab Inferno liberauit.*

EXplicabo primò, an Chriſtus verè, & realiter deſcenderit ad Inferos. Secundò, ad quæ loca Inferni deſcenderit. Tertiò, quamdiù ibi mãſerit. Quartò, quid ibi operatus ſit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus verè, realiter, & ſubſtantialiter quoad animam deſcendit ad Inferos. Ratio eſt primò, quia hic eſt articul⁹ fidei in Symbolo expreſſus. Secundò, quia ſic colligitur ex Pſalm. 15. *Non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*; Pſ. 29. *Domine eduxiſti ab Inferno animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacũ*; & Matth. 12. verſ. 40. *Sic erit filius hominis in corde* (ſeu medio) *terræ tribus diebus, & tribus noctibus*, Epheſ. 4. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ.* Tertiò, quia ſicut conueniens fuit Chriſtum aſſumere noſtras pęnalitates, vt nos ab ijs liberaret, ita etiam conueniens fuit ipſum ad Inferos deſcendere, vt nos à deſcenſu Inferni eriperet. Quartò, quia conueniens fuit, vt Chriſtus, victo per mortem Diabolo, eriperet etiã illos, qui ab eo vincti in Inferno detinebãtur; Coloſſ. 5. verſ. 15. Quintò, quia ſicut Chriſtus poteſtatem in terra oſtendit viuendo, & moriẽdo, ita par erat, vt eam in Inferno oſtenderet illum viſitando. Huc referri ſolet illud Pſ. 23. *Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ eternales, & introibit Rex gloriæ.* Sextò, quia cum locus ille à diuina prouidentia deputatus fuiſſet pro animabus ſanctis vſq; ad completam, & conſumatam redemptionem, & reſurrectionem Chriſti, non potuit anima Chriſti in aptiori loco commorari, quam in Inferno; quem hoc loco intelligo pro Limbo Patrum. Septimò, quia ita definitum fuit in cap. firmiter de Sum. Trinitat. & alibi. Octauò, quia hæc eſt communis Patrum ſententia, Athanaſij, Cypriani, Ambroſij, Auguſtini, Hyeronimi, Cyrilli, Baſilij, & aliorum; quos diligenter proſequitur Valent. tom. 4. d. 2. q. 4. Suarez 3. par to. 2. d. 43.

Digitized by Google

Diſp. 43. ſect. 2. Tanner. tom.4.d.2. quæſt. 3. dub. 3. num. 70.

Ex quo patet primò, falſam eſſe Durandi ſententiam in 3. d. 22.q.3. aſſerentis Chriſtum deſcendiſſe ad Inferos non realiter, & ſubſtantialiter quo ad animã, ſed quo ad virtu- & operationem.

1 Secundò, falſam eſſe opinionem tam Anabatiſtarum aſſerentium deſcendere ad Inferos eſſe penitus interire; quam Buceri, & Bezę affirmãtiũ per Infernũ intelligi Sepulchrũ. Vide Valẽtiã Suar. & Tãner. locis cit.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 Chriſtus ſubſtantialiter deſcẽdit ad Limbum Patrum, nõ verò ad Limbum puerorum, vel ad Infernum damnatorum, vel ad Purgatorium. Vt hæc propoſitio clarius intelligatur, obſerua quatuor eſſe Inferni partes; vna vocatur Limbus Patrum; altera Limbus puerorum; tertia Purgatorium; quarta Infernus damnatorum. Hoc poſito.

Dico primò, Chriſtum deſcendiſſe ad Limbum Patrũ. Tum quia de hoc maximè verificantur præcitata Scripturæ teſtimonia. Tũ quia Chriſtus in Limbo Patrum maximè operatus eſt ſuos effectus, conferendo beatitudinẽ, illosq; ſecũ educendo.

Ex quo patet dici poſſe, Chriſtũ deſcendiſſe ad ſinum Abrahæ, nam Limbus Patrum vocabatur etiam ſinus Abrahæ.

Dices, Chriſtus deſcẽdit ad Inferos; ſinus autẽ Abrahæ nõ eſt in Inferno, præſertim cũ Infernus in Scriptura ſemper ſumatur in malã partẽ; ſinus verò Abrahæ in bonã partẽ pro loco quietis, & conſolationis, ac veluti beatitudinis, iuxta illud Lucæ 16. *Factum eſt, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ; mortuus autem eſt & diues, & ſepultus eſt in Inferno*. Ergo Chriſtus non deſcendit in ſinum Abrahæ.

Reſpondeo, Sinũ Abrahæ dupliciter conſiderari poſſe. Primò, quatenus eſt locus quietis liber à pęna ſenſibili, & à periculo amittẽdi gratiam, & certam ſpẽ beatitudinis, & hoc pacto nõ habet rationẽ Inferni, licet in corpore terræ contineatur. Secundò, quatenus continet priuationẽ gloriæ ſperatæ, & hoc pacto habet rationem Inferni, ſeu doloris, ad quẽ Chriſtus deſcẽdit, vt animas ibi exiſtentes eriperet, & liberaret.

Ex quo patet falſam eſſe opinionẽ, tam eorum, qui aſſerunt ſinum Abrahæ eſſe locum cęleſtem, quam eorum, qui putant eſſe Paradisũ terreſtrẽ, aut partẽ animæ ipſius Abrahæ. Quamquã hoc tempore requies Beatorũ vocatur Sinus Abrahæ, nec dicitur Infernus. Vide S.Thomã 3.p. quæſt. 52. art. 2. ad 4. Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 42. ſect. 2. & Tannerũ tom. 4. d. 2. q. 3. dub. 3. n. 73.

Dico ſecundò, Chriſtum non deſcendiſſe ad Limbum puerorum cũ ſolo peccato originali decedẽtium; tum quia hic Limbus eſt quidẽ carcer damnatorũ, in quo inimici Dei detinentur. Tum quia ignoratur, an Chriſtus innotuerit pueris eo loci exiſtentibus; cum enim præfati pueri damnati eſſent, & Deo exoſi, digni non erãt, vt præſentia Chriſti recrearentur; & cũ damnati fuerint abſq; propria culpa, par non erat, vt magis torquerentur. Ita Suarez d. 43. ſect. 4. verſ. in hac re col. 3. & alij.

Dico tertiò, Chriſtum nō deſcendiſſe ſubſtantialiter ad Purgatoriū, Tum quia Purgatoriū eſt quidā carcer, & locus ſupplicij; conſequenter non erat locus conueniens Chriſto. Tū quia ſi Chriſtus deſcēdit ad Purgatoriū, maximè vt animas ibi exiſtentes liberaret; ſed veroſimile eſt Chriſtū non liberaſſe animas exiſtētes in Purgatorio; nam lege diuinæ iuſtitiæ ſancitū eſt, vt qui in hac vita non ſatisfecit, in alia ſatis patiatur. Ita Viguer. in Inſtitut. cap. 6. §. 4. verſ. 30. & alij. Probabile tamen eſt Chriſtum aliquas animas condonata ſatisfactione à Purgatorio liberaſſe; nā ſicut Chriſtus hic viuens ſpeciali gratia, & liberalitate quibuſdā remiſit peccata, & moriens ſimilem latroni cōceſſit gratiā, ita veroſimile eſt ſimilem gratiā aliquibus animabus Purgatorij cōtuliſſe. Ita Caiet. 3. p. quæſt. 52. art. 8. & alij Thomiſtæ ibidem, Durandus in 3. diſt. 22. q. 4. Suarez 3. p. tom. 2. quæſt. 52. art. 8. ad finem, & diſp. 43. ſect. 3. ſub finem, Tannerus tom. 4. diſp. 2. q. 3. dub. 3. n. 78. & alij cōtra nonnullos alios, quorum aliqui opinātur Chriſtum nullas animas Purgatorij liberaſſe. Alij verò putāt Chriſtū liberaſſe omnes animas, quas in Purgatorio inuenit.

Dico quartò, Chriſtū nō deſcendiſſe ſubſtātialiter ad Infernū dānatorum. Tum quia æquū non erat, vt anima beata, & triūphatrix in horribilem dānatorum carcerē, & tetrū ſuppliciorū locū deſcēderet. Tū quia Chriſtus locutione ſpirituali abſque perſonali pręſētia terrere potuit animas dānatorū. Ergo neceſſe nō fuit, vt ſubſtātialiter in eū locū deſcēderet. Tū quia loca ſcripturæ ſufficiēnter intelligi poſſūt de Chriſti deſcēſu ad Limbū Patrū. Ita S. Thomas 3. par. q. 52. art. 2. Caiet. Medina, & alij Thomiſtæ ibidē, S. Bonauentura, Ricardus, Gabriel, & Palud. in 3. diſt. 22. q. 13. Suar. 3. p. tom. 2. d. 43. ſect. 3. Tann. lo. cit. n. 74. & alij contra Bellarminū lib. 4. de Chriſti anima c. 16. cuius opinio improbabilis non videtur.

Obijcies, Eccleſiaſtici 24. dicitur, *Penetrabo omnes inferiores partes terrę, inſpiciam omnes dormientes*, quæ verba generalia ſunt, & de ſapiētia Incarnata, ideſt Chriſto intelliguntur.

Reſp. primò, non conſtare, an ibi ad literā ſermo ſit de Chriſto, Secūdò, etiāſi admittam ibi ſermonē eſſe de Chriſto, tamen locus ille nō intelligitur de deſcēſu ad Infernū dānatorū, ſed potius de Limbo Patrū; nā cōtinuò additur, *Et illuminabo omnes ſperantes in Domino*; dicitur autem Chriſtus penetraſſe omnes partes terræ, quia nō ſolū ad ſuperficiē deſcendit, ſed etiā ad infimū locū, quāuis nō penetrauerit, nec illuſtrauerit ſingulos terræ ſinus, vt benè Suar. loco cit. ſect. 4. verſ. nec locus.

TERTIA PROPOSITIO.

3 CHriſtus manſit in Limbo Patrum toto triduo vſq; ad Reſurrectionem. Ratio eſt primò, quia Matth. 12. dicitur, *Erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*. Secundò, quia Infernus fuit terminus à quo Reſurrectionis Chriſti, Actor. 2. *Quē Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus Inferni*. Ergo Chriſtus perſtitit toto triduo in Inferno, ideſt

in Lim-

in Limbo Patrum, alioquin ex alio loco reſurrexiſſet, vel aſſignandus eſſet locus, in quo eo medio tẽpore fuerit. Tertiò, quia nullus conueniẽtior locus aſſignari poteſt, in quo anima Chriſti eo tẽpore eſſe debuerit; Limbus .n. Patrũ deputatus erat animabus à corpore ſeparatis, & in Dei gratia exiſtentibus, & Chriſtus ibi detineri debuit, donec tempus Reſurrectionis adueniret. Ita S. Thomas 3. p. q. 52. art. 4. & Scolaſtici cõmuniter in 3. diſt. 22. teſte Suarez 3. p. tom. 2. d. 43. ſect. 4. col. 4. verſ. nihilominus, & Tãnero tom. 4. d. 2. quæſt. 3. dub. 3. num. 79.

4 Obijcies, Chriſtus Lucæ 23. dixit Latroni, *Hodie mecũ eris in Paradiſo*. Ergo Chriſtus toto illo triduo nõ manſit in Inferno, alioquin ſimul cũ Latrone in Paradiſo nõ extitiſſet.

Reſpõdeo, illa verba intelligi formaliter de beatitudine, qua perfruũtur beati quouis in loco exiſtant; nõ verò intelligi materialiter de loco illo, in quo nũc reſidẽt beati, quia Sancti eum locum ſolum ingreſſi sũt cũ Chriſto in ipſius aſcenſione; neq; intelligũtur de Paradiſo terreſtri, quia Latro non petebat Paradiſum terreſtrem, aut alium amęnum locũ, ſeu pomarium; Paradiſus enim ex primaria ſui ſignificatione ſignificat locum amęnum, ſeu pomarium. Q ã quam in nouo teſtamẽto adhibetur ad ſignificandum locum beatitudinis, quicunque ille ſit, vt benè Suarez loco cit. & alij quos ſupra retuli, vbi hunc locum iterum explicaui. Ex quo infertur Limbũ Patrũ aduentu Chriſti effectũ fuiſſe Paradiſum, quia animæ ibi exiſtentes frui cęperunt beatifica Dei viſione.

QVARTA PROPOSITIO.

5 Anima Chriſti animabus Patrum in Limbo exiſtẽtibus contulit beatitudinem, & conſequẽter viſionem, & fruitionem, in qua beatitudo cõſiſtit. Probatur primò, ex loco illo Luc. 23. *Hodie mecũ eris in Paradiſo.* Secundò, quia animę Patrũ ante Chriſti mortem, & deſcenſum Chriſti ad Inferos non erant beatæ; ob id Hebreor. 9. dicitur ante Chriſtum nondum propalatã fuiſſe ſanctorum viam; factę tamen ſunt beatæ poſt Chriſti mortem, & deſcenſum ad Inferos. Tum quia Oſeę 13. dicitur, *Ero mors tua ò mors*. Tũ quia nullum ſuberat impedimentum impediens ipſorum beatitudinem. Tũ quia ſic colligitur ex illo Hebreor. 10. *Habentes fratres fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti quam initiauit nobis viam nouam, & viuentẽ per velamen, ideſt carnem ſuam.*

6 An autem Animę Patrum effectæ fuerint beatæ ſtatim poſt Chriſti mortem, etiam ante ipſius aduentum ad Limbum. Diſſenſio eſt inter Doctores; hoc vnum certũ eſt paruiſſimam fuiſſe moram, & diſtantiam inter mortem Chriſti, & pręſentiam animæ ipſius in Limbo. Imò Suarez diſp. 43. ſect. 3. col. 2. putat animã Chriſti in eodem inſtanti mortis per motum inſtãtaneum fuiſſe in Inferno; putat enim dari poſſe diſcretam mutationem, per quam ſpiritualis ſubſtantia antea exiſtens in vno extremo, conſtitui poteſt in alio abſq; exiſtentia in medio.

7 Maior difficultas eſt primò, Vtrum Chriſtus non ſolũ ſuo ad In-

feros

ſeros deſcēſu beatitudinem animabus Patrum in Limbo exiſtentibus attulerit, verum etiam illas reſurgēs ab eo loco eduxerit.

Nōnullis probabile videtur Chriſtum illas non eduxiſſe, ſed ibi dimiſiſſe cum certa ſpe in cęlum conſcendendi cum Chriſto in die Aſcēſionis; Limbus enim erat locus accomodatus ipſis Patribus, cū aduētu Chriſti factus eſſet ex Inferno Paradiſus, ideſt locus voluptatis, & ex carcere palatium.

Alij verò ferè communiter probabiliter putant Chriſtum reſurgētem ſecum eduxiſſe animas Purgatorij, illaſque in aliquo ſuperiori aeris loco conſtituiſſe. Nam Zacch. 5. dicitur. *Tu verò in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu, in quo nō erat aqua*, & Coloſſ. 2. *Expolians principatus, & poteſtates*, videlicet Infernales, trahendo ſecū Abraham, Iſahac, & alios iuſtos. Vide S. Thomam 3. par. q. 52. art. 5. Becanum 2. p. tract. 1. cap. 1. quæſt. 12. num. 9. Tannerum tom. 4. diſp. 2. q. 3. dub. 3. n. 87.

8 Secundò, Difficultas eſt, quid anima Chriſti operata ſit. Primò, cir animas puerorum in Limbo exiſtentiū. Secundò, circa animas exiſtētes in Purgatorio. Tertiò, circa dānatos.

Reſpondeo, & dico primò, Chriſtum circa pueros in Limbo exiſtentes nihil operatum fuiſſe; non enim conſtat, an redemptio facta per Chriſtum pręfatis pueris innotuerit, aut aliquid commodi attulerit.

Dico ſecundò, Chriſtum animabus in Purgatorio exiſtētibus peculiarem conſolationem attuliſſe, non quidem ſua reali pręſentia, vt dictū eſt propoſitione ſecunda, ſed per ſpiritualem locutionem, ſeu illuminationem. An autem Chriſtus ſuo ad Inferos deſcenſu aliquas animas à Purgatorio liberauerit, dictum eſt in propoſitione ſecunda verſ. dicò tertiò, Chriſtum animabus in Inferno damnatorum exiſtētibus terrorem, & confuſionem attuliſſe.

9 Maius Dubium eſt, Vtrū Chriſtus aliquas damnatorum animas ab Inferno liberauerit.

Reſpondeo negatiuè, quia ſtatus damnatorum ex diuina ordinatione immutabilis, & irreuocabilis eſt, iuxta illud, *Vbi ceciderit lignum, ibi erit*. Imò communior, & probabilior Doctorum ſententia aſſerit, nullum damnatorū poſt acceptam dānationis ſententiam, ab Inferno vnquam liberatum fuiſſe. Ita Bellarm. Abulenſ. Valent. Azor, & alij, quos retuli de Horis Canonicis d. 1. q. 4. pun. 2. num. 8. quibus adde Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 43. ſect. 3. col. 7. verſ. ad alia. Tannerum tom. 4. d. 2. q. 3. dub. 3. n. 8 & alios apud præcitatos DD. qui etiam aſſerūt narrationes de animabus Traiani Imperatoris precibus S. Gregorij, & de Falconilla precibus S. Teclę liberatis, fabuloſas, & falſas eſſe; ſicut etiam Apocrypha cenſenda eſt hyſtoria illa, in qua refertur Platonem apparuiſſe cuidam Chriſtiano, qui ſępè maledicta, & conuitia in ipſum conijciebat, atq; dixiſſe, ſe quidem peccatorem eſſe, ſed primum omnium, Chriſto in Infernum deſcendente, credidiſſe.

QVÆ-

QVÆSTIO QVARTA.

De Chriſti Reſurrectione, Aſcenſione, Seſſione ad dexteram Patris, & de Miſſione Spiritus Sancti.

IN hac Quæſtione primo loco agam de Chriſti Reſurrectione. Secundò, De Chriſti in cælum Aſcenſione. Tertiò, De Seſſione Chriſti ad dexteram Dei. Quartò, De miſſione Spiritus Sancti.

Punctum Primum.

De Chriſti Reſurrectione.

1 *Reſurrectio Chriſti non fuit ſimpliciter neceſſaria ad redemptionem generis humani.*

2 *Reſurrectio Chriſti tertio die facta, conueniens fuit.*

3 *Computatio tridui in quo Chriſtus mortuus manſit, quomodo facienda ſit.*

4 *Chriſtus primus omnium ſurrexit.*

5 *Chriſtus anno trigeſimo tertio expleto reſurrexit.*

6 *Chriſtus qua hora reſurrexerit.*

7 *Aſſignatur concordia Euangeliſtarum qui variè loqui videntur circa aduentum mulierum ad ſepulchrũ.*

8 *Chriſtus ſtatim poſt Reſurrectionem apparuit Matri.*

1 Bon. de Incarnat.

IN hoc Puncto explicabo primò, an Reſurrectio Chriſti fuerit neceſſaria, vel ſaltem conueniens. Secũdò, quonam tempore Chriſtus reſurrexerit, & à Mulieribus viſus fuerit.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſti Reſurrectio non fuit ſimpliciter, & abſolutè neceſſaria ad redemptionem humani generis. Ratio eſt, quia Chriſtus ſua morte aperuit viam ad beatitudinẽ, nihilque poſt mortem promeruit, vt alibi probaui cum communi Doctorum ſententia.

Maior difficultas eſt primò, Vtrũ Chriſti Reſurrectio fuerit ſaltem conueniens.

Reſpondeo affirmatiuè cũ S. Thoma 3. par. quæſt. 53. art. 1. & alijs

 com-

communiter. Ratio eſt primò, quia ita poſtulabat ratio diuinæ iuſtitiæ; ad iuſtitiam enim ſpectat merita digna retributione cōpenſare, & exaltare eos, qui ſe propter Deum humiliauerunt; ſed Chriſtus ex amore, & obedientia Dei humiliauerat ſe vſq; ad mortem Crucis. Ergo ad iuſtitiā Dei ſpectabat exaltare Chriſtū per glorioſam reſurrectionem. Secundò, quia per Chriſti Reſurrectionē confirmatur fides noſtra; nam ſi Chriſtus non ſurrexiſſet, videretur falſa, quæ de Chriſti Reſurrectione prædicta fuerant; conſequenter tota fides noſtra ſuſpecta redderetur, iuxta illud 1. Cor. 15. *Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides veſtra; inuenimur autem & falſi teſtes Dei.* Tertiò, quia Reſurrectio Chriſti prodeſt ad erigendam ſpem noſtram; nam ſurgente capite ſperant membra. Iob. 19. *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, &c. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Quartò, quia Reſurrectio Chriſti prodeſt ad informationem vitæ noſtræ; *Sicut enim Chriſtus ſurrexit à mortuis, ita & nos à morte peccati reſurgere, & in nouitate vitæ ambulare debemus,* Roman. 6.

2 Secundò difficultas eſt, an conueniens fuerit Chriſtum tertia die reſurgere, & non antea, vel poſt.

Reſpōdeo primò, cōueniens fuiſſe Chriſtum non reſurgere ante tertium diem, vt oſtenderetur ipſum habuiſſe veram humanitatem, & verè mortuum fuiſſe. Secundò, conueniens fuiſſe Reſurrectionem diutius non differri. Tum vt adimplerentur vaticinia de Reſurrectione Chriſti, Matth. 12. & 20. tum vt indicaretur diuinitas Chriſti. Ita S. Thom. q. 53. art. 2. & alij communiter.

3 Sed modo dubium eſt, quomodo intelligendum, & computandum ſit triduum, ſeu tres dies, & noctes mortis Chriſti, de quibus ſermo eſt Matth. 12. *Sicut enim fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Ratio dubitandi eſt, quia Chriſtus mortuus permāſit ſolum horis ferè quadraginta; iuxta S. Auguſtinum lib. 4. de Trinit. cap. 8. & alios Scolaſticos apud Azorium 2. p. lib. 1. cap. 7. quæſito 1. 2. & 3. tres autem dies, & tres noctes conſtant longè pluribus horis, & Chriſtus dicitur fuiſſe in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

Reſpondeo, intelligendum eſſe participatiuè, ſeu per ſynecdochen, accipiendo partem pro toto, & computando diem naturalem, qui viginti quatuor horis conſtat, à media nocte diei præcedentis vſq; ad mediā noctem ſubſequentem; quamuis .n. Chriſtus mortuus extiterit ſolū horis ferè quadraginta, nihilominus tres dies poſſunt in quadraginta, vel etiam in triginta ſex horis comprehendi, ſi nimirum dies medius ſit integer; primus verò, & tertius ſolum ſecundum partes. Primus ergo dies incipit à crucifixione Chriſti vſque ad mediam noctem diei Veneris labentis. Secundus dies à media nocte Sabbatum præcedente vſq; ad mediam noctem ſubſequētem. Tertius dies à media nocte Sabbatum ſubſequente vſque ad Reſurrectionē, quæ contigit poſt mediam noctem diei Do-

Dominicæ, ſeu primæ feriæ, & pertinet ad tertium diem naturalem. Ita S. Hyeronimus Ionæ 2. & Matth. 12. Beda, & Anſelmus ibidem, S. Thom. 3. p. q. 46. art. 9. S. Auguſtinus, & alij, quos citat, & ſequitur Suarez 3. par. tom. 2. d. 46. ſect. 3.

Ex quo patet reſponſio ad rationem dubitandi, cui Tannerus loco citato num. 96. & alij aliter reſpondent, aſſerentes diem naturalem cõputãdum eſſe à Veſperis vnius diei vſque ad Veſperam alterius; ſed hęc reſponſio mihi non probatur, quia facta hac computatione, Chriſtus diceretur fuiſſe in corde terræ tribus quidem diebus participatiuè, ſed duabus tantum noctibus, & non tribus, vt dicitur Matth. 12.

4 Tertiò difficultas eſt, Vtrum Chriſtus primus omnium reſurrexerit.

Reſpondeo, Chriſtum primum omnium reſurrexiſſe ad vitam immortalem. Ratio eſt, tum quia 1. Corinth. 15. dicitur, *Chriſtus ſurrexit à mortuis primitiæ dormientiũ*; quia ſcilicet prius tẽpore, & dignitate ſurrexit, & ad Col. 1. Chriſt⁹ vocatur *Primogenitus ex mortuis*; & Apocalipſ. 1. *Primogenitus mortuorum*. Tum quia nullus aſſignari põt, qui ad immortalem vitam reſurrexerit ante Chriſtum. Dico, ad immortalem vitam, nam ad mortalem vitam conſtat plures ante Chriſtum excitatos fuiſſe, vt patet in puero ad vitam reuocato ab Elia, & in Lazaro, quem Chriſtus à mortuis excitauit. Ita communiter Doctores cum S. Thoma 3. p. q. 53. art. 3.

Obijcies, ſtatim mortuo Chriſto, eoq; nundum reſurgente, monumẽta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum ſurrexerunt, Matth. 27. verſ. 53. ſed illa corpora non ſurrexerunt ad vitam mortalem. Ergo ad immortalem; cùm enim illorum animæ beatæ eſſent; vniri non debebant corpori mortali; ſed immortali; nam animæ beatæ quaſi connaturaliter debetur vniri corpori immortali, & glorioſo, licet oppoſitum in Chriſto contigerit ex peculiari Dei prouidẽtia, vt pro nobis pati, & ſatisfacere poſſet.

Reſponderi poteſt primò negando, Sanctos illos reſuſcitatos fuiſſe ad vitam immortalem; nam multi Patres, & Doctores, vt Aug. Epiſt. 99. ad Euodium, Hyeronimus Ep. 150. ad Hedibiam, S. Thomas 3. p. q. 53. art. 3. Valentia tom. 4. diſp. 2. q. 5. pun. 1. col. 2. verſ. 3. Salianus anno Chriſti 34. num. 60. & alij putãt Sanctos illos ad vitam ſolum mortalem excitatos fuiſſe, & ad horũ ſententiam comprobandam plures rationes videri poſſunt apud Suar. loco ſtatim citando.

Reſpondeo ſecundò, etiamſi admittamus Sanctos illos ad vitam immortalem excitatos fuiſſe, vt docet S. Ambroſ. lib. 4. de fide cap. 1. Ianſenius concord. cap. 143. Caiet. 3. p. q. 55. art. 3. Suarez 3. p. tom. 2. q. 53. in comment. art. 3. Tannerus tom. 4. diſp. 2. q. 3. dub. 4. num. 115. Origenes, Clemens Alexandrinus, & alij apud Suarez loco citato, & probatur ratione allata in obiectione; non tamen hinc ſequitur ipſos reſurrexiſſe ante Chriſti Reſurrectionem; ſed ſimul cum ipſo Chriſto reſurgente, vel poſt Chriſti Reſurrectionem; cõſequenter Chriſtus ordine tẽporis, ſi

non poſitiuè, ſaltē negatiuè primus omnium reſurrexit, & nullus ante ipſum, ſicque colligitur ex Matth. 27. vbi dicitur, *Multa corpora Sanctorum exijſſe de monumentis poſt Reſurrectionem Chriſti*. Ergo reſurrexerunt poſt reſurrectionē Chriſti, alioquin dicendum eſſet iam ante triduum reſurrexiſſe, & poſt Chriſti Reſurrectionem exiuiſſe de ſepulchris, quod videtur abſurdum.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 CHriſtus reſurrexit anno ætatis ſuę trigeſimo tertio. Hęc propoſitio apertè conſtat ex ſupradictis de morte Chriſti, nam Chriſtus eo anno ſurrexit, quo mortuus eſt, cum inter mortem, & reſurrectionem intercesſerit ſolum ſpatium circiter quadraginta horarū, ſeu trium dierum participatiuè. Quamobrem cū Chriſtus mortuus fuerit decimo quinto die Menſis Niſan, qui fuit feria ſexta, & iuxta computationē noſtram incidit in diem vigeſimam quintam Menſis Martij, ſequitur Chriſtū reſurrexiſſe die decimo ſeptimo eiuſdem Mēſis Niſan, ſeu die vigeſimoſeptimo Menſis Martij, qui fuit dies Dominicus, à Matthæo ca. vltimo vocatus prima Sabbati, & à Luca cap. 24. vna Sabbati, id eſt prima Sabbati, ſeu feria prima hebdomadæ, ſeu potius prima dies hebdomadæ; nam dies Sabbati erat ſeptimus dies hebdomadæ, in quo Deus quieuit ab opere. Porrò Sabbatum dupliciter accipi poteſt. Primò pro die ipſo Sabbati. Secundò pro tota hebdomada, vt etiam accepit Phariſæus, dum ait, *Ieiuno bis in Sabbato*: Ideo prima Sabbati idem eſt, ac prima dies hebdomadæ, ſeu prima die poſt Sabbatum, vt benè Suarez diſp. 46. ſect. 1. col. 2. Azor. 2. p. lib. 1. ca. 1. quæſito 7. & Henriq. in Summa lib. vlt. cap. 21. num. 7.

6 Sed modò dubium eſt. Primò, quanam hora Chriſtus reſurrexerit.

Reſpondeo, iuxta probabiliorem ſententiam reſurrexiſſe in ipſa aurora, ſeu dum radij Solis aliquam lucem afferre incipiebant, ſeu circa diluculū primæ Sabbati, id eſt diei Dominicæ. Ratio eſt, tum quia ſic colligitur ex Pſal. 29. *Ad Veſperum demorabitur fletus, & ad Matutinum lætitia*, ſicque explicant Auguſtinus li. 4. de Trinitate capit. 6. Cyrillus catecheſi 14. & alij; & Pſal. 56. *Exurge gloria mea, exurgam diluculo*; ſicque explicat S. Hyeronimus ibidem, & alij. Tū quia hic videtur ſenſus Eccleſiæ, dum in hymno Reſurrectionis ait, *Aurora lucis rutilat, cum Rex ille fortiſſimus, triumphans pompa nobili, victor ſurgit de funere*. Tum quia ſic habetur Marci 16. *Surgens autem mane prima Sabbati*, vbi vox illa, *Mane*, ex communiori, & vera ſententia refertur ad Verbum, *Surgens*, non ad verbum, *Apparuit*. Tum quia opus reſurrectionis per ſe ipſum conſentaneum erat potius luci auroræ, quā tenebris. Tū quia hæc eſt cōmunior, & probabilior Patrum, & Doct. ſententia, Ignatij Ep. 5. ad Trallianos, Hilarij canon. 23. in Matth. S. Thomæ q. 53. art. 2. ad 3. Auguſtini, Hyeronymi, & aliorum apud Suarez 3. p. to. 2. diſp. 46. ſect. 2. apud Valentiā to. 4. diſp. 2. q. 5. pun. 1. verſ. 4. apud Azorium 2. p. lib. 1. cap. 7. quæſito 1. apud Henriq. in ſumma lib. vlt.

cap.

cap. 21. & apud Tannerum to. 4. d. 2. q. 3. dub. 4. num. 99. & ſeqq. quã-quam alij putant Chriſtum reſurre-xiſſe poſt mediam noctem ad galli cantum.

Obijcies primò, Matth. 28. ſigni-ficari videtur Reſurrectionem Chriſti contigiſſe in Veſperis Sabbati; *Veſpera autem Sabbati, qua luceſcit in prima Sabbati, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre ſepulchrũ, &c.* Ergo Chriſtus non reſurrexit illuce-ſcente Dominico die.

Reſpondeo, nomine Veſperi in-telligi noctem, non quidem Solis oc-caſum, ſeu primam noctis particu-lam, ſed extremam, quæ luce inci-pit terminari, & cuius extremum eſt diluculum, vt apertè indicatur verbis eiuſdem Matthęi proximè ſe-quentibus, *Veſpere autem Sabbati, quę luceſcit in prima Sabbati*; non poteſt autem dici Veſper luceſcens in pri-ma Sabbati, niſi nomine Veſperi nox ipſa intelligatur, quæ luce termina-tur, ſeu quæ eſt in diluculo. Ita S. Au-guſtinus lib. 3. de conſenſu Euangel. cap. 24. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioannem, Euthimius cap. 28. Matth. Valentia, Tannerus, & alij locis citatis.

Obijcies ſecundò, Marci 16. in-dicari videtur Reſurrectionem con-tigiſſe die Dominico, orto iam ſole, ibi, *Valdè mane vna Sabbatorum ve-niunt ad monumentum, orto iam ſole.*

Reſ. intelligi nõ de ortu corporis ſolaris ſupra horizontem, ſed de ra-dijs Solis, quibus aer illuminari inci-piebat, vt benè S. Auguſt. loco cit. S. Thomas 3. par. quæſt. 53. art. 2. ad 3. & alij Doctores citati.

Obijcies tertiò, Ioann. cap. 20. indicatur Chriſti Reſurrectionem contigiſſe, cum adhuc tenebrę eſ-ſent, nam dicitur, *Vna Sabbati Maria Magdalena venit mane, cum adhuc te-nebra eſſent, ad monumentum, & vidit lapidem ſublatum.*

Reſpondeo, Chriſtum reſurrexiſ-ſe in aurora, dum tenebræ nondum fugatæ erant, licet aer Solis radijs illuminari cępiſſet; nam etiam dilu-culo aliquæ tenebrarum reliquię ſu-perſunt, & ſurgente die aliquæ te-nebrarum reliquiæ tanto magis ex-tenuantur, quanto magis oritur lux, vt benè S. Auguſtinus loco citato, Valentia, & alij.

7 Secundò Dubium eſt, quomo-do concordari poſſint Euangeliſtæ tam circa aduentum Mulierum ad ſepulchrum, quam circa viſionem Angelorum, & conditionem, ſeu ſi-tum ipſorum Angelorum; nam Ioan-nes cap. 20. narrat ſolam Magdale-nam vidiſſe Angelos, & Chriſtum: Mattheus, & Marcus aiunt fuiſſe vnum Angelum, & quidem ſedentẽ: Lucas, & Ioannes duos, & quidem ſtantes, vt ait Lucas. Mattheus aſſe-rit Angelum ſediſſe ſuper lapidem reuolutum, vtique extra monumen-tum. Marcus, & Ioannes intra mo-numentum.

Reſpondeo, concordanda eſſe tẽ-pora, & ſic concordari poſſe ſcriptu-ras; quamuis enim Maria Magdale-na cum alijs mulieribus ad monumẽ-tum acceſſerit, & lapidem reuolu-tum viderit, tamen ipſa ad Diſcipu-los regreſſa, ſuſpicans ablatũ Do-minum, ſuam ſuſpicionem denun-ciauit Diſcipulis, & poſtea ad mo-numentum pluſquam ſemel redijt, & Chriſtum illis recedẽtibus vidit, quem

quem aliæ mulieres tunc non viderunt; poſtea inſecuta eſt mulieres domum redeuntes, illiſque inuentis ſociam ſe adiũxit, & iterum cum ipſis mulieribus Chriſtum vidit, Petro, & Ioanne interim ad ſepulchrũ venientibus, & ſepulchrum vacuum luſtrantibus. Quoad numerum verò Angelorum dici poteſt ab aliquibus Euangeliſtis poni numerum ſingularem pro plurali, niſi fortè dicamus mulieres extra monumentum vidiſſe vnum Angelum, in monumento autem duos. Idem dic de ſeſſione, & ſtatione; hoc enim verum eſſe poteſt reſpectu diuerſorum temporũ, ita vt Angeli vno tempore ſteterint, & alio ſederint. Vel dic verbũ, ſtandi, ibi accipi pro præſentia, ſeu quieſcentia in eo loco. Vide Maldonatũ cap. 28. Matth. Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 49. ſect. 2. & 3. & d. 46. ſect. 2. Barradium tom. 4. lib. 8. & Tannerum tom. 4. diſp. 2. quæſt. 3. dub. 4. num. 104. & ſeqq. vbi de hac re fuſius agunt. Quoties verò Chriſtus apparuerit in die Reſurrectionis, vel poſt diem Reſurrectionis, videri poteſt apud Suarez d. 49. ſect. 4. & 5.

8 Tertiò Dubium eſt, Vtrum Chriſtus Dominus ſtatim poſt Reſurrectionem apparuerit Matri ſuæ antequam vlli alij appareret.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, tum quia hic fuit ſemper communis Eccleſiæ ſenſus. Tum quia decebat Chriſtum ſe Matri ſuæ ante cęteros conſpiciendum præbere; nã qui patrem, & matrem honorare præcipit, debuit ſingulariter matrem honorare. Tum quia Chriſtus ſingulariter à Beatiſſima Virgine Matre ſua diligebatur. Ergo etiam ipſe debuit ſingularia beneuolentiæ, & amoris ſigna erga illam exhibere. Tum quia hæc eſt communis Patrũ ſententia, Ambroſij lib. 3. de Virginibus, Gregorij Nazianzeni, Gregori Niſſeni, Ruberti, & aliorũ apud Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 69. ſect. 1. & diſput. 46. ſect. 2. col. 4. & apud Henriquez in ſumma lib. vlt. c. 21. num. 7. in comment. lit. C.

Obijcies, Marcus aſſerit Chriſtũ primo apparuiſſe Mariæ Magdalenæ, & nullus Euangeliſtarum affirmat prius apparuiſſe Beatiſſimæ Virgini Mariæ. Ergo prius non apparuit Beatiſſimæ Virgini.

Reſpondeo cum Ruberto lib. 7. de diuinis officijs, Anſelmo de excellentia Virginis cap. 6. Suarez d. 49. ſect. 2. Euangeliſtas id non narrare. Tum quia ſuperfluum videbatur. Tum ne viderentur Reginam cęli cum reliquis, quibus Chriſtus apparuit, coęquare. Tum quia Euãgeliſtæ retulerunt ſolum apparitiones, quæ factæ fuerunt in teſtimonium veræ Reſurrectionis; nõ enim ſuſceperunt onus ſcribendi omnia, quæ à Chriſto facta fuerunt, ſed ea ſolum, quæ ad confirmationem, & relationem myſteriorum fidei ſufficere viſa ſunt; Beatiſſima autẽ Virgo futura nõ erat teſtis Reſurrectionis, ne ob filij amorem aliquid fingere putaretur; nec dubium habuit de Chriſti Reſurrectione, cuius confirmatione indigeret. Vide Suarez loco citato.

Pun-

Digitized by Google

Punctum Secundum.

De Aſcenſione Chriſti in Cœlum.

1 *Chriſtus poſt Reſurrectionẽ verè in Cœlos aſcendit.*
2 *Chriſtus in cęlos aſcendit ſucceſſiuo motu.*
3 *Apoſtoli quandiù Chriſtum aſcendentem viderint.*
4 *Chriſtus poſt aſcenſum in cęlum an circundatus ſit ſuperficie cęli.*
5 *Chriſtus aſcendit ſuper omnes creaturas.*
6 *Chriſtus quomodo dicatur ſuper omnes creaturas aſcendiſſe.*
7 *Aſcenſio Chriſti in Cęlum conueniens fuit.*
8 *Chriſtus in cęlum aſcendit ſecũdum humanitatem, non verò ſecundum diuinitatem.*
9 *Chriſtus propria virtute aſcendit.*
10 *Aſcenſio Chriſti facta fuit ex Monte Oliueti.*
11 *Aſcenſio Chriſti facta fuit quadrageſimo die poſt reſurrectionem.*
12 *Aſcenſio Chriſti qua die contigerit.*
13 *Chriſtus qua hora in Cęlos aſcenderit.*
14 *Chriſtus quibus cicunſtantijs, & comitatu cęlos conſcenderit.*
15 *Nubes Chriſtum aſcendentem ſuſcepit.*
16 *Chriſtus Cęlum aſcendens aliquos homines anima, & corpore ſecum traduxit.*
17 *Aſcenſio Chriſti eſt cauſa exemplaris noſtrę aſcenſionis, nõ meritoria.*

IN hoc puncto explicabo primò, An Chriſtus verè, & propriè in cęlum aſcenderit. Secundò, An cõueniens fuerit Chriſtum cõſcendere cęlum. Tertiò, ſecundum quã naturam aſcenderit. Quartò, qua virtute aſcenderit. Quintò, in quo loco. Sextò, quo tempore. Septimò, quibus circumſtantijs, & comitatu.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CHriſtus poſt Reſurrectionem verè, & propriè in Cœlos aſcendit. Ratio eſt primò, quia hic eſt articulus fidei in Symbolo, tam Apoſtolico, quam Niceno, & Athanaſij expreſſus, quem Eccleſia, & Patres intelligunt de aſcenſu verè, & propriè accepto. Secundò, quia Chriſtus Ioann. 20. ait Magdalenę, *Noli me tangere, nundum enim aſcendi ad Patrem meum*, quem locum communiter Doctores intelligunt de aſcenſu locali, non de aſcenſu Methaphorico, ideſt de aſcenſu ad gloriã, & maieſtate, mcũ iam reſurrexiſſet, & gloriã, & maieſtatẽ antea cõſecutus fuiſſet. Idẽ patet Act. 1. *Ferebatur in cęlum, videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*, & Matth. 16. *Aſſumptus eſt in cęlum*. Tertiò, quia hæc eſt communis Patrum, & Catholicorum Doctorum ſententia contra nonnullos Hæreticos, quorum aliqui negabant Chriſtum corporaliter ſupra cęlos aſcendiſſe. Alij affirmabant quidem Chriſtum carnem ſuam in cęlos leuaſſe, ſed in aſtro ſolis depoſuiſſe, nuncque ſine carne ad dexterã Patris ſedere.

Obijcies, ille in cęlum aſcendit, qui de cęlo deſcenderat Ioannis 3. *Nemo aſcendit in cęlum, niſi qui deſcendit de cęlo, filius hominis, qui eſt in cęlo*, & Epheſ. 4. *Qui aſcendit ipſe eſt, qui deſcen-*

deſcendit; ſed corpus Chriſti non deſcendit de cęlo. Ergo neque aſcendit in Cęlum.

Reſpondeo, eandem perſonam aſcendiſſe, & deſcendiſſe; aliter tamen aſcendiſſe; aſcendere enim eſt perſonæ, non naturæ, niſi vnitæ perſonæ. Quamobrem non alius aſcendit, & alius deſcendit; ſed idẽ aſcendit, qui deſcenderat; aliter tamen aſcendit, quam deſcenderat. Deſcenderat incorporeus, & aſcendit corporeus; deſcenderat non habens corpus, aſcendit autem indutus corpore. Ita S. Auguſtinus lib. de Agone cap. 25. Suarez 3. par. diſp. 51. ſect. 1. col. 6. vbi etiam alias affert expoſitiones.

2 Sed modò Dubium eſt primò, Vtrum Chriſtus ſucceſſiuo motu in cęlum aſcenderit tranſeũdo per omnia corpora intermedia.

Reſpõdeo affirmatiuè iuxta probabiliorem, & communionem Doctorum ſententiam. Ratio eſt, tum quia ſic colligitur ex præcitatis ſcripturæ verbis. Tum quia magis decere videbatur Chriſti maieſtatem, paulatim proſequi aſcenſionem ſuã, ſicut inchoauerat. Tũ quia par erat, vt tanquam Dominus per omnia media, & per omnes cęlos tranſiret, vt tanquam ſupremus dominus poſſeſſionem omnium acciperet. Ita S. Thomas in 3. diſp. 22. quæſt. 3. art. 2. quæſtiuncula 2. & alij Thomiſtæ communiter ibidem, quibus adde Suarez diſp. 51. ſect. 2. vbi etiã addit Chriſtum recta via conſcendiſſe, ſaltem quandiù ab Apoſtolis viſus fuit; An autem poſtea etiam recta via inceſſerit, incertum eſſe, & curioſum nimis eſſe illud inquirere.

Obijcies, ſi Chriſtus ſucceſſiuo motu in cęlum aſcendiſſet, Apoſtoli ſuis oculis conſpexiſſent, idque teſtari potuiſſent.

Reſpondeo, Apoſtolos vidiſſe ſucceſſiuam Chriſti aſcenſionem ad illum vſque locum, ad quem oculus humanus naturali virtute pertingere poterat: & in hac re opus non erat, vt Chriſtus oculos Apoſtolorum miraculosè eleuaret ad altiorẽ proſpectum.

3 Secundò Dubium eſt, Vtrum Chriſtus aſcenderit vſque ad cęlum ſupremum, quod vocamus Empyreum.

Reſpondeo affirmatiuè. Tũ quia Hebreor. 4. dicitur, *Chriſtus excelſior cęlis factus*. Epheſ. 4. *Aſcendit ſuper omnes cęlos*. Tum quia ſedes Beatorũ non eſt locus continuo motui ſubiectus, ſed quietus, & immobilis; hic autem eſt cęlum ſupremum, quod vocamus Empyreum.

4 Maior difficultas eſt, Vtrum totus Chriſtus manſerit in cælo Empyreo circundatus ſuperficie Cęli, ſicut nos ſumus in aere extra conuexam ſuperficiẽ cęli, ideſt ſupra omnia corpora cęleſtia. Vel potius conuexã cęli ſuperficiẽ pedibus calcet.

Reſpondeo, varias eſſe in hac re Doctorum ſententias S. Thomas 3. par. quæſt. 58. art. 4. ad 2. Caiet. & alij Thomiſtæ ibidem, Suarez ibid. diſp. 51. ſect. 1. col. 5. & 6. & alij putant corpus Chriſti eſſe extra totam continentiam corporum cęleſtium, & non eſſe in loco continente. Oppoſitum ſuſtinent Durandus in 3. diſt. 22. quæſt. 8. Tannerus tom. 4. diſp. 2. quęſt. 3. dub. 5. n. 118. & alij. Ego cenſeo nihil certi in hac

re dici poſſe, quia ex ſcriptura, aut Sanctis Patribus non colligitur, vt benè Azor cap. 12. quęſito 19. oppoſitę tamen ſententię probabiles ſunt, vt conſtabit ex dicendis n. 6.

5 Tertiò dubium eſt, vtrum Chriſtus aſcenderit ſuper omnem creaturam ſpiritualem.

Reſpondeo affirmatiuè, Epheſ. 1. *Conſtituens ad dexteram ſuam in cęleſtibus ſuper omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationē, & omne nomen, quod nominatur, non ſolum in hoc ſęculo, ſed etiam in futuro.*

6 Maior difficultas eſt, quomodo Chriſtus dicatur aſcendiſſe ſuper omnes Angelos, ac ſuper omnē creaturam, cum cælum Empyreū ſit perfectè ſphericum, conſequenter in ſuperficie extrema illius cæli vna pars non ſit altior altera reſpectu centri.

Reſpondet Auguſtinus in lib. de fide, & Symbolo cap. 16. ob noſtram fragilitatem à nobis diſcerni nō poſſe; *Oculus enim non vidit, quæ Deus præparauit diligentibus ſe*, Iſaiæ 64. & 2. Corinth. 2. Quod verum eſt, non ſolum de ſpiritualibus bonis, verum ēt de pulchritudine, magnitudine, & ſitu loci.

Caietanus verò quæſt. 57. art. 5. ait, conſiderari poſſe quandam partem, V.G. Orientalem, diuinitus deſtinatam, vt ſit ſolium Principis, & ſic illam cēſeri locum ſupremum totius cęli; alia verò loca cenſeri inferiora, vel ſuperiora, quatenus illi magis, vel minus propinqua fuerint.

Tannerus in diſſertationibus de cælo, Martinus Roas de ſtatu beatorum, & alij exiſtimant extremas cęli partes, inferiorem ſcilicet, & ſuperiorem, eſſe ſolidas, & duras, medium verò liquidum, & ſpirabile inſtar noſtri aeris, magnamq; eſſe diſtantiam inter partem ſuperiorem, & inferiorem cęli Empirei, ſicut eſt inter terram, & cęlos, conſequenter in cęlo empyreo aſſignari poſſe partem ſuperiorem omnibus alijs.

Suarez verò reſpondet dignitatē, & ſuperioritatem conſiſtere potius in quodam ordine, & habitudine, quam in altitudine ſitus (dignitas .n. loci aliquando deſumitur ex dignitate perſonæ exiſtentis in tali loco) quam ex eminentia loci. Hoc pacto locus, in quo Chriſtus exiſtit, digniſſimus eſt, non ob eminentiam ſitus, cum vna pars cęli non ſit altior altera; ſed ob dignitatem perſonę Chriſti. Quamobrem ſi Chriſtus in cęlo mutet locum, locus ille, in quo Chriſtus exiſtet, ſemper erit ſupremus, & digniſſimus; Reliqua verò loca, & digniora erunt, quo fuerint Chriſto propinquiora, & ſic Beati quo maiorem Sanctitatem habuerint, eo maius ius habebunt appropinquandi, & accedendi ad Chriſtum, ipſiſque alij cedēt, dum ipſi in proprijs locis, & ſedilibus conſtitui voluerint. Ita Suarez 3. p. q. 57. in comment. art. 5. cuius opinio mihi valdè probabilis videtur. Sed opinio Caietani, aut Tanneri probabilior.

SECVNDA PROPOSITIO.

7 Conueniens fuit Chriſtum aſcendere in cælos. Ratio eſt primò, quia locus debet eſſe accommodatus, conueniens, & proportionatus locato; ſed locus cōueniēs, & proportionatus corpori Chriſti poſt

poſt Reſurrectionem non eſt terra, ſed cęlum; Chriſtus enim poſt Reſurrectionem gaudet vita immortali, & incorruptibili; locus verò, in quo nos degimus eſt locus generationis, & corruptionis. Ergo cęlum, & non terra eſt locus conueniens, & proportionatus corpori Chriſti poſt ipſius Reſurrectionem. Secundò, quia Cęlum eſt locus, quem Deus Sãctis, & beatis hominibus pręparauit. Hac de cauſa vocatur ſedes Dei, quia Deus ibi ſingulari quadam ratione regnat, ſeque Beatis manifeſtat. *Dominus in cęlo parauit ſedem ſuam*, Pſal. 102. Ergo cęlũ maximè debebatur Chriſto ſuſcitato, cum ipſe in beatitudine perfectior ſit reliquis Sanctis. Tertiò, quia nos ibi futuri ſumus, vbi Chriſtus fuerit, Ioan. 12. *Vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit*, Ioã. 14. *Vado parare vobis locum. & iterum veniam, & accipiam vos ad me ipſum, vt vbi ego ſum, & vos ſitis*; ſed nos futuri ſumus in cęlo. Ergo etiam Chriſtus ibi debet eſſe; conſequenter debuit in cęlum aſcendere. Ita S. Thomas 3. p. q. 57. art. 1. Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 51. ſect. 1. Azor. 2. par. lib. 1. cap. 12. quæſt. 3. & alij communiter.

TERTIA PROPOSITIO.

8 CHriſtus in cęlum aſcendit ſecundum humanitatem, non verò ſecundum diuinitatem. Ratio eſt, quia Chriſtus aſcendit ſecundũ illam naturam, in qua receptus fuit motus aſcenſionis; motus aũt aſcenſionis receptus fuit in humanitate, non autem in diuinitate; nam diuinitas eſt vbique, & non eſt capax motus, ſeu mutationis; humanitas verò, licet vnita ſit Verbo, non tamen eſt vbique. Ita S. Thomas 3. par. qu. 57. art. 2. & alij Thomiſtæ communiter ibidem.

Obijcies, iſta propoſitio eſt vera, Deus aſcendit. Ergo Chriſtus non ſolum aſcendit ſecundum humanitatem, verum etiam ſecundum diuinitatem.

Reſpondeo negando conſequentiam; nam illa propoſitio eſt vera ob communicationem idiomatum. Nõ tamen eſt verum Chriſtum aſcẽdiſſe ſecundum diuinitatem, ſeu quatenus Deus, vt benè Suarez in comment. art. 2. citati.

QVARTA PROPOSITIO.

9 CHriſtus propria virtute aſcendit. Ratio eſt, tum quia Chriſtus ex ſuppoſito diuino habuit virtutem aſcendendi; diuinitas enim, quæ identificatur cum diuino ſuppoſito, fuit cauſa principalis, ſeu principium motus aſcẽſionis. Tum quia Corpus Chriſti iam glorioſum erat; conſequenter habebat virtutem agilitatis, quæ ipſi quodammodo erat ab intrinſeco, & debebatur ratione ſuppoſiti; conſequenter etiam hac ratione Chriſtus dici poteſt aſcendiſſe virtute propria, tãquam ex cauſa inſtrumentali ratione dotis agilitatis, quæ aliquo modo erat ab intrinſeco, & ei debita videbatur ratione diuini ſuppoſiti. Ex quo patet differentia inter Chriſtum, & alios Beatos; nam alijs beatis virtus illa agilitatis ab extrinſeco confertur, ipſique non habent principium intrinſecum, quod ſit cauſa principalis

lis motus; ſed cauſa principalis eſt extrinſeca, nempe Deus, qui eſt principalis motor. Ita Suar. q. 57. in com. art. 2. Azor. 2. p. lib. 1. cap. 12. q. 11. & alij.

QVINTA PROPOSITIO.

10 Ascenſio Chriſti facta fuit ex Monte Oliueti; Chriſtus .n. eduxit ſecum ab Ieroſolimis Diſcipulos verſus Bethaniam, indeque dato prius forſan, vale, Magdalenæ, & Martę, ſeceſſit in Montē Oliueti, vbi aſtātibus multis in cęlū aſcendit, Lucæ 24. *Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus ſuis benedixit eis, & factum eſt dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cęlum.* Actorum verò cap. 1. magis exprimitur locus, ex quo Chriſtus aſcendit; dicitur enim fuiſſe mons Oliueti, diſtans ab Ieroſolimis itinere Sabbati, ideſt eo itinere, quod iuxta traditiones Hębreorum, diebus Sabbati peragi poterat; hoc autem erat ſpatiū vnius miliaris, ideſt mille paſſuum, ſeu bis mille pedum, ex Hyeronimo Epiſt. 151. ad Algaſiam q. 10. & 30. Beda quæſt. 1. in Acta, Azor. 2. p. li. 1. c. 12. quæſito 4. & alijs.

SEXTA PROPOSITIO.

11 Ascēſio Chriſti facta fuit quadrageſimo die poſt Reſurrectionem, includendo diem Reſurrectionis, & diem Aſcenſionis; nam Chriſtus apparuit tantum quadragiata diebus Actor. 1. Per dies quadraginta apparens eis; cū autem apparuerit in die Reſurrectionis, & in die Aſcenſionis, neceſſe eſt dicere quadrageſimo die factā fuiſſe Aſcenſionem, includendo diem Reſurrectionis, & Aſcenſionis; vt benè argumentatur Suarez diſput. 51. ſect. 2. col. 2.

12 Quæres primò, in quam hebdomadæ diem inciderit Aſcenſio.

Reſpondeo, incidiſſe in feriā quintam hebdomadæ, ideſt in diem Iouis. Ratio eſt, tum quia Reſurrectio contigit die Dominico, & Aſcenſio facta fuit quadrageſimo die à die Reſurrectionis incluſiuè. Ergo neceſſe eſt dicere Aſcenſionem factam fuiſſe feria quinta hebdomadę; quia quadrageſimus dies à die Reſurrectionis eſt dies Iouis. Tum quia Eccleſia eo die Aſcenſionis feſtum celebrat in memoriam huius myſterij. Ita Clemens Papa lib. 5. conſtitut. c. 18. cuius verba refert Suarez loco citato.

13 Quæres ſecundò, qua hora Chriſtus in Cęlos aſcenderit.

Reſpondeo, non certò conſtare, verosimiliter tamen credi poteſt Aſcenſionem factam fuiſſe circa meridiem; quia Chriſtus in cęlum aſcendit, poſtquam illa die cum Diſcipulis comedit, Actor. 1. *Conueſcens pręcepit eis*, & infra, *Cum hæc dixiſſet eleuatus eſt*. Et licet aliqui Doctores, vt Caietanus, putent non eſſe legendū, *Conueſcens*, ſed *Conuerſans*; nihilominus vulgata editio, & omnes Latini Interpretes ita legunt, vt cum Hyeronimo Epiſt. 150. ad Hedibiam q. 7. Beda, & alijs, docent Suarez diſp. 51. ſect. 2. Tannerus tom. 4. diſp. 2. q. 3. dub. 5. n. 120. & Azorius 2. par. lib. 1. cap. 12. q. 6.

SEP-

SEPTIMA PROPOSITIO.

14 Christus, dum in Cęlos aſcenderet, primo *Eleuatis manibus benedixit aſtantibus*, ideſt Beatiſſimæ Virgini, Apoſtolis, & alijs Diſcipulis, qui fuerunt ferè centum viginti, Lucæ 24. Quomodo autem manus eleuauerit, aliqui putant eleuaſſe, tollendo illas ad Cælum in formā Crucis. Alij deſcribendo crucem in aere. Alij alia ratione.

Secundò, dū à terra longè diſtare cępiſſet, nubis interiectu oculis intuentium ſe ſubtraxit, Lucæ 24. *Et nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*.

15 An autem illa fuerit nubes. Reſpondeo affirmatiuè, quia ſcriptura illam ſimpliciter appellat nubē. Ita Chriſoſtomus homil. 1. in Acta, Abulenſ. paradox. cap. 8. Suarez, & Azorius locis cit. contra Medinam 3. p. q. 58. art. 4. & Caietanum Actor. 1. Hæc autem nubes ibi denuò genita fuit, vel aliundè adducta, non vt ad terram vſq; deſcenderet, & per modum ſedis geſtatoriæ Chriſto inſeruiret, atque cum ipſo aſcenderet, vt putauit Abulenſ. loco citato, ſed vt illum ab oculis intuentium ſuſciperet, ipſiuſq; maieſtatem demōſtraret. In nube enim maieſtas Dei oſtendi cōſueuit, vt patet ex Pſalm. 107. Idemque ex alijs ſcripturæ locis docet Azor 2. p. lib. 1. cap. 15. quæſito 11. & cap. 12. quæſito 8. & alij.

Tertiò, cū Chriſto aſcenderunt homines iuſti, quos Chriſtus è Limbo Patrum eduxerat, & qui nihil purgādum in Purgatorio habebant. Ratio eſt, tū quia Epheſ. 4. dicitur, *Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem*. Tum quia ille eſt locus Beatorū, & nullum impedimētum aderat, quod ipſos ab aſcenſu in Cęlos remoraretur. Tum quia ſic poſtulabat honor, & gloria Chriſti, vt triumphator in ſignum triumphi ſpolia ſecum adduceret. Ita Azor cap. 12. quæſito 9. Suarez, & alij.

16 An autem Chriſtus aliquos homines anima, & corpore ſecum traduxerit, maior difficultas eſt; nam aliqui non audent id affirmare, quia in ſcriptura non habetur. Alij verò aſſerentes aliquos ad vitam immortalem reſurrexiſſe, dum Chriſtus reſurrexit, putant illos cum Chriſto aſcendiſſe, quia nihil obſtat, quominus cum Chriſto aſcenderint, nec opus erat eos videri ab aſtantibus. Tum quia corpus glorioſum neceſſario non videtur, & ſenſibilis, ac manifeſta Chriſti Aſcenſio ſufficiebat ad conciliandam, & confirmandam fidem de Aſcenſione aliorum. Ita Doct. cit.

Quartò, obuiam Chriſto aſcendenti proceſſerunt omnes Angeli, vt ipſum aſcendentem comitarentur, eique honorem, & gloriam exhiberent, vt communiter ſentiūt Patres, qui huc referunt illud Pſalmi 23. *Attollite portas principes veſtras*, & Pſal. 46. *Aſcendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ*. Vide Suar. 3. p. tom. 2. diſp. 51. ſect. 2. & Azorium cap. 12. quæſito 9.

17 Sed modò explicandum ſupereſt dubium, quod à S. Thoma 3. p. q. 57. art. 6. proponitur, an ſcilicet Aſcenſio Chriſti ſit cauſa noſtræ ſalutis.

Reſpondetur, non eſſe cauſam meritoriam noſtræ ſalutis, quia Chriſtus poſt mortem nihil pro nobis meruit

Digitized by Google

fuit, vt fuſius docui d.2.q.12.pun.4. dici tamen poteſt cauſa exemplaris, cum Aſcenſio Chriſti ſecundum dignitatem, & propoſitū Dei, ſit prior Aſcenſione noſtra, noſq; in cælum aſcendere debeamus, ſicut Chriſtus aſcendit. Dici etiam poteſt aliqua ratione cauſa efficiens noſtræ Aſcenſionis, quatenus Chriſtus aſcendendo ſpem nobis præbuit aſcendendi. Idem dici poteſt de Reſurrectione. Ita S. Thomas q.57. art.6. Tannerus tom.4.diſp.2.q.3.dub.5. num. 119. Henriquez in ſumma lib. vlt. ca. 21. num.3. & alij.

Punctum Tertium.

De ſeſſione Chriſti ad dexteram Dei.

1 *Chriſtus poſt Aſcenſionem ſedet ad dexteram Dei.*
2 *Seſſio Chriſti ad dexteram Patris metaphoricè dicitur.*
3 *Dextera an ſit locus honoratior.*
4 *Chriſtus dicitur in Cælis ſedere, ſeu potius ſtare.*
5 *Sedere ad dexteram Dei quomodo conueniat alijs Beatis.*
6 *Chriſtus poſt Aſcenſionem viſibili ſpecie aliquoties in terrā deſcendit.*

IN Puncto proximè præcedenti egimus de termino quaſi intrinſeco, & proximo Aſcēſionis Chriſti, quē diximus eſſe cęlum Empireum; agendum modò eſt de termino quaſi metaphorico, & extrinſeco, qui nomine ſeſſionis ad dexteram Patris in ſcriptura ſignificatur. Et primo quidem loco explicandum eſt, An Chriſtus ad dexteram Patris ſedeat. Secundò, quid ſit ſedere ad dexteram Dei Patris. Tertiò, an Chriſtus corporaliter ſedeat, & an ſedere ad dexteram Dei adeò proprium ſit Chriſti, vt alijs Beatis non conueniat. Quartò, an Chriſtus vnquam viſibili ſpecie poſt Aſcenſionem in terram deſcenderit, aut deſcenſurus ſit viſibili ſpecie ante Iudicij diem.

PRIMA PROPOSITIO.

1 CErtum eſt de fide Chriſtum poſt Aſcenſionem ſedere ad dexteram Patris. Tum quia ſic habetur in Symbolo Apoſtolico, Niceno, & Athanaſij. Tum quia Marci vlt. dicitur, *Aſſumptus eſt in cælum, & ſedet ad dexteram Dei*, Hębreor. 1. *Sedet ad dexteram Maieſtatis in excelſis*, & cap. 10. *In ſempiternum ſedet in dextera Dei*, 1. Petri 3. *Per Reſurrectionem Ieſu Chriſti qui eſt in dextera Dei ſedens*, & alibi pluribus in locis.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 CHriſtus dicitur ſedere ad dexteram Dei, non quidem ſtrictè, & propriè, ſeu iuxta propriam verborum ſignificationem, cū Deus non ſit corporeus, & conſequenter nullam habeat corporis partem, ad quam Chriſtus ſedere dicatur, vt cō muniter fatentur Catholici contra nonnullos Hæreticos; ſed dicitur ſedere ad dexteram Patris metaphoricè; dextera autem Dei, ſeu ſeſſio ad dexteram Dei tripliciter accipitur. Primò pro ſtatu gloriæ, ſeu beatitudine æterna, & ſic certum eſt Chriſtum ſedere ad dexteram Dei, non ſolum ſecūdum diuinitatem, verum

etiam ſecundum humanitatem; & li cet Chriſtus ab inſtanti Conceptionis beatus fuerit, vt dictum fuit diſp. 2. q. 8. pun. 2, nihilominus quia mul tis miſerijs, & doloribus ſubiectus erat vſque ad Reſurrectionem, nondum dicitur ſediſſe ad dexteram Pa tris, quæ plenam quietem ſignificat. Imò neque dicitur ſediſſe ad dexteram Patris vſque ad Aſcenſionem, quia etiã poſt Reſurrectionem multum ei laborandum fuit, antequam Paſſionem, & Sedem Regni Cæleſtis acciperet. Præterea addo Chriſtum nõ habuiſſe manifeſtationem, & claritatem beatitudinis, & gloriæ, niſi per Aſcenſionem, atque adeò Chriſtum per Aſcenſionem aſſecutum fuiſſe, vt notum ſit omnibus ipſum ſedere ad dexteram Dei, ideſt habere gloriam, & beatitudinem. Ita S. Auguſtinus lib. de Agone Chriſti c. 16. Iſidor. lib. 1. de diuinis officijs, Azorius 2. par. lib. 1. cap. 12. quæſito 12. Bellarminus, Becanus, Suar. & alij, quos ſupra retuli diſp. 2. q. 6. pun. 2. num. 3. Secundò accipi poteſt pro ſingulari excellentia eiuſdẽ Bea titudinis, ſeu pro ſingulari honore, & iudiciaria poteſtate, quæ Chriſto collata fuit; Chriſto enim data fuit adminiſtratio, & gubernatio Eccleſiæ, iuxta illud, *Pater non iudicat quẽquam, ſed omne iudicium dedit Filio.* Ita S. Auguſtinus lib. de Fide, & Sym bolo cap. 7. S. Thomas 3. par. quæſt. 58. art. 1. Suarez d. 51. ſect. 3. col. 3. & 9. Tertiò, accipitur pro æqualitate diuinitatis, ſeu pro diuina maieſtate, ſeu pro æqualitate in potentia, gloria, & maieſtate, iuxta illud Hebreor. 1. *Sedet ad dexteram maieſtatis in excelſis*, & infra; *Ad quem autem Angelorum dixit aliquandò, Sede à dextris meis*; & hæc quidem conuenit Chriſto, nõ vt homo eſt, ſed vt Deus; Verbum enim per æternam generationem habuit, vt ſit æquale Patri; iſta autem æqualitas non eſt collata humanitati Chriſti, niſi mediatè, identicè, & conſecutiuè, videlicet mediante ſubſiſtentia diuina, quæ identificatur cum eſſentia diuina; & licet hoc factum ſit ab inſtanti Conceptionis, tamen per Aſcenſionem tota illa Maieſtas clareſcere cępit in cęlo, & in terra, iuxta illud Apoc. 5. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem*, & infra, *Omnes autem dicentes, ſedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & poteſtas in ſęcula ſæculorum.* Vide ſupradicta diſp. 2. citata.

Obijcies; ſi Chriſtus ſedere dicitur ad dexteram Patris, ergo Pater dicitur ſedere ad ſiniſtram Chriſti; hæc enim ſe mutuò conſequuntur, vt ſi vnꝰ eſt ad dexterã, alter dicatur ad ſiniſtram; ſed falſum eſt Patrem ſedere ad ſiniſtram Chriſti, alioquin videretur inferior Chriſto; dextera enim eſt honoratior locus. Ergo etiã falſum videtur Chriſtum ſedere ad dexteram Patris.

3 Reſpõdet primò Antonius Herbriſſenſis in vltima quinquagena ca. 39. locum dexterum olim non fuiſſe honoratiorem. Ob id in antiquis Imaginibus cernimus Paulũ ad dexteram Petri collocari, cum tamen conſtet Petro, tanquam Eccleſiæ capiti, digniorem locum deberi. Alij verò communiter reſpondent dexterum locum digniorẽ eſſe, hic enim eſt communis hominum ſenſus; & quamuis in aliquibus Imaginibus

ceſſamus S. Paulum à dextris S. Petri aliquando collocatum fuiſſe, id factum cenſeo, tũ cauſa vrbanitatis, & honoris,quẽ S.Petr' Paulo Romæ in ſuo hoſpitio, & Epiſcopatu exiſtẽti exhibebat; tum in ſignum amoris, & gratitudinis, quia Paulus Doctor erat gentium,& maximum Eccleſię commodum,& vtilitatem afferebat, vt benè Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 51. ſect. 4. colum. 9. Quamuis ergo admittamus dexterum locum digniorem eſſe,& Chriſtum ſedere ad dexteram Patris, non tamen hinc ſequitur Patrẽ eſſe à ſiniſtris Chriſti; ſed medium tenere locum inter Filium, & alios à ſiniſtris aſſiſtẽtes, medius autem locus dignior eſſe ſolet; conſequenter Pater eſt dignior Chriſto ſecundum humanitatẽ conſiderato.

Reſpondeo ego ſecundò, Chriſtũ dici ſedere ad dexteram Patris, non quia Pater ſedeat ad ſiniſtram Chriſti, ſed quia Chriſtus habet excellentiam, & maieſtatem,quæ per dexteram metaphoricè ſignificatur; hæc enim ſeſſio ad dexteram non accipitur propriè, cum Deus Pater non habeat corpus; ſed metaphoricè,atque adeò non conſideratur reſpectus ad ad ſiniſtrã, cum in metaphorica locutione ſeruari non debeant omnes rationes, & habitudines, quæ in re propriè ſignificata reperiũtur; ſicut etiam Chriſtus non ſolum dicitur eſſe ad dexteram Dei, ſed etiam vocatur dextera Dei, non quia Spiritus Sanctus,aut alius ſit ſiniſtra Dei,ſed vt ſignificetur eſſe Verbũ, per quod Pater omnia operatur,vt benè ratiocinatur Suar.3.p.tom.2.d.51. ſect.3. ad finem.

TERTIA PROPOSITIO.

4 CHriſtus non ſedet in Cælis ſeſſione corporali,licet .n. in poteſtate Chriſti ſit ſtare, vel ſedere, longè tamen probabilius eſt ipsũ ſtare. Tum quia ſtare eſt magis homini cõnaturale; ſedere verò potius arguit neceſſitatem corporis, vt requieſcat, & non defatigetur;qua neceſſitate carent corpora glorioſa,vtpotè laboris,& defatigationis incapacia. Tũ quia S. Stephanus Actor. 7. ait, ***Ecce video Cęlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei***, vbi notandum eſt illud verbum, ***Stantem***, quod à multis Patribus propriè intelligitur pro recta corporis compoſitione, quæ contingit recto corpore ſtando, & non ſedendo. Tum quia Epheſ. 2. dicitur, ***Nos conſeſſuros cũ Chriſto in caleſtibus***; ſed veroſimile non eſt nos corporali ſeſſione ſeſſuros. Ergo ſtabimus. Ergo etiã Chriſtus in Cælo ſtat. Scriptura autẽ metaphoricè vtitur verbo, ***Sedere***, non ad ſignificandam corporalem ſeſſionem, ſed quietem, ***Vt requieſcat à laboribus ſuis***, Apocal. 14. Ita Ireneus lib.3.cap.9. fidei orthodoxæ, Azor 2. p. lib.1. ca.12. quæſito 14. & alij Doctores cit.

5 Sed modò explicandum ſupereſt id, quod explicãdum initio propoſui, An ſcilicet ſedere ad dexterã Dei adeò proprium ſit Chriſti,vt nõ conueniat alijs Beatis.

Reſpondeo, ſi pro ſeſſione ad dexteram Dei intelligamus omnipotentiam, ſeu æqualitatem diuinitatis, & maieſtatis, aut ſingularem excellentiam beatitudinis, dicendum eſt

Digitized by Google

hoc adeò proprium eſſe Chriſti, vt alijs Beatis non conueniat, vt patet ex dictis in ſecunda propoſitione, ad quem enim Angelorum Deus dixit aliquando, *Sede à dextris meis?* Neq; obſtat id, quod dicitur Apocalipſ. 3. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecũ in throno ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius*. Reſpondetur enim illam dictionem, *Sicut*, non ſignificare æqualitatem, ſed ſimilitudinem. Si verò pro ſeſſione ad dexteram intelligamus ſimpliciter beatitudinẽ, dicẽdum eſt etiam alios Beatos ſeſſuros ad dexteram Dei cũ Chriſto, & plus, vel minus gloriæ adepturos pro qualitate meritorum, Ioann. 14. *Accipiam vos ad me ipſum, vt vbi ego ſum, & vos ſitis*. Ita S. Thomas 3. p. q. 58. art. 4. Suar. diſp. 5. ſect. 3. col. 7. & 8. Tannerus tom. 4. diſp. 2. q. 3. dub. 5. num. 125. Valentia tom. 4. d. 2. q. 6. pun. 2. col. 2.

QVARTA PROPOSITIO.

6 CHriſtus poſtquam in cęlum aſcendit, aliquoties in terrã ad breue tempus viſibili ſpecie deſcendit. Ratio eſt, Tum quia licet Cęlum ſit proprium, & permanens Chriſti domicilium, non tamen dedecet ipſum benignitatis, & charitatis gratia interdum à cęlo ad breue tempus deſcendere. Tum quia Chriſtus cęleſti curia amictus ad Mariã deſcendit, eamq; ſecum ad cęleſtem patriã deduxit. Tum quia poſt Aſcẽſionem multis apparuit, vt Paulo, 1. Cor. 13. *Nouiſſimè omniũ viſus eſt mihi*; & Petro Roma decedẽti Chriſtus occurrit ſignificãs ipſum debere Romam redire, & in loco apparitionis ad hęc vſq; tempora cernimus Oratorium indicans myſterium. Ita S. Thomas 3. p. q. 57. art. 6. ad 3. Caietanus, & alij Thomiſtæ ibid. Suarez 3. p. to. 2. d. 51. ſect. 4. ſub finem, Tan. to. 4. d. 2. q. 3. dub. 5. ſub finẽ, & alij, quicquid alij in contrarium ſentiãt.

An autem omnes apparitiones Chriſtum repręſentantes fiant immediatè ab ipſo Chriſto, vel potius ab Angelis, oſtendi de Euchariſtia, & alibi, vbi etiam explicaui, quomodo cognoſcere poſſimus, quandonã apparitiones fiant ab ipſo Chriſto.

Punctum Quartum.

De Miſſione Spiritus Sancti.

1 *Spiritus Sanctus viſibili ſpecie aliquoties apparuit.*

2 *Spiritus Sanctus in die Pentecoſtes viſus fuit ab Apoſtolis ſub ſpecie linguarum.*

3 *Spiritus Sãcti miſſio contigit die 50. poſt Reſurrectionẽ Chriſti incluſiuè*

IN hoc puncto non ago de Miſſione, qua Spiritus miſſus fuit à Patre per æternam generationẽ, quę vocatur proceſſio, ſeu productio ad intra; neq; loquor ſolum de miſſione inuiſibili Spiritus Sancti, quæ fit per gratiam excitantem, & per gratiam ſanctificãtem; ſed de miſſione viſibili, quæ fit per aliquã creaturam externam, & temporalem, vt quãdo Chriſtus baptizatus fuit, tunc enim apparuit in ſpecie Columbæ; aut quando Chriſtus in mõte trãsfiguratus fuit, tunc enim apparuit in ſpecie nubis lucidæ; aut quando Apoſtolis collata fuit facultas remittendi peccata, tunc

tunc enim Chriſtus apparuit ſub ſpecie flatus, aut quando Apoſtolis datum fuit donum linguarum ad prædicandum Chriſti Euãgelium; tunc enim Spiritus Sanctus apparuit ſub ſpecie linguarum ignearum. De hac miſſione nunc loquimur, & primo quidem loco breuiter probabimus Spiritum Sanctum miſſum fuiſſe. Secundò, quo tempore miſſus fuerit.

PRIMA PROPOSITIO.

2 Spiritus Sanctus in die Pentecoſtes miſſus fuit ad Apoſtolos ſub ſpecie linguarum ignearum. Hęc propoſitio clarè habetur Actor. 2. *Cũ complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco, & apparuerũt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum Spiritus Sanctus.* In cuius rei memoriam celebratur ſolemnitas Pentecoſtes cum duobus diebus, qui ſequuntur cap. conqueſtus de ferijs.

An autem ipſamet perſona Spiritus Sancti deſcẽderit, quid fuerint linguæ illæ, quem effectum operatæ ſint, videri poteſt apud Commentatores Sacræ Scripturæ, & apud Concionatores, & ego fortaſſe diſſeram in Tract. de Trinitate.

An autem donum linguarum tale fuerit, vt Apoſtoli varijs gentium linguis loquerentur, vel potius vt ipſi Hæbrea lingua loquentes ab auditoribus intelligerentur, ac ſi eorũ idiomate, & lingua vterentur.

Reſpondetur, donum linguarum tale fuiſſe, vt Apoſtoli linguis omniũ loquerentur; nã Actor. 2. dicitur, *Loquebantur varijs linguis Magnalia Dei*, & Paulus 1. Corinth. 14. ait, *Gratias ago Deo, quod omnium veſtrum lingua loquor.* Ita communior Doctorum ſententia, S. Thomæ 2. 2. q. 176. ar. 1. & aliorum contra Cartuſianum, & alios. Quamquam negari non debet, quin Apoſtoli, vel Diſcipuli Domini vna lingua concionantes, ab auditoribus diuerſarum linguarum intelligerentur; id enim conducere videbatur ad conuerſionem gentiũ. Ita Azor 2. par. lib. 1. cap. 8. quæſito 8. ad finem, & alij.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Miſſio Spiritus Sancti contigit die Dominico, eodẽq; quinquageſimo poſt Chriſti Reſurrectionem incluſiuè. Ratio eſt, quia hæc eſt perpetua Eccleſiæ traditio, eoque die ſolemnitas miſſionis Spiritus Sancti ſemper celebrari conſueuit.

Obijcies, Spiritus Sanctus miſſus fuit in die Pentecoſtes Iudæorum, Actor. 2. *Cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco, &c.* dies autem Pentecoſtes tunc non contigit die quinquageſimo poſt Chriſti Reſurrectionẽ; ſed die Sabbati; nam Iudæis ſtatutum fuerat, vt ſecunda die Azymorum, ſeu decima ſexta Luna primi menſis offerrent manipulum nouarum ſpicarum, & in quinquageſimo die, numerando à ſecunda die Azymorum, ſeu à decima ſexta Luna primi menſis, celebraretur feſtum Pentecoſtes, ſeu hebdomadarum, ſeu oblationis primitiarum in memoriam legis acceptæ; cum autem ſecunda dies Azymorum anno Paſſionis Chriſti fuerit dies Sabbati, & ab illa computandi

eſſent quinquaginta dies vſque ad diem Pentecoſtes,ſequitur quinquageſimam diem, & conſequenter feſtum Pẽtecoſtes eo anno incidiſſe in diem Sabbati,non verò in diem Dominicum; conſequenter neque incidiſſe die quinquageſimo à die Reſurrectionis incluſiuè,ſed excluſiuè.

Reſponderi poteſt primò,diem ſecundam Azymorum eo anno contigiſſe in diem Sabbati; ſed quia Iudęis vetitũ erat metere die Sabbati; Exod.34. verſ. 21. & Iudæi valdè ſuperſtitioſi erant in celebratione Sabbati, non ſunt auſi vellere ſpicas eo die, vt illas Deo offerrent, ſed illarũ euulſionem, & oblationem diſtulerunt in diem ſequẽtem,quæ fuit Dominica dies, in qua Chriſtus reſurrexit; conſequenter à die Dominico computandi fuerunt quinquaginta dies,& in quinquageſimo die facienda erat oblatio primitiarum. Ita Ribera lib.5. de templo cap. 7. Bellarminus lib.3. de cultu Sanctorum ca. 13. Emanuel Sà in notat. Leuit. cap. 23. & in Actis cap. 2. Baronius, Sigonius,& alij, quorum opinionem probabilem putant Suarez 3.p. tom. 2. diſp.46. ſect.1. ad finem, Tannerus tom. 4. diſp.2.q.3.dub.5.n.130. Sigonius lib.3. de Republic. c.10.& 18. Francolinus de Horis Canonicis cap.93. & 94. nec diſſentit Ayor. 2. p. lib.1. cap. 8. quæſito 3.

Reſponderi poteſt ſecundò, Spiritum Sanctum miſſum non fuiſſe in ipſomet die Pentecoſtes Iudæorum; ſed die proximè ſequenti; ſic enim colligitur ex illis verbis Actor. 2. *Cũ complerentur dies Pentecoſtes*, quę verba iuxta textum Syriacum,& Græcũ hunc ſenſum faciunt, *Cum completi eſſent dies Pentecoſtes*; & ſic à die Reſurrectionis Chriſti excluſiuè vſque ad diem Dominicam, in qua miſſus fuit Spiritus Sanctus, interceſſerunt quinquaginta dies. A die verò ſecunda Azymorum interceſſerunt dies vnus, & quinquaginta. Ita Suarez, & Tannerus locis cit.

Reſpondent alij tertiò, quinquaginta dies vſque ad Pentecoſtem numerandos non fuiſſe à die ſecunda Azymorum incluſiuè,ſed excluſiuè; conſequenter numerandos fuiſſe à die Reſurrectionis Chriſti;prima .n. dies Azymorũ eo anno fuit dies Veneris. Secunda dies Azymorum fuit dies Sabbati. Tertia dies Azymorũ fuit dies Reſurrectionis Chriſti. Ita Lorinus in Acta ca.2. & alij.Sed hæc reſponſio mihi non probatur. Tum quia Patres aſſerunt illos quinquaginta dies computandos fuiſſe ab ea die, qua mactabatur Agnus excluſiuè, ſeu à prima die Azymorum excluſiuè. Ergo computatio facienda erat à ſecunda die Azymorum incluſiuè. Tum quia Pentecoſtes celebrabatur in memoriam legis à Deo datæ; hæc autẽ data fuit die quinquageſima poſt decimam quintam lunã primi menſis; conſequenter numeratio illa facienda erat à die ſecũda Azymorum, quæ erat decima ſexta luna primi menſis.

Reſponderi poſſet quartò, diem Pentecoſtes apud Iudæos celebrandum non fuiſſe die ipſo quinquageſimo, ſed die proximè ſequenti. Verum hæc reſponſio nullo nititur fundamento; Imò aduerſatur verbis Leuitici,& teſtimonio Ioſephi l.1.c.10. vbi aſſeritur oblationem in ipſamet quinquageſima die faciẽdam fuiſſe.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO QVINTA.

De Aduentu Chriſti ad Iudicium, alijſque Iudicium antecedentibus, & conſequentibus.

IN hac Quæſtione primo loco agam, De ſignis Aduentum Chriſti præcedentibus. Secundò, De extremo Iudicio. Tertiò, An Chriſtus poſt Iudicium in Cælo regnaturus ſit in æternum cum Sanctis ſuis. Quartò, De futura conditione Beatorum, & damnatorum quoad corpora. Quintò, De conditione, & ſtatu Mundi poſt extremum Iudicium.

Punctum Primum.

De ſignis Aduentum Chriſti præcedentibus.

VNICA PROPOSITIO.

MVlta aſſignantur, quæ Chriſti Aduentum præcedent. Primum eſt receſſus multorum à fide, prælia, fames, & terremotus. Secundum eſt prædicatio Euangelij in toto Orbe. Tertium eſt Aduentus Antichriſti. Quartum deſtructio Romani Imperij. Quintum Aduentus, prędicatio Enoch, & Eliæ. Sextum eſt obtenebratio Solis, & Lunæ, & caſus Stellarum. Septimum eſt preſſura gẽtium. Octauum eſt reſurrectio mortuorum. De his omnibus ſignis ſeorſim diſſeram in tribus Paragraphis proximè ſequentibus.

Paragraphus Primus.

De receſſu multorũ à fide, prælijs, fame, prædicatione Euangelij, Aduentu Antichriſti, & deſtructione Romani Imperij.

1 *Receſſus multorum à fide eſt primũ ſignum Aduentus Chriſti, cui ſigno adduntur prælia, peſtilentia, fames, &c.*

2 *Prædicatio Euangelij in toto Orbe, eſt ſecundum ſignum Aduentus Chriſti.*

3 *Euangelium an eodem tẽpore prædicandũ ſit in toto Orbe incertũ eſt.*
4 *Conuerſio omnium hominum an futura ſit ante Chriſti, vel Antichriſti aduentum incertum eſt.*
5 *Ouile vnum, & vnus Paſtor, quomodo futurus ſit.*
6 *Antichriſti perſecutio eſt ſignum Aduentus Chriſti.*
7 *Antichriſtus quando venturus ſit, incertum eſt.*
8 *Antichriſtus futurus eſt Iudæus origine, & profeſsione.*
9 *Antichriſtus naſciturus eſt ex turpi concubitu.*
10 *Antichriſti doctrina nitetur ſignis, & prodigijs falſis.*
11 *Aduẽtus Chriſti futurus eſt ſtatim, vel non longè poſt Antichriſtum.*
12 *Romani Imperij deſtructio eſt ſignũ Aduentus Chriſti.*
13 *Romæ euerſio ſequutura eſt ante Chriſti Aduentum.*

1 PRimum ergo ſignum Aduentus Chriſti eſt receſſus multorum à fide, & ſcandalum multorum; cuius ſigni mentio habetur Matth. 24. Lucæ 21. & 1. ad Thimoth. 4. & 2. ad Thim. 3. *Hoc autem ſcitote quod in nouiſſimis diebus inſtabũt tempora periculoſa, erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, & cæt.*

Ad hæc ſigna reuocantur prælia, peſtilentiæ, fames, & terræmotus, Matth, 24. *Audituri enim eſtis prelia, & opiniones preliorum; conſurget enim gens cõtra gentem, & regnũ in regnum, & erunt peſtilentiæ, & fames, & terremotus per loca; hæc autem omnia initia ſunt dolorum, & cet.* Et licet Deus his ſignis continuò Eccleſiam ſuam viſitet, vt benè obſeruat Auguſtinus Epiſt. 80. ad Hiſichium, nihilominus propè Chriſti Aduentũ inualeſcẽt; quamuis ignoretur, in qua menſura futura ſint. Ita S. Thoma 3. p. quæſt. 73. art. 1. & alij.

2 Secundum ſignum eſt prędicatio Euãgelij in vniuerſo Orbe, ideſt in omnibus Prouincijs, & Locis, in quibus homines habitãt, Matth. 24. *Prædicabitur hoc Euangelium Regni in Vniuerſo Orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſumatio.* Ita Origenes tract. 28. in Matth. Cyrillus cathec. 15. S. Auguſtinus lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 15. S. Gregorius, S. Bernardus, Beda, & alij, quos citat, & ſequitur Valentia to. 4. d. 11. quæſt. 2. pun. 1. Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 56. ſect. 1. Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 4. dub. 1. n. 6.

Obijcies, Apoſtoli Euangelium prædicarunt in toto Orbe, Pſal. 18. *In Omnem terram exiuit ſonus eorum.* Idem aſſeritur à Paulo Roman. 10. verſ. 18. *In Omnem terram exiuit ſonus eorum; & in fines Orbis terræ verba eorum.* Imò tempore Pauli prædicatũ erat Euangelium in toto Orbe, Coloſſ. 1. verſ. 6. *De verbo Euangelij*, inquit, *Quod peruenit ad vos, ſicut & in vniuerſo Mundo eſt, & fructificat.* Ergo hoc ſignum non eſt amplius expectandum, vel non eſt verum ſignũ Aduentus Chriſti.

Reſpondeo primò, Dauidem, & Paulum ijs locis locutos fuiſſe more prophetico, prædicendo tanquam factum id, quod certò futurum erat, proinde ac ſi eſſet præſens, vel præteritum, ſicut Dauid verbis præteriti temporis expreſſit paſſionem futurã, Pſal. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos.*

Reſ-

Reſpondeo ſecundò, Paulum intelligendum eſſe non de perfecta illius ſigni adimpletione, quaſi Euangelium tūc prædicatum eſſet vbiq; , ſed de inchoatione, quia Euangeliū iam prædicari cęperat, vel prædicatum erat in Orbe cognito per Apoſtolos,& per Apoſtolicos viros,id eſt Eccleſiæ miniſtros, alibi annunciandum erat. Ita Valentia tom.4. d.11. q.2. pun.1. col.3. Tannerus tom.4. diſp.2. quæſt.4. dub.1. n.8. Suar. 3.par. tom.2. d.56. ſect.1. col.3. & 4. Bellarminus lib.3. de Romano Pontifice cap.4.

3 Quæres primò, Vtrum Euangelium eodem tempore prædicādū ſit in toto Orbe, an ſatis ſit, vt antea in aliquibus Prouincijs prædicatum fuerit.

Reſpondeo, nihil certi in hac re ſtatui poſſe, cum in ſcriptura non habeatur. Ita Suarez 3. par. tom.2. diſp.46. ſect.1. col.7. & 8.

4 Quæres ſecundò, Vtrum ante Chriſti, vel Antichriſti Aduentum omnes homines ad Chriſtū conuertendi ſint.

Reſpondeo, nihil certi ſtatui poſſe, vt dictum eſt puncto præcedenti.

Obijcies primò, Ioannis 10. dicitur, ***Ante Aduentum Antichriſti erit vnum Ouile, & vnus Paſtor.*** Ergo antequam Antichriſtus veniat, omnes ad Chriſtum conuertentur.

5 Reſpondeo, futurum vnum Ouile, non quia tunc nullus futurus ſit Infidelis, ſed quia vbique gentiū erunt, qui recipiant Euangelij fidē, vt adimpleatur illud Pſal. ***Dabo tibi gentes hęreditatem tuā, & poſſeſſionem tuam terminos terræ***, & Pſal. 85. ***Omnes gentes quaſcumque feciſti venient, & adorabunt te domine***; & quia multi tā ex Gentilibus, quam ex Iudęis, alijſque omnibus nationibus conuertentur, dicetur, conſtitui vnū Ouile, & vna Eccleſia vniuerſalis,quę quantū in ſe eſt,complectitur omnes. Ita Suarez loc. cit. Ribera Matth. 4. & alij.

Obijcies ſecundò, ***Antichriſtus venturus non eſt,niſi venerit diſceſſio primum***, 2. Teſſal. 2. Ergo neceſſe eſt, vt ante Chriſti Aduentū omnes homines aliquando ſint fideles, & aliqui adueniente Antichriſto ab Eccleſia diſcedant, & Infideles fiant.

Reſpondeo primò,nomine diſceſſionis non intelligi defectionem ab Eccleſia; ſed à Romano Imperio, quod in duodecim Reges diuidetur, vel deſtruetur.

Reſpondeo ſecundò, nomine diſceſſionis nō ſignificari primam defectionem abſolutè, ſed magnam quandam Apoſtaſiam, quia fortaſſe magna ex parte Eccleſia deficiet.

6 Tertium ſignum eſt Aduentus Antichriſti, & eius perſecutio, Danielis 7. Matth. 24. Apocalipſ. 13. & 14. & 2. Theſſal. 4. Antichriſtus autem, & eius perſecutio nondum venit,vt ex profeſſo probaui diſp. 2. quæſt. vltima pun. 1.

7 Quæres primò, quandonam venturus ſit Antichriſtus.

Reſpondeo incertum eſſe, ſicut incertus eſt Iudicij dies. Ita S.Thomas 3. par. quæſt. 73. art. 1. ad 2. Valentia, loco citato col. 5. & alij communiter.

8 Quæres ſecundò, ex qua origine, & profeſſione futurus ſit Antichriſtus.

Reſp., futurum eſſe ex Iudęorum origine, & profeſſione. Ratio eſt,

tum

tum quia ipſe initio ſuadebit Iudæis ſe eſſe Meſſiã, ipſique eum recipient, iuxta illud Ioannis 5. *Si alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis*; Verosimile autem non eſt, Iudęos recepturos aliquem in Meſſiam, niſi Iudęorũ. Propterea Hyeronimus Danielis 11. ait, Antichriſtum futurum circumciſum, & Seuerus Sulpitius l. 2. dialog. ait ipſum mandaturum, vt omnes circumcidantur.

Ex qua autem Tribù futurus ſit, incertum eſt, quia tẽpore Antichriſti confuſæ erunt tribus, ſicut etiam nunc ſunt. Quamquam multi putãt Antichriſtum futurũ ex Tribu Dan, curabit tamen exiſtimari ſe ex Dauidica ſtirpe ortum eſſe, & Hieroſolimitanum templum inſtaurabit, vt pro Meſſia haberi, & recipi poſſit, ex Cyrillo Ieroſolimitano chatecheſ. 15. Bellarmino libro 3. de Romano Pontifice cap. 12. & 22. Suarez loco citato, Henriquez in ſumma lib. vlt. cap. 23. n. 1. & alijs.

9 An autem naſciturus ſit ex turpi, & illicito concubitu.

Reſpondeo, veroſimiliter credi poſſe ipſum naſciturum ex turpi cõgreſſu, & ex impuriſſima fęmina; ſicut enim Chriſtus ex puriſſima Virgine ortus fuit, ita facilè credi poteſt teterrimum Chriſti hoſtẽ, & aduerſarium ex impuriſſima fęmina generandum eſſe. Quamobrem Damaſcenus lib. 4. cap. 17. ait, *Ex fornicatione naſcetur, & clam educabitur, ac repentè inſurget, capuque attollet, atque Imperio potietur*. Idem aſſerit Suarez diſp. 54. ſect. 2. ſub finem, vbi etiam ſect. 3. explicat, quales futuri ſint Antichriſti mores, Hẽriquez lib. vlt. cap. 23. n. 1. & alij.

10 Rogabis, quænã futura ſit doctrina Antichriſti, & quo pacto illam ſuaſurus ſit. Reſpondeo ſuaſurum ſignis, & prodigijs falſis, quæ veroſimiliter credere poſſumus futura ſimilia ijs, quæ Chriſtus verè, & propriè patrauit; illa autem Deus permittet fieri ab Antichriſto, tum in vindictam incredulitatis Iudęorũ, & aliorum peccatorum, Tum ad cõprobandam, & augendam Sanctorũ fidem, & conſtantiã. Ita Suarez ſect. 4. Quibus autẽ modis Antichriſtus adepturus ſit Regnum, & quandiù duratura ſit ipſius perſecutio, videri poteſt apud eũdẽ Suar. ſect. 5. & 6.

Quo autem loco Antichriſtus naſciturus ſit, nõ cõſtat; aliqui enim putant naſciturum Romæ, quæ vocatur Babylo, Apocalyp. 14. Bellarminus verò cap. 22. & alij apud Henriquez cap. 23. num. 3. putant naſciturum Babylone.

11 Quæres tertiò, Vtrum Aduentus Chriſti futurus ſit ſtatim poſt mortem Antichriſti.

Reſpondeo, futurum non longo poſt Antichriſtum tempore, non tamen certo conſtare, quandoniam futurus ſit. Ita Suarez loco citato. Tannerus num. 11. & alij.

12 Quartum ſignũ eſt deſtructio Romani Imperij. Ratio eſt, tũ quia Romanum Imperium diuidetur in decem Reges, quos poſtea Antichriſtus in ſuam rediget poteſtatẽ; Danielis 7. verſ. 11. & 23. Tum quia hęc eſt antiquorum traditio, & communis Scriptorum Eccleſiaſticorum opinio teſtibus Hyeronimo q. 11. ad Algaſiã, Lactantio l. 7. c. 25. & alijs.

An autem Romanum imperium penitus extinguendum ſit ante Anti-

Antichriſti aduentum per diuiſionem in decem Regna, an verò eius deſtructio inchoanda ſit per diuiſionem in decem Reges, & poſtea perficienda ſit per ipſum Antichriſtum, incertū videtur. Sicut ex oppoſito certū eſt Romanum Imperium adhuc vigere, & duraturum eſſe ferè vſque ad Iudicij diem. Vide Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 56. ſect. 2.

Obijcies, Romanum Imperium non amplius viget, cum Vrbs Romana non exiſtat ſub ditione, & dominio Imperatoris; Sed ſummi Pontificis. Ergo hoc ſignum, vel inutile eſt, vel iam eſt adimpletum.

Reſpondeo, adhuc vigere Leges, Inſtituta, Iura, nomen, & dignitatem Romani Imperij, & hoc ſufficit, vt Romanum Imperium adhuc vigere dicatur; ſicut .n. deſtructa, vel occupata ciuitate, in qua Rex habitat, non dicitur deſtructum Regnum; ita etiam Imperium Romanum non dicitur deſtructum, etiamſi dominiū Vrbis Romæ ad Imperatorem non ſpectet. Ita Suarez ſect. 2. col. 4. Tānerus num. 15. & alij.

13 Huic quarto ſigno aliud quaſi affine additur à Doctoribus, nempè euerſio Vrbis Romæ. Apocalipſ. 17. verſ. 12. *Decem cornua* (ideſt decem Reges) *Quę vidiſti in beſtia, hi odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabūt, & ipſam igni concremabunt &c. Et mulier, quam vidiſti, eſt Ciuitas magna, quæ habet regnum ſuper Reges terræ.* Ex quo licet inferre Vrbem Romam permanſuram eſſe vſq; ad Antichriſti aduentum. Vide Suarez, & Tannerum locis citatis, Bellarminum, & alios, quos retuli diſp. 2. q. vlt.

Paragraphus ſecundus.

De prædicatione Enoch, & Eliæ, obtenebratione Solis, & Lunæ, caſu Stellarum, & preſſura gentium, quæ ſunt Quintum, Sextum, & Septimum ſignum aduentus Chriſti.

1 *Prædicatio Enoch, & Eliæ eſt ſignum Aduentus Chriſti.*
2 *Ioannes Euangeliſta an venturus ſit ante Chriſti aduentum, & an mortuus iam fuerit.*
3 *Enoch, & Elias quid acturi, vel paſſuri ſint.*
4 *Enoch, & Elias in quem locum tranſlati fuerint.*
5 *Enoch, & Elias hoc tempore non merentur.*
6 *Solis, & Lunæ obtenebratio eſt ſignum Aduentus Chriſti.*
7 *Sol. & Luna an verè, & propriè defectionem luminis paſſura ſint.*
8 *Gentium preſſura eſt ſignum Aduentus Chriſti.*
9 *Iudicij dies ignotus eſt, etiam poſitis præcedentibus ſignis.*

1 QVintum ergo ſignum Aduētus Chriſti eſt aduentus, & prędicatio Enoch, & Elię, de quibus ſermo eſt Apocalipſ. 11. *Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis*, peculiaris autem de perſona Enoch mētio fit, Eccleſ. 44. verſ. 16. *Enoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in Paradiſum, vt det gentibus pœnitentiam.* De Elia verò peculiare teſti-

teſtimonium habetur Eccleſ. 48. verſ. 9. & Malachiæ 4. vbi dicitur, *Ecce ego mittam vobis Eliã prophetã, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorũ*; & licet Chriſtus Matth. 11. metaphoricè, & allegoricè loquens, nomen Eliæ adſcribat Ioanni Baptiſtæ, tamen Matt. 17. expreſsè, & propriè loquens ait, *Eliam venturum eſſe*. Ita communiter Patres, & Doctores; & licet Victorinus cap. 11. Apocalipſ. putet loco Enoch venturum eſſe Ieremiã; & Hilarius can. 20. in Matt. exiſtimet loco Enoch venturum eſſe Moyſen; tamen communis Patrum, & Doctorum ſentẽtia aſſerit, ipſummet Enoch venturum eſſe, quia ſcriptura loquitur de Enoch, & Elia, nõ autem de alijs.

2 Addit Sanctus Antoninus 4. p. tit. 13. cap. 4. §. 2. Metaphraſtes, Catharinus, & alij apud Suarez 3. p. tom. 2. d. 55. ſect. 2. & apud Tannerum tom. 4. diſp. 2. q. 4. dub. 1. num. 25. venturum etiam eſſe Ioannem Euangeliſtam, *Quia*, inquiunt ipſi, *Ioannes Euangeliſta nondum mortuus eſt*. Sed contrarium communiter hoc tempore ſuſtinetur, quia perſpicuum eſt Ioannem Euangeliſtam ſenio confectum perijſe; ſic .n. ſentit Eccleſia, vt patet, tum ex Cõcilio Epheſino tom. 2. cap. 14. in Epiſtola Cęleſtini, tum ex publica feſtiuitate, quæ in ipſius honorem celebratur. Tum ex ipſius reliquijs, quas diu Epheſi extitiſſe plures Partes affirmãt. Vide Baronium in Annalibus, Suarez ſect. 3. & Tannerum loco citato.

Obijcies primò, Lucæ 9. dicitur, *Sunt de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortẽ, donec videant Regnũ Dei*; ſed nõ conſtat de quo hæc verba verificari poſſint, niſi de Ioanne Euangeliſta, cum alij Apoſtoli martyrio coronati fuerint. Ergo Ioannes Euangeliſta nondum guſtauit mortem, id eſt nondum mortuus eſt.

Reſpondeo, illa verba intelligenda eſſe de transfiguratione, quę non longè poſt prolationem illorum verborum facta fuit; ſenſus enim eſt. Sunt de hic ſtantibus, qui non peribunt, donec gloria Dei per transfigurationem Chriſti aliqua ratione fruantur.

Obijcies ſecundò, Ioann. vlt. ſignificari videtur Ioannem Euangeliſtam nondum obijſſe; dicitur enim *Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* quem locũ alij legunt, *Sic eum volo manere*, alij, *Si ſic eũ volo manere*.

Reſpondeo, pręfata verba non intelligi de exemptione à morte vſq; ad Iudicij tempus, ſed de exemptione à violenta morte per martyrium; *Sic eum volo manere, donec veniam*, videlicet, vt ipſum ad me recipiam. Ita S. Auguſtinus, S. Thomas, & alij apud Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 55. ſect. 3. col. 4. Alij putant Chriſtum locutum quidem fuiſſe de ſecundo Aduentu ſuo, ſed conditionata locutione, vt curioſitatem Petri eluderet. Ita Chriſoſtom. homil. 1. in Ioannem.

3 Sed modò dubium eſt primò, quid acturi, vel paſſuri ſint Enoch, & Elias.

Reſpõdeo primò, patraturos multa miracula, Apoc. 11. verſ. 5. Secũdò, occidendos eſſe ab Antichriſto, poſtquã ei verbis, & factis potenter reſi-

reſtiterint, Apocalipſ. 11. verſ. 7. *Tertio permanſuros eſſe Ieroſolymis per tres dies cum dimidio inſepultos*, Apocalipſ. 11. verſ. 8. *Quarto elapſis tribus diebus cũ dimidio reſurrecturos, & publicè in cęlum aſcenſuros*, Apocalipſ. 11. verſ. 11. *Quibus peractis terręmotus ſubſequetur, & plurimi interibũt*, Apocalipſ. 11. verſ. 13.

4 Secundò, Dubium eſt, in quem locum tranſlati fuerint, & vbi nunc exiſtant Enoch, & Elias, donec pręcurſores ſecundi Aduentus Chriſti actu efficiantur.

Reſpondeo, tranſlatos fuiſſe in locum aliquem amęnum, vbi diuinæ contemplationi ſine perturbatione, & abſque corruptibilis vitæ miſerijs vacare poſſunt, corporali cibo non indigentes, ita Deo conſeruante (quamquam S. Thom. probabiliter putat illos eſu ligni vitæ conſeruari) ille autẽ locus generali nomine Paradiſus vocatur, licet ignoretur quiſnam peculiari locus ille ſit. Alij putant tranſlatos fuiſſe in cęlum, non tamen vbi ſedes eſt beatorum; conſtat enim cęlorum Ianuam apertam fuiſſe ſolum per Chriſti mortẽ. Alij putant trãſlatos fuiſſe in Paradiſum Terreſtrem, ex quo Adam expulſus fuit; hoc tamen negatur ab ijs qui aſſerunt Paradiſum Terreſtrem aquis Diluuij obrutum, & deſtructũ fuiſſe. Vide Suarez diſp. 55. Tannerum loco citato, Becanum par. 2. Theologiæ, tract. 1. c. 1. quæſt. 12. n. 6. & 7. à quibus multi Patres citantur.

5 Tertiò Dubium eſt, Vtrum Enoch, & Elias etiã nũc mereantur.

Reſpondeo negatiuè, quia non ſunt propriè viatores, & quodammodo ſunt extra viam, licet non ſint omnino in termino. Ita Suarez d. 55. ſect. 1. & alij, quos referam in tract. de gratia, contra Tannerum loc. cit. n. 28. & alios aſſerentes ipſos adhuc eſſe in ſtatu merendi, & mereri, quia non videntur deterioris conditionis alijs viatoribus, præſertim cum probabile ſit fore, vt ipſi diutius vixiſſent, niſi præmaturè à Deo in alium locum tranſlati fuiſſent. Verum hęc ratio ſoluitur ex ratione à me allata.

6 Sextum ſignũ Aduentus Chriſti eſt obtenebratio Solis, & Lunæ, & caſus Stellarum de cęlo, commotio virtutum cęlorum, de quibus ſermo eſt Matt. 24. verſ. 29. *Sol obumbrabitur, & Luna non dabit lumen ſuũ, & Stellæ cadent de cęlo, & virtutes cęlorum commouebuntur.*

7 Sed modò Dubium eſt, An hęc intelligenda ſint myſticè, vel ad literam.

Reſpondet S. Ambroſius lib. 10. in Lucã, & S. Auguſtinus Epiſt. 80. intelligi myſticè, ita vt nomine Solis, & Lunæ intelligatur Eccleſia, quæ Soli, & Lunæ in Scripturis comparatur, & ingraueſcẽte Antichriſti perſecutione vix apparebit; nomine autem Stellarum cadentium, & virtutum commotionem patientiũ ſignificari, tum illos viros, qui fulgere videbantur, & nihilominus perſequẽtibus cedent, & cadent, quam quoſdam fideles in fide conſtantiſſimos, qui nihilominus turbationem aliquam patientur. Alij tamen communiter hunc locum intelligunt iuxta propriam verborum ſignificationẽ, cum nulla neceſſitas cogat ad hunc locum myſticè tantum intelligendũ.

Dices, aſſignari non poteſt modus, quo hęc ſigna verè, & propriè

fieri

fieri poſſint; Sol enim, & Luna non poſſunt per Eclipſim obſcurari; cũ Eclipſis fiat per interpoſitionem Lunæ, & Solis, vel terræ inter vtrumq; & ſic non obſcurabitur vtrumque corpus, Solis videlicet, & Lunæ, ſed vnum tantum. Ergo præfata verba myſticè ſolum intelligi debent.

Reſpondeo, multos aſſignari poſſe modos, & rationes, quibus hæc ſigna verè, & propriè fieri poſſunt. Primò, denſiſſima nube oppoſita Soli, & Lunæ, quem modum approbãt Sotus in 4. diſt. 46. quæſt. 2. art. 2. & Valentia tom. 4. d. 11. quæſt. 2. pun. 1. col. 4. Ratio eſt, quia hic modus facilior eſt, & miracula explicanda ſunt faciliori modo, quo fieri poteſt. Secundò, priuatione luminis Solis, & Lunæ; non enim implicat Solem, aut alia corpora cęleſtia priuari lumine, præſertim in ſententia eorum, qui aſſerunt lucem nõ emanare ab eſſentia Solis, aut aliorũ corporum cęleſtium. Ita S. Thomas 3. par. quæſt. 73. art. 2. & alij. Tertiò, ſubtractione concurſus diuini, ita vt licet Sol, & Luna lumen ſuum retineant, tamen non illuſtrent aerẽ, ſuſpendente Deo ſuum concurſum ad id neceſſarium; ſic enim colligi videtur ex illis verbis, *Et Luna non dabit lumen ſuum*. Eędem expoſitiones accomodari poſſunt caſui Stellarũ; Stellæ .n. cadere videtur, & dicũtur, dum nobis obſcurantur. Quamquã aliqui id referunt ad ignea quædam corpora metheorica futura tunc temporis crebriora, & horribiliora. Denique virtutes cęlorum commouebuntur, quia virtus cęlorum confundetur ob deiectionem motus cęleſtis, ſeu potius ob vagos, & incertos cęlorum motus. Ita Lactãtius lib. 7. cap. 16. Tannerus to. 4. diſput. 2. quæſt. 4. dub. 1. num. 30. & alij.

Verum S. Thomas, Valentia, & alij locis citatis aiunt virtutes cęlorum eo loco ſignificare Angelos, qui ob præfata ſigna tunc temporis cõtigentia in admirationem rapientur, & cõmouebuntur; ixta illud Iob 26. *Columnæ cæli contremiſcunt, & pauet ad nutum eius*, quod ad Angelos referunt S. Thomas, Valentia, & alij.

8 Septimum ſignum eſt preſſura gentium, Lucæ 21. vbi dicitur, *In terris preſſura gentium præ confuſione, ſonitus maris, & fluctuum areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſuperueniet vniuerſo Orbi*; cũ enim cęlum mutationibus ſuperius explicatis ſubijciendum ſit, & aer, terra, & aqua tanquam partes mundi valdè cõmouenda ſint inſtar partium magnæ domus proximè collapſuræ, ſequitur homines terrore adeò concutiendos, vt areſcere videantur. Ita Valentia loco citato.

Alia quędam ſigna valdè horrenda percenſet S. Thomas q. 73. art. 1. quæ S. Hyeronimus in quibuſdam annalibus Hæbreorum ſe reperiſſe dicit; ſed valdè parum veriſimilitudinis habent, teſte S. Thoma, Suarez, Valentia, Tannero, & alijs.

9 Dices, ſi ea ſigna, quæ in pręcedentibus enumerauimus, Iudicium, & Aduẽtum Chriſti præceſſura sũt, ſequitur ferè, vt homines in cognitionem veniant futuri Iudicij, hoc autem non videtur admittendum, cum Chriſtus ipſe Matth. 24. dicat, *De die autẽ illa, & hora nemo ſcit, neq; Angeli cęlorum, niſi Solus Pater.*

Reſ-

Reſpondeo primò, homines poſitis ijs ſignis agnituros quidē inſtare Iudicij diem; nihilominus diem illum adhuc cenſeri occultum, quia homines determinatè non ſciēt, quā proximus ſit dies, & hora Aduentus Chriſti, licet conijcere poſſint non longè abeſſe.

Reſp. ſecundò, dū Chriſtus ait occultum eſſe Iudicij diem, nomine diei Iudicij non intelligit ſolum ipſummet Iudicij momentū, ſed etiam tempus complectens ſigna annexa, & propinqua diei Iudicij, quorum tempus ignoratur. Ita S. Thomas loco citato ad 2. Valentia loco citato col. 5. verſ. porrò, Tannerus loc. cit. num. 34. Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 56. ſect. 3. & alij.

Paragraphus Tertius.

De Reſurrectione Mortuorū, quæ eſt octauum Aduentus Chriſti ſignum.

1 *Reſurrectio mortuorum eſt ſignum Aduentus Chriſti.*

2 *Baptiſmi nomine aliquando intelliguntur opera pœnalia, & ſatisfactoria.*

3 *Reſurrectio mortuorum cūmunis eſt omnibus hominibus.*

4 *Homines qui propè diem Iudicij extabunt morientur, & reſurgent.*

5 *Infantes reſurgent.*

6 *Fœminæ reſurgent in proprio ſexu.*

7 *Fœminæ in ſuo ſexu reſurgentes ruborem non patientur, nec concupiſcentiæ locum dabunt.*

8 *Fœmina quomodo dicatur quid imperfectum.*

9 *Reſurgere poſſūt homines etiamſi in cineres antea redacti non eſſent.*

10 *Reſurrectio fiet in eodem numero tēpore.*

11 *Effectus antea productus reproducī poteſt per abſolutam Dei potentiā.*

12 *Reſurrectio neceſſario non requirit, vt pars materiæ, quæ vnum membrum conſtabat, in reſurrectione exiſtat ſub figura eiuſdem mēbri.*

13 *Vnio eadem numero non neceſſariò requiritur ad reſurrectionem.*

14 *Reſurrectio fiet corpore integro quoad omnia membra, ſaltem ſi loquamur de reſurrectione Iuſtorum.*

15 *Reſurrectio fiet cum ijſdem accidentibus.*

16 *Corpora damnatorum quomodo dicantur incorruptibilia, cum tamen paſſibilia ſint.*

17 *Reſurrectio iuxta quam hominis ætatem fiet.*

18 *Reſurrectio iuxta quam hominis ſtaturam facienda ſit.*

19 *Reſurrectio iuxta quam hominis effigiem futura ſit.*

20 *Reſurrectionis cauſa quænam ſit.*

21 *Reſurrectionis cauſa efficiens proxima, & inſtrumentalis phyſica eſt Chriſtus.*

22 *Reſurrectionis cauſa inſtrumentalis, ſeu tanquam inſtrumentum Chriſti erunt Angeli.*

23 *Vox in Reſurrectione proferetur ab Angelo.*

24 *Mortui quomodo dicantur audituri vocem Tubæ.*

25 *Reſurrectio fiet miniſterio Angelorum congregātium cineres, ſeu materiam reſurgentium.*

26 *Angeli boni, non autem mali congregabunt materiam reſurgentiū.*

27 *Angeli congregabunt materiam reſurgentium virtute naturali.*

28 *An-*

28 *Angeli quo pacto diſcernere poſſunt materiam ſingulorum ſuſcitandorum.*

29 *Chriſtus eſt cauſa meritoria Reſurrectionis.*

30 *Chriſtus eſt Perfectiſſimum exemplar reſurrectionis Iuſtorum.*

31 *Reſurrectio mortuorum quo in loco facienda ſit.*

32 *Reſurrectio omniũ mortuorum fiet in eodem momento.*

33 *Reſurectio fiet eodẽ die Iudicij, & non antea.*

34 *Reſurectio mortuorum quo tempore futura ſit, incertum eſt.*

1 OCtauum ſignum Aduentus Chriſti eſt Reſurrectio mortuorum; nam propè Iudicij diem mortui omnes reſurgent, vt patet primo ex illo Iob 19. *Scio, quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſũ circũdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum,* & Ioann. 5. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in reſurrectionem Iudicij.* Secundò, quia ſi mortui reſurgere non deberent, inutilia eſſẽt opera pia, & ſatisfactoria, quæ pro mortuis ſuſcipiuntur, iuxta illud Machab. 12. *Niſi enim eos, qui ceciderunt, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanũ orare pro mortuis,* & 1. Corinth. 15. *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omninò mortui non reſurgunt, vt quid & baptizantur pro illis?* Nomine autem Baptiſmi hoc in loco non intelligitur verus, & proprius Baptiſmus; ſed opera pœnalia, & ſatisfactoria facta pro mortuis, vt patet ex loco illo Marci 10. *Poteſtis bibere calicem, quem Ego bibiturus ſum? aut Baptiſmo, quo ego babtizor, baptizari?* Tertiò, quia æquum eſt, vt corpus, quod fuit inſtrumentum animæ ad bona opera peragẽda, ſit etiam particeps beatitudinis animæ; non poteſt autem illius eſſe particeps, niſi reſurgat. Quartò, quia ſi reſurrectio mortuorum non eſt futura, maximè quia eſt impoſſibilis, vt Philoſophi arbitrantur, teſte Auguſtino lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 12. & 25. ſed Reſurrectio nõ eſt impoſſibilis, quia Deus eadem virtute, & poteſtate gaudet poſt mortem animarum; qua gaudebat, antequã primò produceret; ſicut ergo potuit homines primò producere, ita etiam poteſt reſuſcitare. Ita Suarez diſ. 50. ſect. 1. & alij communiter.

3 Quæres primò, Vtrum Omnes homines reſurrecturi ſint.

Reſpondeo affirmatiuè. Tum ex loco illo Ioann. 5. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei, & procedent, qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ. qui verò mala egerunt, in reſurrectionẽ Iudicij.* Tum ex 2. Corint. 5. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Tum ex Symbolo Athanaſij; *Ad cuius aduentum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis proprijs rationem, & qui bona egerunt, ibunt in vitã æternam, qui verò mala in ignem æternũ,* Ita communiter Patres, & Doctores Catholici apud Valetiã to. 4. d. 11. q. 3. pun. 3. & apud Suar. locis citãdis.

Obij-

Digitized by Google

Obijcies primò, Danielis 12. dicitur, multos reſurrecturos, *Multi*, inquit, *de ijs, qui dormiunt, in terræ puluere euigilabunt. alij in vitam æternam, & alij in opprobrium*. Ergo non omnes reſurgent, ſed ſolum multi.

Reſpondeo nomen, *Multi*, iuxta vſitatam ſcripturæ phraſim accipi pro, *Omnes*, vt patet ex illo Romanorũ 5. *Vnius delicto multi mortui sũt*, & Matth. 26. *Qui pro vobis, ac pro multis effundetur*. Ita Suarez diſp. 50. ſect. 3. ad finem, Tannerus tom. 4. diſp. 2. q. 4. dub. 2. num. 39. Theodoretus, & alij Expoſitores.

Obijcies ſecundò, Beatiſſima Virgo, & alij, qui iam ad immortalem vitam excitati ſunt, iterum non reſurgent. Ergo falſum eſt omnes reſurrecturos.

Reſpondeo, illos reſurrecturos, qui ad immortalem vitam nondum ſunt reuocati; qui autem reuocati ſunt, non amplius reſurgent, quia Reſurrectio ſupponit mortem; ſicut autem præfati non moriuntur amplius, ita denuò non reſurgent. An autem ad iudicium ſint adducendi, infrà explicabo.

Obijcies tertiò, Pſal. 1. dicitur, *Non reſurgent impij in Iudicio*. Ergo non omnes reſurgent.

Reſpondeo primò, impios non reſurrecturos ad vitam. Secundò, non reſurrecturos, vt iudicent; ſed vt iudicentur. Alias reſponſiones affert Suar. diſp. 50. ſect. 3.

Obijcies quartò, *Reſurrectio eſt magnum bonum, & præmium, quod hominibus iuſtis promittitur*, Romanor. 6. & 1. Corinth. 15. Ergo non conuenit peccatoribus.

Reſpondeo, Reſurrectionem ad vitam eſſe præmium, Reſurrectionẽ verò ad pœnam non eſſe præmium, ſed pertinere ad pœnam; ipſam verò Reſurrectionem præcisè, & ſecundum ſe neque eſſe præmium, neque pœnam, ſed eſſe opus generale prouidentiæ Dei.

Ex dictis colligitur primò, omnes adultos impios in generali Reſurrectione reſurrecturos eſſe.

Secundò, colligitur omnes iuſtos reſurrecturos eſſe, vt patet ex dictis in propoſitione, & in quæſito.

4 Maior difficultas eſt, Vtrum illi homines iuſti, qui in die Iudicij, & propè horã Reſurrectionis inueniẽntur, ſint morituri, & reſurrecturi ante extremum Iudicium.

Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, tum quia extat generale decretum, *Quo ſtatutum eſt hominibus ſemel mori*. Hebræor. 9. Tum quia illi omnes obnoxij ſunt morti, qui in Adamo peccauerunt, ſed omnes homines in Adamo peccauerunt. Ergo omnes homines obnoxij ſunt morti; iuxta illud Romanor. 5. *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt*. Ita communiter Doctores contra S. Chriſoſtomum homil. 42. in 1. Corint. Origenem lib. 5. contra Celſum, & alios.

Obijcies primò, 1. Corint. 15. dicitur, *Ecce myſterium vobis dico, non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur*. Ergo non omnes homines iuſti morituri ſunt; cõſequenter neque omnes reſurgent.

Reſpondeo, illum locum ita quidem legi iuxta Græcam editionem, quia textus mendoſus eſt ob omiſ-

ſionem vnius literæ, ſed iuxta Latinam verſionem oppoſitum prorſus legitur, non ſolum à Latinis Patribus, verum etiam à Didimo, & nonnullis alijs Græcis, teſte S. Hyeronimo ibidem; nam iuxta Latinam verſionem legitur, *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*, ideſt ad ſtatum gloriæ, vt benè obſeruãt Valent. Suar. Tanner. & alij locis citatis, omiſſis quãpluribus alijs, quos citat Henriquez lib. vlt. c. 21. num. 1. in Comment. lit. F.

Obijcies ſecũdò, Chriſtus iudicaturus eſt viuos, & mortuos, vt quotidie profitemur in Symbolo Apoſtolorum. Ergo non omnes homines morituri, & reſurrecturi ſunt; alioquin Chriſtus iudicaturus non eſſet viuos.

Reſpondeo, Chriſtum iudicaturum viuos, qui morientur, & poſtea reſurgent; nam illa particula, *Viuos*, in Symbolo poſita fuit ad oſtendendum Chriſtum iudicaturum non ſolum eos, qui hactenus mortui ſunt, ſed etiã eos, qui modò vitam degũt, & poſtea mortalem vitã ſuperueniẽte morte finient.

Obijcies tertiò, S. Paulus ait, homines iuſtos, qui tẽpore iudicij exiſtent, rapiendos eſſe in aera, & ſic ſemper futuros cũ Domino, 1. Theſſal. 4. *Hoc .n. vobis*, inquit, *dicimus in verbo Domini, quia nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentum Domini, non præueniemus eos, qui dormierũt quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in Tuba Dei deſcendet de cælo, & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi, deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illo in nubibus obuiam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus; itaque conſolamini inuicem in verbis iſtis.*

Reſpõdeo, Apoſtolũ aſſerere homines, qui tẽpore Reſurrectionis viui inueniẽtur, rapiendos eſſe in aera; ſed nõ negare, quin morituri ſint, morietur .n. vel in ipſo raptu, & paulo poſt reſugẽt, vt putat S. Auguſt. lib. 20. de Ciuitate cap. 20. & alij; vel in terris, fortè ob famẽ, aut peſtem, aut nimiũ timorẽ, aut aeris infectionem, aut cælorũ perturbationẽ, quibus etiam reliqua animãtia interficiẽtur. Apoſtolus autẽ de illis loquitur, ac de viuẽtibus, quia exigua inter mortem, & reſurrectionem diſtantia intercedet.

5 Tertiò, colligitur nõ solũ adultos in peccato, vel in gratia decedẽtes, ad vitam excitandos eſſe ante Iudicij diem, verũ etiã ipſemet infantes cum peccato originali defunctos, ſiue in lucẽ editi eſſent, ſiue in maternis viſceribus interempti. Ratio eſt, tũ quia ſcriptura in præcitatis locis generaliter loquitur. Tũ quia 1. Corinth. 15. dicitur, *Sicut in Adã omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur*; vita non ſolũ animæ, verũ etiã corporis, de qua ibi Apoſtolus loquitur; ſed præfati infantes mortui ſunt in Adamo. Ergo viuificabuntur in Chriſto, tũ quia huiuſmodi infantes iudicãdi ſunt; omnes autem iudicandi ſtabunt ante Chriſti Tribunal cum corporibus ſuis, vt patet ex Symbolo Athanaſij; Tum quia non decet ipſorũ animas ſeparatas à corpore perpetuò remanere. Ita Suarez 3. p. tom. 2. d. 50. ſect. 3. col. 2. & cõmuniter Patres, & Doctores, teſte Tãnero tom. 4. diſp. 2. quæſt. 4. dub. 2. num. 43.

6 Quar-

6 Quartò, colligitur non ſolum Viros, verũ etiã fęminas in proprio ſexu reſuſcitandas eſſe. Ratio eſt, tũ quia ſcriptura generaliter loquitur. Tũ quia Deus in Reſurrectione ſeparabit id,quod in homine fecit in prima conditione; ſed fecit mulierẽ de coſta viri. Ergo ſeparabit Mulierem iuxta ſexũ muliebrẽ. Tũ quia Chriſtus interrogatus à Saduceis,cuiuſnã futura eſſet vxor illa,quę ſeptẽ viros habuerat, non reſpondet in eo ſtatu nõ futuros viros, & fęminas,ſed non futuras nuptias, ſupponens quidẽ futuras fęminas, ſed carnaliter nõ eſſe cognoſcendas. Ita omnes Doctores Catholici contra nonnullos apud S. Auguſtinum l.22. de Ciuitate c.17.

Obijcies primò,non ſunt reſurrecturi niſi viri perfecti, Epheſ. 4. *Donec occurramus in virũ perfectũ in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*. Ergo nullus reſurget iuxta ſexũ fęmineũ.

Reſpondeo, omnes à Paulo dici reſurrecturos in virũ perfectũ, nõ ratione ſexus, ſed ratione ætatis,& iudicij, qua perfectione præditi erunt non ſolum viri, verũ etiã fęminę,quę nomine viri eo loci cõprehendũtur, ſicut etiã cõprehenduntur Pſal. *Beatus vir, qui timet Dominũ*, vt benè S. Hyeronimus, & S. Auguſtinus,quos citat,& ſequitur Suarez 3. p. tom.2. d. 44. ſect.3. ſub finẽ,Valentia to.4. d.1 1.q.3. pun. 3. ſub finẽ,Martinus Roas de ſtatu Beatorum, & alij.

Obijcies ſecũdò, illi qui reſurgẽt, erũt cõformes Imagini Chriſti. Roman. 4. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri Imagini filij ſui*, ſed Chriſtus fuit homo ſexus maſculini. Ergo qui reſurgent,præditi erunt ſexu maſculino.

Reſpõdeo, illũ Apoſtoli locũ non intelligi de cõformitate quoad ſexũ, ſed quoad gratiam, & gloriam, vt benè Valentia loco citato.

7 Obijcies tertiò, honeſtas, pudor, & verecundia poſtulare videntur, vt fęminæ nõ reſurgant retento fęmineo ſexu, alioquin magnus datur concupiſcentiæ locus.

Reſpondeo, ſicut in ſtatu Innocẽtiæ, in quo homines nudi incedebant, non erat vllus pudor, aut concupiſcentia inordinata,quia pars ſuperior dominabatur inferiori; ita multo minus in reſurrectione Beatorum aderit; in Reſurrectione verò damnatorũ nullũ eſt incõmodum admittere pudorem. Vel dic cum S. Thoma tam in damnatis,quã in Beatis abfuturam mutuę viſionis cõfuſionem, quia aberit libido incitans ad turpes actus, ex quibus confuſio cauſatur;tanto .n. dolore,& triſtitia afficientur damnati,vt nullus voluptati locus relinquendus ſit.

Obijcies quartò, Opera Dei perfecta ſunt, Reſurrectio autem eſt opus Dei,& ſexus fęmineus eſt quid imperfectũ; *Nã fęmina*, inquit Ariſt. lib. 2. de generatione Animal. c. 3. *ſunt ex quodam defectu naturæ, & preter intentionem naturæ*.

8 Reſpõdeo, tã fęminas, quã viros eſſe in ſuo genere perfectos; ſexus autẽ fęmineus vocatur quid imperfectũ,nõ quia ſit aliquid mõſtruoſũ,aut per accidẽs,ſed quia ipſius generatio nõ eſt adeò perfecta,ſicut eſt perfecta generatio virilis ſexus; & licet ab aliquibus admittatur generationẽ fęminæ eſſe pręter intentionẽ naturæ particularis, nõ tamen eſt pręter intentionẽ naturę vniuerſalis,

quæ conſeruationẽ humanæ ſpeciei reſpicit; humana autem ſpecies ſine vtroque ſexu ſeruari non poteſt. Ita Suar. d.44. ſect. 3. ſub finem, Tann. to.4. d. 2. quæſt.4. dub. 2. num. 54.

9 Quæres ſecundò, Vtrum homines, antequã ad vitã per Reſurrectionem iterum excitentur, in cineres redigendi ſint.

Reſpondeo, non omnes in cinerẽ redigendos eſſe. Ratio eſt, tum quia nullo ſufficienti fundamẽto probatur omnes in cinerẽ redigendos eſſe. Tũ quia illi, qui tẽpore Iudicij viui inuenientur, non redigẽtur in cineres. Ergo neque neceſſe eſt, vt alij omnes in cineres redigãtur, antequã per Reſurrectionẽ iterum viuificentur. Ita Suar. 3. p. to.2. d.50. ſect.6. Valent. to.4. d.11.q.3.pun.2. col.4. verſ. alij autẽ, Tanner. to.4.d.2. q.4. dub. 2. n.47. & alij cõtra S. Thom. in 4. d. 43. q. vnic. art.4. quæſtiunc. 2. & alios ferè communiter.

Obijcies, Geneſ. 3. dictũ eſt homini, *Puluis es, & in puluerẽ reuerteris*.

Reſpondeo, nomine redactionis in puluerẽ ſignificari mortẽ ab effectu, quia redactio in puluerẽ eſt effectus mortis, qui vt plurimũ ſequi ſolet, non tamen opus eſt, vt omnes, qui moriũtur, in cineres conuertantur, vt manifeſtè patet in Chriſto, & in Beatiſſima Virgine Maria.

10 Quæres tertiò, Vtrum reſurrecturum ſit idem numero corpus, quod antea erat.

Reſpõdeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia Reſurrectio nihil aliud eſt, quã mutatio ſubſtantialis, qua iterũ producitur id, quod prius extiterat, & cõceptũ erat, vt benè docet Suar. d. 44. ſect. 1. ex cõmuni Patrũ, & Doctorũ ſentẽtia. Ad Reſurrectionẽ igitur opus eſt, vt iterũ cõſtituatur, & fiat idẽ homo, qui antea deſierat; nam ſi conſtituatur alius homo, non erit reſurrectio, ſed multiplicatio hominum, & noua generatio.

Ex quo ſequitur, ad reſurrectionẽ opus eſſe, vt eadẽ anima vniatur eidẽ materiæ precedẽti, cũ .n. idẽ homo nõ conſtituatur, niſi per eandem formã, & per eandem materiam, quę ſunt partes eſſentiales cõſtituẽtes hominẽ, neceſſe eſt dicere, vt id qđ reſurgit, eãdẽ habeat animã, & materiam, ſeu vt eadẽ anima vniatur eidẽ materiæ; nam variata parte eſſentiali non poteſt ſimpliciter manere idẽ, quod antea erat. Quãobrẽ ſi alia anima creetur, & vniatur materiæ, quæ informabatur ab alia anima, nõ dicetur reſurrectio, ſed noua productio. Idem dic, ſi anima antea creata vniatur materiæ, quam antea nõ informauerat, deficit .n. pars ſubſtãtialis conſtituens idẽ cõpoſitum; & hoc à fortiori verũ eſt, ſi anima vniatur materię diuerſę ſpecie ab ea, quę ſolet eſſe materia generabiliũ, & corruptibilium; nam compoſitũ ex illa conſurgens, non ſolum non erit idẽ, verũ etiam non erit homo; cõſequẽter illa non erit reſurrectio, ſed potius productio alicuius monſtri, vt benè Suar. 3. p. to.2. d. 44. ſect. 2. Valentia to. 4. d. 11. q. 3. & alij cõmuniter, contra Durandũ in 4.d.44. q.1. aſſerentem ad reſurrectionem eiuſdem hominis ſatis eſſe, vt anima ſit eadẽ, quod probat rationibus ſtatim afferẽdis in obiectionibus proximè ſequentibus.

Obijcies cũ Durãdo, & alijs Thomiſtis primò, totũ eſſe materiæ eſt à for-

forma. Ergo identitas, & diuerſitas compoſiti pendet à forma. Ergo poſita materia ſub eadem forma reſultat idem compoſitum; conſequenter vt ſit Reſurrectio eiuſdem hominis, ſufficit vt ſit eadem anima.

Reſpondeo negando, totum eſſe materiæ pendere à forma; materia enim habet propriam entitatem à forma diſtinctã, quæ ſucceſſiuè manet ſub diuerſis formis; alioquin in generatione nihil maneret ingenito, quod fuit incorrupto, quod eſt contra communem, & veram Phyloſophorum ſententiam.

Obijcies ſecundò, per nutritionẽ variatur materia hominis. Ergo fieri poteſt, vt homo tot annis viuat, vt tota materia varietur; ſed tunc erit idem homo. Ergo ad identitatẽ hominis non requiritur eadem materia; ſed ſufficit eadem forma.

Reſpondeo hinc ſolum colligi hominem per nutritionem non remanere omninò eundem quoad omnes partes; ſed ſolum quo ad pręcipuam partem; vt autem dicatur, & denominetur idem homo, iuxta communem loquendi modum, ſufficit, vt remaneat eadem anima, & eadem materia quoad aliquas partes, alijs paulatim decedentibus, & alijs paulatim aduenientibus; at ſi daretur caſus, vt omnes partes materiæ reſoluerentur quoad rem ipſam, non eſſet idem homo, & multo minus eſſet idem homo, ſi ſubita quadam mutatione tota alicuius hominis materia in aliam mutaretur; in reſurrectione autem pertineret ad diuinam prouidẽtiam excitare illum, ſub qua vellet materia.

Obijcies tertiò, ſi ad reſurrectionem requiritur eadem materia, ſequitur dari poſſe caſum, in quo aliqui reſurgere, & reſuſcitari non poſſint, vt ſi duo homines ſucceſſiuè habuiſſent eandem materiam, Exemp. grat. ſi quis veſci conſueuiſſet ſolum humanis carnibus, & totam alicuius materiam in propriam ſubſtantiam conuertiſſet.

Reſpondeo, dari non poſſe caſũ, vt duo totam eandem materiam habeant, præſertim cum tota cibi ſubſtantia in ſubſtantiam edentis non conuertatur. Si tamen daretur caſus, vt duo participes fuerint earumdem materiæ partium, ad diuinã prouidentiam, & iuſtitiam ſpectabit illã in totum, vel in partem conferre, cui magis expedire iudicauerit; ſufficiet .n. vt alter aliquã materię partẽ habeat, quã in pueritia, vel in adoleſcentia, vel in prouectiore ætate habuit, ſupplente Deo partẽ materiæ, quæ ei ad integritatẽ corporis deſideratur; ſicut enim homo eſt idẽ homo in ſenili ætate, qui erat in infantia, licet valdè exiguã materiæ quãtitatẽ in infantia haberet, ita etiam idem homo poſt reſurrectionem dicendus erit, ſi poſt reſurrectionem non habebit totam materiæ quantitatem, quam viuens habebat, ſed ſolum aliquam, ſupplente Deo, & conferente aliam ſufficientem ad conſtituẽdum hominem. Vide Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 44. ſect. 2. col. 4. & 5. Mart. Roas in Tr. de beat. cap. 3. Henriquez in ſumma lib. vlt. de fine hominis cap. 26. num. 1.

11 Obijcies quartò, nõ poteſt idẽ numero effectus reproduci. Ergo nõ poteſt idem homo reſuſcitari. Antecedens patet quia diuerſis actionibus

-bus reſpondent diuerſi numero effe-ctus; ſed productio prima, & productio ſecunda ſunt diuerſæ numero actiones. Ergo diuerſi effectus illis reſpondere debent. Ergo non poteſt idem numero effectus reproduci, cõſequenter neq; idẽ homo reſuſcitari.

Reſpondeo eundem effectum reproduci poſſe per potentiã Dei abſolutam, & ſupernaturalem, quia nõ implicat diuerſis actionibus eũdem numero effectum reſpondere, licet id naturaliter fieri non poſſit à cauſis ſecundis propria virtute operantibus; agens enim creatum in efficiendo hunc numero effectum pendet à determinatis conditionibus, vt ab hoc tempore, ab hoc loco, ab hoc ſubiecto, & cęt., à quibus non dependet Deus, qui ſicut potuit illum effectum antea producere, ita nunc poteſt reproducere, aut productum multiplicare, vel in diuerſis locis cõſtituere, vt nũc ſuppono ex phyſicis, & fuſè probat Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 44. ſect. 6. & 8.

12 Rogabis primò, Vtrum ad reſurrectionem neceſſarium ſit non ſolum, vt materia corporis ſimpliciter ſit eadem, ſed etiam vt illa pars materiæ, qua conſtabat manus, pes, oculus, aut lingua, poſt Reſurrectionem conſtituatur ſub eodem corporis organo, ſeu membro, ſub quo antea exiſtebat.

Reſpondeo ad veram, & abſolutã reſurrectionem id non eſſe neceſſarium, quia idem homo conſtituitur per eandem formam, & per eandem materiam, etiamſi pars illa materiæ, quæ ſub figura pedis exiſtebat, nunc exiſtat ſub forma manus, & è cõtra; nam huiuſmodi varietas non arguit ſubſtantialem diuerſitatem, ſed ſolum ſitualem, ſeu accidentalem, licet oppoſitum ſentiat S. Thomas in 4. diſt. 44. quæſt. 1. art. 1. loquens de partibus heterogeneis, ideſt de materia exiſtẽte ſub partibus diuerſæ rationis.

Dixi in reſponſione, ad veram, & abſolutam reſurrectionẽ, quia ſi loquamur ſolum de reſurrectione, quam futurã ſperamus, cenſeo quãlibet materię partem conſtituendam eſſe ſub illo organo, ſeu membro, ſeu corporis parte, ſub qua antea exiſtebat; congruum enim eſt, & ad diuinam prouidentiam ſpectare videtur, vt quęlibet pars materiæ ſit capax pręmij, vel pœnæ, iuxta quãlitatem actionis, quæ in tali corporis parte præſtita fuit. Ita S. Thomas, Sotus, & alij, quos citat, & ſequitur Henriquez loco citato n. 2.

13 Rogabis ſecundò, Vtrum ad reſurrectionem opus ſit, vt reproducatur eadem vnio, quæ antea erat.

Reſpondeo, id non eſſe ſimpliciter neceſſarium ad reſurrectionem. Ratio eſt, quia poteſt eſſe idem homo per aliam numero vnionem; homo enim eſſentialiter conſtituitur per formam, & materiam, non verò per vnionem; nam vnio eſt ſolum conditio, & modus requiſitus ad cõſtituendum compoſitum; compoſitum autem conſtitui poteſt per aliũ numero modum, ſicut ſi Chriſtus nunc humanitatem dimitteret, & iterum eãdem aſſumeret per diuerſam numero vnionem, diceretur adhuc eadem numerò perſona compoſita, quæ antea erat.

Dixi in reſponſione, id non eſſe ſimpliciter neceſſarium ad reſurrectio-

ctionem, vt indicarem probabiliter ſuſtineri poſſe futurum, vt in reſurrectione eadem numero vnio reſtituatur. Ratio eſt, quia reſtitutio eiuſdem vnionis confert ad perfectionem vnitatem eiuſdẽ hominis.

Obijcies, impoſſibile eſt, vt idem modus vnionis reſtituatur, modus enim habet entitatem propriam diſtinctam ab ea, cuius eſt modus.

Reſpondeo, habere propriam entitatem modalem, quam Deus ſicut antea produxit, ita poteſt iterum reproducere, cũ nõ ſit fact' minoris potentiæ, quã antea eſſet, & ſicut poſſet nunc eandem vnionem facere, ſi illam antea non feciſſet, ita eandem iam factam, & deſtructam reproducere poteſt; in agendo enim non pendet à circunſtantijs, ſed à ſua voluntate, cuius facere eſt velle.

14 Rogabis tertiò, Vtrum corpora reſurrectura ſint integra.

Reſpondeo, ſaltem corpora iuſtorũ reſurrectura eſſe integra quoad omnia membra, organa ſenſuum, & facultates corporis. Ratio eſt, tum quia Reſurrectio eſt opus Dei; opera autem Dei perfecta ſunt. Tum quia Lucæ 21. dicitur, *Capillus de capite veſtro non peribit.* Ergo multo minus peribunt corporis membra. Ob id fœminę oẽs reſurgent illęſo clauſtro pudoris. Ita S. Thomas in 4. diſt. 44. q. 3. art. 1. quæſtiuncula 1. Sotus ibid. quæſt. vnica art. 3. Suar. 3. p. tom. 2. diſp. 44. ſect. 3. & d. 5. ſect. 5. verſ. 4. col. 3. Valentia to. 4. d. 11. q. 3. pun. 3. Tannerus tom. 4. diſp. 2. q. 4. dub. 2. n. 49. Henriquez in ſumma lib. vlt. de fine hominis c. 26. Martinus Roas in lib. de ſtatu Beatorum cap. 1. & alij cõmuniter.

Hinc patet quid dicendum ſit de vnguibus, & capillis, quæ ſunt quædam corporis partes ad munimentum, & ornamentum aliarum pertinentes. Secus dic de excrementis, vt benè Valentia pun. 3. col. 9. Martinus Roas loco citato, Hẽriquez loco citato n. 2. & alij; ſicut enim Chriſtus non reſumpit excrementa, id eſt partes ſuperfluas, quæ nutritione defluxerant, ita nec homines ijs aſſumptis reſurgẽt; cum Reſurrectio Chriſti ſit cauſa exemplaris noſtræ reſurrectionis.

Dixi, ſaltem corpora iuſtorum, nam circa damnatos diſſenſio eſt inter Doctores, An ipſorum corpora reſurrectura ſint integra. Mihi probabilius dicendum videtur reſurrectura integra, tum quia Reſurrectio eſt opus Dei. Tum quia mutilatio non eſt pęna accomodata ſtatui alterius vitæ, alioquin quo quis magis peccauit, eo magis mutilus eſſe deberet. Ita S. Thomas, Valentia, Tannerus, & alij locis citatis, contra S. Bonauenturam in 4. diſt. 44. Durãdum ibidem, & alios negantes, reprobo, qui in hac vita mẽbro aliquo caruit, in Reſurrectione reſtituendũ eſſe illud membrum.

15 Rogabis quartò, Vtrum corpora reſurrectura ſint cum ijſdem accidentibus, quæ antea habebant.

Reſpondeo, reſurrectura eſſe cũ ijſdem accidentibus, ijs præſertim, quæ ſunt aliquo modo intrinſeca naturæ; nam licet accidentia non ſpectent intrinſecè, & eſſentialiter ad ſubſtantiam compoſiti ſubſtãtialis, & compoſitũ ſubſtantiale cum alijs accidentibus ſimilibus reproduci poſſit; ad perfectam tamen Reſurre-

ctionem facere videtur, vt illa eadẽ accidentia, quibus compoſitum illud ſubſtantiale indiget, reproducãtur, præſertim cum æquè facilè ſit Deo reproducere eadem accidẽtia, ac ſimilia, vt benè Suar. diſp. 44. ſect. 3. & Henriquez in ſumma lib. vlt. de fine hominis cap. 26.

Ex quo ſequitur corpora reſuſcitanda eſſe cum primis qualitatibus, caloris ſcilicet, frigoris, humiditatis, & ſiccitatis, ſimulq; cum potentijs vitæ animalibus, videlicet cum potẽtia generatiua, nutritiua, & augmentatiua; non tamen iſtæ potentię in actum ſecundum prodibunt, quia exerceri non poſſunt ſine corruptione; *Mortui enim*, inquit Apoſtolus 1. Corinth. 15. verſ. 52. *reſurgent incorrupti*, & verſ. 42. *Seminatur in corruptione, reſurgent in incorruptione, ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.*

16 Dices, quomodo fieri poteſt, vt corpora damnatorum reſurgant perpetua, & incorrupta, cum tamẽ paſſibilia ſint, & igne, alijſq; rationibus torqueantur.

Reſpondeo, illa corpora ſupernaturali virtute conſeruari, ne intereãt igne in ipſa agente, alterante, & qualitatem dolorificam efficiente; ſicut enim Salamandra, magnes, aurum, & ſimilia naturali virtute in igne diutiſſimè ſeruãtur, ita etiam perpetuò diuina virtute ſeruari poſſunt corpora dãnatorum in igne Inferni, etiãſi dicamus ignem in ipſa corpora agere non ſolum tanquam cauſam naturalem, verum etiam tanquam inſtrumentum Dei; licet enim ignis naturali virtute æqualiter agat in corpora ſibi æquè propinqua, & æquè diſpoſita, tamen ignis Inferni inæqualiter agit nõ iuxta proportionem naturæ, ſed meritorum, conſequenter ipſe non aget actione merè naturali, ſed vt inſtrumentum Dei. Ita S. Aug. lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 9. & 10. Valentia tom. 4. diſp. 11. quæſt. 5. pun. 3. Leſſius lib. 13. de perfectionibus diuinis cap. 29. num. 209. Suarez 3. p. to. 2. diſp. 50. ſect. 5. ſub fin. Tannerus tom. 3. diſp. 4. q. 10. dub. 3. num. 57. & alij contra S. Thomam in 4. diſt. 44. q. 3. art. 1. quæſtiuncula 2. Capreolum, Caietanum, Palud. & alios aſſerentes ignem Inferni non imprimere calorem in corpora damnatorum, ſed ſolum producere ſpeciem intentionalem caloris, qua vehemens corporis combuſtio ſentitur abſque reali impreſſione caloris. Vide infra dicenda puncto 4.

17 Rogabis quintò, iuxta quam ætatem homines reſurrecturi ſint.

Reſpondeo, homines ſaltem iuſtos reſurrecturos eſſe in vigore iuuenilis ætatis, quem circa annum trigeſimum habuerunt, vel habituri fuiſſent, ſi ad illud vſq; tempus vixiſsẽt. Ratio eſt, tum quia ſic colligitur ex illis verbis Apoſtoli ad Epheſ. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Christi.* Dicitur autem plenitudo, ſeu perfectio ætatis, dum corpus peruenit ad perfectum augmentum, quod naturalibus animæ viribus non impeditis, ſed perfectè operantibus obtineri poteſt, quod vt plurimum contingere conſueuit circa trigeſimum ætatis annum. Tũ quia Reſurrectio eſt opus Dei; opera autem Dei perfecta ſunt, & vigor iuuenilis ætatis facere videtur ad perfectionem corporis.

poris. Tum quia veroſimile eſt Adamum ea ætate creatum fuiſſe. Ergo credendum videtur etiam homines in ea ætate reſuſcitandos eſſe. Ita communiter Theologi in 4. diſt. 44. adhærentes auctoritati S. Auguſtini lib. 22. de Ciuitate cap. 15.

Dixi in reſponſione, ſaltem homines iuſtos, nam de impijs, in quonā vigore ætatis reſurrecturi ſint, non adeo certum eſt. Aliqui enim putāt etiam impios in vigore iuuenilis ætatis reſuſcitandos eſſe. Alij aſſerunt incertum eſſe. Alij arbitrantur reſurrecturos in ea ætate, in qua perierūt.

18 Rogabis ſextò, iuxta quam corporis ſtaturam homines reſurrecturi ſint.

Reſpondeo, reſurrecturos eſſe in ea corporis ſtatura, quam quiſque iuxta proprium temperamentum, & facultatem naturalem conſequi potuiſſet, ſi nullum adfuiſſet impedimentum vſque ad iuuenilem ætatē. Ita communiter Doctores; ſicq; colligitur ex loco illo Epheſ. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*. Quamobrem Sotus in 4. diſt. 44. ar. 5. benè ait Deum ſuppleturum quod cuique deerit, aut relicturum tāquā ſuperfluū quod ſupererit, & quidē gigantes in ea cōſtituētur corporis ſtatura, quæ propriæ ipſorū naturæ accōmodata eſt; quāuis .n. Chriſtus illam non attigerit ſtaturam, nihil tamē abſurdi eſt aliquos inueniri proceriores Chriſto; gigantes tamē, qui vitio naturæ ad immodicam proceritatem peruenerunt, reformabuntur; & pigmæi, ſeu exigui homines, in quibus natura ob vitiū aliquod defecit, ad debitam corporis ſtaturā, Deo materiam ſupplente, redigētur. Ita communiter Doctores.

Obijcies, Chriſtus eſt cauſa exemplaris noſtræ reſurrectionis. Ergo nos reſurgere debemus in ea corporis menſura, in qua Chriſtus reſurrexit; Imago enim ſimilis eſſe debet prototypo, ſeu exemplari.

Reſpondeo, ad rationem cauſæ exemplaris nō requiri æqualitatem, ſed ſufficere proportionem. Ratio eſt, tū quia alioquin ſequeretur corpora Beatorum futura eſſe omninò ſimilia corpori Chriſti in figura, pulchritudine, alijsq; omnibus corporis ornamentis, quod tamen eſt falſum. Tum quia animæ aliorum Beatorum non habent eādem perfectionem, quam habet Chriſtus, non ſolū in gratia, & gloria, verum etiam in natura. Ergo neque opus eſt, vt corpora aliorum Beatorum habeāt magnitudinem æqualem corpori Chriſti; ſed habeant magnitudinem accommodatam ſuę naturali perfectioni; atque adeò fieri poteſt, vt aliqua Beatorum corpora ſint minoris, alia maioris magnitudinis iuxta exigentiam ſuæ naturalis perfectionis; quęlibet enim anima habet corpus ſuæ naturali perfectioni accommodatū, idque perfectioni Chriſti non repugnat, vt benè S. Auguſtinus lib. 22. de Ciuitate cap. 15. S. Thomas in 4. d. 44. quæſt. 3. art. 2. Suarez 3. parte tom. 2. diſp. 50. ſect. 5. col. 3. Sotus loco citato, Tannerus num. 53. Henriquez loco citato, Martinus Roas de ſtatu Beatorum ca. 1. & alij communiter.

19 Rogabis ſeptimò, quam vultus, & corporis effigiem habituri ſint homines poſt Reſurrectionem.

Reſpondeo, habituros effigiem præcedentem, alioquin inter ſe dignoſci non poſſent; Beati tamen carebunt omni deformitate, ruga, & macula, quæ vitio naturæ contrahi poteſt. Ideo Æthiopes non reſuſcitabuntur nigri, neque inſulares pallidi; nam illorum color, vel ex nimia ſolis exuſtione, vel ex aeris intemperie prouenit; calorem igitur habebunt nitidum, & naturali ſuæ perfectioni accommodatum, ſplendoriq; & doti claritatis aptiſſimum. Ita Sotus in 4. diſt. 44. quæſt. vnica art. 3. Tannerus loco citato num. 52. Suar. d. 50. ſect. 5. col. 3. Henriquez loco citato, Martinus Roas cap. 1.

20 Quæres quartò, quænā ſit cauſa Reſurrectionis.

Reſpondeo, cauſam materialem eſſe ipſamet corpora, quæ ad vitam iterum excitantur. Cauſa formalis eſt ipſa actio, per quam idem corpus reproducitur. Cauſa finalis eſt gloria Beatorū, & maximè gloria Dei. Cauſa efficiens primaria, & principalis, eſt ſolus Deus; Reſurrectio enim eſt propriè opus Dei, cum idem numero effectus viribus naturæ reparari non poſſit, vt communiter in phyſicis traditur à Doctoribus.

21 Maior difficultas eſt, Primò, de cauſa efficiente proxima, & minus principali.

Reſpondeo, cauſam efficientem proximam, & inſtrumentalem phyſicam eſſe Chriſtum. Tum quia ſic apertè colligitur ex multis ſcripturæ locis, Ioannis 5. *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocē Filij Dei, & procedent, qui bona fecerūt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerūt, in reſurrectionem Iudicij.* Theſſal. 4. *Ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo, & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi.* Tum quia diſpoſitiones corporis, & vnio animæ ad corpus efficientur à Chriſto, ſicut ab ipſo per lutum, & ſputum perpetrata ſunt miracula, & nunc per verba cōſecrationis à Sacerdote prolata efficitur tranſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti, & vini in ſanguinem.

Obijcies primò, non poteſt aſſignari actio, ſeu inſtrumentum proximum, quo Chriſtus effecturus ſit Reſurrectionem noſtrā. Ergo Chriſtus non erit cauſa phyſica noſtræ Reſurrectionis.

Reſpondent aliqui Chriſtum effecturum Reſurrectionem noſtram per ſuam Reſurrectionem.

Mihi probabilius dicendum videtur Chriſtum effecturum Reſurrectionem per ſolam ſuam volūtatem, iuxta illud, *Quos vult viuificat*; & licet voluntas humana Chriſti diſtet à terra; tamen vt inſtrumentum Dei non ſolum agere poteſt in propinquum, verum etiam in diſtans. Ita Suarez diſp. 50. ſect. 4. ſub finem.

22 Obijcies ſecundò, Reſurrectio fiet voce Archangeli. Ergo Archangelus ipſe erit cauſa inſtrumentalis, ſicut Sacerdos proferens verba conſecrationis dicitur efficere tranſubſtantiationem.

Reſpondeo, Archangelum, imò etiam alios Angelos futuros eſſe cauſas inſtrumentales tāquā miniſtros, & tanquam inſtrumenta Chriſti ad efficiendam Chriſti Reſurrectionē; Chriſtus enim vtetur miniſterio Archangeli, Primò ad excitandos mortuos voce, & ſono tubæ, 1. Theſſal.

6. & 1. Corinth. 15. *In voce Archangeli, & in tuba Dei, &c. Canet enim tuba, &c.*

23 Hanc porrò vocem, quę non à Chriſto, ſed ab Angelo iuſſu, & imperio Chriſti proferetur (nam prolatio talis vocis potius ad miniſtrũ, & pręconem, quam ad principem, & iudicẽ ſpectat, vt benè Suar. d. 50. ſect. 4. col. 5.) futuram eſſe ſenſibilẽ communiter docent Patres, & Doctores. Imò aliqui probabiliter putant futuram eſſe articulatam, nempè illam, vel ſimilem illi, quæ refertur à S. Hyeronimo in regula Monacorum cap. 30. *Surgite mortui, & venite ad iudicium.* Tuba verò erit inſtrumentum corporeum, in modum tubæ factum ex ære, vel erit ipſa vox Angeli, ſeu Angelus ipſe voce inſonans in corpore ex aere fabricato, vt multi Doctores arbitrãtur apud Suarez diſp. 50. ſect. 4. col. 4.

24 Mortui autem dicẽtur audire vocem tubæ, quia ſtatim illi voci obedient, egrediendo è ſepulchro; res enim inanimatæ tunc dicuntur vocem Dei audire, dum faciunt id, quod eis à Deo præcipitur, & ſicut vox magna ſono ſuo excitare ſolet dormientem, & ſimul ab illo excitato audiri, ita vox Chriſti mortuos ſuſcitabit. Ita S. Thomas 3. par. quæſt. 76. artic. 2. ad ſecundum, Suarez loco citato, Valentia tom. 4. d. 11. q. 3. pun. 2. col. 2.

25 Secundò, Chriſtus vtetur miniſterio Angelorum ad congregandos cineres, ſeu materiam reſurgentium ad locum Reſurrectionis, nam Matth. 24. dicitur, *Et mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce, & congregabunt electos à quatuor ventis.*

26 Si petas, Vtrum ſoli Angeli boni, vel etiam mali huic operi miniſtraturi ſint.

Reſpondeo cum Suarez diſp. 50. ſect. 4. col. 7. & Tannero tom. 4. diſp. 2. quæſt. 4. dub. 2. num. 61. veroſimilius eſſe hoc miniſterium præſtandum eſſe ſolum à bonis Angelis; nã reſurrectio eſt bona, & propria Chriſti actio; Dęmones autem non videntur digni, & idonei miniſtri tam excellentis actionis Chriſti; valdè tamen credibile eſt Angelos Cuſtodes hoc officium obituros erga fidei ſuę commiſſos. Et aliqui non improbabiliter putant etiam Dęmones id facturos erga eos, quos vicerunt; Sed oppoſitum in hac vltima parte probabilius eſt, vt iam probaui.

27 Rurſus ſi petas, Vtrum Angeli collecturi ſint cineres, ſeu materiam actione, ſeu virtute naturali, an ſupernaturali.

Reſpondeo, collecturos virtute naturali; nam cõgregatio cinerum fiet per motum; ſed motus eſt naturalis Angelo. Ergo congregatio cinerum fiet ab Angelis per actionem naturalem prouenientem ab efficaci voluntate Angeli, ſeu ab eius virtute motiua, vt benè Suarez diſput. 50. ſectione 4. columna 7. & Valentia tomo 4. d. 11. quæſt. 3. puncto 2. ad finem.

28 Si deniq; petas, quomodo Angeli internoſcere, & diſcernere poſſint cineres, & materiam ſingulorũ ſuſcitandorum. Suarez loco citato probabiliter putat Angelos id cognoſcituros ſciẽtia naturali, ſeu memoria retenta rei, quam prius exiſtentem vidit; præſertim enim verò ſi ille ſit vniuſquemq; Angelum col-

lecta-

lecturum eſſe materiam illius, cuius habuit curam, & cuſtodiā. Sed quicquid ſit de hac ſententia, cēſeo Angelos id acturos naturali ſcientia, aut etiam ſupernaturali, quatenus opus fuerit; cum enim reſuſcitatio ſit propria Dei actio, credendum eſt Angelos ad illam cooperaturos non ſuo arbitrio, ſed iuxta diuinam voluntatem eis reuelatam.

29 Secundò Difficultas eſt, Vtrū Chriſtus ſit etiam cauſa meritoria Reſurrectionis.

Reſpondeo affirmatiuè. Tū quia 1. Corint. 15. dicitur, ***Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem Reſurrectio mortuorum, & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur***, vita ſcilicet non ſolum ſpirituali, verum etiā corporali. Tum quia Chriſtus eſt cauſa meritoria beatitudinis. Ergo etiam Reſurrectionis, ſine qua corpus non eſt capax beatitudinis; & hoc militat non ſolū in Reſurrectione iuſtorum, verum etiam in Reſurrectione damnatorum; modo Reſurrectio conſideretur, non vt cedit in maiorem ipſorum pœnam, & afflictionem, ſed ſecundum ſe, vt eſt via ad beatitudinem, vel vt eſt actio ſupernaturalis. Ita Suarez d. 50. ſect. 4. Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 4. dub. 2. num. 57. & alij.

30 Tertiò Difficultas eſt, Vtrum Chriſtus ſit etiam cauſa exemplaris Reſurrectionis.

Reſpondeo Chriſtum eſſe perfectiſſimum exemplar Reſurrectionis iuſtorum. Ratio eſt, tum quia ad Philipp. 3. dicitur, *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratū corpori claritatis ſuæ.* Roman. 6. *Si complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & Reſurrectionis erimus.* Tum quia primum in vnoquoque genere eſt cauſa cęterorum; Chriſtus autem eſt primus in genere reſurgētium ad immortalem vitā, 1. Corint. 15. *Primitiæ dormientium factus, ſicut in Adā omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur*, vnuſquiſq; autem in ſuo ordine primitiæ Chriſtus, deinde ij, qui ſunt Chriſti. Tum quia illa eſt cauſa exēplaris, ad cuius imitationem producitur aliquis effectus; ſed Reſurrectio noſtra fiet ad imitationē Reſurrectionis Chriſti; ſicut enim anima Chriſti per Reſurrectionem ſubſtantialiter vnita fuit corpori, ita etiā anima noſtra vnietur ad imitationem illius.

Dixi, iuſtorum, vt indicarē Chriſtum nō eſſe exemplar Reſurrectionis damnatorum. Ratio eſt, quia Reſurrectio damnatorum non fit, vt ipſi repræſentent Chriſtum, & vt ei ſimiles ſint, & dotes glorioſi corporis habeant, ſed quia ita poſtulat diuina prouidentia, & iuſtitia. Ergo Chriſtus nō eſt propriè cauſa exemplaris Reſurrectionis damnatorum; nam vt res aliqua ſit exemplar alterius, opus eſt, vt altera fiat cauſa repręſentationis, ſeu imitationis alterius, vt benè Suarez diſp. 50. ſect. 5. col. 6. verſ. ex ijs.

Ex quo licet inferre cōtra Suarez col. 4. Chriſtum non futurum cauſam exemplarē Reſurrectionis Infantium in originali peccato decedentium.

31 Quæres quintò, Vbinam facienda ſit Reſurrectio mortuorum.

Reſpondeo faciendam eſſe in eo loco, in quo fuerit totum corpus, aut

maior,

maior, vel præcipua pars. Tum quia ſic colligitur ex illo Ezechiel. 37. *Aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris.* Ioann. 5. *Omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei, & procedent.* Tum quia qui hactenus ſurrexerunt, in eo loco reſurrexerunt, in quo erant ipſorum corpora, vel ſaltem maior, vel præcipua pars. Tum quia ſicut vnaqueque res ibi generatur, vbi ipſius materia præexiſtit, nam quantitas, & locus conſequũtur materiã. Ergo vnuſquiſque reſurget, vbi ipſius materia extiterit. Quod ſi detur caſus, vt corpora aliquorum maiori ex parte in aerem reſoluta fuerint, ita vt ipſorum materia exiſtat in regione aeris, aut ignis, aut in profundo maris, nihil abſurdi eſt dicere reſurrectionem ibidem eſſe faciẽdam, aut potius in loco terræ propinquo; nam ſuſcitatio mortuorum, & corũ congregatio tam ſubito fiet, vt nullũ inconueniens inde timeatur. Prętcrea ſi detur caſus, & ex parte materiæ non adſit peculiaris ratio, ob quam reſurrectio potius in vno, quã in alio loco fieri debeat, ad diuinã prouidentiam ſpectabit ſtatuere, vt fiat vel in loco iudicij, vel alibi, prout ipſe Deus voluerit. Ita Ricardus in 4. d. 43. art. 5. quæſt. 3. Valentia tom. 4. diſp. 11. q. 3. pun. 2. col. 3. Suarez ſect. 7. citata ad fin. Tannerus num. 63. & alij, contra Sotum in 4. diſt. 43. quæſt. 2. art. 5. ſimpliciter exiſtimantem faciendam eſſe in Valle Ioſaphat, Angelis oſſa, ſeu materiam hominum ſuſcitandorum eo transferentibus.

32 Quæres ſextò, Vtrum Reſurrectio omnium mortuorum ſimul tẽpore, an ſucceſſiuè futura ſit.

Reſpondeo, Reſurrectionem omnium ſimul, & in eodem momento faciendam eſſe. Ratio eſt, tum quia 1. Corinth. 15. dicitur, *Omnes quidẽ reſurgemus in momento, in ictu oculi, in nouiſsima tuba; canet .n. tuba, & mortui reſurgent incorrupti.* Tũ quia ſucceſſio non eſt neceſſaria neq; ex parte diuinæ potẽtiæ, neq; ex parte actionis, neque ex parte ſuſcitandorum. Ergo ſucceſſio admittenda nõ eſt in Reſurrectione mortuorum. Ita cõmunior Theologorũ ſententia in 4. diſt. 43.

Obijcies, 1. Theſſal. 4. dicitur, *Mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi.* Et 1. Corint. 15. *In Chriſto omnes viuificabuntur, vnuſquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus, deinde ij, qui ſũt Chriſti, deinde finis.* Ergo ſignũ eſt in Reſurrectione ſeruandum eſſe aliquem ordinem, & prius ſuſcitandos eſſe iuſtos, quam impios; nam illæ particulæ, *primi,* & *deinde*, ordinem, ſeu ſucceſſionem temporis ſignificant.

Reſpondeo ad primum locum illam particulam, *primi*, non indicare ſucceſſionẽ tẽporis, ſed dignitatis.

Ad ſecundum locum, Reſpondeo illis particulis ſignificari quidẽ ſucceſſionem temporis, non inter reſurrectionem aliquorum, & aliorũ, ſed inter reſurrectionẽ, & raptum. Nam mortui prius reſurgent, & poſtea rapiẽtur in aera obuiã Chriſto.

33 Rogabis, Vtrum reſurrectio omnium mortuorum futura ſit eadẽ Iudicij die, & non antea.

Reſpondeo futuram eadem Iudicij die. Tum quia Iob 19. dicitur, *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum.*

Ioan.

Ioan. 6. *Reſuſcitabo eum in nouiſsimo die*, & Ioann. 11. *Scio quia reſurget in Reſurrectione in nouiſsimo die*; nomine autem diei nouiſſimi omnes Patres intelligunt poſtremum diem, in quo generale Iudicium fiet. Tũ quia reſurrectio omnium bonorum, & malorum facienda eſt eodem momento, vel ſaltem intra breuiſſimum tẽpus. Nam Ioan. 15. dicitur, *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei, & procedent, qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ; qui autem mala, in reſurrectionem Iudicij*. Ergo vtrumque fiet eadem hora. Et 1. Corinth. 15. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur, in momẽto, in ictu oculi, in nouiſsima tuba, canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur*.

Ex quo patet falſam eſſe hæreticorum ſententiam, aſſerentium reſurrectionem iuſtorum futurã eſſe mille annis ante Iudicij diem. Ita S. Thomas in 4. diſt. 43. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 1. Sotus ibid. q. 2. art. 1. Suar. 3. p. tom. 2. d. 50. ſect. 8. vbi etiam reſpondent dictis Prophetarum, & verbis Apocalipſ. Aliqua .n. metaphoricè intelliguntur, aliqua intelliguntur de reſurrectione ſpirituali, quæ fit per gratiam, & in aliquibus ponitur tempus determinatũ, & definitũ pro indeterminato, & indefinito.

34 Quæres ſeptimò, quo tempore futura ſit reſurrectio mortuorum.

Reſpondeo, nihil certi in hac re definiri poſſe. Tum quia nobis reuelatum non fuit, quo tempore futura ſit reſurrectio. Tũ quia Matth. 24. dicitur, *De die illa, & hora nemo ſcit*, & Lucæ 12. dicitur, *Qua hora non putatis, Filius hominis veniet*. Ita cõ. DD. præſertim ij, quos referã pun. 2. §. 4.

Ex quo ſequitur primò, ſententiam Anſelmi in elucid. Macharij homil. 5. & 12. & aliorum aſſerentium Chriſti Reſurrectionem futuram in die Paſchatis, & quidem menſe Aprilis, vt ait Macharius, *Dum omnia florere incipiunt, incertam eſſe*.

Secundò, incertum eſſe, qua hora reſurrectio noſtra futura ſit; indefinitè tamen loquẽdo, probabilius eſt futuram potius matutino tempore, quàm media nocte. Tum quia id cedere videtur in maiorem iuſtorum gloriam, & confuſionẽ damnatorũ. Tũ quia reſurrectio magis proportionata eſt tempori lucis, quàm tenebrarum. Tum quia Chriſtus eſt exẽplar noſtræ Reſurrectionis; ſed Chriſtus ſurrexit ſummo diluculo. Ergo etiam nos reſurgemus ſummo diluculo. Ita S. Thom. in 4. diſt. 43. S. Bonauẽt. Capreol. Durãd. Palud. ibid. Valent. to. 4. q. 11. pun. 2. ſub fin. Suarez 3. p. to. 2. d. 50. ſect. 10. Tanner. to. 4. d. 2. q. 4. dub. 2. n. 70. & alij, contra S. Ambroſ. lib. 8. in Luc. S. Hyeron. ep. 152. S. Chryſoſt. hom. 79. in Matt. & alios, aſſerentes Reſurrectionem futuram media nocte.

Obijcies, Matth. 25. dicitur, *Media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit, exite obuiam ei*; nomine autem clamoris intelligit nouiſſima tuba, iuxta S. Auguſt. in li. de gratia noui, & veteris Teſtamenti; ſi ergo clamor nouiſſimæ tubæ faciendus eſt media nocte, ſequitur Reſurrectionem in media nocte futuram.

Reſp. cum eodẽ S. Auguſtino, & alijs cõiter, nomine noctis eo loci nõ intelligi tempus nocturnum, ſed tẽpus occultum, repentinum, & improuiſum,

uiſum, iuxta illud 1. Teſſal. 5. *Dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet; cum .n. dixerint pax, & ſecuritas, tūc repētinus eis ſuperueniet interitus*. Quia tamen credibile eſt ante horā Reſurrectionis præceſſura ſigna aliqua terribiliora ex ijs, quæ ſuperius recenſui, dici poteſt tēpus Reſurrectionis inchoādum intempeſta, ſeu media nocte; & hoc pacto intelligi poſſunt Patres in contrarium adducti.

Punctum Secundum.

De extremo Chriſti Iudicio.

IN hoc puncto explicabo primò, quotuplex ſit Iudicium, & an detur. Secundò, à quo faciendum ſit. Tertiò, quinam iudicandi ſint, & de qua re, ſeu materia. Quartò, quo in loco, & tempore faciendum ſit Iudicium. Quintò, quo apparatu. Sextò, quomodo cognoſcenda ſit cauſa, & proferenda ſententia.

Paragraphus Primus.

Quotuplex ſit Iudicium, & an detur.

1 *Iudicium quotuplex ſit.*
2 *Iudicium particulare dari quomodo probetur.*
3 *Sententia in particulari iudicio quo tempore proferetur.*
4 *Iudicium vniuerſale dari quomodo probetur.*

VNICA PROPOSITIO.

1 DAtur duplex iudicium, videlicet priuatum, ſeu particulare, & publicū, ſeu vniuerſale. Priuatum eſt illud, quod regulariter fit erga ſingulos in fine vitæ. Publicum eſt illud, quod cōgregatis omnibus fiet in extrema Iudicij die. Ita communiter Patres, & Doct. Catholici.

2 Quæres primò, quomodo probetur dari Iudicium particulare, & quàm certum ſit illud dari.

Reſpondeo, certum eſſe de fide. Primò, quia habetur in ſcriptura, Eccleſiaſt. 11. *Facilè eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuiq. ſecundū vias, & in fine hominis denudatio operum illius*. Secundò, quia de fide eſt homines iuſtos, qui nihil poſt hanc vitam purgandum habent, ſtatim recipere præmiū beatitudinis. 2. Cor. 5. *Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra hu'us habitationis diſſoluatur, quod ędificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis*, animas verò in mortali peccato morientes, ſtatim ad Infernum tranſmitti, vt ibi condignas luant pęnas, vt de diuite Epulone legitur Lucæ 10. ſed pręmiū, & pęna nō tribuitur niſi poſt ſētentiam à Iudice latam. Ergo & cęt. Tertiò, quia certum eſt de fide morte præſētis vitę finiri tempus merēdi & demerendi. Ergo tunc eſt opportuniſſimū tēpus, vt vnuſquiſq; de proprijs operibus iudicetur; nulla .n. ſubeſt ratio, ob quā præmiū, & pęna, & ipſum iudicium differatur. Ita S. Auguſtinus lib. 20. de Ciuitate cap. 1. & alibi. Chryſoſt. hom. 37. in Matt. Greg. lib. 4. Dialog. c. 36. & 38. & alij apud Suar. 3. p. to. 2. d. 54. ſect. 2. & apud Tan. to. 4. d. 2. q. 4. dub. 3. n. 77. Vide quæ ſup. tradidi d. 2.

Hinc ſequitur tā eos, qui ex hac vita cū mortali peccato decedūt, quā eos, qui abſq; vlla culpa moriuntur, ni-

Digitized by Google

nihilq; purgandum habet, ſtatim iudicari, & conſcios de ſua damnatione, vel ſalute fieri. Idem dici debet de animabus, quæ ad Purgatorium deſcendunt. Tũ quia ita definitum fuit à Leone X. cõtra articulũ 38. Luteri. Tum quia nulla afferri poteſt ratio, cur iudiciũ differatur, eiſq; Iudicis ſententia non manifeſtetur. Idem militat in pueris ad Limbũ deſcendentibus; hoc .n. pertinet ad immutabilitatem illius ſtatus. An aũt præfati pueri cognoſcãt cauſam, ob quã ad eum ſtatũ redacti ſunt, patet ex dictis de peccato originali in Tr. de Legib. & conſtabit ex infra dicẽdis pun. 4. Idem deniq; ſentiendum eſt de animabus Antiquorum Patrum, quæ ad Limbum deſcendebant. Ita Suar. d. 54. ſect. 2. col. 6. Tannerus loco citato n. 77. & alij.

3 Sed modò dubiũ eſt primò, quo tempore proferatur ſententia in hoc particulari Iudicio.

Reſpondeo regulariter loquendo proferri in ipſomet inſtanti mortis, quod eſt inſtans extrinſecum, in quo dicitur, nunc nõ eſt homo, immediatè ante fuit. Ratio eſt, tum quia illud eſt accommodatiſſimum tempus, vt vnuſquiſq; de proprijs actibus iudicetur; nam ante inſtans mortis non peragitur Iudicium, cum homo adhuc ſit in ſtatu merendi, & demerendi; neq; peragitur poſt illud inſtans, cum ſtatim ac anima ſeparatur à corpore, pręmium, vel pęnam operibus debitã recipiat. Tum quia Deus nõ indiget teſtibus, aut prolixa cauſæ diſcuſſione. Ergo iudicat in inſtanti mortis, cum illud ſit opportuniſſimũ tempus iudicandi.

Obijcies, Iudicium, & ſententia præcedere debent ſtatum retributionis, vel pęnæ; ſed anima in ipſomet inſtanti mortis recipit præmium, vel pęnã, ſiuè tunc exiſtat propè corpus in quo antea erat, ſiue in codẽ inſtanti cõſtituatur in Cęlo, aut in Inferno, vt probabile putat Suar. l. cit. Ergo ſententia, & iudicium ferri debuit ante inſtans mortis.

Reſpondeo, iudicium, & ſententiam ferri in inſtanti mortis, in quo anima præmium, vel pęnam recipit; prius tñ natura iudicium, & ſententiam ferri, & percipi ab anima, quã prẽmiũ, vel pęna ab ipſa recipiatur. Ita Suar. & Tanner. locis cit. contra Sotũ in 4. d. 45. q. 1. ar. 3. & S. Bonauent. in 4. d. 20. in 1. p. aſſerentes animam in inſtãti mortis manere iuxta corpus ſuum, ibiq; audire ſententiã, eaq; audita deferri in Cęlũ, vel in Infernũ, vt pęnam, vel prẽmiũ recipiat.

Dixi in reſpõſione primi dubij, regulariter loquẽdo, quia ſi loquamur de extraordinaria Dei prouidentia, certum eſt Iudicium aliquando differri, vt patet ex ijs, qui poſt mortẽ ad mortalem vitam iterum reuocati fuerunt; ante mortem verò Deus ex parte ſua nõ fert vltimam ſententiã; quamuis aliquando ad aliorum terrorẽ ſinat aliquos ante inſtans mortis in deſperationem labi, & Dęmonibus adeò affligi, ac ſi contra ipſos finalis ſententia prolata fuiſſet.

4 Quæres ſecũdò, quomodo probetur dari Iudicium Vniuerſale, & quàm certum ſit illud futurum.

Reſp. certum eſſe de fide. Primò, quia hic eſt fidei articulus, quẽ quotidie in Symbolo Apoſtolico, Niceno, & Athanaſij profitemur. Secundò, quia Matt. 13. dicitur, *Filius .n. hominis*

minis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet vnicuiq; ſecundum opera eius, 2. Corint. 5. & Romanor. 14. *Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, vt vnuſquiſque referat propria corporis, prout geſſit.* Rationes autem ad oſtendendū congruum eſſe, vt hoc Iudiciū fiat, plures afferuntur à Doctoribus. Prima eſt, quia ita expedit ad manifeſtandam Dei iuſtitiam; quāuis .n. diuina iuſtitia ſecundum ſe noſtro teſtimonio, & generali omnium congregatione non indigeat; vt tamen palam, & publicè omnibus innoteſcat, æquum eſt, vt Iudiciū coram omnibus exerceatur. Secunda eſt, quia quādiù in hac vita degim⁹, boni, & mali adeò permixti ſunt, vt vix diſcerni poſſint, praui frequēter exiſtimētur iuſti, & iuſti praui, praui proſperentur, & boni affligantur; conſentaneū igitur eſt æquitati iuſtitiæ, & diuinæ prouidentiæ, vt ſingulorum opera ſeuera quadā lance in generali Iudicio ponderentur, impiorum verſutia detegatur, & iuſtorum probitas magna cum laude pādatur, necnon omnibus notum ſit malos in vita ſua recepiſſe bona reſpōdētia pio alicui operi, quod fortè præſtiterunt; bonos verò recepiſſe mala temporalia pro maiori in via Domini progreſſu, vel pro leuioribus culpis, etiā quoad reatum pęnę in hac vita diluendis. Tertia quia cum nō ſolum anima, ſed homo integer peccet, & benè operetur, ęquū eſt, vt homo integer Iudicium, & præmium, ac pęnā operibus reſpondentem recipiat. Quarta eſt, vt homines conſcij generalis Iudicij, ad virtutē excitentur, & à prauis operibus retrahātur; *Quis enim* (inquit Clemens Papa Epiſt. 1. ad Iacobum) *peccare poterit, ſi ſemper ante oculos ſuos Dei Iudicium ponat, quod in fine Mundi certum eſt agitandum?* Vide S. Thomam 3. par. q. 5. art. 5. Suarez 3. par. to. 2. diſp. 53. ſect. 1. Valentiam to. 4. d. 11. q. 4. pun. 1. Tanner. to. 4. d. 2. q. 4. dub. 3. n. 81.

Obijcies primò, Nahum 1. dicitur, *Deus non Iudicabit bis in idipſum;* ſed homines iudicātur ſtatim in inſtanti mortis. Ergo non ſunt iterum iudicandi in fine Mundi.

Reſpondet S. Thomas art. 5. cit. ad 2. Deum non iudicaturum bis in idipſum, ideſt ſecundum idem, ſed ſecundum diuerſa.

Ego reſpondeo Deum non iudicare bis in idipſum, mutando priorem ſentētiam, vel duplicem pęnam præter meritum imponendo; bis tamen iudicare poteſt ad ſupplendam debitam pęnam, & ad ſententiā debito modo pronunciandam contra eum, qui quaſi ex parte ſolum iudicatus fuerat, vt benè Suarez 3. par. to. 2. d. 53. ſect. 1. ad finem, & alij.

Obijcies ſecundò, Ioannis 12. dicitur, *Nunc Iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Ergo Iudicium factum eſt, & non iterum eſt faciendum in fine Mundi.

Reſpondeo, hunc locum intelligi de Iudicio redemptionis, quo homo per primum Chriſti aduentum, eiuſque paſſionem à Diaboli poteſtate liberatus fuit, vt ibidem dicitur; nō autem de Iudicio retributionis, vel condemnationis.

Obijcies tertiò, Ioann. 3. dicitur, *Qui credit in eum, non iudicatur, qui autem non credit iam iudicatus eſt.*

Reſpondeo hunc locum intelligendum eſſe de Iudicio legis, non de Iudicio Iudicis, vt explicaui d. 2. dum loquerer de Chriſto Iudice.

Paragraphus Secundus.

A quo faciẽdum ſit Iudicium.

1 *Iudicium inuiſibili forma faciendum eſt à Deo, viſibili verò forma à Chriſto.*

2 *Iudiciariam poteſtatem competere Chriſto quomodo probetur.*

3 *Chriſtus meruit iudiciariam poteſtatem quoad vſum, & quoad eius manifeſtationem.*

4 *Chriſtus in hac mortali vita exiſtens non exercuit iudiciariam poteſtatem, ſed poſt Reſurrectionem ea vti cœpit.*

5 *Chriſtus in iudicio particulari non deſcendit de Cœlo ad animas iudicandas.*

6 *Animæ in iudicio particulari non vident Chriſtum, generaliter loquendo.*

7 *Iudiciaria poteſtas competit etiam Apoſtolis, & ijs qui paupertati voluntariè ſe dederunt.*

8 *Angeli non exercebunt iudicium circa homines.*

9 *Angeli non iudicabuntur ab hominibus iudicio propriè accepto, excepto tamen Chriſto.*

10 *Angeli mali iudicabuntur à bonis Angelis.*

11 *Iudiciaria poteſtas, aliquibus Sanctis peculiariter conceſſa in quonam conſiſtat.*

VNICA PROPOSITIO.

1 Iudicium primò, & principaliter, atq; ſecundum formã inuiſibilem faciendum eſt à Deo, ideſt ab omnibus tribus perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis. Ratio eſt, quia ſuprema, & abſoluta poteſtas iudiciaria connexa eſt cum ſupremo, & abſoluto dominio; ſed ſupremum, & abſolutum dominium omnium competit omnibus tribus perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis. Ergo &c.

Obijcies Ioann. 5. dicitur, *Pater non iudicat quemquã, ſed omne iudiciũ dedit Filio.* Ergo Iudicium non eſt commune toti Trinitati.

Reſpondet S. Thomas 3. p. q. 59. art. 1. Iudiciariã poteſtatem attribui Chriſto, quia ipſe eſt ſapientia Patris, conſequenter actus iudicandi ab ipſo procedit tanquam à propria ratione; quãuis .n. ad Iudicium tria requirantur, videlicet poteſtas, quę adſcribitur Patri; rectitudo quę tribuitur Spiritui Sancto; & ſapientia quæ eſt propria filij; actus tamen iudicandi pendet à ſapientia tamquam à propria iudicandi ratione, conſequenter Chriſto, ſeu filio Dei adſcribitur.

Ego verò reſpõdeo pręfatum locũ intelligi de Iudicio viſibili, quod competit Chriſto ſecũdum humanitatẽ. Ita S. Th. q. 59. art. 2. Suarez ibid. in comment. art. 1. col. 3. verſ. Altera, Tann. to. 4. d. 2. q. 4. dub. 3. n. 73. S. Auguſtinus, Tertullianus, & alij apud prægcitatos Doctores.

Ex dictis colligitur, Iudiciariam poteſtatẽ competere Chriſto non ſolum ſecundum diuinitatem, verum etiam ſecundum humanitatem.

2 Sed modò Dubium eſt primò, quomodo probetur Iudiciariã poteſtatem competere Chriſto ſecundum humanitatem, ita vt Chriſtus

verè,& propriè dicatur Iudex etiam ſecundum humanitatem.

Reſpódeo probari primò,ex ſcriptura Ioann. 5. verſ. 22. *Pater nõ iudicat quemquã, ſed omne iudicium dedit filio,* & verſ. 27. *Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt,* vel vt alijl egunt, *Qua filius hominis eſt,* ideſt ſecundum humanitatẽ,ſeu quatenus homo eſt,& Mat. 13. *Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de Regno eius omnia ſcandala.* & cap. 16. *Filius hominis venturus, eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet vnicu'q; ſecundũ opera eius.*

Secundò, quia Chriſtus ſecundũ humanã naturã eſt caput Eccleſiæ, & iuriſdictionem habet in omnem Eccleſiam. Ergo etiã habet poteſtatem iudicandi totã Eccleſiam; poteſtas .n. iudicandi alios competit illi, qui iuriſdictionem in ipſos habet.

Confirmatur quia Chriſtus titulo redemptionis acquiſiuit ius, & dominiũ in omnes, quos redemit, Romanor. 14. *In hoc Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, vt & viuorũ & mortuorũ dominetur.* Ergo illi cõpetit authoritas iudicãdi eos,quos redemit.

Tertiò, quia decet, vt Iudex hominum ſit Iudex eiuſdem naturæ,& Iudicium circa viſibiles homines ſit viſibile; id autem optimè competit Chriſto. Ergo maximè decet Chriſtum etiã ſecundum naturã homanã conſtitui Iudicẽ hominũ. Ita cõmuniter Patres,& Doctores Catholici.

Obijcies primo, ad Iudiciariam poteſtatem pertinet cõferre præmia benè agentibus, & inferre pęnas malè operãtibus; ſed hoc eſt proprium ſolius Dei. Præterea ad iudiciariam poteſtatem pertinet ſcrutari, & iudicare occulta cordiũ 1. Corint. 14. *Nolite ante tempus iudicare quoaduſq; veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*; iudicare autem occulta cordium pertinet ad Deum. Hierem. 17. *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans corda, & probans renes, qui do vnicuique iuxta viam ſuam.*

Reſpondeo primariam, & ſupremam auctoritatem iudicandi pertinere ad Deum, ſeu etiã ad Chriſtũ, vt Deus eſt; poteſtatem verò excellentiæ, quæ reſpectu ſuperioris eſt quaſi inſtrumentaria, datam fuiſſe Chriſto ſecundum humanitatẽ,iuxta illud Ioan. 5. *Poteſtatem dedit ei iudicium facere quia filius hominis eſt,* vel vt alij legunt, *Qua filius hominis eſt.* Ita Tertullianus lib. contra Praxeã cap. 21. & alij apud Suar. 3. p. to. 2. quæſt. 59. in comment. art. 2. col. 2.

Obijcies ſecundò, qui promulgat ſententiam à ſuperiore Iudice latã, non dicitur ferre ſententiam, ſeu iudicare; ſed Chriſtus fert ſententiam à Deo latam; ſcit .n. Iudicium Dei, & iuxta illud ſententiam profert.

Reſpondeo, Chriſtum authoritate, & poteſtate ſua ferre ſententiã,& Iudicium. Ratio eſt, tum quia Iudicium illud Dei habet ſe reſpectu Chriſti, vt ſe habet lex reſpectu Iudicis; ſicut aũt Iudex ſua authoritate, & poteſtate diſtincta à poteſtate legis, fert ſententiã, licet intueatur legẽ, & iuxta illam iudicet; ita Chriſtus ſua auctoritate, & poteſtate ſententiam profert. Tum quia Chriſtus non profert ſententiam more pręconis, dicendo, promulgo vobis ſentẽtiã Patris; ſed auctoritatiuè, dicen-

Digitized by Google

do, ite maledicti, & cęt. Ita Suar. d. 52. ſect. 1. col. 3. & 4. Tannerus loco citato num. 74. & alij.

3 Secundò Dubium eſt, Vtrum Chriſtus meruerit hãc iudiciariam poteſtatem.

Reſpõdeo meruiſſe quoad vſum, & quoad eius manifeſtationem. Ratio eſt primò, quia Apocalipſ. 3. dicitur, *Ego vici, & ſedi in Throno Patris mei*. Secundò, quia operationes Chriſti fuerunt infiniti valoris, & meriti. Ergo poteſtas iudicandi cadere potuit ſub meritum Chriſti. Tertiò, quia præfata poteſtas pertinet ad exaltationem nominis Chriſti; Chriſtus autem nominis ſui exaltationem meruit, vt probaui diſp. 2. q. 12. pun. 5. Ita S. Thomas 3. par. quæſt. 59. art. 3. Valentia to. 4. d. 1. q. 22. pun. 9. ad finem, Becanus de Incarnat. cap. 14. q. 5. n. 8. Suarez 3. p. to. 1. d. 40. ſect. 3. & to. 2. d. 52. ſect. 1. ad finem, Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 4. dub. 3. num. 75.

Obijcies, quod datur ex debito quaſi connaturali, nõ datur ex meritis; poteſtas autem iudicãdi data eſt Chriſto ex debito connaturali. Nã ratione vnionis hypoſtaticæ factum eſt, vt homo eſſet Deus, conſequenter vt eſſet caput omnium, atq; adeò ei debita eſſet poteſtas iudiciaria. Præterea quãdo principale non cadit ſub meritũ, neq; cadunt quę cum ipſo principali cõnexa ſunt; poteſtas autem Iudiciaria videtur intrinſecè cõnexa cum vnione hypoſtatica, quã conſtat non cadere ſub meritum.

Reſpõdeo, hinc ſolum colligi poteſtatem iudiciariam in actu primo non cadere ſub meritum. Tũ ob allatã rationem. Tum etiam quia iudiciaria poteſtas ſecundum ſe, & quoad ſubſtantiã eſt prius natura, quam meritum (ea .n. quæ ſunt cõnaturalia ordine naturę ſunt priora liberis, cuiuſmodi eſt meritũ) conſequẽter nõ cadit ſub meritum; quo ad vſũ tamen, & quo ad actualẽ poſſeſſionẽ, vel etiã quoad manifeſtationẽ, poteſtas Iudiciaria cadere poteſt ſub meritũ, vt probatum eſt, idemq; docẽt Suarez, Tannerus, & alij locis cit.

4 Tertiò Dubiũ eſt, Vtrũ Chriſt⁹ in hac vita iudiciara poteſtate vti cęperit, ſeu quãdonã illa vti cęperit.

Reſp. Chriſtum, dum in ſtatu vitę mortalis exiſteret, hanc poteſtatem non exercuiſſe. Ratio eſt, tum quia ipſe tunc potius voluit iudicari, quã iudicare. Tum quia Ioan. 3. dicitur, *Non miſit Deus filium ſuũ in Mundum, vt iudicet*, (ideſt in hoc aduẽtu) *Mũdum, ſed vt ſaluetur Mundus per ipſum*. Et Ioannis 12. *Si quis audierit verba mea, & nõ cuſtodierit, ego non iudico eũ* (ideſt in hoc aduentu) *Non .n. veni, vt iudicem Mundũ, ſed vt ſaluificẽ mundum*. Dicendum ergo eſt, Chriſtum cępiſſe vti hac poteſtate poſt reſurrectionẽ, dum conſtitutus fuit in ſtatu glorioſo, & dũ ipſe dixit, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cęlo, & in terra*; tunc .n. deſijt eſſe in ſtatu paſſibili, & humili, & cõſtitut⁹ fuit in ſtatu regnãtis, & dominãtis. Imò dicendũ videtur ipsũ hac poteſtate cępiſſe vti ſtatim poſt mortẽ, quia tunc cõſumauerat opus redẽptionis, & Dęmonẽ deuicerat. Ita Suar. d. 52. ſect. 2. ad fin. Tann. to. 4. d. 2. q. 4. dub. 4. n. 80.

5 Quartò Dubium eſt, quomodo Chriſtus Iudicium particulare exerceat, an ſcilicet Chriſtus de cęlo deſcendat ad iudicandas animas, vel

vel animæ in Cœlum deferantur ad audiendam Chriſti ſententiam.

Reſp. Chriſtum non deſcendere in Iudicio particulari ad iudicandū animas. Tum quia alioquin in perpetuo quaſi motu eſſe deberet. Imò neceſſarium eſſet ipſum pluribus in locis eſſe, cum ſępius cōtingat multos homines iuſtos, & impios ſimul ex hac vita decedere. Addo neque animas ad cęlum deferri, vt ſententiam audiant. Tum quia id repugnat animabus damnatorum. Tum quia tam Aduentus Chriſti ad animam, quā delatio animæ ad Chriſtum, neceſſarius non eſt ad proferendam ſententiam; ſatis enim eſt, vt Chriſtus illā proferat, & anima in inſtanti mortis per intellectualem locutionem, vel illuminationem eleuetur ad illam audiendam abſque locali mutatione. Tum quia animæ ſanctæ, & purgatæ ſtatim poſt mortem rapiuntur in Cęlum; animæ verò damnatæ ſtatim in Inferno cōſtituūtur, iuxta illud Iob, *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad Inferna deſcendunt.* Ergo Chriſtus non deſcendit, nec anima in cęlum aſcendit ad ſententiam audiendam. Ita Abul. Matt. 24. q. 239. Suar. 3. p. tom. 2. d. 52. ſect. 2. col. 7. & 8. Martinus Roas de ſtatu anim. Purg. Tann. to. 4. d. 2. q. 4. dub. 3. n. 79. & alij, contra Innoc. III. lib. 2. c. 43. de cōtemptu Mundi, & Ludulphum Carthuſianum to. 3. ca. 46. aſſerentes Chriſtum de Cœlo deſcendere ad animam iudicandam.

Obijcies primò, Matth. 13. & 24. dicitur, *Vigilate ergo, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit*, & 1. ad Tim. 6. dicitur, *Vt ſerues mandatū ſine macula irreprehenſibile vſq; in aduentū Domini noſtri Ieſu Chriſti*, ideſt vſque ad diē mortis. Ergo Chriſtus in articulo mortis aduenit.

Reſp. hæc loca nō intelligi de reali, & locali Aduentu Chriſti ad animas, ſed de Aduentu obiectiuo, & intellectuali, quo anima cognoſcit ſe iudicari, & dānari, vel ſaluari imperio, & efficacia, non ſolum Dei, verū etiam ipſius Chriſti, & hic eſt aduentus Chriſti in particulari iudicio, & delatio animæ ad Tribunal Chriſti, vt benè inquiūt præcitati Doctores, qui hoc pacto intelligendos putant Patres loquentes de aduentu Chriſti in particulari iudicio.

Obijcies ſecundò, anima in articulo mortis videt Chriſtū, iuxta illud, *Videbunt in quē tranſfixerunt*; vel ergo Chriſtus deſcendit ad indicandas animas, vel animæ ad Chriſtum in Cęlum deferuntur.

6 Reſpondeo vniuerſaliter loquēdo, animas in articulo mortis non videre Chriſtum; locus autem ille intelligitur de Iudicio vniuerſali, non de particulari, in quo etiam animæ iuſtæ, & ſanctæ prius prioritate naturæ iudicātur, quam videant Deū.

7 Quintò Dubium eſt, vtrum poteſtas Iudiciaria competat alijs prę ter Chriſtum.

Reſp. affirmatiuè. Primò .n. competit Apoſtolis, ita vt ipſi vna cum Chriſto ad Iudicium acceſſuri ſint, iuxta illud Matth. 19. *Amen dico vobis, quod vos qui ſequuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede Maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes iudicantes duodecim Tribus Iſrael.* Idē habetur Lucæ 22. verſ. 28. Idéq; cōiter tradunt Doct. Secundò, competit ijs, qui voluntariam paupertatem

tè propter Chriſtum profeſſi ſunt, modo cũ volũtaria paupertate inſignem vitę ſanctimoniã cõiunxerint, Chriſtũ perfecta quadã imitatione ſectantes. Ratio eſt,tũ quia Iudiciaria poteſtas collata fuit Apoſtolis, eo quod reliquerint omnia,& ſecuti fuerint Chriſtũ,iuxta illud Matt. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* & cęt. Ergo etiam alijs relinquentibus omnia propterChriſtũ,ipſumq; ſequẽtibus cõceſſa videtur poteſtas Iudiciaria, cũ par ratio in omnibus inueniatur. Tũ quia congruum eſt, vt qui ſe humiliant,& cõtemnũt tẽporalia, quibus aliqui iudicia peruertere cõſueuerũt,exaltẽtur, & ad iudicãdũ adhibeantur. Ita S. Th. in 4. d.47.q.1. art.2. Abul. c.19. Matt.q.205. Suar. 3. p. to. 2. d. 57. ſect. 4. col. 4. & 5. Tanner. to.4. d.2. q.4. dub.4.n.111. Valent. to. 4. d. 11. q. 4. pun. 2. col. 4. Henriq. in ſumm. lib.vlt. c. 27.& alij cõiter, contra Ricardũ de S. Victore in Tract. de poteſtate Iudiciaria,negantẽ hanc poteſtatẽ cõpetere alijs præter Apoſtolos. Tertiò, nonnulli putant hanc poteſtatẽ conceſsã fuiſſe omnibus Sãctis in Eccleſia canonizatis. Sed hoc mihi non probatur, quia neſcio quo fundamẽto nitatur;canonizatio.n.ſupponit quidẽ veram ſanctitatẽ, ſed nõ conſtituit dignũ iudiciaria poteſtate. Quartò,nõnulli arbitrãtur hanc poteſtatẽ collatam fuiſſe omnibus ijs, qui magnã virtutis perfectionẽ in hac vita cõpararunt,ſiue ſint viri veteris,ſiue noui teſtamenti; hoc idẽ aliqui adſcribunt martyribus, quia vno actu perfectionem compararunt.

8 Rogabis primò, Vtrũ Angeli vna cũ Chriſto Iudicium exercituri ſint circa homines.

Reſpõdeo negatiuè, quia Iudices aſſeſſores debent eſſe eiuſdẽ naturæ cũ eo, cuius ſunt aſſeſſores,& cũ ijs, qui iudicandi ſunt; Angeli autẽ nullo modò ſunt ſenſibiles,& sũt diuerſæ naturæ,tã à Chriſto,quam à Iudicandis. Ita communiter Doctores.

9 Dices,homines iudicabũt Angelos, quãuis nõ ſint eiuſdẽ naturæ. Ergo etiã Angeli iudicare poſsũt homines, licet diuersã habeãt naturã.

Reſpondeo negãdo,homines, excepto Chriſto, iudicaturos Angelos iudicio propriè accepto, vt patet ex allata ratione; iudicio verò impropriè accepto, quod cõſiſtit in cõſenſu,& in approbatione Iudicij à Chriſto exerciti,& ſẽtẽtiæ à Chriſto prolatæ,poſsũt Angeli ab hominibus,& homines ab Angelis iudicari,quia in hoc nulla reperitur repugnantia.

Dixi, excepto Chriſto, quia perſpicuũ eſt Chriſtũ poſſe iudicium in Angelos exercere; nã ipſe eſt caput, & dominus Angelorũ. Quãquam in extremo Iudicio Angeli directè, & propriè non iudicabuntur, vt conſtabit ex dicendis §. 3. num. 6.

10 An autem mali Angeli à bonis ſint iudicandi.

Reſpondeo affirmatiuè,quia ſunt eiuſdẽ ordinis,& naturæ. Ita Suar. d. 57. ſect. 4. ſub finem,Tann. loco cit. n. 114. Valentia pun. 2. col. 4.

11 Rogabis ſecundò, in quonam cõſiſtat iſta ſpecialis prerogatiua aliquibus Sãctis cõceſſa ad iudicandũ.

Reſp. conſiſtere primò in ſpeciali quadã participatione honoris, quia Sancti illi tãquã Chriſti aſſeſſores in proprijs ſubſellijs, & ſedibus conſedebunt

debunt, iuxta illud Apocalipſ. 4. *In circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes*. Secundò, cõſiſtere in ſpeciali participatione actionis Iudiciariæ; Chriſtus .n. propria authoritate per poteſtatẽ excellẽtiæ proferet ſẽtentiã, illamq; denũciabit per ſuos Iudices aſſeſſores. Ita S. Th. in 4.d.47. q. 1. ar. 2. Ricard. de S. Victore Tr. de poteſtate Iudiciaria, Suar. d.57. ſect. 4. col. 2. & 3. Tanner. loco cit. n. 109. & alij. Præter hos iudicandi modos alij minus proprij aſſignari poſſũt, quos perſpicuũ eſt Sãctis cõuenire. Primus eſt, oſtẽdendo aliquẽ eſſe dignũ pęna. Secũdus, diſcernendo, & diiudicãdo penes ſe ipſum cauſas aliorum, quod fit cognoſcendo, & intelligendo merita, & demerita aliorum. Tertius, approbando, & collaudando ſententiam Iudicis.

Paragraphus Tertius.

Quænam ſit materia, & ſubiectum extremi Iudicij, ideſt quinam iudicandi ſint, & de quibus rebus ferendum ſit Iudicium.

1 *Iudicij materia ſunt omnes hominũ actiones.*

2 *Iudicio ſubijcientur etiam illa opera mala, quæ per pœnitentiam deleta fuerunt.*

3 *Iudicio ſubijcientur omnes omnino homines.*

4 *Iudiciũ aliud eſt retributionis, aliud punitionis, ſicut etiã ſẽtẽtia alia eſt approbationis, alia reprobationis.*

5 *Iudicandi ſunt homines non ſolum mali, & improbi, verum etiam probi, & iuſti. Imò etiam paruuli Infantes.*

6 *Angeli in extremo Iudicio directè, & per ſe non iudicabuntur.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 Materia extremi Iudicij sũt omnes hominũ actiones, tam bonæ, quã malæ; nã Eccleſiaſt. 12. verſ. 14. dicitur, *Cuncta quæ fiũt, adducet Deus in iudiciũ pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum illud ſit*, Sophoniæ 1. *Et erit in tempore illo, ſcrutabor Ieruſalem in Lucernis*. Matth. 12. *Dico vobis quoniã omne verbũ otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Iudicij*. Ita communiter Patres, & Doctores.

Obijcies, Matt. 25. enumerantur opera, propter quæ homines ſaluãdi, vel damnãdi sũt, *Eſuriui .n., & nõ dediſtis mihi manducare*, & cæt., ſed ibi enumerantur ſolum opera miſericordiæ, & ipſorum omiſſiones. Ergo materia extremi Iudicij ſunt ſolũ opera miſericordiæ, & ipſorũ omiſſiones.

Reſpõdeo ibi nõ cõmemorari omnia, quæ in extremo iudicio fiẽt, ſed tantũ præcipua; peccata autem immiſericordiæ enumerãtur ibi ſolum gratia exempli, & vt homines, qui hæc leuiora plerumque exiſtimant, magis terreantur, & corrigantur.

2 Sed modò Dubiũ eſt, Vtrũ in Iudicium adducenda ſint etiam illa piorum hominum opera mala, quæ per pęntentiam deleta fuerant.

Reſp. affirmatiuè cum cõmuni, & probabiliori Doctorũ ſentẽtia, S. Th. 3. p. q. 87. art. 2. S. Bonauent. in 4. d.43. art. 2. q. 2. & 3. Soti in 4. d.47. q. 2. art. 3. Suar. 3. p. tom. 2. d. 57. ſect. 7. Valent. to. 4. d. 11. q. 4. pun.

4. col. 1. verſ. Vtrū autem, Tanneri to. 4. d. 2. q. 4. dub. 4. n. 126. cōtra Magiſtrum in 4. d. 43. Vigueriū inſtitut. cap. 21. §. 3. verſ. 8. & alios. Ratio eſt, tum quia ſcriptura generaliter loquitur. Tū quia in Symbolo Athanaſij dicitur, *Ad cuius aduētū omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis proprijs rationē*, & Apoc. 20. dicitur. *Vidi mortuos magnos, & puſillos ſtātes in conſpectu Throni, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vita, & iudicati ſūt mortui ex his, quę ſcripta erant in libris ſecundū opera ipſorū*, nomine librorum iuxta cōmunē Doctorū expoſitionē intelliguntur primò, conſciētiæ ſingulorū, in quibus quaſi ſcripta cernentur ſingulorum opera. Secundò, cognitio Dei, qua certò cognoſcit ſingulorū opera; iſti autem libri aperti dicūtur, quatenus omnia eiuſmodi opera patebūt omnibus, ſicut legentibus librum patēt ea, quæ in libro continentur.

Obijcies, peccata per pęnitentiā dicūtur tegi, & obliuioni tradi. Ezechiel. 18. *Si impius egerit pęnitentiā, omnium iniquitatum eius nō recordabor amplius*. Iſaiæ 65. *non erūt in memoria priora, obliuioni traditæ sūt anguſtię priores*. Pſal. 31. *Beati, quorū remiſſæ sūt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata;* Pſal. 50. *Dele iniquitatem*, 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinē peccatorū*. Ergo peccata per pęnitentiā non sūt amplius in iudiciū adducenda, alioquin tecta, deleta, aut obliuioni tradita non viderentur.

Reſpondeo peccata per pęnitētiā tegi, & obliuioni tradi quoad culpā, & pęnā æternā, vel etiam quo ad tēporalē, ſi debita pro ipſis ſatisfactio præſtita fuit, non autem quo ad cognitionē. Hæc tamen eſt differentia inter peccata reproborū, & prædeſtinatorū, quod recordatio, aut manifeſtatio peccatorum reſpectu prædeſtinatorū nullā affert prædeſtinatis confuſionē, ſeu pudorem; ſed potius gaudium, & lętitiam; reſpectu autē reproborū non leuē pariet cōfuſionem, pudorē, dolorē, & anguſtiam, vt benè Valentia, Suarez, & alij locis citatis.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 OMnes omnino homines ſiue boni, ſiue mali in Iudicium adducendi ſunt. Vt hæc propoſitio ritè intelligatur, obſerua primò, ſententiā aliā eſſe approbationis, aliam reprobationis; ſentētia approbationis dicitur illa, qua pręmiū alicui decernitur pro bono, quod geſſit; ſentētia reprobationis dicitur illa, qua pęna decernitur alicui pro malo.

4 Secūdò, obſerua Iudiciū aliud dici retributions, aliud punitionis, aliud diſcuſſionis. Iudiciū retributionis dicitur illud, quo præmiū decernitur in remuneratione pij operis. Iudicium punitionis, ſeu damnationis dicitur illud, quo pęna imponitur.

Ex quo patet in idem ferè incidere ſententiā appobationis cū iudicio retributionis, & ſententiā reprobationis cū iudicio punitionis. Quāquā iudiciū, & ſententia approbationis accipi etiā pōſt pro eo actu Iudicij, quo publica ſentētia Iudicis approbatur, & collaudatur, quā ſentētiā, ſeu Iudiciū ſuperius dixi competere ijs Sanctis, qui tanquā Chriſti aſſeſſores in vniuerſali Iudicio aſſiſtent.

Iudi-

Iudicium diſcuſſionis dicitur illud, quo decernitur, & definitur ſupplicium, vel præmiũ illi, de quo opinione hominũ dubiũ eſſe poterat, an præmio, vel ſupplicio dignus eſſet. His poſitis. Dico omnes homines tã bonos, quã malos iudicandos eſſe iudicio retributionis, vel punitionis. Probatur tum ex ſcriptura ad Rom. 14. *Omnes ſtabimus ante Tribunal Chriſti*, & infra, *Itaq; vnuſquiſq; noſtrum pro ſe rationem reddet*. Et 2. Corint. 5. *Omnes .n. nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; propria corporis, prout geſſit, ſiue bonũ, ſiue malũ*. Tũ ex Symb. Ath. vbi dicitur, *Omnes homines reſurgere habent cũ corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis proprijs rationẽ, & qui bona egerũt ibũt in vitã æternam, qui verò mala in ignem æternum*. Tũ quia ſic decet ſummam Dei prouidentiam, vt homines metu Iudicij à peccatis retrahantur, & ad pia opera præſtanda alliciantur.

Obijcies primò, Ioan. 5. dicitur, *Amen Amen dico vobis, qui verbũ meũ audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternã, & in Iudiciũ non venit*. Ergo nõ omnes homines iudicãdi sũt.

Reſpondeo nõ omnes iudicandos eſſe iudicio punitionis, quod per antonomaſiã iudicium in ſcriptura dici conſueuit; ſicut .n. non omnes iudicãdi ſunt iudicio retributionis, ita neque omnes iudicandi ſunt iudicio punitionis; omnes tamen iudicandi ſunt Iudicio retributionis, vel punitionis disiunctim ſumpto.

Obijcies ſecũdò, Infideles nõ sũt iudicandi, ex S. Th. 3. p. q. 89. art. 6. & 7. & alij Theologis ferè cõiter, & colligitur ex illo Ioann. 3. *Qui autem non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei*.

Reſpondeo etiã Infideles iudicãdos eſſe iudicio punitionis. Theologi verò, & Sancti Patres, dũ negant Infideles iudicandos eſſe, intelligẽdi ſunt de iudicio retributionis, vt per ſe patet, aut etiam de iudicio diſcuſſionis, quatenus ſuppoſito peccato Infidelitatis, manifeſtè conſtat ipſos eſſe condemnatos.

Ex dictis ſequitur primò, nõ ſolũ improbos, verum etiam probos, & bonos iudicandos eſſe.

5 Secũdò, ſequitur non ſolũ iudicãdos eſſe adultos, verũ etiã paruulos infantes, (non quidẽ iudicio diſcuſſionis, ſed iudicio damnationis, & punitionis.) Ratio eſt, tum quia prefata ſcripturæ teſtimonia generalia ſunt. Tũ quia Infantes non baptizati in æternũ dãnandi ſunt. Ergo par eſt, vt ſentẽtiæ publicæ ſubijciãtur. Tũ quia ad gloriam, & honorem Chriſti ſpectat, vt ipſe ab omnibus, etiã paruulis eo die adoretur. Ita S. Bonau. in 4. d. 47. art. 1. q. 3. Suar. 3. p. to. 2. d. 57. ſect. 6. Tanner. to. 4. d. 2. q. 4. dub. 4. n. 121. Martinus Roas de ſtatu Beatorũ, & alij, contra S. Th. q. 89. art. 5. ad 3. Valentiã to. 4. d. 11. q. 4. pun. 2. col. 4. verſ. dixi autem, Durandum, & alios.

Obijcies, Iudicium fertur de actibus, & proprijs culpis, nõ de habitibus; infantes autem nullos actus, & culpas propria volũtate cõtraxerũt.

Reſpondeo, ſufficere culpam originalẽ ex Adamo contractã; ſicut .n. hæc ſufficit ad condemnationẽ, ita etiam ſufficit ad Iudicium, vt benè Suarez loco citato.

An autem præfati Infantes triſtitiam ex amiſſa beatitudine habituri ſint,

ſint, conſtat ex dictis de peccato originali, vbi negatiuè reſpondi.

6 Quæres, Vtrum Angeli in extremo Iudicio iudicandi ſint.

Reſpondeo directè, & per ſe iudicandos non eſſe. Ratio eſt primò, quia Chriſtus non fuit Redemptor Angelorum, ſed hominũ. Ergo non iudicabit Angelos, ſed homines; illud .n. iudiciũ directè faciendũ videtur erga eos, quos Chriſtus pretioſiſſimo ſuo ſanguine redemit, eoquè benè, vel malè vſi fuerunt. Secundò, quia Iudiciũ Angelorũ initio Mundi factũ fuit, impoſito pleno, & eſſentiali ſupplicio prauis Angelis, & collato eſſentiali, & integro pręmio bonis Angelis. Tertiò, quia ſententia condẽnatoria, quã Chriſtus in extremo Iudicij die proferet, directè, & per ſe nõ cõplectitur Angelos, ſed homines, Matth. 25. *Venite benedicti*, & cęt. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius*. Ita Sanct. Th. 3. p. q. 59. art. 6. Valent. pun. 2. citato col. 4. Tanner. 3. par. d. 2. q. 4. dub. 4. n. 130. & alij, cõtra Suar. 3. p. to. 2. d. 57. ſect. 8. & alios, quorũ ſẽtẽtia probabiliſſima eſt, aſſeritque Angelos directè iudicãdos eſſe.

Obijcies primò, 1. Corinth. 6. dicitur, *Neſcitis quia Angelos iudicabimus*. Ergo Angeli iudicabuntur.

Reſpondeo Angelos iudicandos eſſe ſolũ indirectè, quia ſcilicet quoad illa, quæ benè, vel malè geſſerunt erga homines, iudicabuntur à Chriſto, & à Sãctis, ſicq; remunerationẽ, vel pęnã accidentalẽ inde recipient.

Obijcies ſecundò, Dęmones in iudicio aſſiſtent. Ergo iudicabuntur.

Reſpondeo negãdo conſequẽtiã; in iudicio .n. aſſiſtent, non directè & per ſe iudicandi, ſed tanquã accuſatores, & miniſtri iuſtitiæ aduerſus reprobos, & vt ſententia damnationis in ipſos Dęmones perfectè executioni mandetur, qua in Infernum detruſi liberam amplius excũdi poteſtatẽ nõ habeãt, iuxta illud Apocalipſ. 20. verſ. 9. *Deſcendit ignis à Deo de cęlo, & deuorauit eos, & Diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, vbi & beſtia, & pſeudo propheta cruciabuntur die, ac nocte in ſęcula ſęculorum* Ita S. Thomas 3. par. quæſt. 59. art. 6. & alij, contra Suarez, & alios locis citatis.

Paragraphus Quartus.

Quo in loco, & quo tempore faciendum ſit Iudicium.

1 *Iudicij locus erit Vallis Ioſaphat.*
2 *Vallis Ioſaphat quid ſignificet.*
3 *Iudicij dies, Menſis, & Annus incertus eſt.*
4 *Iudicij dies an inſtet, vel longè diſtet, incertum eſt.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 Locus, in quo Iudiciũ vniuerſale peragetur, erit Vallis Ioſaphat, quæ inter Ieroſolimã, & mõtẽ Oliueti iacet. Probatur primò, Ioelis 3. *Congregabo omnes gentes, & inducã eas in Vallem Ioſaphat, & diſceptabo cum eis ibi*, & infra, *Conſurgant, & aſcendant gentes in Valle Ioſaphat, quia ibi ſedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu*, & infra, *De Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocẽ ſuã*. Secundò, quia par eſt, vt Chriſtus maieſtatẽ gloriæ ſuæ oſtendat, vbi ſummã paſ-

ſus

Digitized by Google

ſus eſt ignominiã, & ad eũ locũ deſcendat, ex quo aſcendit, ibiq; peccatores dãnentur, vbi maximè peccauerunt, ac deniq; vt ibi iuſti fructum paſſionis, & ſanguinis Chriſti percipiant, vbi Chriſti ſanguis effuſus eſt; ſed Chriſtus in Mõte Caluariæ ignominioſã crucis mortem perpeſſus eſt, & ex Mõte Oliueti in cęlũ cõſcēdit; Vallis autē Ioſaphat quaſi inter media vtrũq; Caluariæ, & Oliueti montē cõplectitur. Ergo par eſt, vt Chriſtus gloriã ſuam oſtendat, & Iudiciũ peragat in Valle Ioſaphat. Ita S.Th. in 4. d. 48. q. 1. a. 4. quæſtiunc. 4. Sotus in 4. d. 47. q. 1. ar. 4. Suar. 3. p. to. 2. d. 53. ſect. 3. Valēto. 4. d. 11. q. 4. pun. 2. col. 5. Tann. to. 4. d. 2. q. 4. dub. 3. n. 84. & alij cõmuniter, cõtra Magiſt. in 4. d. 48. Abulenſē 3. p. q. 35. mēb. 2. & alios, aſſerentes incertum eſſe, quis ſit locus ille futuri Iudicij, nomine .n. Ioſaphat inquiunt ipſi nõ ſignificatur locus certus, & definitus, ſed indefinitè locus Iudicij, quicumque ille futurus ſit.

Obijcies, Vallis Ioſaphat nõ videtur adeò lata, & ſpatioſa, vt omnes homines iudicãdos cõtinere, & cõplecti valeat. Ergo Iudiciũ peragendũ nõ videtur in Valle Ioſaphat.

2 Reſpõdeo nomine Vallis Ioſaphat nõ intelligi ſolã illius loci planitiem, verum etiã loca propinqua; Chriſtus .n. ab illis omnia impedimenta auferet, vt ſplēdor, & ſpecies eius videri, & vox audiri poſſit; & quidē ſoli reprobi in terra conſedebunt ad ſiniſtrã Chriſti; Sancti verò in aera rapti ad Chriſti dexterã ſtabũt, Matt. 25. nomine autē dexteræ intelligi poteſt primò fęlicitas, & nomine ſiniſtræ infęlicitas. Secũdò, locus ipſe reſpondens dexteræ, & ſiniſtræ Chriſti; Sãcti .n. honoris cauſa in aera cum Chriſto elati ſtabunt à dextris Chriſti, reprobi verò cauſa abiectionis in ipſa Valle iacebunt ſuper terrã ad ſiniſtrã Chriſti. Vide Suar. loc. cit. ſect. 3. ad finē, Val. pun. 2. citato ad finē, & alios pręcit. Doct.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 Incertum eſt, quo anno, mēſe, aut die futurum ſit extremũ Iudiciũ. Ita cõmuniter Patres, & Doctores. Ratio eſt primò, quia aduentus Chriſti ad Iudiciũ pendet ab ipſius voluntate, quã mortalibus nondũ aperuit. Secũdò, quia Malachiæ 3. dicitur, *Quis poterit cogitare diem aduentus eius?* Actor. 1. *Non eſt veſtrũ noſſe tēpora, vel momēta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate*. Tertiò, quia ſcriptura dicit, tempus aduentus Chriſti ignotũ eſſe, non ſolũ hominibus, verũ etiã Angelis, Matt. 24. & Marci 13. *De die illa nemo ſcit*; nomine autē diei, & hora eo loci non ſolũ intelligitur dies, & hora ipſa præcisè, verũ etiam ipſamet duratio temporis cõplectens menſes, & annos, vt benè S. Auguſtinus, & alij.

Hinc colligitur primò, falſã eſſe Lactantij, Iuſtini, & aliorũ ſententiã, qui aſſerunt Mundũ duraturum ſex mille annis, & elapſis ſex millibus annis futuros eſſe mille annos fęlicitatis Sanctorũ in terra, & deinde Iudicium; aut qui aſſerũt Mundum poſt Chriſti aduentũ tantum, vel maiori tēpore duraturũ, quanto durauit antea; ſed hæc opinio nullo ſufficienti fundamento nititur, & ſatis reiecta manet ex dictis. Neq; obſtat vaticinium

aium Eliæ, quod habetur in Thalmut libro Sanhedrin, quia nõ eſt oraculũ Eliæ prophetæ, ſed apocryphũ, & à quodam Rabino confictum.

Secundò, falſam eſſe illorũ ſentẽtiam, qui putant Mundo finẽ imponendum, dũ octaua ſphera, ſeu firmamentũ motum ſuũ perfectè abſoluerit; hoc enim falſum eſt, cum homines creati non fuerint ob motum cæli, ſed cęli propter homines.

Tertiò, definiri nõ poſſe, qua hebdomadę die Chriſtus venturus ſit; quamuis .n. Lactantius lib. 7. c. 19. putet venturũ die Dominica eadem hora, qua Chriſtus reſurrexit; id tamen ſine ſufficiẽti ratione affirmat. Quamquã probabile eſt aduentum Chriſti futurũ hora matutina, vt dictum eſt ſupra pun. 1. §. 3. num. 34.

4 Quartò, certò definiri nõ poſſe, an Iudicij dies proximè inſtet, vel longè diſtet. Tũ quia id à libero Dei arbitrio pẽdet, quod hominibus nundum patefactum fuit. Tum quia Apoſtolus 2. Theſſalon. 2. non vult certum hac de re ferri Iudicium.

Dices, multi Patres exiſtimarunt proximum eſſe Iudicij diem.

Reſpõdeo id dictũ fuiſſe à Patribus ad deterrẽdos homines, eosq́; à peccatis patrandis auertendos animaduertentes Iudicij diem in dies magis appropinquare. Vide Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 53. ſect. 4.

Paragraphus Quintus.

Quo apparatu Chriſtus ad Iudicium venturus ſit.

1 *Chriſtus magno cũ apparatu ad iudicium veniet.*

2 *Igne comburentur ij, qui ſuperſtites erunt propè Iudicium.*

3 *Crucis ſignum immediatè præcedet Chriſtum venientem ad Iudicium.*

4 *Crux Chriſti an apparitura ſit aliquibus diebus ante Chriſti aduẽtũ.*

5 *Crux Chriſti venientis ad Iudicium deferetur ab Angelis.*

6 *Crux Chriſti permanebit in aere, donec Iudicium finiatur.*

7 *Paſſionis Chriſti Inſignia viſum iri tempore Iudicij, veroſimile eſt.*

8 *Chriſti aduentum ad Iudicium comitabuntur Sancti, & Angeli.*

9 *Nubes inſeruient Chriſto venienti ad Iudicium.*

10 *Tronus, in quo Chriſtus vẽturus eſt, quid ſignificet.*

VNICA PROPOSITIO.

1 CHriſtus magno cũ apparatu ad Iudicium veniet; ad eius autẽ apparatum pertinet primò ſonus tubæ, de quo egimus puncto prę cedẽti. Secundò ignis, qui Chriſtum præcedet, iuxta illud Pſal. 96. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflãmabit in circuitu Inimicos eius.* 1. Cor. 3. *Dies .n. Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit.*

2 Ex quibus locis colligitur cõburendos eſſe, & conficiendos ab illo igne impios, qui tunc viui ſuperſtites erunt. Imò S. Th. 3. p. q. 74. art. 8. Sotus in 4. d. 48. q. 1. art. 2. & alij putant etiam iuſtos eſſe ab illo igne comburendos; eos tamen, qui nulla peccata purganda habent, nihil doloris inde percepturos; qui autẽ peccata purganda habẽt, illo igne adurendos eſſe. Ricard. verò in 4. d. 47. art. 2. q. 5. Valent. to. 4. d. 11. q. 2. pun. 3.

pun.3. col. 5. & alij exiſtimāt iuſtos igne conficiendos non eſſe, quia ſcriptura loquitur ſolum de impijs tempore Iudicij exiſtentibus.

3 Tertiò, Crucis ſignum, quod ipſum Chriſtum immediatè antecedet, Matth. 24. *Tunc parebit ſignum filij hominis in cęlo, & tūc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maieſtate*. Imò multi Patres, & Doctores exiſtimant illam met crucē, in qua Chriſtus pependit, diuinitus redintegratā appariturā eſſe. Ita S. Ephrē lib. de vera pęnitētia cap. 3. & 4. S. Chriſoſt. homil. de Cruce, Thom. Vald. tom. 3. tit. 20. c. 158. Iacob. Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 92. nec diſſentit Valent. to. 4. d. 11. q. 4. pun. 1. col. 4.

Sed contrarium docēt Abulenſis Matth. 24. Ianſenius ibid. Suar. 3. p. to. 2. d. 57. ſect. 2. Tanner. to. 4. d. 2. q. 4. dub. 3. n. 99. & alij, aſſerentes ſignum illud crucis miraculosè formandum eſſe ex aere, primò quia nulla ſufficiēti ratione probatur apparitur um illud idē crucis ſignum, in quo Chriſtus pependit. Secundò, quia non ſunt multiplicanda miracula ſine ſufficienti fundamento; in hoc autem caſu multiplicarentur, quia opus eſſet miraculo, tum ad redintegrandā ipſam crucem; tum ad illam augendā, cum ad hāc rē neceſſarium eſſe videatur ſignū crucis lōge maius, quā ſit ipſamet vera crux.

4 An autem ipſa crux aliquibus diebus ante Chriſti aduentum apparitura ſit, vel ſolum aduenieēte Chriſto, diſſenſio eſt inter Doctores; mihi probabilius dicēdum videtur appariturā adueniente Chriſto, ipſumque immediatè anteceſſuram, tāquā proprium ſceptrum, & inſigne Chriſti; ſic .n. colligitur ex verbis Matt. 24. *Tunc parebit ſignū filij hominis in cęlo*. Ita Anſel. in Elucid. Ephrē, Chriſoſtomus, & alij apud Suar. 3. p. to. 2. d. 57. ſect. 2. col. 3. contra nonnullos alios, arbitrantes crucem apparituram aliquot diebus ante Chriſti aduentum; paulo poſt mortem Antichriſti, quia Matth. 24. dicitur, *Statim poſt tribulationem dierum illorum Sol obumbrabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cęlo, & virtutes cęlorum cōmouebuntur, & tūc apparebit ſignum filij hominis in cęlo*. Verū ex his verbis ſolū colligit crucē apparitura poſt præfata ſigna, nō autē ante Iudicij diem. Quamquam fieri poteſt, vt tempore Antichriſti, aut poſt ipſi' mortē aliquæ prodigioſæ apparitiones crucis futuræ ſint.

5 Si quæras, quomodo apparitio illa futura ſit, ſeu à quo crux illa deferenda ſit.

Reſpondeo deferendā eſſe ab Angelis; nam ita ſentiunt Patres, & hic modus poſſibilis eſt. Quāquam fieri poteſt, vt etiā alia ratione appareat, vt ſi ipſa per ſe appareat in aere, ibique immobilis, & omnibus congregatis conſpicua perſeueret, & à nullo ſuſtentetur, aut initio à nullo ſuſtentata appareat, & poſtea ab Angelo capiatur, & ante iudicem deferatur. Vide Suar. ſect. 2. cit. ſub fin.

6 Pręterea ſi quęras, quādiù crux illa viſibilis in aere permanſura ſit.

Reſpondeo permanſuram, donec Iudicium finiatur. Ratio eſt, quia aſpectus crucis maximè proderit ad oſtendendā Dei iuſtitiam, & gratiā, & ad perterrendos Chriſti, & ipſius

crucis aduerſarios. Ita communiter Patres teſte Suarez loco citato.

7 Si denique inquiras, an ſimul cum cruce deferenda ſint etiam alia paſſionis inſignia.

Reſpondeo id eſſe incertum, cum ex ſcriptura, vel Patribus nõ habeatur; facile tamen credi poteſt etiam ipſa deferenda eſſe, vt ait S. Thomas opuſ. 2. cap. 244. Viguerius cap. 21. §. 2. nec diſſentit Suar. ſect. 2. citata ad finem, & Tanner. to. 4. d. 2. q. 4. dub. 3. n. 101. probari poteſt ratione allata de cruce.

8 Quartò, ad præfatum aduentus Chriſti apparatum pertinet comitatus omnium tum Sanctorum, tum etiam Angelorum, & quidem de comitatu Sanctorum mentio habetur Zachariæ 14. *Et veniet Dominus Deus meus, omneſque Sancti cũ eo*, & in Epiſtola Iudę Apoſtoli verſ. 15. *Ecce veniet Dominus in Sanctis millibus ſuis facere Iudicium contra omnes*. De comitatu verò Angelorum habetur Matth. 25. *Cum autem venerit filius hominis in maieſtata ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedẽ maieſtatis ſuæ*. Addo credibile eſſe pręcipuos Angelos, qui Chriſto aſſiſtent in Iudicio, aſſumpturos corpora; cum .n. aduẽtus Chriſti sẽſibilis ſit, & cum gloria, & apparatu externo, & ſenſibili exerceatur, æquum videtur, vt comites, & miniſtri Chriſti in ſenſibili, & viſibili forma aſſiſtant, ſicque impij ipſorum aſpectu magis terreantur, & iuſti recreẽtur. Ita Suar. 3. p. to. 2. d. 57. ſect. 3. col. 3.

9 Quintò, Maieſtas, & ſplendor Chriſti veniẽtis in nubibus cęli cum virtute multa, & maieſtate Matt. 24. Marci 13. & Lucæ 21. nomine nubium intelligi poteſt nubes aliqua quæ plures quaſi partes habeat, vel aliquot nubes adiunctas, & hoc pacto conciliari poſſunt Lucas, qui ait Chriſtum venturum in nube, & Mattheus, & Marcus, qui aiunt Chriſtum venturum in nubibus. Ratio autẽ, ob quã Chriſtus vẽturus ſit in nubibus nõ eſt, vt illis fulciatur, & ſuſtentetur tãquã vehiculo, ſed vt externus Chriſti ſplendor, & maieſtas magis appareat; nubes .n. eſt ſignum Maieſtatis. Nomine virtutis multæ, cum qua Chriſtus vẽturus dicitur, ſignificantur ſigna potẽtię, quę tunc contingent, vt ſonus tubæ, terręmotus, tonitrua, fulgura, fulmina, & ſimilia, iuxta illud 1. Reg. 2. *Dominum formidabunt aduerſarij eius, & ſuper ipſos in cęlis tonabit, Dominus iudicabit fines terræ*.

10 Sextò, Thronus Maieſtatis, in quo Chriſtus ſedebit, Apocalipſ. 20. *Et vidi thronum Magnum candidum & ſedentem ſuper eum.* Et Matth. 25 *Tũc ſedebit ſuper ſedẽ Maieſtatis ſuæ.* Thronus, & ſedes hoc in loco accipi poſſunt tam methaphoricè ad ſignificãdã gloriam, & maieſtatem Chriſti, quam propriè ad indicandum Chriſtum externa, & viſibili forma in loco Iudicij ſeſſurum in Throno ſenſibili, & corporeo, vt Iudicis authoritas, & maieſtas ſignificetur, iuxta illud Pſal. 9. *Sediſti ſuper Thronum, qui iudices iuſtitiam.* Ita Suar. ſect. 3. Valentia d. 11. q. 4. pun. 1. Tann. n. 102. & alij. Addit Suar. d. 57. ſect. 3. ſub finem, fieri poſſe nõ ſolum, vt Chriſtus in Iudicio ſedeat in Throno, verumetiã, vt in Throno deſcendat, & humeris Angelorum deuehatur, & fortè ab ipſis Angelis in aſſumptis

cor-

Digitized by Google

corporibus; non quia Chriſtus vehiculo indigeat, ſed vt ſupremus honor, & maieſtas ſignificetur.

Paragraphus Sextus.

Vtrum in extremo Iudicio cognoſcenda ſit cauſa, & proferenda ſententia, & executioni infallibiliter mandanda.

1 *Iudicandorum opera omnia cognoſcentur in Iudicio, & omnibus innoteſcent.*

2 *Librorum in Iudicio aperiendorum nomine intelliguntur conſcientiæ, ſeu memoriæ hominum.*

3 *Iudicandorũ opera quomodo cognoſcenda ſint, & manifeſtanda.*

4 *Iudicandorum cauſæ non agitabuntur in inſtanti, breui tamen Iudicium fiet.*

5 *Sententia in extremo Iudicio proferenda eſt.*

6 *Sententia peculiari ſinguli iudicandi ſunt, & non vnica.*

7 *Sententia generalis in Iudicio proferenda non afficiet paruulos.*

8 *Sententia generalis in Iudicio proferetur à Chriſto voce ſenſibili.*

9 *Sententia extremi Iudicij appellationis locum non admittet.*

10 *Sentẽtia in extremo Iudicio prolata exequutioni ſtatim demandabitur.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 CAuſæ, & opera omnia quorumcumque iudicandorum cognoſcentur in Iudicio, & omnibus innoteſcent. Ratio eſt, tum quia ſic poſtulare videtur ratio Iudicij publici. Tum quia ſic habetur Danielis 3. *Iudiciũ ſedit, & libri aperti ſunt*, & Apocalipſ. 20. *Vidi mortuos magnos, & puſillos ſtãtes in cõſpectu Throni, & libri aperti ſunt.* Ita S. Th. in 4. d. 43. q. 1. art. 5. quæſtiunc. 3. Sotus ibid. q. 2. art. 3. S. Bonauẽt. ibid. art. 3. Suar. 3. p. to. 2. d. 57. ſect. 9. Valentia tom. 4. d. 11. q. 4. pun. 2. Tannerus to. 4. d. 2. q. 4. dub. 4. n. 134. & alij communiter.

2 Nomine librorum, qui aperiẽdi ſunt, intelliguntur conſcientiȩ, ſeu memoriæ hominum, in quibus deſcripta cẽſentur peccata; quilibet .n. cognoſcet quicquid boni, vel mali fecit, teſtimoniũ illi reddente propria conſcientia; conſequẽter accuſatio, defenſio, & teſtificatio nõ aliter fiet, quam per cognitionem deſumptam à propria cuiuſque iudicandi conſcientia.

Dices, tam boni, quam mali Angeli habent librum, in quo illi bona, & iſti mala opera deſcribunt, vt defendant, vel accuſent ſui imitatores. Ergo libri in Iudicio aperiẽdi nõ ſunt conſcientiæ iudicandorum.

Reſpondeo, librũ Angelorum eſſe ipſorum mentem, & memoriam, in qua retinent facta ſingulorum. Deus tamen non iudicabit per huiuſmodi librum, ſed per conſcientias ſingulorum, & per ſuum librum, qui nihil aliud eſſe videtur, quam mens, ſeu cognitio diuina, in qua deſcripti ſunt omnes prædeſtinati.

3 Sed modò Dubium eſt, quomodo cognoſcẽda ſit cauſa, ſeu opera, de quibus ferendum eſt Iudiciũ; dubium .n. eſt, an cognoſcenda ſint per mentalem ſolum manifeſtationem, an per vocalem.

Reſ-

Reſpōdeo nihil certi definiri poſſe, cum Eccleſiæ reuelatum non ſit; probabilius tamē eſt aliqua grauiora delicta ſenſibili voce perſtringenda, & redarguenda eſſe, & aliqua pia opera laudanda. Ratio eſt; tum quia Iudicium futurum eſt ſenſibile, & inter homines mutuo ſe intuentes. Ergo conſentaneum videtur formæ Iudicij, vt ſenſibile voce fiat, cum hic modus maximè ſit hominibus accomodatus, & faciat ad maiorem bonorum gloriam, & confuſionem reproborum. Tū quia ſic colligitur ex Matth. 25. vbi gratia exempli referuntur aliqua in Iudicium deducenda, & reprehendēda, vel laudanda; *Eſuriui. n. & non dediſtis mihi manducare*, & cęt. Ex quo loco Ricardus in 4. d. 47. art. 1. q. 3. colligit hanc ſenſibilem manifeſtationem maximè futurā eſſe de operibus miſericordię, quod tamen Suarez loco citato incertum eſſe putat, ſed de hac re ſupra §. 3. num. 1.

Dixi, aliqua delicta, & aliqua pia opera, vt innuerem totalem cauſę manifeſtationē ſenſibili voce trāſigendam non eſſe. Tum quia hoc neceſſarium non eſt, nec accomodatum expeditæ rationi agendi Chriſti. Tum quia actio nimium moroſa, & diuturna foret, vt benè Aug. lib. 20. de Ciuitate cap. 10. & alij communiter; probabile igitur eſt aliqua ſolum, & non omnia ſenſibili voce peragenda eſſe, & veroſimilius eſt hæc peragenda non eſſe ſenſibili voce cum ſingulis ſeorſim, ſed in communi, vel reſpectu omnium exiſtentium ad dexteram, aut ad ſiniſtram, vel ſecundum aliquas claſſes, ſeu generales ordines, ſeu ſecundum genera virtutum, aut vitiorum, vt verbi gratia prius laudando miſericordes, deinde virgines, poſtea martyres, & ſic de oppoſitis vitijs, ſeruata proportione. Quo audito iuſti ſe ſubmittent, & gratias agent; reprobi verò ſe excuſare conabuntur. Quamquā arbitror iſtā excuſationē tantum fore mentalem. Tum quia alioquin nimia videretur eſſe confuſio vociferantium. Tū quia improbi tanto graui terrore afficientur, vt nec reſpondere, nec mutire auſuri ſint. Ita Suarez, Tannerus, Valentia, & alij locis citatis.

4 Rogabis, Vtrum cognitio, & manifeſtatio cauſæ in inſtanti, ſeu breui, an longo tēpore peragēda ſit.

Reſpondeo, tranſigendam non eſſe in inſtanti. Primò, quia id non poſtulat celebritas actionis, ſed potius aliquā temporis moram efflagitare videtur. Quanta autem futura ſit temporis mora, incertum eſt; nam licet cōmuniter appelletur dies Iudicij, tamen dies non accipitur pro naturali die, ſed pro toto eo tempore, quo Iudicium peragetur, quod tamen incertum eſt, quanto tempore peragendum ſit. Secundò, quia non poſſent homines, præſertim reprobi, tam multa vnico inſtanti percipere ſine maximo miraculo; probabile tamen eſt magnam temporis moram in hac re impendendam non eſſe, ſed Iudicium breui eſſe abſoluēdū. Tum quia ſic colligitur Malac. 3. *Accedam ad vos in Iudicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris*, & cęt. & Matt. 24. *Sicut fulgur exit ab oriēte, & paret vſque in occidentem, ita erit & aduentus filij hominis*. Tum quia expedita ratio agendi ipſius ſupremi Iu-

Iudicijs non longam temporis moram exigit. Ita S. Auguſtinus l. 20. de ciuitate cap. 26. Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 57. ſect. 9. & ſect. 10. ad finem, Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 4. dub. 4. num. 136. & 141. & alij communiter.

SECVNDA PROPOSITIO.

5 Sententia in extremo Iudicio proferenda eſt. Ratio eſt, tū quia certum eſt de fide Iudicium eſſe faciendum. Ergo etiam certum eſſe debet ſententiam proferēdam, cum perfectio, & complementum Iudicij ſit ſententia. Tum quia Apocalipſ. 20. dicitur, *Aperti ſunt libri, & iudicati ſunt mortui ex ijs, quæ ſcripta ſunt in libris ſecundum opera ipſorū.* Ex quibus verbis colligitur poſt manifeſtationem cauſæ ferendum eſſe Iudicium; hoc autem in ſententia conſiſtit. Ita communiter DD.

6 Sed modò Dubium eſt primò, Vtrum vnica ſentētia proferēda ſit.

Reſpondeo ſingulos ſingulari ſētentia iudicandos eſſe. Ratio eſt, quia non eadem omnium ſunt merita, vel demerita. Ergo nec eadem eſſe debet ſententia, ſed vnuſquiſq; iuxta ſua merita, vel demerita, præmio, vel pęna afficiendus eſt; ita Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 57. ſect. 10. Tannerus tom. 4. diſp. 2. quæſt. 4. dub. 4. num. 139. & alij communiter. Probabilius tamen exiſtimo præter ſingulares ſententias, ad conſumandum, & abſoluendum Iudiciū proferendas eſſe duas illas generales ſententias, quarum vna iuſtos, & electos reſpicit. *Venite benedicti Patres mei &c.* altera iniuſtos, & reprobos. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, &c.*

7 Obſeruat tamen Suarez ſect. 10. citata, hanc ſententiam non afficere paruulos, qui cum ſolo originali peccato ex hac vita deceſſerūt, quia huiuſmodi paruuli non damnantur ob peccata actualia; præfata autem ſententia proferetur in eos, qui peccata actualia commiſerunt, vt patet ex ijs, quæ Matth. 25. ſubijciuntur; *Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare?* Alicui tamen probabile videri poteſt præfatam ſententiam ſufficere, illamque ſuo modo extendendam eſſe ad paruulos, non quidem ob peccata actualia præcisè, quorum ipſi capaces non fuerunt, aut ob pęnam ſenſus, quæ peccatis actualibus reſpondet, ſed ob peccatum originale, & ob pęnam damni, ita vt ſententia paruulis accomodetur ea in parte, in qua ipſis accomodari poteſt.

8 Secundò Dubium eſt, Vtrum ſententia proferenda ſit voce ſenſibili, an tantum mentali.

Reſpondeo, ſententiam generalem proferendam eſſe à Chriſto voce ſenſibili. Ratio eſt, tum quia Iudicium eſt ſenſibile, & inter homines exercetur. Ergo conſentaneum eſt, vt etiam ſententia ſenſibili voce proferatur. Tum quia hoc facit ad maiorem electorum gloriam, & reproborum confuſionem. Tum quia ſic colligi videtur ex illis Matthei verbis. *Ite maledicti, diſcedite à me maledicti &c. Venite benedicti &c.* ſecus dicendum videtur de priuatis, & ſingularibus ſententijs; has enim non ſenſibili voce, ſed mentaliter eſſe proferēdas veroſimilius credo,

alioquin nimium temporis inſumeretur, idque nimis diuturni foret negotij. Ita Anſelmus in Elucid. Abulenſis Matth. 25. quæſt. 333. Sotus in 4. diſt. 47. quæſt. 2. art. 4. Valentia tom. 4. diſp. 11. quæſt. 4. pun. 2. col. 5. Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 57. ſect. 10. col. 3. Tannerus to. 4. diſp. 2. quæſt. 4. dub. 4. num. 139. & Scolaſtici ferè communiter.

9 Tertiò, Dubium eſt, Vtrum ſententia prolata adeò exactè ſeruanda ſit, vt nullus ſit appellationi, aut interceſſioni, vel miſericordiæ locus, nullumque perfugium.

Reſpondeo, exactè ſeruandam eſſe abſque vlla ſpe appellationis, interceſſionis, vel miſericordiæ. Ratio eſt, tum quia Prouerb. 6. verſ. 34. dicitur, *Zelus, & furor viri*, (ideſt Chriſti Iudicis) *non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima*. Tum quia à ſententia ſupremi Iudicis non datur appellatio. Tum quia hoc eſt vltimum Iudiciū, in quo pro meritis cuiuſque fertur ſententia Hieremiæ 17. verſ. 10. ita S. Auguſt. ſerm. 67. de tempore, S. Bernardus ſerm. 55. in Cantica, S. Gregorius, & alij apud Suarez loco citato verſ. ſecundo intelligitur.

10 Quartò, Dubium eſt, Vtrum poſt prolatam ſententiam aliquid peragendum ſit in Iudicio.

Reſpondeo, nihil ſupereſſe agendum circa ipſum Iudicium; nam ſentētia in Iudicio eſt veluti vltima ipſius forma; ipſa tamen ſententia executioni ſtatim mandabitur, quia pendet ab efficaci voluntate Chriſti imperantis. Quamobrem terra ſtatim aperietur, & damnati ad Infernа detrudentur, à Dæmonibus rapti, & igne, qui, Chriſti aduentum præceſſit, inuoluti, iuxta S. Thomam 3. par. quæſt. 74. art. 9. Valentiam tom. 4. diſp. 11. quæſt. 2. pun. 3. col. 2. & alios Scolaſticos, Sancti verò magna cum gloria, & triumpho in cęlum Empyreum recipientur, iuxta illud Apocal. 20. *Iudicium eſt de ſingulis ſecundum opera ipſorum, & infernus, & mors*, (ideſt addicti Inferno, & morti æternæ) *Miſſi ſunt in ſtagnum ignis, hæc eſt mors ſecunda & qui nō inuētus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis*.

Punctum Tertium.

Vtrum Chriſtus poſt Iudicium cum Sanctis in cælum receptus, perpetuò regnaturus ſit.

1 *Chriſtus etiam ſecundum humanitatem poſt Iudicium perpetuò regnabit in cælo cum Sanctis.*

2 *Chriſtus poſt Iudicium ſubijcietur Deo quoad humanitatem peculiari quadam ratione, quia totus in Deo defixus remanebit abſque vlla extrinſeco impedimento.*

VNICA PROPOSITIO.

1 Chriſtus cum Sanctis ſuis in cælum receptus poſt Iudicium, ibidem perpetuo regnaturus eſt, non ſolum ſecundū diuinitatem, verum etiam ſecundum humanitatem. Ratio eſt primò, quia id apertè habetur Danielis 7. vbi ſermo eſt de Chriſto, *Poteſtas eius poteſtas*

ſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur, Lucæ 1. Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Secundò, quia id apertè colligitur ex Symbolo, vbi profitemur vitā æternam.

Obijcies, Christus regnaturus eſt, donec Inimici eius ponantur ſub pedibus eius, iuxta illud Pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis; donec ponam inimicos*, & cæt. Nomine autem ſeſſionis ad dexteram Dei ſignificatur gloria, ſeu regia poteſtas Christi, & 1. Corint. 15. *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius; cum autem illi ſubiecta fuerint omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia*; ſed inimici Christi perfectè poſiti erunt ſub pedibus eius in die Iudicij. Ergo Christus regnaturus eſt ſolum vſque ad Iudicij diem.

Reſp. primò, illis verbis affirmari quid futurum ſit vſque ad Iudicij diem, non autem affirmari quid poſtea futurum ſit; conſequēter affirmatur Christum regnaturū vſq; ad Iudicij diem, de quo fortè aliquis dubitabat, non tamen negatur quin poſtea in æternum regnaturus ſit, vt in ſimili dixi, dum loquerer de perpetua, integra, & illæſa Virginitate Beatiſſimæ Virginis Mariæ; illa .n. dictio, *Donec*, iuxta vſitatum ſcripturæ ſenſum adhibetur ad ſignificandum id, quod ad illud vſquè tēpus factum fuit, non verò ad ſignificandum quod vltra illud tempus factum, vel non factum fuit.

2 Dices, 1. Corint. 15. dicitur, Christum poſt Iudicium ſubijciendum eſſe Deo; *Cum autem*, inquit Apoſtolus, *illi ſubiecta fuerint omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia*. Ergo Christus non regnabit in æternum; ille enim non regnat, qui alteri ſubiectus eſt.

Reſpondeo, Christum poſt Iudicium ſubijciendum eſſe quoad humanitatem, non quia antea non eſſet etiam illi ſubiectus ſecundum humanitatem; ſed quia etiam poſt Iudicium ſubiectus erit, quod fortè alicui dubium videri potuiſſet; vel dic Christum tunc temporis dici poſſe ſubiectum Patri peculiari quadam ratione, quia tunc totus in Deū defixus hærebit abſque vllo extrinſeco impedimento; cùm enim nunc ſpecialem habeat curam, & ſollicitudinem regendi, & dirigendi homines, poſt Iudicium exemptus erit ab hac ſollicitudine, atque adeò vacabit ſolum diuinæ contemplationi, & amori Dei, & quicquid poteſtatis habet, Deo ſubijciet, non illam à ſe abdicando, ſed illam acceptam Deo referendo, vt Deus in omnibus dominetur, & glorificetur, 1. Corinth. 15. *Tunc filius erit ſubiectus Patri, vt ſit Deus omnia in omnibus*. Vide S. Auguſtinum lib. 1. de Trinitate cap. 8. Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 58. ſect. 4. col. 3. & 4. Tannerum tom. 4. d. 2. quæſt. 4. dub. 2. n. 145.

Punctum Quartum.

De futura conditione Beatorum, & damnatorum quo ad corpora.

Hic agere poſſem de gloria, & beatitudine eſſentiali Sanctorum; ſed horum proprius locus erit

in tractatu de Beatitudine, vbi de hac re ex profeſſo agam; ſicut etiam de pęnis damnatorum, damni, & ſenſus egi in tract. de Sacramentis, alijſque in locis, in quibus repetendis tempus non vacat, & ea ibi commodè videri poſſunt. Hic ſolū agam primò, de perfectione, & integritate corporum. Secundò, de dotibus corporum Beatorum. Tertiò, de aureolis in corporibus Beatorum fulgentibus. Quartò, de conditione corporum damnatorum.

Paragraphus Primus.

De vnione Animæ beatæ ad corpus, de Integritate membrorum, & ipſorum vſu.

1 *Animæ beatæ corporibus ſuis vniendæ ſunt.*
2 *Beatitudo eſſentialis ſubſiſtere poteſt abſque corpore.*
3 *Beatorum corpora debitam habebunt membrorum integritatem.*
4 *Beati ſenſibus, & membris vtentur.*
5 *Beati habebunt vſum potentiæ viſiuæ.*
6 *Chriſtus quomodo videndus ſit à Beatis in qualibet cęli Empyrei parte.*
7 *Beati vſum auditus habebunt.*
8 *Beati vſum odoratus habebunt.*
9 *Guſtus Beatis non eſt denegandus.*
10 *Beati habebunt vſum tactus.*
11 *Angeli in cælis corpora non aſſument.*

TRia in hoc §. explicanda, & probanda propono. Primum eſt, Vtrum Animæ beatæ vniendæ ſint corporibus. Secundò, An corpora beatorum debitam integritatem habitura ſint. Tertiò, An membrorum, & ſenſuum vſus futurus ſit in beatitudine.

PRIMA PROPOSITIO.

1 ANimæ beatæ vniendæ ſunt corporibus ſuis. Ratio eſt primò, quia id habetur in ſcriptura, Iob. 19. verſ. 36. *Rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius*, & Lucæ vlt. *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*. Secundò, quia animæ beatæ poſt extremum Iudicium perfecta beatitudine gaudebunt; ad perfectionem autem accidentalem ſupremæ beatitudinis requiritur corpus; nam anima humana habet modum eſſendi perfectiorem, magiſque ſuæ naturæ accomodatum, dum eſt vnita corpori, quam dum eſt ſeparata; ipſa enim eſſentialiter eſt pars hominis; pars autem appetit vniri illi, cuius eſt pars. Ita communiter Doctores, & Patres contra nonnullos hęreticos.

Obijcies, 1. Corinth. 15. dicitur, *Caro, & ſanguinis regnum Dei poſſidere non poſſunt*. Ergo Animæ beatæ vniendæ non ſunt corporibus, alioquin corpus, ſeu caro regnum Dei poſſidere poſſet.

Reſpondeo, pręfatū Apoſtoli locū non intelligi ſimpliciter de carne, & corpore; ſed de carne corrupta, ſeu delicijs, & deſiderijs dedita; hæc .n. regnum Dei poſſidere nō poteſt.

2 Quæres, Vtrum ad eſſentiam, ſeu eſſentialem perfectionem beatitudinis requiratur corpus.

Reſp. negatiuè. Tum quia animę, quæ

que nihil in Purgatorio purgandum habent, beatitudinem ſtatim aſſequuntur corpore in cineres redacto, & à mortuis non excitato. Tum quia beatitudinis eſſentia in clara viſione Dei conſiſtit; ſed ad claram Dei viſionem non requiritur corpus. Ergo ad eſſentiam beatitudinis non requiritur corpus. Ita communiter Doctores.

SECVNDA PROPOSITIO.

3 CORpora Beatorum debitam membrorum integritatem habebunt. Ratio eſt, tum quia homines reſurgẽt cum perfecta membrorum integritate, vt patet ex ſupradictis in hac quæſt. pun. 1. §. 3. & ex Apoſtolo ad Epheſ. 4. *Donec oc curramus omnes in Virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Tum quia Beatis in ſcriptura tribuitur corpus, & perfectio corporis, Iſaiæ 66. *Videbitis, & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt.* Tum quia accidẽtalis perfectio beatitudinis poſtulat, vt remoueantur omnia impedimẽta perfectæ fęlicitatis; vnum autem ex impedimentis perfectæ fęlicitatis eſt defectus, ſeu carentia membrorum. Ita cõmuniter Doctores, & Patres.

TERTIA PROPOSITIO.

4 MEmbra, ſeu ſenſus hominis beati ſuas exercebunt functiones, & peculiarem habebunt delectationem. Ratio eſt primò, quia Beati habebunt perfecta corpora, & ipſorum integritatem. Ergo etiam habebunt illorum functionẽ, & vſum; alioquin fruſtra haberent corpora; cum autem illæ functiones futuræ ſint valdè accomodatæ ſenſibus, ſequitur etiam præfatas functiones fore ipſis delectabiles. Secundò, quia par eſt, vt ſocius paſſionum, & tribulationum, ſit etiam ſocius conſolationis, & fęlicitatis; ſed mẽbra, & ſenſus hominis ſocij fuerunt paſſionum, & tribulationum ſuſtinendo aduerſa pro gloria Dei. Ergo ſocij etiam eſſe debent conſolationis, & fęlicitatis, atq; adeò ſuas functiones exercebunt. Tertiò, quia omnes damnatorum ſenſus poſt Reſurrectionẽ affligentur. Ergo etiam omnes Beatorum ſenſus delectatione afficientur; par enim eſſe debet conditio retributionis præmij, & punitionis. Quartò, quia ſinguli ſenſus hominis in cęlis habebunt accomodata obiecta, circa quæ conuenienter, & delectabiliter verſentur. Ergo ipſis denegãda nõ eſt functio, & delectatio; nam ſi vſus, & functio ſenſuum in cęlis futura non eſt, maximè quia in cęlis non extant obiecta, circa quæ ſenſus conuenienter, & delectabiliter operentur; ſed prę fata obiecta extabunt, vt conſtabit ex illationibus proximè adducẽdis. Ergo etiam extabit ſẽſuum functio, & delectatio circa ipſa. Ita communiter Doctores.

5 Hinc ſequitur primò, Beatos habituros vſum potentiæ viſiuæ, vt patet, tum ex quarta ratione proximè allata, quia ſcilicet aderit obiectum potentiæ viſiuæ, nempè humanitas Chriſti, corpora Beatorum, cęlum Empyreum, & alia, quæ à Beatis conſpici poſſunt. Tum ex ſcriptura Iob 19. *Scio quod Redemptor meus*

Digitized by Google

viuit, & in nouiſſimo die ſurrecturus ſũ, & rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.

Dices primò, Viſio fieri non põt ſine medio, per quod ſpecies obiecti tranſmittantur ad oculũ; in cęlo autem Empyreo aſſignari non poteſt huiuſmodi medium; cum cęlum Empyreum non ſit molle, ſed valdè denſum, & durum.

Reſpõdeo, Cęlum ipſum Empyreum eſſe perſpicuum, & pellucidum, atq; adeo tranſmiſſionis viſibilium ſpecierum minimè impeditiuum. Imò Tannerus tom. 1. d. 6. q. 3. dub. 1. n. 45. & ſeqq. & tom. 2. d. 1. q. 3. dub. 4. n. 33. Roas, & alij exiſtimant in cęlo Empyreo adfuturum medium tranſmiſſionis ſpecierum; quia intra cęlum Empyreum adeſt locus liquidus, diaphanus, & ſpirabilis inſtar noſtri aeris, in quo Beati habitabunt, ſuaſq; operationes exercebunt. Idem ſentiendum putant primò, de medio, per quod ſonus verborum, vel Symphoniæ tranſmittendus eſt ad aurem, vt audiatur. Secundò, de medio, per quod odor ad nares pertingere poteſt. Alij alias afferunt reſponſiones.

6 Dices ſecundò, Chriſtus ſecundum humanitatem nõ conſtituitur pręſens in qualibet Cęli Empyrei parte. Ergo videri non poterit ab omnibus Beatis; nã corpora Beatorũ difuſa erũt per cęlum Empyreum, & multa longis interuallis à Chriſti corpore diſtabunt; conſequenter Chriſtus ſecundum humanitatẽ ab omnibus videri non poterit, præſertim ab exiſtentibus in oppoſita cęli parte, inter quam, & aliam è diametro poſitam globus terræ adeò interiacet, vt radij viſuales, à Chriſto perpendiculariter emanantes, in ipſam terram incidant.

Reſpondeo Chriſtum à Beatis, etiam longiſſimè diſtantibus, & in oppoſita Hemiſpherij cęleſtis parte exiſtentibus, viſum iri. Quod fieri poſſe videtur multis modis.

Primò, quia Chriſtus ſupernaturali virtute emittere poteſt à ſuo corpore viſibiles ſpecies ſingularẽ vim habentes ad conſpiciendum viſibiliter Chriſtum, nõ obſtante locorum diſtantia, & medijs interiacentibus; ſicut .n. experientia cernimus quibuſdam perſpicilijs ita attemperari viſibiles ſpecies, vt obiectum longè diſſitum viſibile reddatur, ac ſi præſens eſſet; ita negandum non videtur Chriſto, aut Beatis, quin ſpecies viſibiles ad alios longè diſtantes tranſmittere poſſint, ac ſi præſentes adeſſent, efficiendo, vt ipſa corpora diſtantia conſpiciantur, aut etiam vt modus ipſe diſtantiæ repręſentetur, ne viſus decipiatur, iudicando tanquã pręsẽs id, quod re ipſa eſt abſẽs.

Secundò, quia fieri poteſt, vt humanitas Chriſti adeò multiplicetur, vt ab omnibus Beatis ſimul, & eodem tempore videatur; ſicut .n. de fide eſt eandem Chriſti humanitatem infinitis ferè locis præſentem ſacramentaliter conſtitui, vt homines in hac mortali vita degentes reficiat, recreet, & paſcat; ita à veritate alienum non videtur præſentiã Chriſti circumſcriptiuam multiplicari ad Sanctos omnes ſuo cõſpectu iugiter recreandos.

Ter-

Tertiò, quia fieri poteſt, vt Beati à Chriſti corpore diſtantes ad ipſum accedant, quoties ipſis viſum fuerit. Alij alios afferunt præfatæ viſionis modos; ſed præfati tres veroſimiliores mihi videntur.

7 Secundò ſequitur, Vſum auditus futurum eſſe in cęlis. Ratio eſt; tum quia Beatis denegandus nō videtur mutuus inter ipſos ſermo, cum hic communi hominum conſuetudini, & conuictui valdè accōmodatus ſit. Ergo neque denegandus eſt auditus; ſermo enim ad auditum dirigitur. Tum quia in cęlis ſuauiſſimi concentus ad concinēdas, & decantandas Dei laudes efformabuntur, Pſal. 149. *Exultabunt Sancti in gloria, lętabuntur in cubilibus ſuis, exaltationes Dei in gutture eorum*, & Apocalipſ. 14. *Et vocem, quam audiui, ſicut cytharedorum cytharizātium in cytharis ſuis, & cantabant quaſi canticum nouum*, & cęt.

Dices, Vox ab homine formari non poteſt abſque reſpiratione; ſed Beati reſpiratione non vtentur, cum reſpiratio inſtituta videatur à natura ad moderandum cordis calorem. Ergo in Beatis non erit vox, conſequenter neque auditus.

Reſpondeo, reſpirationem inſtitutam fuiſſe non ſolum ad leniendum, & temperandum cordis calorem, verum etiam ad efformandā vocem, & ad recipiendum odorem, vt benè Tannerus loco citato n. 38. & alij.

8 Tertiò, ſequitur in Beatis futurum eſſe odoratus actum, vt patet, tum ex rationibus in tertia propoſitione allatis. Tum quia corpora Sanctorum ſuauiſſimum efflabunt odorem, Eccleſ. 24. *Sancti tui Domine florebunt ſicut lilium, & ſicut odor balſami erunt ante te*.

9 Quartò, Vſum guſtus Beatis poſt corporum aſſumptionem denegandum non eſſe, vt patet, tum ex rationibus in tertia propoſitione adductis. Tum quia licet in cęlis futura non ſit guſtandi cibi neceſſitas, cum ibi adſit plena ſatietas, iuxta illud Pſal. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, nihilominus lingua, fauces, ſeu palatum Beatorum non erit aridum; ſed conuenienter humectatum, & incorrupto, & grato ſapore imbutum, cuius linguæ, ſeu palati ſapor erit medium ad ſentiendum alios ſapores. Ita S. Thomas 3. par. quæſt. 82. art. 4. Scotus in 4. diſp. 50. art. 6. Henriquez lib. vlt. de fine hominis cap. 27. num. 2. lit. K. Tannerus loco citato num. 50. & alij.

Dices, guſtus à natura inſtitutus fuit ad alendum corpus; Beati autem corporis alimento non egent.

Reſpondeo, guſtum inſtitutum fuiſſe nō ſolum ad alendum corpus, verum etiā ad cognoſcendas rerum naturas, quo pacto is, qui ægroti curam gerit, cibos ei tradendos deguſtat, vt ipſorum ſaporem cognoſcat, nulla cibi parte ad ſtomachum tranſmiſſa.

10 Quintò, ſequitur vſum, & functionem tactus in Beatis non defuturam, vt patet ex rationibus ſępius indicatis, pręſertim quia in cęlis aderit ſenſus tactus, & obiectum tangibile, nimirum cęlum Empyreum, & ipſa Beatorum corpora. Ergo etiā aderit ipſa ſenſatio, ſeu actus tactus; poterunt .n. manus complicari, & decentes amplexus, & caſta oſcula mutuò impingi. Imò Chriſtus ipſe

Digitized by Google

indicaſſe videtur Magdalenæ, ſe in cęlis non abhorriturum ab ipſius oſculis, Ioan. 20. *Noli me tangere, nundum .n. aſcendi ad patrem meum*. Nullus tamen ibi aderit libidinoſus tactus, ſeu amplexus. Tum quia in cęlis neq; nubent, neque nubentur. Tum quia generatio eſſe non poteſt ſine alteratione corruptiua, quam in Beatis admittere non debemus.

11 Sed modò Dubium ſupereſt, Vtrum Angeli in cęlis corpora aſſumpturi ſint, & ſenſationes fictas in ipſis exercituri.

Reſpondeo negatiuè, quia nulla ſubeſt ratio, ob quam id facturi ſint; ideò .n. in terris corpora aſſumunt, & fictas ſenſationes faciunt, quia non poſſumus ipſos intellectualiter videre; in cęlis autèm ipſos viſione intellectuali conſpiciemus.

Ex quo patet à fortiori Angelos non exercircuros veras ſenſationes, quia ſenſatio ſupponit potentiam vitalem, à qua eliciatur.

Probabilis tamen eſt opinio Anſelmi in Elucidario, & aliorum, quos ſequitur Martin. Roas de ſtatu Beatorum cap. 13. ſub finē, aſſerentium Angelos interdum aſſumpturos corpora ex aere, vel ex cęli materia fabricanda, & in ijs operationes humanis actibus ſimiles exercituros.

Paragraphus Secundus.

De Dotibus glorioſi Corporis.

1 *Dos glorioſi corporis quid ſit.*
2 *Dotes glorioſi corporis ſunt impaſſibilitas, ſubtilitas, agilitas, & claritas.*
3 *Impaſſibilitas quid ſit.*
4 *Dos impaſſibilitatis in quonam conſiſtat.*
5 *Claritas quid ſit.*
6 *Claritas, ſeu lux Beatorum an ſit eiuſdem ſpeciei cum luce Solis remiſsiuè.*
7 *Beatorum corpora non erūt diaphana, & pellucida, vt Cryſtallus.*
8 *Agilitas quid ſit.*
9 *Motiua virt' in beatis inerit animę.*
10 *Beati non mouebunt ſe naturaliter ab extremo ad extremum abſque medio.*
11 *Beati quandonam agilitatis dote vtentur.*
12 *Subtilitas quid ſit.*
13 *Dos ſubtilitatis in quonam conſiſtat.*
14 *Dotes glorioſi corporis moraliter proueniunt ab anima.*
15 *Dotes glorioſi corporis non erunt æquales in omnibus Beatis.*

IN hoc §. primo loco explicabo, quid ſit dos. Secūdò, quotuplex, & quid vnaquęque ipſarum ſit. Tertiò, vnde dotes proueniant. Quartò, an in omnibus futuræ ſint æquales.

PRIMA PROPOSITIO.

1 DOs glorioſi corporis nihil aliud eſſe videtur, quam perfectio quædam, ſeu ornamentum naturali perfectioni corporis beati ſuperadditum. Ita communiter Doctores.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 DOtes glorioſi corporis quatuor ſunt, nimirum Impaſſibilitas, Subtilitas, Agilitas, & Claritas. Hæc propoſitio probatur primò,

mò, ex ſcriptura 1. Corint. 15. *Corpus ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptione*, ideſt ī impaſſibilitate; *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria*, ideſt in claritate, *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute*, ideſt in agilitate, *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale*, ideſt in ſubtilitate ſimili corpori ſpirituali.

Secundò probatur ratione, quia dotes ſunt perfectiones, quæ corpori beato ſecundum naturam, & naturales perfectiones iam perfectò adueniunt; ſed iſtæ conuenienter aſſignantur quatuor; congruū .n. eſt, vt corpus beati perfectum ſit, & immutabile, & ſic aſſignatur impaſſibilitas. Rurſus par eſt, vt corpus beati luceat, & ſplendeat, ſicut interius viſione, & cognitione Dei perfectè illuſtratur, & ſic aſſignatur claritas. Præterea conſentaneum eſt Beato, vt exiſtat in quo velit loco, nulloq; obſtaculo à loco excludatur, & ſic non ſolum aſſignatur ſubtilitas, per quā à nullo corpore impeditur, verum etiam agilitas, per quā celerrimè ſe ipſum, & quæcunque ſecum defert, mouere poteſt.

Tertiò, exemplo Chriſti, qui eſt cauſa exemplaris glorioſi corporis; in Chriſto aūt poſt Reſurrectionem aderat impaſſibilitas, agilitas, ſubtilitas, & claritas. Ergo eędem corpori beato ineſſe debent.

Quartò, authoritate Patrum, & Doctorum, vt Ambroſij lib. 10. in Lucam cap. vlt. Auguſtini lib. 13. de Ciuitate Dei cap. 18. Damaſceni lib. 4. de fide cap. vltimo, Anſelmi lib. de ſimilitudinibus cap. 50. S. Thomæ in ſupplemēto ad 3. p. q. 82. & ſeqq. Peſantij ibid. Valentiæ to. 4. diſp. 11. quæſt. 5. Henriquez in ſumma lib vlt. de fine hominis cap. 27. Tanneri tom. 2. diſp. 1. quæſt. 3. dub. 5. Putcani 1. 2. quæſt. 4. dub. 3. & aliorum communiter.

3 Sed modò dubium eſt primò, quid ſit Impaſſibilitas.

Reſp. eſſe perfectionem, ſeu qualitatē, ſeu Ius, quod Beatis virtute beatitudinis competit, ne corruptionē, aut alterationem corruptiuā, ſeu mutationem noxiam, aut ſenſationem moleſtam ſentiant. Ita communiter Doctores. Ex quo patet primò, Beatum amplius mori non poſſe. Secundò, patet differentia inter impaſſibilitatem Adami, & corporis beati; nam impaſſibilitas Adami erat cōdicionata, vt non poſſet mori, nec quicquam aduerſum pati durante ſtatu Innocentiæ; Beatus verò non poteſt ab vllo agente virtute naturali lædi. Tertiò, patet differentia inter Beatos, & damnatos, quod Beati ſubiecti non ſunt vlli alterationi, vel mutationi noxiæ, & moleſtæ; damnati verò ſubiecti ſunt alterationi, & paſſioni, quamuis quoad ſubſtantiam, & ſubſtantialem corporis integritatem immortales ſint, & incorruptibiles.

4 Rogabis, in quonam conſiſtat dos Impaſſibilitatis.

Reſpondeo, varias eſſe in hac re Doctorum ſententias; aliqui .n. putant eam conſiſtere in qualitate ſpirituali animæ infuſa, per quam anima beata in corpore glorioſo reſiſtere poſſit cuilibet aduerſæ alterationi, & noxiæ mutationi. Ita Adam Tannerus num. 67. Alij putant conſiſtere in qualitate, quam anima beata traſmittit ad corpus, illudq; intrin-

trinſecè reddit impaſſibile, agile, & ſubtile. Ita Valentia tom.4.diſp.11. quæſt. 5. pun. 1. Alij putant conſiſtere in aſſiſtentia Dei prohibente omnem noxiam mutationem, & hęc aſſiſtentia cũ debita ſit corpori glorioſo ratione beatitudinis, vocari poteſt dos quodammodo intrinſeca ipſi Beato. Ita Scotus in 4. d. 49. q. 13. Durandus, & alij. Omnes iſtæ opiniones probabiles ſunt, & probabiliter defendi poſſunt; nihil tamen certi definiri poteſt, quia ſcriptura, Eccleſia, vel Patres non definierunt.

5 Secundò Dubium eſt, quid ſit Claritas.

Reſpondeo, eſſe qualitatem quãdam veræ, & corporeæ lucis corpori beato inhærentem, & ab oculo etiã non glorioſo viſibilem, vt patet ex claritate, qua Chriſti corpus in Trãsfiguratione præfulſit.

Obſerua tamen liberum eſſe Beato moderari, ſeu cohibere hanc claritatem, ſeu lucem, vt ab alijs non videatur, niſi quando, & quomodo voluerit, vt patet exemplo Chriſti, qui ſui corporis claritatẽ cohibuit, dũ Magdalenæ in horto, & Diſcipulis in Emaus euntibus apparuit. Ita communiter Doctores. Quamquam naturali virtute Beatus cohibere nõ poterit ſpecies, ſeu radios lucis ſuive corporis; gloria enim non tollit naturam, emiſſio autem ſpecierum eſt actio connaturalis ſubiecto; ſupernaturali tamen virtute id facere poterit, ſicut Chriſtus. Lucæ 24. euanuit ab oculis. Ita S. Thomas 3. par. quæſt. 54. art. 1. Henriquez in ſumma lib. vlt. de fine hominis cap. 27. num. 5. Tannerus tom. 2. diſp. 1. q. 3. dub. 6. num. 61.

6 An autem lux illa, ſeu claritas bonorum futura ſit ſupernaturalis, & non eiuſdem rationis cum luce Solis, iam explicatũ eſt ſupra in hac diſp. quæſt. 2. pun. 5. num. 4.

7 Rogabis, Vtrum corpus Beati futurum ſit perſpicuum, ſeu pellucidum, ac diaphanum, vt chryſtalus.

Reſpondeo negatiuè iuxta probabiliorem ſententiam. Tum quia corpus retinebit ſuum natiuum colorẽ; color autẽ eſt qualitas corporis aliqua ratione opaci, & non perſpicui; opacitas .n. perſpicuo directè opponitur; tum quia etiam ipſa lux directè videri non poteſt, niſi in corpore aliquo opaco, nullumque corpus eſt lucidum, niſi ſit etiam opacum. Ita Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 15. Durandus d. 44. quæſt. 8. Tannerus loco citato n. 61. Henriquez in ſumma lib. vlt. de fine hominis cap. 27. n. 5. contra plures alios, quorum opinio probabilis eſt; multi tamen Doctores ſentiunt Beatum poſſe pro voluntate ſua oſtendere interna ſua, & viſcera, ac ſi corpus ſuum eſſet diaphanum; nam poteſt pro voluntate ſua ex viſceribus diffundere proprias ſpecies viſibiles. Ita Hẽriquez loco citato, & alij, quorum opinio probabilis eſt.

8 Tertiò Dubium eſt, quid ſit Agilitas.

Reſpondeo eſſe qualitatem quãdam Beato ſuperadditam, per quam Beatus ſe ad omnes mundi partes pro arbitratu ſuo, vno ferè impetu, celerrimè mouere poteſt. Ita communior Doctorum ſententia.

9 An autem hæc vis motiua immediatè inſit corpori, vel animæ, diſſenſio eſt inter Doctores, mihi pro-

probabilius dicendũ videtur ineſſe animæ, quia ad ipſam ſpectat corpus, ad quamcunque velit loci differentiam, mouere, vel ſiſtere, & alia corpora ſecum dimouere; Vnus tamen Beatus non poterit inuitus ab alio dimoueri.

Obijcies, corpora Beatorum naturalem ſuam grauitatem, & pondus retinent; grauitas .n. eſt veluti proprietas corporis; ſed agilitas ſtare non poteſt cum grauitate, & pondere. Ergo Beati agilitatem non habent.

Reſpondeo, Beatos retẽturos grauitatẽ in actu primo, non verò actualem grauitationem ab illa prouenientem tanquam à cauſa efficiente; Deus enim ſuum ſubtrahet concurſum, ne pondus, ſeu corpus grauitet, niſi quando id Beatis libuerit.

10 Rogabis primò, Vtrum Beati mouere ſe poſſint naturaliter ab extremo ad extremum ſine trãſitu per medium, aut cum tranſitu per medium in inſtanti.

Reſpondeo negatiuè, quia intelligi non poteſt, quomodo localiter extenſum naturaliter moueri poſſit abſque ſucceſſiuo motu per mediũ. Ita S. Thomas in ſupplemento ad 3. par. quæſt. 84. art. 3. Tannerus to. 2. diſp. 1. q. 3. dub. 6. n. 63. & alij.

11 Rogabis ſecundò, quandonam Beati dote agilitatis vſuri ſint, & ad quem finem.

Reſpondeo, vſuros quãdo voluerint, & ad quem finẽ voluerint; Beati .n. liberum adhuc retinent arbitrium. Quamobrem Sancti poſt reſurrectionem poterunt ad terram pro libito ſuæ voluntatis deſcendere, vel aſcendere, iuxta S. Thomam in 4. d. 44. quæſt. 2. art. 2. Tannerum loco citato num. 64. & Martinum Roas de ſtatu beatorum aſſerentem Beatos deſcenſuros ad Limbum quoties voluerint ad viſitãdos infantes ibi exiſtentes.

12 Quartò Dubium eſt, quid ſit ſubtilitas, de qua 1. Corint. 15. dicitur, *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale*.

Reſpondeo eſſe facultatem quãdam, per quam Beati penetrare poterunt quęlibet corpora ſine vlla reſiſtentia inſtar rerum ſpiritualium. Ideò Apoſtolus 1. Corinth. 15. ait, *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale*. Dicitur autem corpus Beatorum ſpirituale ab effectu, vel quia ſpirituali potentię, & operationi ſeruiet; vel quia ſimul eſſe poterit in eodem loco adęquato cũ alio corpore, etiam non glorioſo; penetratio .n. corporum impoſſibilis non eſt, vt patet in Chriſto, qui intacto, & illęſo Beatiſſimę Viginis clauſtro prodijt ex vtero, reſurrexit clauſo ſepulchro, & ad Diſcipulos clauſis ianuis ingreſſus eſt. Ita communiter Doctores, contra Durandum generaliter ſentientẽ penetrationem corporum impoſſibilem eſſe. Hęc dos vocatur ſubtilitas, quia Beati per ipſam facilè poſſunt quælibet corpora penetrare, ſicut aer vocatur ſubtilis, quia ipſi ob ſuam ſubtilitatem facilis eſt ad quælibet loca ingreſſus. Intellectus, aut viſus dicitur ſubtilis, quia facilè percipit, & intelligit obiecta, & ſapor, vel odor dicitũ ſubtilis, dum præuio organo guſtus, vel odoratus facilè percipitur à potentia.

13 Rogabis, in quonam conſiſtat dos ſubtilitatis.

Reſ-

Digitized by Google

Reſpondeo conſiſtere in qualitate corpori, vel animæ infuſa; vel vt alij probabilius volunt, in aſſiſtentia, ſeu concurſu diuino, ſeu in iure habendi hanc aſſiſtentiã, & concurſum, vt corpus beati ſimul exiſtere poſſit cum alio corpore, non obſtante naturali repugnantia quantitatis; cum enim Deus ſit ſupremus rerum Dominus, ſuo peculiari concurſu debito corpori beato ratione beatitudinis efficere poteſt, vt duo corpora ſimul in eodem loco exiſtant, habeantque idem Vbi intrinſecum, concurrente fortaſſis etiam ad hunc effectum ipſo corpore glorificato per modum Inſtrumenti phyſici. Ita Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 44. Tannerus tom. 2. diſp. 1. quæſt. 3. dub. 6. num. 67. & alij.

TERTIA PROPOSITIO.

14 Dotes glorioſi corporis proueniunt moraliter ab anima beata; nam beatitudo animæ redundare dicitur in corpus, non quia anima ipſa has qualitates in corpore phyſicè producat; ſed moraliter, quia ob beatitudinem animæ, quaſi per modum cauſæ meritoriæ, corpori debentur iſtæ dotes; effectiuè tamen à Deo producuntur. Ita S. Thomas 3. p. in ſupplemento quæſt. 82. art. 1. q. 84. art. 1. & q. 81. art. 1. Suarez 3. par. q. 45. in comment. art. 2. Tannerus loco citato num. 67. & ſeqq. Valentia tom. 4. diſp. 11. q. 5. pun. 5. & alij ferè communiter.

QVARTA PROPOSITIO.

15 Dotes glorioſi corporis non ſunt futuræ æquales in omnibus Beatis. Ratio eſt, tum quia debentur ratione meritorum; in Beatis autem non ſunt æqualia merita. Tũ quia gloria corporis reſpondet gloriæ animæ; hæc autem non eſt in omnibus æqualis. Ergo nec illa. Tum quia omnes fere dotes ſunt qualitates poſitiuæ; qualitates autem poſitiuæ capaces intenſionis eſſe ſolent. Tum quia præmium datur pro qualitate meritorum; iſtæ autem dotes ſunt quoddam præmium. Ita S. Thomas q. 82. art. 2. & Tannerus n. 63. ad finem loquens de agilitate.

Dices, Omnes beati penetrare poterunt aliena corpora, nec vllam patientur noxiam mutationem. Ergo pares erunt in dotibus ſubtilitatis, & impaſſibilitatis.

Reſpondeo, dotem impaſſibilitatis, quoad negationem paſſionis, ſeu mutationis, parem futuram eſſe in omnibus; quoad rationem verò poſitiuam, ex qua impaſſibilitas naſcitur, ſeu ratione cuius debetur, non fore æqualem in omnibus, ſed maiorem, vel minorem pro meritorum qualitate. Ita communiter Doctores loquẽtes de impaſſibilitate; ſed eadem ferè ratio cum proportione eſſe poteſt de ſubtilitate.

Paragraphus Tertius.

De Aureolis Beatorum.

1 *Aurea, & Aureola quid ſignificet.*
2 *Aureolæ tres ſunt.*
3 *Aureolę cur tres ſint, & nõ plures.*
4 *Aureola Martyrij præſtantior eſt cęteris aureolis.*
5 *Aureola Virginitatis ad ſui conſecutionem requirit puritatẽ, & integri-*

tegritatem corporis ex propoſito vſque ad finem vitæ, quantum in nobis eſt.

6 *Aureola Virginitatis non amittitur ob peccatum veniale.*

7 *Martyrium quid ſit, & quid requiratur ad ipſius laureolã, remiſsiuè.*

8 *Doctorum nomine, quibus aureola debetur, quid intelligatur.*

9 *Chriſto non debetur Aureola, ſed aliquid præſtantius.*

10 *Aureola non debetur Angelis.*

11 *Aureola, ſeu aliquod inſigne debetur etiam corporibus beatorum.*

12 *Aureola in vno futura eſt perfectior, quam in alio.*

13 *Aureolam habentes nõ ſemper habent eſſentiale præmium maius quam habeant cęteri non habentes aureolam.*

14 *Aureola ſicut debetur Virginibus, Martyribus, & Doctoribus, ita etiam peculiare præmium accidẽtale debetur ijs, qui peculiares virtutum actus exercent.*

1 Beatitudo, ſeu pręmium aliud eſt eſſentiale, aliud accidẽtale; præmium eſſentiale conſiſtit in viſione, & fruitione Dei, & vocari ſolet à Doctoribus corona aurea, qua donantur, & decorantur ſinguli Beati. Pręmium verò accidentale, ſeu acceſſoriũ conſiſtit in peculiaribus donis à Deo collatis præter eſſentialem beatitudinem, & per diminutionẽ corona aureola, ſeu laureola vocatur. Aureolã aliqui Doctores putant conſiſtere in peculiari quodam gaudio, quod nonnulli Beati ex recordatione ſingularis victoriæ percipiunt. Alij putant conſiſtere in peculiari quodam ſigno animę quorundam Beatorum à Deo impreſſo, vt à cæteris diſtinguantur. An autẽ futurum ſit aliquod ſignum in corpore, conſtabit ex infra dicẽdis. Hoc poſito in hoc puncto quæremus primò, quot ſint aureolæ. Secundò, quænam præſtantior ſit, & quid ad ipſarum conſecutionem requiratur, vtrum debeatur Chriſto, aut Angelis, aut corpori, ita vt in ipſo imprimẽdum ſit aliquod ſignum, an vni debeatur maior, alteri minor, ac denique vtrum accidentale pręmium debeatur illis, qui eximios virtutum actus præſtant, licet ipſis aureola non conferatur.

PRIMA PROPOSITIO.

1 Aureolæ tres ſunt, nempè Virginum, Martyrum, & Doctorum.

De Aureola Virginum loquitur Iſaias cap. 26. verſ. 5. *Hoc dicit Dominus Deus Eunucho &c. dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, nomen melius à filijs, & filiabus.* Et Apocalipſ. 14. *Nemo poterat dicere canticum, niſi illa centũ quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra, hi ſunt qui cum mulieribus nõ ſunt coinquinati; Virgines enim ſunt, hi ſequuntur Agnũ quocunque ierit.*

Ex quo loco Patres, & Doctores colligunt peculiare pręmium Virginibus deberi; & quamuis Viduæ in ſeruanda continentia maiores difficultates aliquando fortè patiantur, tamen Aureola nõ cõfertur Viduis, ſed Virginibus, quia corona non cõfertur preciſè ob pugnam, ſeu difficultatem pugnandi, ſed ob victoriã, vt benè S. Thomas in ſupplemento

ad 3. par. quæſt. *96.* art. 5. & alij communiter. Hæc aureola fortè eſt illud accidentale præmium, quod Matt. 13. indicatur nomine fructus centeſimi; cum enim Virginitas ſit præſtantior caſtitate Viduali, ideò Virginitati debetur fructus centeſimus, caſtitati autem Viduali debetur fructus, quem Chriſtus ſexageſimum vocat, poſito fortè numero determinato pro indeterminato, & quia caſtitas coniugalis minori præmio digna eſt, quam Virginitas, & caſtitas Vidualis, ideò illi aſſignatur fructus trigeſimus, vt ex Chriſti parabola Matth. 13. indicatur.

De Aureola Martyrum loquitur Io. Apoc. 7. verſ. 14. *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & de dealbauerunt eas in ſanguine Agni*; & licet hæc verba adeò generalia videantur, vt ad ſolos Martyres non referātur, nihilominus martyribus peculiarem laureolam deberi communiter conceditur à Doctoribus; nam maius præmium debetur Martyri, quam Virgini. Ideò Auguſtinus lib. de Virginitate c. 46. ait, neminē auſū fuiſſe Virginitatem præferre martyrio.

De Aureola Doctorum loquitur Daniel cap. 12. verſ. 13. *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtella in perpetuas æternitates.* & Matth. 5. *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Celorum.*

3 Sed modo dubium eſt, cur enu merentur tres aureolæ, & nō plures.

Reſpondeo, Aureolas tres eſſe, & non plures, quia aureola debetur ob ſingularem, & eximiam de hoſtibus victoriam; cum autem hoſtes ſint tres, nimirum Mundus, Caro, & Diabolus, & de Mundo triumphet Martyr, de Carne Virgo, & de Diabolo Doctor, eripiendo populū ab ipſius tyranide per doctrinam, & rerum ſacrarum vſum, ſequitur tres eſſe laureolas, & non plures; & licet paupertatem ſectantibus peculiare præmium in ſcriptura promittatur; hoc tamen præmium non venit nomine aureolæ, quia aureola confertur ſolum ob ſingularē de hoſtibus victoriam; hoſtes autem tres ſunt, Mundus, Caro, & Diabolus.

Hinc ſequitur aureolam non deberi ob quælibet pietatis opera, licet eximia, ſed peculiaria opera excellentis victoriæ. Ideò fieri poteſt, vt aureola debeatur minus Beato, non autem beatiori; quamuis beatior maiores habeat gratiæ, & charitatis gradus, & maiori potiatur præmio eſſentiali, vt benè S. Thomas in ſupplem. quæſt. *96.* art. 1. ad 2. & alij, quos referam num. 13.

SECVNDA PROPOSITIO.

4 Aureola martyrij, ſimpliciter, & abſolutè loquendo, præſtantior eſt cęteris aureolis, quāuis enim pugna martyris adeò longa, & diuturna non ſit, ſicut eſt pugna Virginis; quia tamen Martyr pugnat vſque ad ſanguinem, & vitæ amiſſionem, peculiaris ei corona debetur. Ita S. Auguſtinus loco ſupra citato, S. Thomas in ſupplem. q. *96.* art. 12. Tannerus tom. 2. diſp. 1. q. 4. dub. 2. n. 13. & alij communiter.

5 Sed modò Dubium eſt primò, quid ad conſequendam Virginitatis laureoram requiratur.

Reſpondeo requiri, vt puritas, & inte-

integritas corporis ex propoſito integra, & illæſa, quantum in nobis eſt, ſeruetur vſque ad finem vitæ. Ita communiter Doctores cũ S. Thoma in ſupplemẽto ad 3.p.q.96.ar.5.

Ex quo ſequitur primò, aureolã Virginitatis deberi ei, qui toto vitæ ſuæ tempore nulli carnis tentationi conſenſum præbuit, etiamſi fortè ob frigiditatem, vel ob aliam causã inhabilis eſſet ad coeundum, vel ad ſeminandum; nam hæc laureola debetur ob victoriã de carne per opus meritorium; hic autem mente, & corpore victor extitit de carne, & de neceſſitate virtutem fecit. Idem militat in eo, qui virginitatem perpetuò coluit, etiam absq; voto Virginitatis. Ratio eſt, quia aureola Virginitatis debetur Virginitati ob opus virtutis meritorium; poteſt autem eſſe opus meritorium etiam ſine voto Virginitatis, vt benè S. Thomas loco citato.

Secundò, Aureolam deberi fœminæ, quæ per vim carnaliter cognita fuit, etiamſi fortè fœtum inde conceperit, modò Virginitatis propoſitum ſemper habuerit. Imò ſi pro fide mortem oppetijt, & duplicem victoriam conſequitur, vnam martyrij, virginitatis alteram. Ita communiter Doctores.

Tertiò, Laureolam nõ deberi illi, qui retenta integritate corporali, mentaliter peccauit contra caſtitatis virtutem, aut nubendi propoſitũ habuit. Ratio eſt, tum quia hic non dicitur caſtitatem ſeruaſſe ex propoſito. Tum quia laureola debetur Virginitati, quatenus eſt opus meritorium; non eſt autem opus meritorium, niſi ſeruetur ex propoſito, & animi deliberatione. Ideò Infantibus, cum integritate carnis defunctis, non debetur aureola propriè accepta, quãquam peculiare quoddam gaudium recipient de integritate, & incorruptione ſui corporis, quod gaudium appellari poteſt aureola, non ſtrictè, ſed latè accepta; & hic videtur Eccleſiæ ſenſus, dum Innocentibus pro Chriſto occiſis accomodat illa Verba, *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, Virgines enim ſunt.*

An autem illi qui mentaliter peccauit contra Virginitatem, laureola debeatur, ſi propoſitum ſeruandæ caſtitatis iterum repetat, & ſeruet vſque ad vitæ finem, Cõmunis Doctorum ſententia affirmat, modò carnis integritas ſemper remanſerit; nã Virginitas mentis, etiã ſemel amiſſa, reparari poteſt, non ita Virginitas carnis, vt ait S. Thomas art. 5. citato, Henriquez lib. 1. de pęnit. c. 13. & lib. vlt. de fine hominis cap. 27. num. 6. & alij. Sed quid ego in hac re ſentiam, docui de Sacram. d. 5. quæſt. 6. ſect. 5. num. 2. ad finem cum Suarez, & alijs, vbi dixi non recuperari virginitatem, ſed virtutem illi reſpondentem.

Quartò, ſequitur Aureolam Virginitatis Beatiſſimæ Virgini Mariæ deberi. Tum quia ipſa liberè, & voluntariè virginitatem ſeruauit. Tum quia licet ipſa carnis tentationes à carne prouenientes non ſenſerit, vt patet ex ſupradictis de fomite, paſſa tamen fuit pugnam, & tentationes illatas à Dęmone, qui etiam ipſummet Chriſtum aggredi conatus fuit. Ita S. Thomas quæſt. 96. art. 5. ad 2. & alij.

Quin-

Quintò, Aureolam Virginitatis tradendam non fuiſſe hominibus in ſtatu Innocentiæ, quia nullus Virginitatem ſeruaſſet; nuptiæ enim fuiſſent honorabiles, & Thronus immaculatus, nulla concupiſcentiæ feditate exiſtente. Ita S. Thomas loco citato, & alij.

6 Rogabis ſecundò, Vtrum aureola Virginitatis amittatur ob veniale peccatum contra Virginitatẽ.

Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, quia ſicut per veniale peccatum non amittitur corona aurea, ideſt Beatitudo eſſentialis, ita neque ammittetur aureola, ideſt præmium accidentale; acceſſorium enim ſequitur naturam principalis. Hinc patet quid dicendum ſit de martyrio cum peccato veniali ſuſcepto.

7 Secundò Dubium eſt, quid ſit martyrium, & quid requiratur ad obtinendam aureolam martyribus conſtitutam.

Reſpondeo de hac re fusè à me actum fuiſſe de Sacramentis diſp. 2. quæſt. 1. pun. 1. & ſeqq., ad ibi dicta me remitto.

8 Tertiò Dubium eſt, quinam intelligantur nomine Doctorum, quibus Aureola debetur.

Reſpondeo intelligi eos, qui ſtudio pietatis ex profeſſo actũ docẽdi, ſeu prædicandi exercuerunt docendo ea, quæ ad ſalutem pertinent, ſine doctoratus laurea inſigniti ſint, ſiue non; cum enim iſti Diabolum ſua ſalutari doctrina, quaſi ſpiritualibus quibuſdam armis expellant, aut refellant, atque adeò victores excellenter exiſtant, digni ſunt qui aureola decorentur. Ita S. Thomas in ſupplemento q. 96. art. 7. Henriquez lib. vlt. de fine hominis cap. 27. num. 6. Tannerus tom. 2. d. 1. quæſt. 4. dub. 3. num. 35. Valentia tom. 4. diſp. 11. pun. 2. ſub finem, & alij communiter.

Ex quo licet inferre primò, aureolam non deberi propter ſolam doctoris dignitatem, ſeu gradum; ſed propter actum docendi ea, quæ ad ſalutem pertinent; nã corona nõ debetur habitui, ſed pugnę actuali, iuxta illud 2. ad Thimot. 2. *Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit*. Ob id etiam Epiſcopus, vel Prælatus, cui docendi munus ex officio incumbit, non decorabitur aureola, niſi docendi officium actu exercuerit. Ita DD. citat.

Secundò, Aureolam non deberi Magiſtris ſęculariũ diſciplinarum; quia hæc datur ob actum docendi ea, quæ ad ſalutem pertinent.

Tertiò, Aureolam deberi non ſolum docentibus voce, verum etiam docentibus ſcriptis, modò ex profeſſo id faciant, maximè ſi id faciãt in defenſionem Eccleſiæ contra Infideles.

9 Quartò Dubium eſt, Vtrum Chriſto debeatur Aureola.

Reſpondeo iuxta probabiliorem Doctorum ſententiam, Chriſto non deberi aureolam propriè acceptam, ſed aliquid excellentius laureola. Probatur primò, quia ſicut in Chriſto paſtore nõ eſt character Baptiſmi, aut Sacerdotij, ſed eſt in ouibus, & membris ſuis, vt dictum eſt de Sacramentis, ita neque eſt aureola propriè accepta. Secundò, quia Aureola eſt gaudium de conformitate ad Chriſtum; Chriſtus autem ſibi ipſi conformatus non eſt; nemo

enim ſibi ipſi conformatur. Tertiò, quia aureola cum dicat diminutionem, competit iјs tantum, in quibus eſt aliqua perfectioris victoriæ participatio ſecundum imitationẽ eius, in quo plena, & perfecta victoriæ ratio exiſtit. Sed in Chriſto inuenitur plena victoriæ ratio, iuxta illud Apocalipſ. 5. *Vicit leo de tribu Iuda*, & Ioann. 16. *Confidite, ego vici Mundum*. Ergo Chriſto non competit aureola, ſed aliquid excellentius aureola, per quod cęteri omnes victores conſtituantur, & aureolas acquirant, iuxta illud Apocalipſ. 3. *Qui vicerit, faciam eum ſedere in Throno meo, ſicut ego vici, & ſedeo in Throno Patris mei*. Ita S. Thomas quæſt. 96. art. 8. Henriquez, & Tannerus locis citatis, Martinus Roas de ſtatu Beatorum cap. 16.

Obijcies, Chriſtus excellẽtiſſimè deuicit Mundum, Carnem, & Diabolũ, fuitque excellens Virgo, Martyr, ſeu teſtis ſupremæ virtutis, & Doctor. Ergo ipſi competit aureola, cum hæc debeatur ob excellentẽ de Mundo, Carne, & Diabolo victoriã.

Reſpondeo Aureolam deberi ob excellentem victoriam ad imitationem, & conformitatem illius, in quo ineſt plena, & perfecta ratio victoriæ; Chriſtus autem non fuit hoc pacto Victor, ſed eſt caput, ad cuius imitationem cæteri omnes excellentem victoriam de hoſtibus reportãt. Ob id Chriſto aliquid excellentius laureola debetur.

10 Quintò Dubium eſt, Vtrum Angelis Aureola debeatur.

Reſpondeo negatiuè. Tum quia omnes eodem genere actus ſuã beatitudinem meruerunt. Ergo nullum ſingulare pręmium vni potius debeatur, quam alteri. Tum quia meritũ Virginitatis, & Martyrij in ipſis reperiri non poteſt, cum incapaces ſint mortis, & corporeæ voluptatis; & licet Angeli ſuperiores Doctoris officium reſpectu inferiorum, atque reſpectu hominum exerceant, cum tamen id faciant ſine difficultate, & in ſtatu beatitudinis, in quo nouo merito, aut præmio locus non eſt, nullam ob id laureolam aſſequuntur. Quamuis nouum accidentale gaudium inde percipere poſſint. Ita S. Thomas in ſupplement. quęſt. 96. art. 9. Tannerus loco citato nu. 37. & alij communiter.

11 Sextò Dubium eſt, Vtrum aureola etiam corpori debeatur, ſeu vtrum aliquod inſigne conferẽdum ſit in corpore Beatorum reſpõdens vnicuique aureolæ.

Reſpondeo affirmatiuè cum S. Thoma quæſt. 96. art. 9. & alijs cõmuniter; quamuis enim aureola propriè ſit in anima, cuius eſt gaudium eſſentiale; per redundantiam tamen refulget in corpore, & carne, vt in ſimili dictum eſt ſupra de dotibus §. 2. num. 14. & veroſimile eſt aliquod peculiare inſigne cuiuſque laureolæ futurum in corpore Beatorum, ſiue illud ſit mitra, ſiue diadema in capite, ſeu palma in manibus, ſiue torques, ſiue aliud ſimile, & fortaſſis in manu Martyris erit quaſi ramus ex palma, ſicut in loco cicatricis, ſeu martyrij erit eximius ſplendor; in Doctore quaſi ſubviridis ramus; in manu, aut capite Virginis color cãdori lilij ſimilis. Ita Sotus diſt. 49. quæſt. 5. art. 2. Henriquez lib. vlt. de fine hominis cap. 27. n. 6. Mart-

Digitized by Google

Roas de ſtatu Beat. c. 15. Tann. to. 2. d. 1. q. 4. dub. 3. num 38. & alij.

12 Septimò Dubium eſt, Vtrum aureola magis inſignis, & perfectæ futura ſit in vno, quam in alio.

Reſpōdeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia aureola conſiſtit in gaudio mētis, & in quibuſdam inſignibus, ſeu ornamentis corporis, quæ reſpondent meritis, & ſpecialibus virtutum operibus; ſicut ergo in omnibus non ſunt æqualia merita, & opera, ita neque æqualis laureola, præmium enim commēſuratur merito. Ita S. Thomas in ſupplem. quæſt. 96. art. 13. Valentia, & Tannerus locis ſupra citatis, & alij communiter.

13 Rogabis, Vtrum habentes laureolam habeant etiam eſſentiale præmium maius, quam habeant ceteri non habentes aureolam.

Reſpondeo id non eſſe vniuerſaliter verum, ſed ſępè fieri poſſe, vt minus Beatus habeat aureolam, & beatior illa careat. Ratio eſt, quia præmium eſſentiale reſpondet gratiæ, & charitati; fieri autem poteſt, vt habens aureolam cæteros gratia, & charitate non ſuperet. Ita S. Thomas in ſupplem. 3. par. quæſt. 96. art. 1. ad 2. Tannerus tom. 2. d. 1. quæſt. 4. dub. 2. n. 13. & 21. & alij.

14 Octauò, Dubium eſt, Vtrum ſicut Virginibus, Martyribus, & Doctoribus peculiare præmiū, quod aureolam nuncupamus, debetur, ita etiam peculiare præmium accidentale debeatur alijs eximios quoſdam virtutum actus exercentibus.

Reſpondeo deberi quidem præmium accidentale, ſed nō aureolam; quod non debeatur aureola patet ex dictis num. 3. in ſolutione dubij poſt primam propoſitionem. Quod verò peculiare præmium accidentale debeatur, probatur. Tum quia Beati gaudebunt de operibus virtutum in hac vita perpetratis; hoc autem eſt gaudium, ſeu præmium accidentale. Tum quia iuxta parabolam Chriſti Matth. 13. Virginibus ob præſtantiam Virginitatis deberi fructum centeſimum; Viduis ob caſtitatem vidualem deberi fructum ſexageſimum; coniugatis ob caſtitatem, ſeu continentiam coniugalem deberi fructum trigeſimum, docent S. Thomas in ſupplem. quæſt. 96. art. 4. Tannerus tom. 2. diſp. 1. q. 4. dub. 2. num. 16. Valentia tom. 4. diſp. 11. quæſt. 5. pun. 2. & alij. Ergo idem ſentiendum eſt de alijs virtutum operibus; quod enim dicitur de triplici continentię gradu Matth. 13. etiam alijs pijs operibus accomodari poteſt, cum illud ſolum per modum exempli in præcitata parabola habeatur. Ita Tannerus n. 20.

Ex quo infertur maius præmium, per ſe loquendo, & cæteris paribus, deberi Virgini, quam viduæ, ſi videlicet caſtitas Virginalis, & caſtitas vidualis ex ſuo genere, & ex propria materia, & obiecto ſpectentur; aliunde tamen fieri poteſt, vt Viduę maius præmium eſsētiale debeatur, quam Virgini, ſi videlicet Vidua maiores habeat gratiæ, & charitatis gradus, vt dictum eſt num. 13.

Punctum Quartum.

De futura conditione damnatorum poſt mortem.

1 *Damnati puniendi ſunt pęna damni, & pęna ſenſus.*

2 Dam-

2 Damnatorum corpora quibus cruciatibus in Inferno torquenda ſint.

3 Ignis Inferni eſt eiuſdem ſpeciei cũ noſtro igne, iuxta ſententiam nonnullorum.

4 Ignis Inferni tenebroſus erit, quamquam non nihil lucis habiturus ſit.

5 Ignis Inferni quomodo agat in animas.

6 Ignis non æqualiter aget in omnes damnatos, nõ enim erit æqualis omnium pœna ſenſus.

7 Pœna damni eſſentialis futura eſt æqualis in omnibus Beatis, iuxta valdè probabilem ſententiam.

8 Damnati patientur fletum, & ſtridorem dentium.

9 Frigus torquebit damnatos, iuxta multorum ſententiam.

10 Damnati torquebuntur vermibus.

11 Damnati cruciatum ſingulorum ſenſuum patientur.

12 Damnatorum corpora corruptibilia non ſunt.

13 Corporum incorruptibilitas poſt Reſurrectionem vnde prouentura ſit.

14 Damnati non ſunt digni pœna infinita intenſiuè, ſed extenſiuè.

15 Peccatores punientur citra condignum.

16 Damnatorum pœna futuris temporibus non augebitur.

17 Damnati aliquid etiam boni agere poſſunt.

18 Damnati non videbunt oculis corporeis gloriam Beatorum, ſicut neque Beati pœnas damnatorum.

19 Infernus quomodo tot damnatorum corpora capere poſſit.

20 Damnatorum corpora extra Infernũ non puniuntur, quamquam nunc in aliquibus animabus oppoſitum contingere poſſit.

21 Damnati quo grauioribus infecti erunt peccatis, eo inferiorem obtinebunt locum in Inferno.

22 Damnati eo linguæ genere vtentur, quo viuentes vſi ſunt.

23 Infantes cum ſolo originali decedentes non detrudentur in Infernum, nec eadem erit ipſorum, & damnatorum conditio, ſed peculiaribus gaudebunt priuilegijs.

VNICA PROPOSITIO.

1 Damnati duplici pœna in Inferno puniendi ſunt. Prima eſt pœna damni, quæ in carentia viſionis Dei conſiſtit, & à nobis in Tract. de Sacrament. diſp. 6. quæſt. 5. puncto 6. num. 2. explicata fuit. Secunda eſt pœna ſenſus, quæ in dolore, triſtitia, & cruciatu poſita eſt.

2 Sed modò Dubium eſt primò, quibus cruciatibus corporalibus damnati in Inferno torqueantur.

Reſpondeo, torqueri varijs cruciatibus. Primus cruciatus eſt ignis, vt patet ex multis ſcripturæ locis. Deuteron. 32. *Ignis ſuccenſus eſt in furore tuo, & ardebit vſque ad Inferni nouiſsima.* Iudith. 16. *Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum.* Eccleſiaſt. 7. *Vindicta carnis impij ignis, & vermes.* Pſal. 139. *Cadent ſuper eos carbones, in ignem deijcies eos.* Matth. 13. *Mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Marci 9. *Si ſcãdalizauerit te manus tua, abſcinde illam, bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem mitti in gehennam, in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Idem habetur alibi pluribus in locis, idemque ſequuntur communiter Patres, & Do-

ctores contra Caluinum, & ipſius ſectatores aſſerentes in Inferno non eſſe verum ignem, ſulphur, aut tenebras, & ſcripturam methaphoricè intelligendam eſſe. Sed hoc gratis, & ſine fundamento ab ipſis affirmatur. Tum quia perfecta ſcripturæ teſtimonia plurima ſunt, & valdè clara. Tum quia cõmunis Patrũ, & Eccleſię sẽſus ſic illa ſemper intellexit.

3 Si quæras, an ignis Inferni ſit eiuſdem rationis cum noſtro elemẽtari, ſeu vſuali.

Reſpondẽt aliqui Doctores ignẽ Inferni eſſe quidem verum, & corporeum ignem, ſed ſpecie differre ab igne noſtro. Ratio eſt, tum quia ſic colligitur ab effectu, cum ignis Inferni agat etiam in animas corpore ſeparatas. Tum quia ſicut nonnulli putant ſuper cęlos extare veras, & corporeas aquas, ſed diuerſæ rationis ab aquis huius Mundi inferioris, ita, & cæt. Alij putant ignem Inferni eſſe eiuſdem rationis, quia ſcriptura, & Patres ſimpliciter, & abſque diſtinctione appellant ignem. Ergo intelligendi ſunt de vero, & proprio igne eiuſdem ſpeciei, cuius eſt ignis noſter.

4 Si item quæras, An ignis Inferni ſit lucidus, & ſplendens.

Reſpondeo non eſſe lucidum, ſed tenebroſum; Infernus enim vocatur tenebræ, *Mittite eum in tenebras exteriores*; vocantur autem exteriores ad differentiam interiorum mentis ex S. Auguſt. ſuper Pſal. 6. aliquid tamen lucis admixtę tenebris habebit ignis Inferni, vt damnati ingentes illius ſtatus miſerias, horibilemque locũ inſpicere poſſint. Ita S. Gregorius lib. 9. moral. cap. 48. Sotus in 4. diſt. 50. quæſt. vnica art. 4. Valentia tom. 4. diſp. 11. quæſt. 5. pun. 3. col. 3. Martinus Roas in ſtatu Beatorum cap. 22. & alij.

5 Præterea ſi quæras, quomodo ignis Inferni agat in animas à corpore ſeparatas.

Reſpondeo hanc difficultatem à me ſolutam fuiſſe in tract. de Sacrament. diſp. 6. quæſt. 1. pun. 6. n. 3. vbi varias Doctorum opiniones adduxi. Aliqui enim putant hunc torquendi modum ignotum eſſe. Alij putant animas per ignem pati, quatenus inuoluntariè ad ignem alligatæ ſunt. Alij denique putant ignem agere in animas producendo qualitatem afflictiuam.

Si poſtremo quæras, An ignis æqualiter agat, vel acturus ſit in omnes damnatorum animas, vel corpora.

6 Reſpondeo ſolutionem conſtare ex illa Quæſtione, qua quæritur, Vtrum pęna damnatorũ futura ſit æqualis; Reſpondeo enim pęnam ſenſus, quã damnati percipient ex cruciatu ignis, aut etiam ex dolore, quo afficientur, cognoſcendo carentiam diuinę viſionis, aliorumq; bonorum, inæqualem eſſe. Ratio eſt, tum quia pęna reſpõdere debet culpę. Tum quia Apocalipſ. 18. dicitur, *Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*. Quamobrem corpora damnatorum iuxta qualitatem demeritorum cuiuſque damnati patientur ab igne magis, vel minus, etiam per ſuſceptionem caloris vſque ad certum intenſionis gradum, valdè tamen magnum, qui fortè in quolibet damnato intenſior erit, quam ſit nũc ſum-

Digitized by Google

ſummus gradus in noſtro igne, Deo tamen prohibente, ne lęſio adeò inualeſcat, vt corpus ipſum conſumatur, & deſtruatur, vt benè Val. to.4. d.11.q.5.pun.3.col.2. verſ. fortaſſis.

7 Sed maior Difficultas eſt, Vtrũ ipſa damni pęna futura ſit æqualis in omnibus damnatis.

Reſpondeo, ipſam damni pęnam eſſentialem, ſecundum ſe ſpectatam, futuram in omnibus dãnatis æqualem. Ratio eſt, quia priuatio totalis non recipit magis, & minus; ſed pęna damni eſt priuatio totalis viſionis Dei, & quidẽ in æternũ. Ergo pęna dãni non recipit magis, & minus. Ergo eſt æqualis in omnibus damnatis; ita Vaſquez 1. 2. d.100.cap.5. Azor. 1. p. l.4.c.24. quæſito 3. Salas 1. 2. d. 15. n. 63. Tanner. 1. 2. to.2. d. 4. q. 10. dub. 3. n. 60. & alij apud præfatos Doctores, contra Scotum, Medinam, & alios, quorum opinio probabilis eſt, illiſque adhærere videtur Suarez 3. par. tom. 4. diſp. 13. ſect. 2. num. 18. & ſeqq.

8 Secundus cruciatus, quo damnati torquebuntur in Inferno, erit fletus, & eiulatus, & ſtridor dentiũ. Matth. 8. & Lucæ 13. illum tamen fletum non comitabũtur lachrymæ, quibus cor leniri frequenter ſolet, vt benè Roas de ſtatu Beatorũ c.23.

9 Terti⁹ cruciatus ab aliquibus recenſetur frigus extremum, iuxta illud Iob. 13. *Ad nimium calorem tranſiet ab aquis niuium*, ideſt, ab extremo frigore ad maximum calorem. Ita S. Hyeronimus cap. 10. Matth. Abulenſis Matth. 25. q. 558. & Valentia to. 4. d. 11. q. 5. pun. 3. col. 3. Roas de ſtatu Beatorum cap. 23. & alij, quorum opinio probabilis eſt, contra Sotum in 4. d.50. art.4. Leſſ. lib. 13. de perfectionibus diuinis c. 24. n. 158. Tanner. tom. 2. d. 4. q. 10. dub. 3. num. 58. & alios.

10 Quartus cruciatus ſunt vermes; probabile enim eſt damnatos non ſolum ſpirituali verme, ideſt ſtimulo, & remorſu conſcientiæ, dè quo ſermo eſt Marci 9. *Vermis eorũ non morietur*; verum etiam alijs corporalibus vermibus cruciãdos eſſe; Iud. 16. *Dabit ignem, & vermes in carnes eorum*, & Eccleſ. 7. *Vindicta carnis impij ignis, & vermes*. Ita S. Hyeronimus cap. vlt. Iſaiæ, S. Ambroſ. Lucæ 14. Valentia loco citato, & alij contra Leſſium, Sotum, & Tannerũ locis citatis, Roas cap. 23. & alios aſſerentes nullos in Inferno extare vermes, aut animalia, ſicut neque extant ferrea inſtrumenta, quibus damnati puniantur, & lacerentur; quamquam Deus his materialibus inſtrumentis pęnas illius loci aliquãdo expreſſit ad ſignificandam pœnarum acerbitatem.

11 Quintus cruciatus ſunt propriæ ſingulorum ſenſuum pœnæ; ſicut enim homo viuens illicitas delectationes opera ſenſuum percepit, ita pareſt, vt pęna ſenſibus imponatur, iuxta illud Apocalipſ. 18. *Duplicate duplicia ſecũdum opera eius, quantum glorificauit ſe, & in delitijs fuit*; (illicitis videlicet ſenſuum oblectationibus) *tantum date illi tormentum, & luctum*; ideò viſus torquebitur horribilibus ſpectaculis, auditus eiulatibus, odoratus ſulphure, alijſq; peſſimis fętoribus, guſtus aliquo fętido oris humore, tactus igne. Ita communiter Doctores.

Ex dictis colligitur corpora dam-

natorum fore paſſibilia; varios .n. patientur cruciatus, vt iam explicatum eſt.

12 An autem corpora damnatorum ſint etiam corruptibilia.

Reſpondetur negatiuè, tum quia 1. Corinth. 15. generaliter de mortuis dicitur, *Reſurgent incorrupti*, Matth. 25. habetur damnatos poſt corporum reſurrectionem ituros in ſupplicium æternum; ſupplicium autem non foret æternum, ſi corpora damnatorum corrumpenda aliquando eſſent. Ita cōiter Patres, & Doct.

13 Vnde autem incorruptibilitas corporum poſt ipſorum reſurrectionem prouentura ſit.

Reſpondetur, prouenturā ex duplici cauſa. Prima eſt Dei voluntas, volens corpora damnatorum vniri animæ, & cum ea perpetuò puniri, vt ſicut corpus fuit delicti conſors, ita etiam pęnę particeps efficiatur, & nihilominus incorruptibile remaneat. Secunda cauſa eſt ceſſatio motus cęli; cū enim nulla inferior cauſa agere poſſit ſine cōcurſu, & actione cęli, iuxta S. Thomam in ſupplem. q. 86. art. 2. Sotum in 4. d. 48. q. 2. ar. 2. Valēt. to. 4. d. 11. q. 5. pun. 3. col. 1. & plurimos alios, cumq; motus cęli ſit conditio neceſſaria ad actionem cęli in inferiora corpora, ſequitur ceſſante cęli motu (vt verè in Mundi fine ceſſabit) ceſſaturam etiā cęli actionem, atque adeò omnem generationem, & corruptionem. Ita S. Thom. & Valent. locis proximè cit. Vide ſupradicta pun. 1. §. 3. n. 16.

14 Secundò Dubium eſt, Vtrum damnati ob peccata mortalia puniendi eſſent pœna infinita, ſi poſſibilis eſſet; (loquor autem de pęna infinita intenſiuè, non autem extenſiuè, ſeu in duratione, certum enim eſt de fide damnatos in perpetuū eſſe cruciandos.)

Reſpōdeo negatiuè. Primò, quia malitia peccati non eſt ſimpliciter infinita intrinſecè, ſeu intenſiuè; ſed extrinſecè ſolum. Ergo non meretur pęnam infinitam extenſiuè, ſed ſufficit pęna infinita in duratione. Secūdò, quia ſequeretur omnes damnatos æquali pęna puniendos eſſe, cum nullum infinitum ſit maius alio. Tertiò, quia ſequeretur damnatos re ipſa nunc puniri pęna infinitè minori ea, qua digni ſunt; hoc autem admittendum non videtur. Ita S. Thomas 1. 2. q. 87. art. 4. Caiet., Vaſq., & Medina ibid. Salas ibid. d. 15. nu. 48. Valent 1. 2. q. 17. pun. 4. & alij communiter, contra Gerſonem, & alios apud Vaſq. & apud Sal. loc. cit.

15 Tertiò Dubium eſt, Vtrū Deus minorem pęnam peccatoribus imponat, quam mereantur, ideſt ān Deus peccata, præſertim mortalia, puniat citra condignum.

Reſpondeo, Deum poſſe quidem de potentia abſoluta, iuxta communem, & probabiliorem ſententiam, punire peccata iuxta condignū, quia cum malitia peccati non ſit ſimpliciter infinita, nihil obſtat quo minus Deus pęnam ipſis æqualem iungere poſſit. De facto tamen nō punit iuxta condignum, ſed citrā, quatenus Deus poſſet auctorem pęnā ſenſus infligere, quam re ipſa infligat. Huius autem rei ratio eſt ſumma ipſius Dei clementia, qua bona opera ſupra condignum præmiantur, & mala citrā condignum puniuntur. Ita Magiſter in 4. diſt. 46. Vega q. 5. de

Digitized by Google

Iuſtific. Tan.to.2. d.4.q. 10. dub.3. num. 66. & Scolaſtici communiter.

Obijcies primò, Matth. 5. dicitur, *Non exibis inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Ergo Deus ſaltem nunc in Purgatorio punit iuxta condignum.

Reſpondeo ex illo loco inferri, nullum peccatum fore impunitum; licet non condigna, ſed mitiore pęna, ſeruata tamen proportione grauioris, aut leuioris peccati. Eadem reſpōſio accomodari poteſt illis verbis Lucæ 6. *Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis*, & Apocalipſ. 8. *Quantum ſe honorificauit, & in delicijs fuit, tantū date illi tormentū, & luctū.*

Obijcies ſecundò, Iacobi 2. dicitur, *Iudicium ſine miſericordia ei, qui non fecerit miſericordiam*, ſi autem Deus puniret citra cōdignū, diceretur facere Iudiciū cū miſericordia.

Reſpondeo, Iudicium cum miſericordia duplex eſſe. Primum eſt cum miſericordia, omnino, & in totum liberans ab æterna pæna, & hoc Deus non vult fieri, ſed vult fieri ſine miſericordia ei qui non fecerit miſericordiam. Secundum eſt cum miſericordia non in totum liberante, ſed ſolum relaxante pęnam, & puniente mitiore pęna, quam alioquin peccator puniri poſſet, & hoc Deus facit. Ex quo patet Deum non facere Iudicium cum miſericordia liberante omninò ab æterna pœna: facere verò Iudicium cū miſericordia puniente citra condignum, & liberante à maiore pœna, quæ à Deo inferri potuiſſet.

16 Quartò Dubium eſt, Vtrum pęna damnatorum futuris temporibus augenda ſit ob peccata, & blaſphemias ab ipſis committendas poſt mortem.

Reſpōdeo, ſolutionem deſumendam eſſe ex ijs, quæ ſuperius innui de meritis Chriſti, & fuſius explicabo in tractatu de gratia, vbi oſtendam tempus merendi, & demerendi eſſe ſpatium præſentis vitæ, iuxta illud, *Dum tempus habemus, operemur bonum, venit nox quando nemo operari poterit*, &c. Negari tamen non debet pęnam damnatorum auctam iri ex maledictionibus, quas damnati inter ſe inuicem conijciēt; ſicut enim beatitudo accidentalis Beatorum mutuis benedictionibus augebitur, ita pœna damnatorum mutuis maledictionibus. Ita Martinus Roas de ſtatu Beatorum ca. 22.

17 Maior difficultas eſt, Vtrum damnati adeò perſiſtant in obſtinatione, vel perſtituri ſint, vt nihil boni agere poſſint.

Reſp. poſſe actum aliquem bonū peragere. Ratio eſt, tum quia non poteſt ſufficiens aliqua ratio afferri, cur actum aliquem bonum facere nō poſſint. Tum quia dolere poſſunt de peccatis, quatenus peccata in cauſa ſunt, vt ipſi in Inferno torqueantur, vt patet Sapient. 5. vbi damnati referuntur pęnitentiam agentes, & prę anguſtia gementes, (quia ſcilicet deliquerunt, & ob delicta puniuntur) ſed huiuſmodi actus eſt bonus, vt cōmuniter docent Doctores contra Luterum. Ergo damnati poſſunt actum aliquem bonum peragere. Ita Scotus in 2. d. 7. q. vnica, Durandus ibid. q. 2. Valentia to. 1. d. 4. q. 15. pun. 2. col. 5. & 6. & alij contra S. Thomam 1. 2. q. 64. art. 2. & alios.

Obijcies, Damnati omnia, quæ

volunt, volunt propter vltimum finem ſuum, ad quem ſunt conuerſi, auertentes ſe à Deo (nam voluntas exiſtẽtis in ſuo termino ita ſe habet ad ſuum finem vltimum, ſeu bonum, ſeu malum, ſicut voluntas viatoris ad bonum in communi) ſed finis ad quem damnati conuerſi fuerunt, auertentes ſe à Deo, fuit malus. Ergo omnia quæ damnati volunt, volunt ob malum finem; ſicut enim voluntas exiſtentis in via non poteſt in aliquid ferri, niſi ſub ratione boni, ita neque voluntas exiſtentis in termino poteſt aliquid velle, niſi propter ſuum vltimum finem formaliter, aut virtualiter.

Reſpondeo, damnatos, quæ volunt, vt plurimum velle ob finem ſuum, conſequenter vt plurimũ velle malum; id tamen non eſt vniuerſaliter verum, quia poſſunt etiam aliquando velle bonum aliquod opus; quamuis enim obiectum voluntatis viatorum in cõmuni ſit aliquod bonum, vel apprehenſum vt bonum, & voluntas non poſſit extra illud ferri, tamen obiectum adæquatum damnatorum non eſt ſuus vltimus finis, conſequenter fieri poteſt, vt damnati aliquid velint ob alium, quam ob ſuum prauum finem, ad quem habitualiter conuerſi remanent. Non tamen hinc ſequitur damnatos poſſe de offenſa Dei dolere; cum enim odio proſequãtur Deum, potius gaudium, quam dolorem percipiunt de peccatis, vt ſunt Dei offenſa, vt patet à fortiori de Dęmonibus.

18 Quintò, Dubium eſt; Vtrum damnati poſt Iudicium viſuri ſint oculis corporeis gloriam Beatorũ, & Beati pęnas damnatorum. Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, tũ quia id nõ eſt neceſſe. Tum quia futurus non eſt tranſitus ab Inferno ad Cælum, & è contra, ſicut neque ex Inferno ad Limbum Patrũ, Lucę 16. *Inter nos, & vos chaos magnum firmatum eſt, vt hi qui velint hinc tranſire ad vos non poſſint, neque inde huc tranſmeare.*

Dices, damnati olim videre poterant iuſtos in Limbo requieſcentes, Lucæ 16. *Eleuans autem diues Epulo oculos in tormentis vidit Abrahã à lõge, & Lazarũ in ſinu eius.* Ergo ẽt dãnati videre poſsũt iuſtos in cęlis degẽtes.

Reſpondeo, negando conſequentiam; alia enim eſt ratio Limbi, alia cęli Empyrei; cum enim Limbus eſſet locus ſubterraneus non, lõgè diſtabat ab Inferno.

Negari tamen non debet, quin damnati oculis mentis cognoſcere, & meminiſſe poſſint gloriam Beatorum, quam tempore extremi Iudicij viderunt, indeque non leuem triſtitiam ſuſcepturi ſint, animaduertentes ſe ſua culpa ab illa excidiſſe. Sicut ex oppoſito Beati cognoſcẽt pęnam damnatorum, indeq; lætabuntur laudantes Deum, qui ſe ab illa eripuit, & ſuam iuſtitiam in damnatos exercet, iuxta illud Pſal. 57. *Lętabitur iuſtus; cum viderit vindictam.* Vide Valentiam tom. 4. diſp. 11. quæſt. 5. pun. 3. ſub finem.

19 Sextò, Dubium eſt, quomodò Infernus capiendis tot damnatorum corporibus ſufficiat.

Reſpondeo ſufficere, etiãſi multitudo damnatorum futura eſſet cẽtuplo maior, quam re ipſa futura ſit. Ratio eſt, quia magnitudo, & vaſtitas totius terræ longe excedit, & ſupe-

ſuperat ſpatium octo milliarium Italicorum; ſed ad capiendum centum mille milliones hominum ſufficit ea cauitas loci Infernalis, quæ è diametro ad octo miliaria Italica pertingat, ita vt concaua ſuperficies terræ circundans Infernum ſit 24. milliarium Italicorum. Ergo ſufficit ad capiendos damnatos; præſertim cum damnati nō ſint futuri plures, quam centies mille milliones, vt aliqui ſupponunt, & damnatorum corpora non ſint ſparſim diſponenda, ſed tāquam lignorum ſtrues, & lapidum congeries quaſi in vnum cumulum congerenda, ita ut vnius corpus alterum premat. Quamquam fieri poteſt, vt Dæmones huc illuc animas raptent, & quaſi proijciant, vt patet exēplo apud Cæſariū l. 1. c. 32. Vide Leſſiū de perfectionibus diuinis c. 24. n. 152. Tanner. to. 2. d. 4. q. 10. dub. 3. n. 59. & Mart. Roas in lib. de ſtatu Beatorum c. 22. vbi etiā refert circularem, & rotundam terræ magnitudinem eſſe vndecim mille leucarum, quæ triginta millia milliaria Italica excedere, & locum omnibus damnatis capiendis ſufficientem complecti videntur.

20 An autem aliqua damnatorū corpora extra Inferni loca punienda ſint.

Reſpondeo, omnes puniendos eſſe in Inferno, vt patet ex ſententia, quæ contra damnatos à Chriſto proferetur. Quamquam hoc tempore fieri poteſt, vt aliquæ damnatorum animæ extra illum Inferni locum iuſtis de cauſis torqueantur, vt multis probari ſolet exemplis. Ita Roas ca. 24. & alij, quos alibi adduxi.

21 Septimò Dubium eſt, quiſnam locorū ordo ſeruādus ſit in Inferno.

Reſpondeo, nihil certi ſtatui poſſe, quia ſcriptura non exprimit, nec Eccleſia definiuit; probabilius tamē eſt locum inferiorem ijs eſſe deputatum, qui grauiora crimina in hac mortali vita commiſerunt; ibi enim grauioribus afficientur pœnis, quam ij, qui in ſuperiori Inferni parte exiſtunt, vt exemplis probat Martinus Roas de ſtatu Beatorum cap. 22.

22 Octauò, Dubium eſt, quo linguæ genere vſuri ſint damnati.

Reſpondeo, quemlibet vſurum eſſe eo linguæ genere, quod viuens callebat. Ratio eſt; tum quia nulla ſufficiens ratio aſſignari poteſt, cur aliud linguæ genus damnatis communicetur. Tum quia diuerſitas, & confuſio linguarum originem à peccato traxit, & ingentem arguit confuſionem. Ergo par non eſt, vt in Inferno, qui eſt locus confuſionis, & pœnæ peccatis debitæ, auferatur. Ita Mar. Roas de ſtatu Beat. c. 22. ad fin.

23 Nonò, Dubium eſt, An quæ hactenus de dānatis ad Inferna detrudendis diximus, applicari debeant Infantibus, aut alijs cum ſola originalis peccati macula decedentibus.

Reſpondeo negatiuè. Primò, quia locus damnatorum non eſt locus Infantium; cauitas enim terræ in quatuor diuiditur partes, quarum ima, & profundior eſt locus damnatorū. Secunda illi proxima eſt Purgatorij locus, qui poſt extremum Iudicij diem capiendis damnatis deſeruiet. Tertia eſt Limbus Infantium. Quarta, & vltima, quæ alijs eſt ſuperior, & ſuperficiei terræ proximior, erat locus ille, in quo Sancti Patres Chri-

ſti

ſti Aduentum expectantes detinebātur, & Limbus Patrum, aut alio nomine ſinus Abrahæ vocabatur; cum autem Limbus extremitatem alicuius rei ſignificet, iure merito accommodatur locis Patrum, & Infantiū quæ ferè in finibus terræ exiſtunt.

Secundò, quia multi Doctores putant Infantes poſt extremum Iudicium non à Dęmonibus ad Infernū deducendos eſſe, ſed propria virtute deſcenſuros, aut comitātibus Angelis, terra ipſis locum cedente. Cōtrarium docet Abulenſis in Matth., Sotus, & alij. Verū quid ego in hac re ſentiam patet ex ſupradictis de extremo Iudicio.

Tertiò, quia Infantes in Limbo exiſtentes viſitari poterunt à Beatis, quoties ipſis Beatis viſum fuerit; voluntas .n. Beatorum ſemper adimplebitur. Tum quia alioquin non eſſent Beati. Tum quia ſicut Dei voluntas ſemper adimpletur, ita etiam voluntas Beatorum, cum hæc volūtati Dei ſemper conformis ſit, nec quicquam appetat, quod Deo non maximè placeat, vt benè S. Thomas opuſ. 63. cap. 4. Martinus Roas de ſtatu Beatorum cap. 19. & alij.

Quartò, quia Infantum corpora rationi adeò ſubijcientur, vt à peccatis omninò præſeruentur.

Quintò, quia Infantes ſola damni pęna punientur, non autem pœna ſenſus. Tum quia pęna ſenſus peccato actuali reſpondet, vt alibi docui. Tum quia pęna reſpondere debet culpæ; ſed Infantes nullam ſuis actionibus, ſeu corporibus culpam commiſſerunt. Ergo neque vllā ſuis corporibus pęnam ſentire debent.

Ex quo licet inferre Infantes nullum triſtitiæ actum elicituros, aut quia pars inferior plenè ſubijcietur ſuperiori, aut quia Deus ad illū actū non concurret. Vide quæ tradidi de peccato originali in tract. de legibus diſp. 2. quæſt. 1. pun. 4.

Sextò, quia naturali quadam fęlicitate gaudebunt. Ratio eſt, quia pęna commenſurari, & reſpondere debet culpæ; ſed culpæ infantium reſpondet carentia viſionis. Ergo infantes ſola Dei viſione carent. Ergo non priuantur quadā fęlicitate, alioquin pęna nō cōmenſuraretur culpę.

Ex quo licet inferre primò, Infantes intellecturos, & amaturos Deū, tanquam naturæ authorem, quantum Deus naturæ viribus cognoſci, & amari poteſt; nō propterea tamen dicendi erunt vere Beati etiam beatitudine naturali, quia beatitudo, etiam naturalis excludit omnem culpam, & pęnæ reatum. Ita Martinus Roas de ſtatu Beatorum c. 20.

Secundò, Infantes liberum habituros ſuorum ſenſuum vſum, quantum naturę vires patiuntur. Ita Martinus Roas loco cit. cap. 20. & 21.

Vbi etiam addit Infantes ſermonem inrer ſe habituros, & quidem lingua Hebraica, quia cum in hac vita nullum linguæ genus didiciſſent, nec maior ratio aſſignari poſſit, cur hoc, aut illo linguæ genere vti debeant, dicendum videtur ipſos lingua Hebraica inter ſe locuturos. Verum hoc mihi incertum videtur, cur .n. Hebraicam linguam ipſis adſcribimus, & non potius illam quam viuendo didiciſſent, ſi ad iuuenilem ætatem perueniſſent?

Pun-

Punctum Quintum.

De conditione, & ſtatu Mundi poſt extremum Iudicium.

1 *Mundus poſt Iudicium aliqua ratione innouandus eſt.*
2 *Mundi innouatio facienda eſt per ignem extremæ conflagrationis.*
3 *Ignis conflagrationis erit ignis elementaris.*
4 *Ignis conflagrationis ex terræ vaporibus generabitur, non autem de nouo creabitur.*
5 *Ignis conflagrationis quantuſuam futurus ſit.*
6 *Ignis conflagrationis in quidnam conuertendus ſit poſt conflagrationem.*
7 *Mundi conflagratio, & innouatio futura eſt poſt Iudicium, non ante Iudicium.*
8 *Mundus innouandus eſt combuſtione omnium mixtorum.*
9 *Cęli, & Elementa non ſubſtantialiter immutabuntur, ſed accidentaliter.*
10 *Mundus poſt Iudicium non peribit, ſed perficietur.*
11 *Mundi perfectio, & mutatio, quæ poſt Iudicium futura eſt, in quonam conſiſtat.*
12 *Mundus quem ob finem purgandus, & innouandus ſit.*

IN hoc puncto explicabo primò, Vtrum Mundus poſt extremum Iudicium innouandus ſit. Secundò, An innouatio faciẽda ſit per ignem, & qualis, & quantus hic ignis futurus ſit. Tertiò, An innouatio, & cōflagratio Mundi futura ſit ante Iudicium, vel poſt Iudicium. Quartò, qua ratione futura ſit Mundi innouatio, An cęli, & ęlementa quoad ſubſtantiam immutanda ſint. Quintò, cur facienda ſit Innouatio, & illuſtratio Mundi.

PRIMA PROPOSITIO.

1 PEracto extremo Iudicio Mundus aliqua ratione innouandus, ſeu purgadus eſt. Probatur primò, quia Iſaiæ 65. dicitur, *Ecce ego creo cęlos nouos, & terram nouam.* 2. Petri 3. *Nouos verò cęlos, & nouam terram ſecundum promiſſa ipſius expectamus, in quibus iuſtitia habitat*, & *Apocalipſ.* 21. *Et vidi cęlum nouum, & terram nouam primum enim cęlum, & prima terra abijt, & mare iam non eſt.* Secundò, quia ſublato fine generationis, & corruptionis, cui mũdus hic deſeruit, neceſſe eſt, vt alius mundi ſtatus cōſtituatur non deſeruiens generationi, & corruptioni, iuxta illud Apoſtoli Roman. 8. *Ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum Dei.* Ita communiter Patres, & Doctores.

SECVNDA PROPOSITIO.

2 INnouatio Mundi facienda eſt per ignem extremæ cōflagrationis; ſic enim in ſcriptura habetur Ioel 2. *Ante faciem eius ignis vorans, & poſt eum exurens flamma.* Et 2. Petri 3. *Adueniet autem dies Domini, vt fur, in quo cęli magno impetu tranſient; elemẽta verò calore ſoluentur; terra autē, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur.*

3 Sed

3 Sed modò Dubium eſt primò, Vtrum ignis conflagrationis futurus ſit ignis elementaris.

Reſpondeo futurum eſſe eiuſdem rationis cum elementari. Ratio eſt. Tum quia non habemus rationem confingendi ignem alterius rationis, cum proprietates, & effectus iſtius ignis conueniant cum igne elementari; natura autem alicuius rei cognoſcitur ab effectu. Tú quia ſciptura loquens de igne, præſuméda eſt lo qui de igne nobis noto: alioquin magna eſſet æquiuocatio, & à nobis intelligi, & exponi vix poſſet. Ita S. Thomas in 4. diſt. 47. quæſt. 2. Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 48. ſect. 3. Valentia tom. 4. d. 11. q. 2. pun. 3. ſub finem, Tannerus tom. 4. diſp. 2. q. 4. dub. 5. n. 149. & alij communiter, contra Lactantium lib. 7. inſtitut. cap. 21. exiſtimantem præfatum igné eſſe alterius naturæ. An auté eadé ſit ratio iſtius ignis, & illius Inferni, patet ex dictis pun. 4. nu. 3.

4 Secundò Dubium eſt, ex qua re præfatus ignis generandus ſit, & quo in loco.

Reſpondeo diuino imperio generandum eſſe ex terræ vaporibus, & exhalationibus; nam hoc eſt valdè connaturale, & accomodatum fini, & vſui, ad quem ignis ille deſeruire debet. Ita S. Thomas loco cit. Suarez d. 58. ſect. 3. col. 2. aſſerens præfatum ignem generandum eſſe in ſecunda aeris regione, Tannerus, Valentia, & alij locis citatis.

Hinc colligitur veram non eſſe ſententiam illorum Doctorum, quorum aliqui putant ignem illum de nouo creandum eſſe. Sed hoc gratis dicitur, quia opus non eſt nouã creationem materiæ fingere; fingeretur autem noua materiæ creatio, ſi ignis ille creandus eſſet. Alij putant igné exiſtentem in ſua ſphera deſcenſurũ in terram ad eam purgandam. Sed hoc admittendum non videtur, tum quia naturæ ignis aduerſatur deſcendere. Tum quia ignis ille ob raritatem non videtur ſatis aptus ad vrendum, vt benè Suarez loco cit. & alij.

5 Tertiò Dubium eſt, quanta illius ignis futura ſit magnitudo.

Reſpondent S. Thomas loco cit. & alij communiter, tantam illius ignis futuram magnitudinem, vt vniuerſam terram, & aerem ſimul circundet, & ſupra altiſſimos montes, ad illam ſaltem partem, ad quam aquæ diluuij peruenerunt, ſimul aſcendat, cum enim vniuerſale incendium graſſaturum ſit ſuper terrã ad modum diluuij, 2. Petri 3. verſ. 5. Dicendum eſt ignem conflagrationis occupaturum illam Orbis parté, ad quam aquæ diluuij peruenerunt.

Ego verò probabilius cenſeo non opus eſſe, vt ignis ille vniuerſum terræ, & aquæ corpus ſimul occupet, ſed ſatis eſſe, vt ſucceſſiuo motu id efficiat. Ratio eſt, quia ſicut aquæ diluuij non ſtatim, & eodem ferè temporis momento vniuerſam terram, & altiſſimos montes occuparunt, ſed ſucceſſiuè; ita de igne conflagrationis, qui orbem inſtar diluuij purgaturus eſt, ſentiendum videtur. Ita ſentire videtur Ephrem lib. de pœnit. cap. 4. Suarez 3. par. tom. 2. d. 38. ſect. 3. Tanner. to. 4. diſp. 2. quæſt. 4. dub. 5. num. 151.

6 Quartò Dubium eſt, quid futurum ſit de illo igne poſt cõflagrationem, & purgationem Mundi.

Reſ-

Reſpondeo transferendum eſſe ad proprium locum, vel in aerem reſoluendum, preſertim cum certò conſtet magnam aeris partem in eũdem ignem antea conuerſum fuiſſe. Ratio eſt, quia nullus congruentior modus aſſignari poteſt, quo oſtendatur quid de illo igne futurum ſit. Ita Tannerus num. 155. & alij. Probabile tamen eſt, abſoluta Mundi conflagratione omnia excremẽta, & reliquias ignis, ſi quid eius ſuperfluum, & ſuperuacaneum in Mundo fuerit, dimittendum eſſe in Infernum. Tum quia id facit ad purgationem Mundi. Tum quia infimus locus deputari ſolet excremẽtis. Tum quia hac pœna digni ſunt damnati, qui terrenis rebus abuſi fuerunt. Ita S. Thomas loco cit. ar. 3. Suarez, Valentia, & alij. Ex quo Suarez d. 58. ſect. 3. & Tannerus loco cit. n. 158. ritè inferunt hiatum illum terræ, per quem in Infernum detruſi fuerunt, permanſurum vſque ad perfectam Mundi purgationem, eaque facta, & excrementis in Infernum tranſmiſſis, claudendum eſſe, quamuis nonnulli oppoſitum ſentiant.

TERTIA PROPOSITIO.

7 Conflagratio, & innouatio Mundi, iuxta probabiliorẽ ſententiam, futura eſt poſt Iudicium, non ante Iudicium. Ratio eſt, tum quia quandiú damnati in hoc Mundo exiſtent, per blaſphemias commaculabunt quodammodo terram, & aerem. Ergo conuenientius videtur mundum exuſtum, & purgatum iri, poſtquam damnati ad Inferna loca detruſi fuerint, quam antea. Tum quia non decet damnatos frui, etiam ad breue tempus decore, & pulchritudine huius mundi innouati; hac autem pulchritudine, & decore fruerentur, ſi mundus ante Iudicium igne conflagrante purgaretur. Ita S. Bonauentura in 4. d. 47. ar. 2. q. 5. Anſelmus, & alij, quos citat, & ſequitur Suarez 3. p. tom. 2. d. 58. ſect. 1. col. 2. & 3. quamquam ipſe putat illum eundẽ ignem, qui Chriſtum in Iudicio præcedet, conflagraturum mundum poſt Iudicium. Tannerus to. 4. d. 2. q. 4. dub. 5. n. 152. contra S. Thomam in 4. d. 47. q. 2. art. 3. Sotum d. 48. q. 4. art. 1. Valent. to. 4. d. 11. q. 2. pun. 2. & alios.

QVARTA PROPOSITIO.

8 Mundus purgandus, & innouãdus eſt per combuſtionem omnium mixtorum in terra, aqua, vel aere exiſtentium; ſic enim colligitur ex 2. Petri 3. verſ. 10. ***Elementa calore ſoluentur; terra autem, & quæ in ipſa ſunt, opera exurentur.*** Ita communiter Doctores.

Ex quo ſequitur primò, in illa Mũdi conflagratione exuſtũ iri plantas, animalia, & alia mixta. Ita Valent. to. 4. d. 11. q. 6. pun. 1. col. 1. & alij.

Secundò, parum probabilitatis redolere ſentẽtiam Anſelmi in Elucid. de ſtatu terræ &c. & aliorum, aſſerentium terram odoriferis floribus, roſis, violis, & perpetua amœnitate, inſtar Paradiſi terreſtris, immarceſcibiliter decorandam. Tum quia mixta omnia comburentur. Tũ quia hęc reſpiciũt vſum hominum; hic autem poſt Iudicium ceſſabit.

9 Maior difficultas eſt, Vtrum celi, & ipſamet elementa quoad ſubſtantiam immutanda ſint, & conſumenda.

Re-

Digitized by Google

Reſpondeo, & dico primò, iuxta communiorem, & probabiliorem ſententiam, cęlos quoad ſubſtantiã non eſſe interituros. Probatur tum ex ſcriptura Pſal. 148. verſ. 6. *Statuit ea in æternum, & in ſęculum ſęculi, præceptum poſuit, & non præteribit.* Tum quia ſi cęli ſubſtantialiter corrumpendi ſunt, maximè per ignem conflagrationis; ſed ignis conflagrationis ad cęlos non pertinget; nam licet ignis altiorem locum depoſcat, nihilhominus ignis conflagrationis, Deo ita ordinante, deſcendet ſolum vſq; ad eum locum, quem aquæ diluuij occupauerunt, ex S. Auguſtino, & alijs Scolaſticis cõmuniter; aquæ autem diluuij non prætergreſſæ ſunt ſecundam aëris regionem, ex eodem Auguſtino, Hieronimo, Gregorio, & alijs apud Suarez 3. p. to. 2. d. 58. ſect. 2. quibus adde Pererium lib. 1. in Geneſim q. 1. & 2. Valentiã to. 4. d. 11. q. 2. pun. 3. Tann. loco cit. n. 161. cõtra Molin. de opere ſex dierũ d. 3. Salmer. to. 1. prol. 8. & alios.

Obijcies, 2. Petri 3. verſ. 5. habetur cęlos reſeruatos eſſe igni in diem Iudicij, eosq; magno impetu tranſituros; *Cęli autem*, inquit S. Petrus, *Qui nunc ſunt, & terra eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſeruati in diem Iudicij, & perditionis impiorum hominum*, & infra verſ. 10. *Adueniet autem dies Domini, vt fur, in quo cęli magno impetu tranſient; elementa verò calore ſoluẽtur; terra autem, & quę in ipſa ſunt opera, exurentur.* Ergo cęli ſubſtantialiter corrumpendi ſunt.

Reſpondeo nomine cęlorũ eo loci non intelligi cęlum ſydereum, ſed aereũm; cum .n. S. Petrus docere intendat eundem Mundum, qui aquis diluuij perierat, igne conflagrationis exuſtũ iri, cẽſendus eſt ibi loquĩ de ijs Cęlis, qui fuerãt olim per aquã purgati; ſed cęlũ Syderũ purgatũ nõ fuit per aquam diluuij. Ergo Petrus non loquitur de cęlo Sydereo. Ergò cælum Sydereum non eſt ſubſtantialiter corrumpendum. Ita S. Hieronimus Iſaiæ 51. & 65. Auguſt. lib. 20. de ciuitate Dei, & Scolaſtici cõiter.

Dices, cęli diſtinguuntur ab elementis; ſed S. Petrus ait corrũpendos cęlos, & elementa, quibus conſtat aerem comprehendi. Ergo præter elementa dicendum eſt cęlum Sydereum exuſtum iri.

Reſpondeo cęlos hoc in loco non diſtingui ab elementis, ſicut neque diſtinguitur terra, de qua ibi etiam ſpecialis mentio fit.

Obijcies ſecundò, Hebreor. 1. dicitur, *Initio tu domine terrã fundaſti, & opera manuum tuarũ ſunt cęli, ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos.*

Reſpondeo hęc, & ſimilia loca intelligi de accidentali mutatione, & alteratione, nã loco illius verbi, *mutabis*, ex Gręca verſione legitur, *Alterabis*, vt benè obſeruat Tannerus tom. 1. diſp. 6. quæſt. 4. dub. 5. n. 5.

Neq; obſtat cęlos liquefaciendos Iſaiæ 51. *Cęli ſicut fumus liqueſcent*; nõ .n. hinc ſequitur ipſos perituros, ſed redigendos ad liquefactionem, quam ſua natura habebant, antequã ad duritiem ob bonum totius vniuerſi ſecunda die redigerentur, iuxta Tanner. to. 1. d. 6. q. 4. dub. 5. n. 14. & alios, quorum ſententiam alibi ex profeſſo examinabo; Cęlum tamen Empyreum ſuam retinebit ſoli-

di-

ditatem, quia cum habitationi Beatorum deſeruiat, ſoliditatem exigit, ſicut etiam eximium ſplendorem, & claritatem requirit. Vide Tannerum tom. 1. loco citato.

Reſpondeo, & dico ſecundò, neque elementa ſecundum ſubſtantiã corrumpenda eſſe, ſed ſolum accidentaliter transformãda. Probatur, tum ex ſcriptura Eccleſ. 3. verſ. 14. vbi dicitur, *Omnia opera, quæ fecit Deus, perſeuerant in perpetuũ.* 1. Cor. 7. *Præterit figura*, id eſt ſpecies externa, *huius mundi*. Tum quia ſicut nos expectamus noſtrã immutationem, & glorificationem, ita etiã cæli, & elementa ſuam exoptant, & ingemiſcunt inſtaurationem, & innouationem, vt expreſsè habetur Rom. 8. verſ. 19. *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat, vanitati .n. creatura ſubiecta eſt, non volens, ſed propter eum, qui ſubiecit eam, in ſpe, quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatẽ gloriæ filiorum Dei; ſcimus .n. quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc, non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri.* Ergo ſignum eſt innouationẽ iſtam futuram non eſſe per ſubſtantialem mutationem, & ſui deſtructionem, alioquin cæli, & elementa illam non expeterent, ſed ab illa potius abhorrerẽt, quia melius eſt illis ſic eſſe, quam omninò non eſſe, vt benè argumentatur Suarez 3. par. tom. 2. diſp. 58. ſect. 2. col. 6.

Neque obſtant teſtimonia ſcripturæ, quibus indicatur tranſitus, & interitus cæli, & terræ liquefactio, ſolutio, innouatio, & conflagratio. Reſpondetur .n. illa intelligi de mutatione accidentali, & quoad qualitates eis permixtas, non quoad ſubſtantiam, & qualitates proprias, cum ſint partes principales Mundi.

Rurſus nõ obſtat illud Apoc. 21. *Et mare non erit*; non .n. hinc ſequitur elementum deſtruendum eſſe, ſed mare non futurum, vt nunc eſt, impurũ per admixtionem alienarũ qualitatum, vt ait Valentia tom. 4. d. 11. q. 2. pun. 3. vel mare, quod in vnum locum ob commodum vſum, & habitationem mortalium congregatum eſt, diſpergendum, & diffundendum eſſe ſuper terram vniuerſã, & aquas totam terrã coopertiuras, vt benè Tannerus, & alij; vel turbulentum mortalis vitæ ſtatum, qui nomine maris myſticè ſignificatur, deſiturum eſſe, vt benè Auguſtinus lib. 20. de Ciuit. cap. 16.

10 Ex dictis colligitur Mundum poſt extremum Iudicij diem nõ periturum, ſed adhuc futurum, & perficiendum, vt patet, tum ex loco illo Eccleſ. 3. & Romanor. 8. Tũ quia extabit cælũ, & elementa. Ita cõmuniter DD. & videtur certũ de fide.

Secundò Cælos, & elementa non eſſe ſubſtantialiter corrumpenda, ſed accidentaliter immutanda, & perficienda, vel etiam ſubſtantialiter; non in totum, ſed ſolum quoad partem, & ſecundum quid, vt quia magna pars vniuerſi in ignem conflagrationis conuertetur. Idem dic de aqua, & ſuperficie terræ.

11 Rogabis, in quonam conſiſtat mutatio, & perfectio, quæ in cælis, & elementis futura eſt.

Reſp. conſiſtere primò, in maiori per-

perfectione lucis, & luminis; nam Iſ. 30. dicitur, ***Erit lux Lunę ſicut lux Solis, & lux ſolis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum***; acceſſio autem, & argumentum maioris luminis fieri poteſt primò multiplicato ſole, ita vt non ſit vnus tantum, ſed plures maiori lumine præditi, & vtrumq; Emiſpherium vndique illuſtrantes. Secundò, communicato Lunæ lumine Solis. Tertiò, extenſa luce corporis cęleſtis, itaut non in vna ſolum corporis cęleſtis parte lux exiſtat, ſed in toto cęleſti corpore eniteat.

Secundò, conſiſtit in exemptione, & liberatione ab omni impuritate, mutatione, & viciſſitudine, Romanor. 8. ***Vanitati enim creatura ſubiecta eſt, non volens, ſed propter eum, qui ſubiecit eam in*** *ſpe, quia & ipſa creatura* ***liberabitur à ſeruitute corruptionis.*** Ratio eſt, quia mutationes, & viciſſitudines, quę vi cęlorum, & elementorũ fiunt, reſpiciunt generationem, & corruptionem; ſed tunc ceſſabit generatio, & corruptio. Ergo etiam ceſſabit mutatio, & viciſſitudo elementorum, & motus, ac influxus cęlorum. Ita commun. DD. Ob id aliqui putant Stellas, alioſq; Planetas deſituros. Tum quia producti videntur ob ſolas rerum inferiorum generationes adiuuandas. Tum quia hoc ſignificari videtur illis Iſaiæ 24. verbis, ***Militia cęlorum defluet.*** Tum quia etiam huc fortè referri poteſt illud Lucæ 21. ***Stellæ de cęlo cadent, & virtutes cęlorum mouebuntur.***

QVINTA PROPOSITIO.

12 Finis, ob quem purgandus, & innouandus eſt Mundus, non deſtructis ſubſtantialiter Cęlis, & Elementis, eſt primò, quia cum Elementa hominibus deſeruierint, & peccatis hominum commaculata quodammodo, & vitiata fuerint, æquum eſt, vt purgentur. Secundò, vt Beati, qui corporeis oculis diuinam bonitatem, & eſſentiam intueri non poſſunt, illam ſaltem, vt relucentem in aliquibus corporalibus creaturis conſpicere valeant, iuxta illud, ***Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur***, & Sapient. 13. ***A magnitudine ſpeciei cognoſcibiliter poterit creator horum videri***, ad hunc autem finem ſufficiunt Cæli, & Elementa innouata, & illuſtrata.

Et hæc de Sacroſancta Chriſti Incarnatione, alijſq; eiuſdem Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ Myſterijs, ad laudem Omnipotentis Dei, Beatiſſimæ Virginis, & Diui Martini, cuius ſolemnitas hodie celebratur.

Saluo ſemper in omnibus Eccleſiæ, & peritiorum Iudicio.

397.859

Digitized by Google

INDEX,

Continens ſingulas Diſputationes, Quæſtiones, Puncta, & Paragraphos, quę in vniuerſo Tractatu de Sacroſancta Chriſti Incarnatione continentur.

DISPVTATIO I.

De Beatiſsima Virgine Maria Chriſti Matre, & nonnullis alijs Incarnationis Myſterium antecedentibus. pag. 2

QVÆSTIO I. *De Conceptione, & Natiuitate Beatiſſimæ Virginis.* ibid.

Punct. I. *An B. Virgo Maria naturali modo concepta fuerit, qua naturali perfectione, & quando.* 2

Punct. II. *Ex quibus Parentibus, & ex qua Tribu, ac Stirpe orta fuerit Beatiſſima Virgo.* 4

QVÆST. II. *De exemptione à peccato, & de gratia Beatiſſimæ Virg. collata.* 8

Punct. I. *An Beatiſſima Virgo Maria ſine originali peccato concepta fuerit.* ibid.

Punct. II. *An Beatiſsima Virgo habuerit iuſtitiam originalem, & magnum gratiæ iuſtificantis gradum.* 12

Punct. III. *An Beatiſſima Virgo tantum gratiæ acceperit, vt nullum vnquam, nec veniale quidem peccatum actuale commiſerit.* 17

Punct. IV. *An Beatiſſima Virgo habuerit fomitem peccati.* 20

Punct. V. *An Beatiſſima Virgo habuerit gratias gratis datas.* 21

QVÆST. III. *De ſcientia, & cognitione Beatiſſimæ Virginis.* pag. 24

Punct. vnic. *An Beatiſſima Virgo aliquam ſcientiam, & cognitionem habuerit.* ibid.

QVÆST. IV. *De Annunciatione, Virginitate, & Maternitate Beatiſſimæ Virginis.* 29

Punct. I. *De Annunciatione Beatiſſimæ Virgini facta per Angelum.* ibid.

Punct. II. *De Virginitate Beatiſſimæ Virginis, ſeu, an Beatiſſima Virgo ſemper in virginitate perſtiterit.* 36

Punct. III. *De Maternitate Beatiſsimæ Virginis, id eſt, an Maria Virgo verè fuerit Mater Chriſti, & vocari poſſit Mater Dei.* 44

QVÆST. V. *De morte Beatiſſimæ Virginis, & ipſius in cœlum Aſſumptione.* pag. 53

Punct. vnic. *An, & qua ætate Beatiſſima Virgo obierit, & an in Cœlum aſſumpta fuerit.* ibid.

DISPVTATIO II.

De Sacroſancto Incarnationis Myſterio. 56

QVÆST. I. *De Incarnatione Diuini Verbi, quoad definitionem, ſeu eſſentiam, exiſtentiam, conuenientiam, neceſſitatem, finem, & tempus.* 58

Punct. I. *Quid ſit Incarnatio.* ibid.

Punct. II. *An Incarnatio ſit poſſibilis, & an naturaliter cognoſci, vel demõſtrari poſſit, poſſibilem eſſe, aut factam fuiſſe.* 59

Punct. III. *An Incarnatio fuerit conuenienſ.* 65
Punct. IV. *An Incarnatio neceſſaria fuerit ad redimendum genus humanum.* 69
Punct. V. *Ad quem finem facta fuerit Incarnatio.* 73
Punct. 6. *An Incarnatio conuenienti tempore facta fuerit.* 86
QVÆST. II. *De vnione Verbi Incarnati, & termino, ſeu effectu vnionis.* 89
Punct. I. *Quid ſit vnio.* ibid.
Punct. II. *Quis ſit terminus, & effectus vnionis.* 93
Punct. III. *Vtrum vnio naturæ humanæ cum perſona Verbi ſit maxima omnium vnionum.* 100
Punct. IV. *Quæ ſit cauſa efficiens Incarnationis.* 104
Punct. V. *Vtrum ad vnionem hypoſtaticã neceſſario fuerit aliqua diſpoſitio, ſeu cauſa diſpoſitiua.* 106
QVÆST. III. *De perſona aſſumente naturam Humanam.* 109
Punct. I. *Quænam perſona Sanctiſſimæ Trinitatis aſſumpſerit naturam humanam.* ibid.
Punct. II. *Vtrum natura diuina abſtractis per intellectum perſonalitatibus, ſeu ſubſiſtentijs relatiuis, poſſit aſſumere naturam humanam, aut aliam naturam creatam.* 112
Punct. III. *An plures perſonæ diuinæ poſſint ſimul eandem naturã aſſumere.* 116
Punct. IV. *Vtrum vna perſona diuina aſſumere poſſit plures naturas.* 119
Punct. V. *An perſona creata aſſumere poſſit alienam naturam.* 121
QVÆST. IV. *De natura aſſumpta.* 125
Punct. I. *Quænam partes humani corporis, aſſumptæ fuerint à Verbo.* ibid.
Punct. II. *Quo ordine aſſumptæ fuerint partes humanæ naturæ.* 130
Punct. III. *An aliæ naturæ, etiam irrationales aſſumi poſſint à Deo.* 133
Punct. IV. *An natura ſubſiſtens in propria perſonalitate aſſumi poſſit à perſona Diuina.* 135
Punct. V. *An accidens aſſumi poſſit.* 137
QVÆST. V. *De termino totali, & adæquato Incarnationis, qui eſt Chriſtus Dominus conſtans perſona aſſumente, & natura aſſumpta.* 139
Punct. I. *Vtrum terminus principalis Incarnationis ſit Chriſtus, prout conſtat natura diuina, & humana.* ibid.
Punct. II. *An in Chriſto poſt Incarnationem remanſerint duæ perſonæ, & duæ naturæ, diuina, & humana.* 140
Punct. III. *Vtrum perſona Chriſti ſit compoſita.* 145
Punct. IV. *Vtrum perſona Chriſti ſit creata, & conſequenter Chriſtus vocari poſſit creatura.* 147
QVÆST. VI. *De communicatione Idiomatum, id eſt proprietatum, ſeu attributorum conſequentium vnionem hypoſtaticam.* 149
Punct. I. *In quonam conſiſtat communicatio Idiomatum, & quænam regulæ in ea ſeruandæ ſint.* ibid.
Punct. II. *An prædicata, ſeu attributa diuinæ naturæ dici, & prædicari poſſint de natura humana.* 156
§. vnicus. *Vtrum humanitas Chriſti per cõmunicationem idiomatum ſit vbiq;.* 160
QVÆST. VII. *De gratia Chriſti, tàm habituali, & ſanctificante, quam actuali, & gratis data, alijsque eius donis, & virtutibus.* 164
Punct. I. *An Chriſtus habuerit gratiam habitualem ſanctificantem.* 164
Punct. II. *An Chriſtus præter gratiam habitualem habuerit etiam gratiam actualem, vel ea indiguerit.* 173
Punct. III. *An in Chriſto fuerint etiam gratiæ gratis datæ.* 175
Punct. IV. *An in Chriſto fuerint virtutes, præſertim Theologicæ, & Morales, & dona Spiritus Sancti.* 177
QVÆST. VIII. *De ſcientia Chriſti.* pag. 185
Punct. I. *An Chriſtus habuerit ſcientiam aliquam creatam, præter ſcientiam diuinam, & increatam, ſeu an Chriſtus intellexerit aliquid per ſcientiam Dei increatam.* 186
Punct. II. *An Chriſtus in hac vita habuerit ſcientiam viſionis, id eſt viſionem beatificam.* 191
Punct. III. *An Chriſtus habuerit ſcientiã infuſam diſtinctam à viſione beatifica, quandonam illam habuerit, quid per ipſam intellexerit, an fuerit ſupernaturalis, & quo pacto Chriſtus ea vſus fuerit.* 194
§. I. *An Chriſtus præter viſionem beatificã habuerit ſcientiam infuſam.* 194
§. II. *An Chriſtus ab inſtanti Conceptionis habuerit ſcientiam infuſam.* 196

§. III.

Digitized by Google

§. III. *Quidnam Chriſtus cognouerit per ſcientiam infuſam, ſeu quodnam fuerit obiectum ſcientiæ infuſæ Chriſti.* 196
§. IV. *An ſcientia infuſa Chriſti fuerit ſupernaturalis.* 205
§. V. *Quo pacto Chriſtus vſus fuerit ſcientia infuſa.* 209
Punct. IV. *An Chriſtus habuerit ſcientiã acquiſitam, ideſt, an acquiſierit aliquã ſcientiam proprijs actibus.* 210
QVÆST. IX. *De potentia Chriſti.* 214
Punct. I. *An Chriſtus ſecundum humanitatem fuerit omnipotens.* ibid.
Punct. II. *An Chriſtus ſecundum humanitatem habuerit potentiam ad producendã gratiam, & ad patranda miracula.* 215
Punct. III. *An humanitas Chriſti fuerit cauſa præcipua, vel ſaltem inſtrumentalis operis miraculoſi, aut gratiæ.* 217
QVÆST. X. *De defectibus, ſeu miſerijs corporis, & animæ Chriſti.* 223
Punct. I. *Quos defectus Chriſtus aſſumpſerit.* ibid.
Punct. II. *An Chriſtus habuerit vllum peccatum actuale, vel originale.* 227
Punct. III. *Verum Chriſtus ſecundum humanitatem potuerit habere peccatum aliquod actuale, vel habituale, ſaltem de potentia Dei abſoluta.* 229
Punct. IV. *An in Chriſto fuerit appetitus ſenſitiuus, & ipſius actus.* 232
Punct. V. *An in Chriſtus fuerit dolor, triſtitia, timor, admiratio, & ira.* 238
QVÆST. XI. *De vnitate Chriſti quoad eſſe, ſeu exiſtentiam, & quoad voluntatem.* 243
Punct. I. *An Chriſtus dicendus ſit vnus adiectiuè, & ſubſtantiuè.* 244
Punct. II. *Verum in Chriſto ſit tantum vnum eſſe.* 245
Punct. III. *Verum in Chriſto ſit vna tantum voluntas, an duæ.* 246
Punct. IV. *An voluntas Chriſti fuerit conformis voluntati Dei.* 251
Punct. V. *An humana Chriſti voluntas ſẽper impleta fuerit.* 253
QVÆST. XII. *De Martyrio Chriſti.* 255
Punct. I. *Verum in Chriſto verè fuerit meritum, ſeu an Chriſtus propriè loquendo meritus fuerit.* ibid.
Punct. II. *An actiones Chriſti fuerint infiniti valoris, & meriti,* 257
Punct. III. *Quibus actibus Chriſtus promeruit.* 263
Punct. IV. *Quo tempore Chriſtus meruit, vel mereri deſijt.* 266
Punct. V. *An Chriſtus aliquid ſibi meruerit, & quid meruerit.* 269
§. I. *Verum Chriſtus meruerit Incarnationem, ſeu vnionem hypoſtaticam, & an Sancti illam meruerint.* 271
§. II. *Verum Chriſtus meruerit ſibi gratiã habitualem.* 283
§. III. *Verum Chriſtus meruerit ſibi gloriã, ſeu viſionem beatificam.* 285
Punct. VI. *Quid Chriſtus meruerit hominibus, & quando, & quomodo merita Chriſti hominibus profuerint.* 286
Punct. VII. *Quid Chriſtus meruerit Angelis.* 295
QVÆST. XIII. *De ſatisfactione Chriſti.* 300
Punct. I. *An ſatisfactio Chriſti non ſolum fuerit ſufficiens ad ſatisfaciendum pro peccatis quoad culpam, & quoad pœnam, verum etiam ſuperabundans.* ibid.
Punct. II. *An ſatisfactio Chriſti fuerit infinita, & in quo conſiſtat iſta infinitas ſatisfactionis.* 303
Punct. III. *An Chriſtus ſatisfecerit ex iuſtitia commutatiua, & ex rigore iuſtitiæ.* pag. 305
QVÆST. XIV. *De ſubiectione Chriſti.* 311
Punct. I. *An Chriſtus dici poſſit ſubiectus Deo, & Legi diuinæ, aut alijs legibus.* ibid.
Punct. II. *Verum Chriſtus vocari poſſit ſeruus Dei.* 315
QVÆST. XV. *De oratione Chriſti.* 318
Punct. I. *Verum Chriſtus in hac vita orauerit, cur orauerit, & an ipſius oratio ſemper impleta fuerit.* 318
Punct. II. *An Chriſtus pro nobis in cœlis oret.* 321
QVÆST. XVI. *De adoptione Chriſti.* 323
Punct. I. *Quid ſit adoptio, quænam conditiones ad ipſam requirantur, & quomodo adoptio humana differat à diuina.* 324
Punct. II. *Quinam ſint capaces adoptionis diuinæ.* 326
Punct. III. *An Chriſtus ſecundum humanitatem ſit filius adoptiuus, vel naturalis.* 328
QVÆST. XVII. *De prædeſtinatione Chriſti.* 334
Punct. I. *Verum Chriſtus ſecundum diuinitatem dici poſſit prædeſtinatus, vt ſit filius*

lius Dei naturalis, ſeu ad eſſe Filij Dei naturalis, vel vt fiat homo, ſeu ad eſſe hominis. 334
Punct. II. Verum Chriſtus ſecundum humanitatem dici poſſit prædeſtinatus. 335
Punct. III. Verum humanitas Chriſti dici poſſit prædeſtinata. 338
Punct. IV. An Chriſtus ſit cauſa noſtræ prædeſtinationis, & in quo genere cauſæ. pag. 342
Punct. V. An Chriſtus ſit primus omnium prædeſtinatorum. 343
QVÆST. XVIII. De Chriſto capite. 345
Punct. I. Verum Chriſtus ſecundum humanitatem ſit caput Eccleſiæ. ibid.
Punct. II. Verum Chriſtus ſit caput Angelorum. 351
Pun. III. Quæ ſit gratia capitis in Chriſto. ib.
Punct. IV. An præter Chriſtum, qui nunc eſt inuiſibile caput Eccleſiæ, conſtituendũ ſit aliud viſibile. 352
QVÆST. XIX. De Chriſto mediatore. 353
Punct. I. Verum Chriſtus ſit mediator Dei, & hominum, ita vt ipſe pro hominibus ſatisfecerit Deo. ibid.
Punct. II. An Chriſtus fuerit mediator Dei, & hominum ſecundum diuinitatem, an potius ſecundum humanitatem. 354
QVÆST. XX. De Sacerdotio Chriſti. pag. 357
Punct. I. An Chriſtus verè, & propriè fuerit Sacerdos, & Sacrificium. ibid.
Punct. II. Secundum quam naturam Chriſtus fuerit Sacerdos. 359
Punct. III. An Sacerdotium Chriſti fuerit eiuſdem rationis cum Sacerdotio legis naturalis, antiquæ, aut nouæ. 360
Punct. IV. An, & cur Chriſtus dicatur Sacerdos ſecũdum ordinem Melchiſedech; & An dici poſſit Sacerdos ſecundum Aaron, ſeu Aaronicus. ibid.
Punct. V. An ſacrificium Chriſti cruentum fuerit propitiatorium, aliosq́ue effectus habuerit. 363
QVÆST. XXI. De Chriſto Propheta, & Doctore. 364
Punct. I. An Chriſtus Propheta fuerit. ibi.
Punct. II. An Chriſtus fuerit Doctor. 365
QVÆST. XXII. De Chriſto Rege. 366
Punct. I. Verum Chriſtus ſecundum humanitatem habuerit dominium ſpirituale in omnes creaturas, ita vt Rex, & Monarcha ipſarũ iure merito vocari poſſit. ibid.
Punct. II. An Chriſtus fuerit Rex temporalis, ſeu an temporale dominium in totum terrarum Orbem habuerit. 367
QVÆST. XXIII. De Chriſto Legiſlatore, & Iudice. 372
Pun. I. An Chriſtus fuerit Legiſlator. ibid.
Punct. II. De Chriſto Iudice. 373
QVÆST. XXIV. De Antichriſto. 374
Punct. I. Verum Antichriſtus adhuc venerit. 375
Punct. II. An Romanus Pontifex ſit Antichriſtus. 376

DISPVTATIO III.

DE Myſterijs Chriſti Incarnationem ſubſequentibus. 379
QVÆST. I. De Natiuitate Chriſti, alijsq́; Natiuitatem comitantibus, vel quaſi proximè ſequentibus. 380
Punct. I. An Chriſtus verè, & propriè natus ſit ex Beatiſſima Virgine Maria. 381
Punct. II. Verum Chriſti Natiuitas peracta ſit ſine dolore Matris, & ſordibus puerperij. ibid.
Punct. III. Quo loco, & quo tempore facta ſit Chriſti Natiuitas. 383
Pun. IV. Quibus ſignis, & quibus perſonis manifeſtata fuerit Chriſti Natiuitas. 386
QVÆST. II. De Circumciſione, alijsq́; Vita Chriſti Myſterijs vſque ad Paſſionem. 391
Punct. I. De Circumciſione Chriſti. 391
Punct. II. De Præſentatione Chriſti in templo. 393
Punct. III. De Purificatione B. Virg. 394
Punct. IV. De Baptiſmo Chriſti. 396
Punct. V. De Transfiguratione Chriſti. 399
Punct. VI. De ratione, ac modo viuendi Chriſti. 404
Punct. VII. De prædicatione Chriſti. 410
Punct. VIII. De miraculis Chriſti. 415
QVÆST. III. De Paſſione Chriſti, alijsq́; Vita ipſius Myſterijs vſq; ad Reſurrectionem. 421
Punct. I. De venditione Chriſti. 422
Punct. II. De ſudore ſanguinis Chriſti in Horto orantis. 425
Punct. III. De oſculo Iudæ, fuga Diſcipulorum, caſu militum, amputatione auriculæ, comprehenſione Chriſti, & negatione Petri. 427
Punct. IV. De flagellatione Chriſti. 431
Punct. V. De iniuſta condemnatione Chriſti ad

ſti ad

Digitized by Google

INDEX:

ſti ad mortem, ſeu iniuſtitia ſententia. 433
Punct. VI. De Cruce, crucis delatione, & crucifixione. ibid.
Punct. VII. De Titulo Cruci impoſito. 439
Punct. VIII. De diuiſione veſtimentorum Chriſti, & de illorum ſorte. 441
Punct. IX. De vino, & aceto, quod Chriſto datum fuit ad bibendum. 442
Punct. X. De loco, in quo Chriſtus crucifixus fuit. 444
Punct. XI. De Latronibus, inter quos Chriſtus crucifixus fuit. 446
Punct. XII. An Chriſtus teſtamentum in Cruce, aut alia occaſione condiderit. 448
Punct. XIII. De morte, quam Chriſtus in Cruce ſuſcepit. 449
§. I. An neceſſarium, vel conueniens fuerit Chriſtum mori. ibid.
§. II. Quænam, & qualis vnio per mortem diſſoluta ſit. 449
§. III. Quo anno, menſe, die, & hora Chriſtus mortuus ſit. 450
Punct. XIV. De magnitudine dolorũ Chriſti. 454
Punct. XV. De Prodigijs, ſeu miraculis, quæ in Chriſti morte contigerunt. 457
Punct. XVI. De vulneratione lateris Chriſti. 460
Punct. XVII. De ſepultura Chriſti. 462
Punct. XVIII. De Chriſti deſcenſu ad Inferos. 464
QVÆST. IV. De Chriſti Reſurrectione, Aſcenſione, Seſſione ad dexteram Patris, & de Miſſione Spiritus Sancti. 469
Punct. I. De Chriſti Reſurrectione. ibid.
Pun. II. De Aſcenſione Chriſti in cælũ 475
Punct. III. De ſeſſione Chriſti ad dexteram Dei. 481
Punct. IV. De Miſſione Spiritus Sancti. 484
QVÆST. V. De Aduentu Chriſti ad Iudicium, &c. 487
Punct. I. De ſignis Aduentum Chriſti præcedentibus. ibid.
§. I. De receſſu multorum à fide, prælijs, fame, prædicatione Euangelij, aduentu Antichriſti, & deſtructione Rom. Imperij. 487
§. II. De prædicatione Enoch, & Eliæ, obtenebratione Solis, & Lunæ, caſu Stellarum, & preſſura gentium, quæ ſunt Quintum, Sextum, & Septimum ſignum Aduentus Chriſti. 491
§. III. De reſurrectione mortuorum, quæ eſt Octauum Aduentus Chriſti ſignum. 495
Punct. II. De extremo Chriſti Iudicio. 511
§. I. Quotuplex ſit Iudicium, & an detur. ibid.
§. II. A quo faciendum ſit Iudicium. 514
§. III. Quænam ſit materia, & ſubiectum extremi Iudicij, ideſt quinam iudicandi ſint, & de quibus rebus ferendum ſit iudicium. 519
§. IV. Quo in loco, & quo tempore faciendum ſit Iudicium. 522
§. V. Quo apparatu Chriſtus ad Iudicium venturus ſit. 524
§. VI. Vtrum in extremo Iudicio cognoſcenda ſit cauſa, & proferenda ſententia, & executioni infallibiliter mandanda. 527
Punct. III. Verum Chriſtus poſt Iudicium cum Sanctis in Cœlum receptus, perpetuo regnaturus ſit. 530
Punct. IV. De futura conditione Beatorum, & damnatorum quoad corpora. 531
§. I. De vnione animæ beatæ ad corpus, de integritate membrorum, & ipſorum vſu. pag. 532
§. II. De dotibus glorioſi corporis. 536
§. III. De aureolis Beatorum. 540
Punct. IV. De futura conditione damnatorum poſt mortem. 546
Punct. V. De conditione, & ſtatu Mundi poſt extremum Iudicium. 551

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Notabilium, quæ in hoc opere continentur.

A

Accidens immediatè aſſumi nō poteſt à perſona diuina. d.2.q. 4. puncto 5. num.1. fol. 137
Acetum verè Chriſto propinatum fuit. d. 2. q. 3. pun. 9. num. 3. 443
Actiones Chriſti fuerunt infiniti valoris. d.2.q.12 pun. 1. num.1. 258
Actiones Chriſti cur fuerint infiniti valoris. ibid num. 2. 258
Actiones Chriſti fuerunt infiniti meriti. ibid. n.4. 260
Actiones Chriſti non fuerunt ſeorſim ſingulæ infiniti meriti, ſed quatenus per voluntariam paſſionem, & mortem cō ſumatæ fuerunt. ibid. n.5. 262
Actiones humanitatis Chriſti liberæ factæ ante mortem ſingulę meritorię fuerunt. d.2.q.12. pun. 3.n.1. 263
Actus viſionis beatificæ in Chriſto non fuit meritorius. ibid. n.3. 264
Actus amoris Dei in Chriſto proueniens à ſcientia infuſa meritorius fuit, ex probabili. ibid. num.5. 264
Actus virtutum moralium aquiſitarum in Chriſto meritorij fuerunt, etiamſi eſſent ordinis naturalis. ibid. n 6. 265
Actus naturales in Chriſto meritorij an fuerint. ibid. n. 7. 267
Actus appetitus ſenſitiui in Chriſto conformes fuerunt rectæ rationi. d.2.q.10. pun. 4.num.4. 254
Actus appetitus ſenſitiui in Chriſto vt plurimum fuerunt ab ipſo intenti, ſeu voliti, & electi. ibid num 5. 255
Actus præceptus vt ſic non fuit in Chriſto liber, ſed neceſſarius quoad ſubſtantiam, ſeu obiectum actus, quoad circūſtantias vero fuit liber. d. 2. q. 11. p.3. num.5. 249
Actus efficax, & inefficax quinam dicantur. d 2.q.11. pun.4.n.1. 251
Adam in ſtatu innocentię non habuit gratiam ex meritis Chriſti. d. 2. q. 1. pun. 5. num.9. 79
Adam non habet vllos gloriæ gradus independentes à meritis Chriſti. ibid. n. 10. 80
Adam in ſtatu innocentię habuit reuelationem Incarnationis, non tamen cognouit cauſam ipſius. ibid.n.18.fol.84.
Adam, & alij Patres antiqui teſtamenti vocari potuerunt, & poſſunt filij Dei adoptiui. d.2. q. 16.pun. 2.n.3. fol.327.
Adam in ſtatu innocentię recepit gratiā ante lapſum, & conſequenter ante prędeſtinationem Chriſti. d. 2. q. 17. pun. 5. num.4. 344
Adam non eſt caput malorum. d. 2. q. 18. pun 1. num.16. 350
Adamo inditi fuerunt habitus cuiuſque ſcientiæ naturalis, non autem Chriſto. d.2. q.8. pun.4 n.2. 212
Admiratio in Chriſto fuit. d.2. q.10.pun. 5. num.7. 242
Adoptio quid ſit. d.2.q 16.pun. 1. n.1. 324
Adoptionis conditiones quænam ſint. ib. num 2. 324
Adoptio diuina differt ab humana. ibid. num. 3. 325
Adoptionis diuinæ capax eſt ſolum creatura

tura

Digitized by Google

tura rationalis. d. 2. q. 16. pun. 2. n. 1. 316
Aduentus Chriſti primum ſignum eſt receſſus multorum à fide, prælia, peſtilentiæ, fames, &c. d. 3. q. 5. pun. 1. §. 1. num 1. 488
Aduentus Chriſti ſecundum ſignum prædicatio Euangelij in toto Orbe. ibid. n. 2. 488
Aduentus Chriſti an futurus ſit ſtatim, vel non longè poſt Antichriſtum. ibid. n. 11. 490
Aduentus Chriſti ſignum eſt deſtructio Romani Imperij. ibid. n. 12. 491
Agilitas quid ſit. d 3. q. 5. p. 4 § 2. n. 8 538
Angelus Incarnationis nuntius quis fuerit. d. 1 q. 4 pun. 1 n. 3. 30
Angelus Gabriel nuntius Conceptionis fuit ille idem, qui apparuit Danieli. ibid. num 4. 31
Angelus Gabriel apparuit Virgini in ſpecie humana, & viſibili. ibid. n. 5. 32
Angelus naturaliter non cognoſcit naturam humanam caruiſſe propria ſubſiſtentia. d 2. q. 1. pun 2. n. 8. 63
Angelus naturaliter cognoſcit Deum eſſe omnipotentem, non quidem diſtinctè, & euidenter, ſed in generali, & in confuſo. ibid. n. 9. 64
Angelus apparuit Chriſto oranti confortans illum. d. 3. q. 3. pun. 2. n. 3. 426
Angeli non aſſumunt carnem, dum hominibus apparent, & homines, qui in ſcriptura vocantur Angeli, verè non erant Angeli, & Antichriſtus verè non erit dæmon. d. 2. q 7. pun 5. nu. 2. 122
Angeli viatores habuerunt fidem Incarnationis, iuxtà nonnullorum ſententiam. d 2 q. 11. pun. 6 num. 4. 297
Angeli, qui lapſi non ſunt, verè vocari poſſunt filij Dei adoptiui. d. 2. q. 16. p. 2. num 2. 316
Angeli boni, non autem mali congregabunt materiam reſurgentium. d. 3. q. 5. pun. 1 § 3. num 16. 507
Angeli congregabūt materiam reſurgentium virtute naturali. ibid. n 17. 507
Angeli quo pacto diſcernere poſſint materiam ſingulorum ſuſcitandorum. ibid. num. 18. 507
Angeli nō exercebunt iudicium circa homines d. 3 q. 5. pun. 2. § 2. n. 8. 518
Angeli non iudicabuntur ab hominibus iudicio propriè accepto, excepto tamē Chriſto. ibid. num. 9. 518
Angeli mali iudicabuntur à bonis Angelis. ibid. num. 10. 518
Angeli in extremo iudicio directè, & per ſe non iudicabuntur. d. 3. q. 5. p. 2. § 3. num. 6. 522
Angeli in cęlis corpora non aſſument. d. 3. q. 5. pun. 4. § 1. n. 11. 536
Angelorum redemptio conueniens fuiſſet ſi facta fuiſſet. d. 2. q. 1. pun. 3. num. 10. 69
Animæ ordine intentionis, & dignitatis prius aſſumpta fuit, quàm corpus. d. 2. q. 4. pun. 2. num. 5. 132
Anima Chriſti ſeparata à corpore nō fuit, producta noua forma ſubſtantialis. d. 3. q. 3. pun. 13 § 2. num. 2. 450
Animæ in Iudicio particulari non vident Chriſtum generaliter loquendo. d 3. q. 5. pun. 2 § 2. n. 6. 517
Animæ beatæ corporibus ſuis vniendæ, ſunt. d 3. q. 5. pun 4. §. 1. nu. 1. 532
Annunciationis myſterium non fuit neceſſario annuntiatum Mariæ virgini, ſed conuenienter. d. 1. q. 4. pun. 1. numero 1. 29
Annuntiatio conueniēter facta fuit per Angelum. ibid. num. 2. 30
Annunciatio M. Virg. quo anno facta fuerit. ibid. num 7. 33
Annunciatio, & conſequenter Conceptio Chriſti, & Incarnatio facta fuiſſe videtur die Veneris. ibid. num. 8. 33
Annunciatio veroſimiliter facta fuiſſe videtur media nocte, qua hora Chriſtus natus eſt. ibid. n. 10. 34
Annunciatio facta fuit in domo Virginis, quæ modò Lauretana domus nuncupatur. ibid. num 11. 34
Antichriſtus non patrabit vera miracula, ſed ficta, & apparentia. d. 2. q. 9. pun. 3. num. 3. 218
Antichriſtus vocari quodammodo poteſt caput omnium malorū. d. 2. q. 18. pun. 1. nu. 17. 350
Antichriſtus nondum venit. d. 2. q. 24 p. 1. num. 1. 375
Antichriſti quinam ſint præter primariū Chriſti hoſtem. ibid. n. 2. 376
Antichriſtus ſedebit in templo Dei Hieroſolimæ, non Romæ. d. 2. q. 24. pun. 2. num 2. 377
Antichriſti perſecutio eſt ſignum aduentus Chriſti. d. 3. q. 5. pun. 1. §. 1. num 6. 489
fol.

Antichriſtus quando venturus ſit, incertū eſt. ibid. num. 7. 489
Antichriſtus futurus eſt Iudæus origine, & profeſſione. ibid. num. 8. 489
Antichriſtus naſciturus eſt ex turpi concubitu. ibid. num. 9. 490
Antichriſti doctrina nitetur ſignis, & prodigijs falſis. ibid. n. 10. 490
Apoſtoli aufugerunt, dum Chriſtus caperetur d. 3. q. 3. pun. 3. n. 2. 427
Apoſtoli non peccauerunt fugiendo, dum Chriſtus caperetur, modò fugam per ſe ſpectemus. ibid. num. 3. 428
Apoſtoli quamdiù Chriſtum aſcendentē viderint. d. 3. q. 4. pun. 2. n. 3. 476
Apparitionum boni, vel mali ſpiritus differentia. d. 1. q. 4. pun. 1. n. 14. 35
Appetitus ſenſitiui nomine quid intelligatur. d. 2. q. 10. pun. 4. num. 1. 233
Appetitus ſenſitiuus verè in Chriſto fuit. ibid. num. 3. 233
Aquæ conuerſio in vinum nō contigit eadem die eiuſdem anni, quo Chriſtus baptizatus fuit. d. 3. q. 2. pun. 4. numero 7. 398
Argenteorum nomine, quibus Chriſtus venditus eſt, quid intelligatur. d. 3. q. 1. pun. 1. num 4. 423
Aſcenſio Chriſti in cęlum conueniens fuit. d. 3. q. 4. pun. 2. n. 7. 477
Aſcenſio Chriſti facta fuit ex monte Oliueti. ibid. num. 10. 479
Aſcenſio Chriſti facta fuit quadrageſimo die poſt Reſurrectionē. ibid. n. 11. 479
Aſcenſio Chriſti qua die contigerit. ibid. num. 12. 479
Aſcenſio Chriſti eſt cauſa exemplaris noſtræ aſcenſionis, non meritoria. ibid. num. 17. 480
Aſſumptio naturæ fieri non poteſt præciſè per virtutem infinitam, ſed opus eſt, vt aſſumens naturam vniatur naturæ, ipſamq; incōmunicabiliter terminet. d. 2. q. 3. pun. 2. num. 2. 113
Aurea, & aureola quid ſignificet. d. 3. q. 5. pun. 4. §. 3. num 1. 541
Aureolæ tres ſunt. ibid. num. 2. 541
Aureolæ cur tres ſint, & non plures. ibid. num. 3. 541
Aureola martyrij præſtantior eſt cęteris laureolis. ibid. num. 4. 542
Aureola virginitatis ad ſui conſecutionē requirit puritatem, & integritatem corporis ex propoſito vſque ad finem vitę, quantum in nobis eſt. ibid. num. 5. 543
Aureola virginitatis nō amittitur ob peccatum veniale. ibid. nu. 6. 544
Aureola non debetur Angelis. ibid. numero 10. 545
Aureola, ſeu aliquod inſigne debetur etiā corporibus beatorum. ibid. nu. 11. 546
Aureola in vno perfectior futura eſt, quā in alio. ibid. nu. 12. 546
Aureola ſicut debetur virginibus, martyribus, & Doctoribus, ita etiam peculiare prēmium accidentale debetur ijs, qui peculiares virtutum actus exercēt. ibid. n. 14. 546
Aureolam habentes non ſemper habent eſſentiale præmium maius, quàm habeāt cæteri non habentes illam. ibid. num. 13. 546

B

Baptiſmus Ioannis non decebat Chriſtum. d. 3. q. 2. pun. 4. num. 2. 397
Baptiſmus collatus fuit Chriſto die ſexto Ianuarij. ibid. num. 6. 398
Baptiſmus iure collatus fuit Chriſto in Iordane. ibid. num. 4. 397
Baptiſmi nomine aliquando intelligitur opera pęnalia, & ſatisfactoria. d. 3. q. 5. pun. 1. §. 3. num. 2. 496
Beatitudo eſſentialis ſubſiſtere poteſt ſine corpore. d. 3. q. 5. pun. 4. §. 1. n. 2. 532
Beati debitam in corporibus habebunt membrorum integritatem. ib. n. 3. 533
Beati ſenſibus, & membris vtentur. ibid. num. 4. 533
Beati habebunt vſum potentiæ viſiuæ. ibid. num. 5. 533
Beati vſum auditus habebunt. ib n. 7. 535
Beati vſum odoratus habebunt. ibid. numero 8. 535
Beati habebūt vſum tactus. ibid. n. 10. 535
Beati corpora non habebunt diaphana, & pellucida, vt cryſtallus. d. 3. q. 5. p. 4 num. 7. §. 1. 538
Beati non mouebunt ſe naturaliter ab extremo ad extremum ſine medio. ibid. num. 10. 539
Beati quando agilitas dote vtentur. ibid. num. 11. 539

C

Caluariæ nomen vndè ſumptum ſit. d. 3. q. 3. pun. 10. num. 4. 445

Caput, brachia, & aliæ partes integrantes naturam humanam, aſſumptæ fuerunt à Verbo. d.2. q.3. pun.1.n.2. 126
Caput Eccleſiæ viſibile cōſtituendum eſt præter caput inuiſibile Chriſti. d. 2. q. 18. pun.4. num. 1. 352
Charitas in Chriſto fuit. d.2. q.7. pun. 4. num. 2. 178
Chriſtus quomodo vocetur primogenitus Mariæ. d.1. q. 4. pun.2. n.6. 39
Chriſtus non habuit fratres ſaltem vterinos. ibid. num.9. 40
Chriſtus cur ex Virgine naſci voluerit. ib. num.13. 42
Chriſtus conceptus fuit ex puriſſimis Beatiſſimæ Virginis ſanguinibus. d.1.q. 4. pun. 3. num.2. 45
Chriſtus conceptus fuit ex ſolo Virginis ſanguine abſque ipſius ſemine ex probabili. d. 1. q. 4. pun.3. num. 6. 46
Chriſtus potuiſſet habere Patrem verè, & realiter aliquem hominem de potētia Dei abſoluta, ſicut ipſius Mater fuit Beatiſſima Virgo. ibid. num.11. 51
Chriſtus eſt ens per ſe, etiam poſita Incarnatione. ibid. num.5. 61
Chriſtus vt homo non fuit amatus, & intentus ante omnes creaturas. d. 2. q. 1. pun.5. n.6. 77
Chriſtus vt homo eſt finis creaturæ redēptæ, aliarum verò creaturarum eſt finis non ſecundum humanitatem, ſed ſecundum diuinitatem. ibid. n.7. 78
Chriſtus quomodo dicatur veniſſe ſolum propter Iudæos. ibid. num.12. 81
Chriſtus incarnatus fuiſſet ad tollendum peccatum originale, etiamſi nulla peccata actualia extitiſſent. ibid. n.15. 82
Chriſtus ex vi decreti, quo re ipſa venit, non veniſſet ad tollenda ſola actualia, ſi originale non extitiſſet. ibid. numero 16. 83
Chriſtus non veniſſet ex vi decreti, quo re ipſa venit, ſi Adam, aut alij non peccaſſent. ibid. num.17. 84
Chriſtus per Incarnationem continet vnā perſonam, & duas naturas. d.2. q.5. p. 2. num.5. 144
Chriſtus cur potius dicatur creatus, quam increatus. d.2. q.5. pun.4. num. 4. 148
Chriſtus quomodo dicatur impleuiſſe omnia. d. 2. q.6. pun.2.n.2. 161
Chriſtus fuit ſanctus, & iuſtus. d. 2. q. 7. pun.1. num.1. 165
Chriſtus ſecundum humanitatem habuit gratiam habitualem. ibid. n.2. 165
Chriſtus habuit etiam gratiam vnionis, conſequenter fuit Sanctus, non ſolum per gratiam habitualem, verum etiam per gratiam vnionis. ibid. n.4. 166
Chriſtus mereri potuiſſet etiam per ſolam gratiam vnionis. ibid. num. 7. 167
Chriſtus an dicendus ſit magis Sanctus ob vtramq; gratiam ſimul quam ſi vnā tantum haberet. ibid. num. 9. 168
Chriſtus quomodo profecerit ſapientia, & ætate. ibid. num. 17. 172
Chriſtus non habuit, nec indiguit gratia actuali excitante. diſp. 2. q. 7. pun. 2. num. 1. 173
Chriſtus non indiguit gratia adiuuante. ibid. num. 2. 173
Chriſtus habuit omnes virtutes, quæ non repugnant vnioni hypoſtaticæ, aut viſioni beatificæ. diſp. 2. quæſt. 7. pun.4. num. 1. 178
Chriſtus aliquando operatus eſt actus naturales, & meruit dirigendo illos ad finem ſupernaturalem. ibid. numero 11. 183
Chriſtus habuit ſcientiam creatam, & nihil intellexit per increatam. diſp. 2. quæſt. 8. pun. 1. num. 1. 186
Chriſtus in hac vita habuit viſionem beatificam. diſp. 2. quæſt. 8. pun. 2. num. 1. 191
Chriſtus præter viſionem beatificam habuit ſcientiam infuſam. diſp. 2. q. 8. pun. 3. §. 1. num. 1. 195
Chriſtus ab inſtanti conceptionis habuit ſcientiam infuſam. diſp. 2. quæſt. 8. pun. 3. §. 2. num. 1. 169
Chriſtus per ſcientiam infuſam cognouit omnia, quæ ad ipſius ſtatum pertinebant. ibid. §. 3. num. 1. 197
Chriſtus per ſcientiam infuſam cognouit omnes res naturales. ibid. n. 2. 197
Chriſtus per ſcientiam infuſam cognouit occultas cordiū cogitationes, & actus liberos. ibid. num. 3. 198
Chriſtus per ſcientiam infuſam cognouit omnes res ſupernaturales, creatas, imo cognouit omnia pręſentia, præterita, & futura circa ſe ipſum, Angelos, & homines. ibid. num. 4. 198
Chriſtus vt homo, ſeu vt pręceptor non cognouit Iudicij diem, cognouit verò vt Iudex. ibid. num. 6. 201

Digitized by Google

Chriſtus per ſcientiam infuſam non cognouit omnia poſſibilia. ibid n.7. 202
Chriſtus per ſcientiam infuſam ſemper aliquid cognouit, non obſtante ſomno, aut viſione beatifica. Ibid. nu. 9. 204
Chriſtus non ſemper actu cognouit omnia obiecta ſcientiæ infuſæ. Ibid. numero 10. 204
Chriſtus in inſtanti conceptionis cognouit ſimul omnia obiecta ſcientiæ infuſæ, ex probabili nonnullorum. Ibid. num. 11. 205
Chriſtus non cognouit omnia obiecta vnica cogitatione. ibid. num. 12. 205
Chriſtus ſcientia infuſa vtebatur ſpeciebus ſpecie diuerſis. ibid. num. 13. 205
Chriſtus vti non potuit diſcurſu, dum aliquid cognoſcebat per proprias ſpecies; ſecus dum aliquid cognoſcebat per ſpecies alienas. diſp. 2. quæſt. 8. pun. 3. §. 5. num. 3. 210
Chriſtus vtendo alienis ſpeciebus poterat per diſcurſum cognoſcere perfectiones diuinas. ibid. num. 4. 210
Chriſtus proprijs actibus aquiſitis aquiſiuit illas ſcientias, quæ proprijs actibus aquiri poſſunt. diſp. 2. quæſt. 8. pun. 4. num. 1. 210
Chriſtus ſecundum humanitatem nõ fuit omnipotens. diſp. 2. quæſt. 9. pun. 1. num. 1. 214
Chriſtus non habuit ſcientiam practicam eorum omnium, quorum habuit ſcientiam ſpeculatiuam. ibid. num. 2. 215
Chriſtus potentiam habuit ad facienda miracula, ad producendam gratiam, & remittenda peccata. diſp. 2. quæſt. 9. pun. 2. num. 2 216
Chriſtus ab inſtanti conceptionis habuit vim faciendi miracula. ibid. n. 3. 216
Chriſtus anno trigeſimo primo cępit vti facultate faciendi miracula; an anteà illa vſus fuerit incertum eſt. ib. n. 2. 216
Chriſtus ſecundum humanitatem adhuc retinet facultatem faciendi miracula. ibid. num. 3. 217
Chriſtus aſſumpſit defectus communes non aduerſantes perfectioni ipſius, & fini Incarnationis. d. 2. q. 10. pun. 1. numero 1. 223
Chriſtus non dicitur cõtraxiſſe defectus, ſed aſſumpſiſſe. ibid. n. 2. 224
Chriſtus non aſſumpſit defectus communes repugnantes perfectioni ipſius; & fini Incarnationis. ibid. n. 3. 225
Chriſtus non aſſumpſit defectus particulares. ibid. num. 4. 225
Chriſtus incurrit neceſſitatem moriendi. ibid. nu. 6. 225
Chriſtus nullam deformitatem habuit. ibidem num. 7. 226
Chriſtus non habuit peccatum originale. d. 2. q. 10. pun. 2. n 1. 227
Chriſtus nunquam habuit peccatum vllũ actuale. ibid num. 2. 228
Chriſtus dicitur ſuſcepiſſe peccata, quomodo. ibid. num. 3. 228
Chriſtus homo non potuit actualiter peccare, etiam de potentia Dei abſoluta. d. 2. q. 10. pun. 3. num. 1. 229
Chriſtus vt homo non potuit vllum peccatum habituale habere. ibid. n. 2. 230
Chriſtus habuit veros, & proprios actus appetitus ſenſitiui. d. 2. q. 10. pun. 4. numero 3. 233
Chriſtus dicitur vnus maſculinè. d. 2. q. 11. pun. 1. num. 1. 244
Chriſtus dicitur vnus, etiam ſi vnus in neutro accipiatur. ibid. n. 2. 245
Chriſtus habet vnum eſſe ſimpliciter non plura. ibid. pun. 2. num 1. 245
Chriſtus habet duas naturas, & duas exiſtentias. ibid. n. 2. 246
Chriſtus habet duas voluntates. ibid. p. 3. num. 1. 246
Chriſtus impeccabilis erat. ibid. num. 4. 248
Chriſtus non habuit præceptum operandi quoad omnes circumſtantias. ibid. num. 6. 250
Chriſtus moriendo, aut alia præcepta ſeruando meruit, quia actus præcepti liberè imperabantur à voluntate. ibid. numero 7. 250
Chriſtus verè meritum habuit. d. 2. q. 12. pun. 1. num 1. 255
Chriſtus non potuit non mereri. ibid. numero 3. 257
Chriſtus nihil meruit per actiones à natura diuina factas. d. 2. q. 12. puncto 3. num. 2. 263
Chriſtus nõ meruit per actum charitatis, & amoris erga Deum, ſaltem per actũ prouenientem à viſione beatifica. ibid. num. 4. 264
Chriſtus ab inſtanti Conceptionis mereri incępit. ibid. pun. 4. n. 1. 266
Chriſtus meruit toto tempore vitæ ſuæ abſque

abſque interuallo. ibid. n. 2. 267
Chriſtus non meruit in inſtanti mortis. ibid. num. 3. 268
Chriſtus nihil meruit poſt inſtans mortis, neque nunc meretur in Cælo. ibidem num. 4. 268
Chriſtus aliquid ſibi meruit. ibid. pun. 5. num. 1. 269
Chriſtus meruit ſibi gloriam corporis, & exaltationem nominis. ib. n. 2. 270
Chriſtus non meruit Incarnationem, ſeu vnionem hypoſtaticam. ibid. §. 1. numero 1. 271
Chriſtus mereri non potuit vnionem hypoſtaticam. ibid. num. 2. 273
Chriſtus non meruit circunſtantias Incarnationis. ibid. num. 6. 277
Chriſtus non meruit, neque mereri potuit continuationem vnionis, ſeu extenſionem materiæ ad partes paulatim aquiſitas. ibid. num. 7. 277
Chriſtus meruit reſtitutionem vnionis animæ, & corporis factæ in reſurrectione. ibid. num 8. 278
Chriſtus non meruit ſibi gratiam habitualem. ibid. §. 2. num. 1. 283
Chriſtus de potentia Dei abſoluta mereri potuit gratiam habitualem. ibid. numero 2. 284
Chriſtus non meruit ſibi gloriam, ſeu viſionem beatificam. d. 2. q. 12. pun. 5. §. 3. num. 1. 285
Chriſtus de potentia Dei abſoluta mereri potuiſſet viſionem beatificam. ibid. numero 2 286
Chriſtus quid meruerit hominibus. ibid. pun. 6. num. 1. & ſeq. 287
Chriſtus meruit omnibus ea, quæ ad ſalutem conducunt. ibid. num. 8. 290
Chriſtus meruit antiquis Patribus dona gratiæ. ibid. num. 9. 292
Chriſtus non meruit Adamo gratiã, quã habuit in ſtatu innocentię. ib. n. 10 293
Chriſtus meruit Angelis manifeſtationẽ quorumdam myſteriorum. d. 2. q. 12. p. 7. num. 1. 296
Chriſtus non meruit Angelis gratiam, & gloriam. ibid. num. 2. 296
Chriſtus alia ratione eſt caput hominum, quam Angelorum. ibid. num. 3. 296
Chriſtus ſufficienter ſatisfecit pro peccatis totius mundi. d. 2. q. 13. p. 4. n. 1. 300
Chriſtus ſatisfecit ex iuſtitia latè acceptа. ibid. pun. 3. num. 2. 306
Chriſtus non ſatisfecit ex iuſtitia commutatiua ſtrictè accepta. ibid. nu. 3. 308
Chriſtus quomodo ſubiectus fuerit Deo, & ſibi ipſi. d. 2. q. 14. pun. 1. nu. 1. 311
Chriſtus obſtrictus fuit pręcepto moriendi. ibid. num. 4. 312
Chriſtus an ſubdit⁹ fuerit præceptis, & legi Moyſis. ibid. num. 5. 313
Chriſtus nõ violauit Sabbati pręceptum. ibid. num. 8. 314
Chriſtus quomodo dici poſſit ſeruus Dei. ibid. pun. 2. n. 2. 315
Chriſtus an orauerit, & quibus de cauſis. d. 2. q. 15. pun. 1. num. 1. & 4. 319
Chriſtus quomodo in Cælo dicatur orare pro nobis. ibid. p. 2. n. 1. 321
Chriſtus ſecundum humanitatem non poteſt dici filius Dei adoptiuus. d. 2. q. 16. pun. 3. num 1. 328
Chriſtus homo eſt filius Dei naturalis. ibid. num. 4. 329
Chriſtus vt homo vocari poteſt filius Dei naturalis. ibid. num. 5. 330
Chriſtus ſecundum diuinitatem an poſſit dici prædeſtinatus ad eſſe filij Dei, vel ad eſſe hominis. d. 2. quæ. 17. puncto 1. num. 1. 334
Chriſtus ſecundum humanitatem dici nõ poteſt prædeſtinatus à Deo, vt in tempore ſit filius Dei naturalis. ibid. pun. 2. num. 1. 337
Chriſtus ſecundum humanitatem dici poteſt prædeſtinatus ad gratiam, & alia dona ſupernaturalia. ibid. num. 2. 338
Chriſtus meruit, vt aliqui prædeſtinentur alijs relictis. d. 2. q. 17. pun. 4. n. 5. 342
Chriſtus non eſt cauſa vt aliqui potius ſaluentur, quam alij. ibid. nu 6. 342
Chriſtus eſt primus omnium prædeſtinatorum prioritate rationis, non temporis. d. 2. q. 17. pun. 5. num. 1. 343
Chriſtus ſecundum humanitatem eſt caput totius Eccleſiæ militantis, & triumphantis. d. 2. q. 18. pun. 1. n. 1. 345
Chriſtus nõ videtur caput damnatorum. ibid. num. 3. 346
Chriſtus eſt caput adultorum infidelium, vt Iudæorum. ibid. num. 4. 347
Chriſtus etiam nunc eſt caput Eccleſiæ, ſed non viſibile. ibid. n. 5. 347
Chriſtus vocatur caput Eccleſiæ, non autem cor. ibid. num. 7. 347
Chriſtus non confert gratiam auctoritate, ſed per poteſtatem excellentiæ. ibi. num.

num. 8. 348
Chriſtus vocari poteſt præcipuum Eccleſiæ membrum. ibid. num. 9. 348
Chriſtus eſt caput hominum etiam quoad corpus. ibid. num. 10. 348
Chriſtus eſt ſingulare, & vnicum caput Eccleſiæ. ibid. num. 11. 349
Chriſtus dici poteſt aliquo modo caput omnium creaturarum. ibid. n. 13. 349
Chriſtus eſt Caput Angelorum. d. 2. q. 18. pun. 2. num. 1. 351
Chriſtus eſt caput Eccleſiæ ſecũdum gratiam habitualem. ibid. p. 3. n. 1. 351
Chriſtus eſt caput Eccleſiæ ſecundum gratiam vnionis. ibid. num. 2. 352
Chriſtus fuit mediator inter Deum, & homines. d. 2. q. 19. pun. 1. n. 1. 353
Chriſtus quomodo fuerit mediator. ibid. pun. 2. num. 1. & 2. 354
Chriſtus verè fuit Sacerdos, & ſacrificiũ. d. 2. q. 20. pun. 1. nu. 1. & 2. 357
Chriſtus non fuit Sacerdos ſecundum naturam diuinam, ſed ſecundum humanam. ibid. pun. 2. num. 1. 359
Chriſtus dicitur penetraſſe cælos vt homo. ibid. num. 2. 359
Chriſtus quare vocetur Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. d. 2. q. 20. pun. 4. num. 1. 361
Chriſtus an vocetur Sacerdos Aaronicus. ibid. num 3. 362
Chriſtus Propheta fuit. d. 2. q. 21. pun. 1. num. 1. 364
Chriſtus verè fuit Doctor, quid, & quando docuerit. ibid. pun. 2. 365
Chriſtus habuit dominium ſpirituale in omnes creaturas. d. 2. q. 22. pun. 1. numero 1. 366
Chriſtus ſecundum humanitatem fuit rex temporalis in hac vita. ibid. pun. 2. numero 1. 367
Chriſtus quarum rerum dominium habuerit. ibid. num. 2. & 3. 368
Chriſtus verè fuit legiſlator. d. 2. q. 23. p. 1. n. 1. 372
Chriſtus in primo aduentu non fuit Iudex. ibid. p. 2. num. 1. 373
Chriſtus particulare iudicium exercet in morte vniuſcuiuſque. ibid. n. 3. 373
Chriſtus quomodo natus fuerit ex Beatiſſima Virgine. d. 3. q. 1. p. 1. n. 1. 381
Chriſtus natus eſt in Præſepio, exceptus ab Angelis, & cur in diuerſorio. d. 3. q. 1. pun. 3. n. 1. 2. 3. 5. 383
Chriſtus circumciſus fuit non tamen ex neceſſitate, ſed ex decentia. d. 3. q. 2. pun. 1. num. 1. 2. 391
Chriſtus baptizatus fuit Baptiſmo Ioannis. ibid. pun. 4. num. 1. 397
Chriſtus cur proprio Baptiſmo baptizatus non fuerit. ibid. num 3. 397
Chriſtus baptizatus fuit inchoato anno trigeſimo. ibid. num. 5. 398
Chriſtus cur in Transfiguratione adhibere voluit Moyſen, & Eliam. ibid. pun. 5. num. 13. 404
Chriſtus in Trãsfiguratione cur non adhibuerit Angelos, & homines. ibid. numero 16. 404
Chriſtus vitam communem, & ſocialem duxit. ibid. p. 6. num. 1. 407
Chriſtus non duxit vitam auſteram, ſed accommodatam moribus hominum. ibid. num. 2. 406
Chriſtus non coluit ſtatum formaliter religioſum. ibid. num. 4. 409
Chriſtus perpetuam caſtitatem, & obedientiam ſeruauit. ibid. num 5. 7. 409
Chriſtus publicè prædicauit ſolum Iudæis, & non gentibus. d. 3. q. 2. pun. 7 num. 2. 410
Chriſtus docuit publicè, nihil in occulto, verbo, & non ſcripto, tribus annis, & tribus menſibus. ibidem num. 3. 4. 5. 6. 411
Chriſtus prædicare debuit etiam cum offenſione Iudæorum. ibid. num. 8. 414
Chriſto conueniens fuit effectio miraculorum. ibid. pun 8. num. 2. 416
Chriſtus venditus fuit Iudæis à Iuda triginta argenteis. d. 3. q. 3. pun. 1. num. 1. 3. 421
Chriſtus inter orandum verum ſanguinis ſudorem emiſit. d. 3. q. 3. pun. 2. numero 1. 425
Chriſtus cur fecerit milites retrorſum cadere. ibid. p. 3. num. 5. 428
Chriſtus comprehenſus fuit cum magno armorum ſtrepitu. ibid. num. 7. 428
Chriſtus reſpexit Petrum oculis corporeis. ibid. num. 16. 430
Chriſtus aſperè flagellatus fuit. ibid. p. 4. num. 1. 3. 431
Chriſtus quare flagellis cędi voluerit. ibidem num. 6. 432
Chriſtus proprijs humeris crucem portauit, ad quem locum. d. 3. q. 3. pun. 6. num. 1. 2. 434

Digitized by Google

INDEX.

Chriſtus verè crucifixus fuit. ib. n. 6. 436
Chriſtus clauis, non funibus affixus fuit cruci. ibid. num. 7. 436
Chriſtus an cruci affixus, antequam crux erigeretur. ibid. num. 10. 437
Chriſtus an crucifixus fuerit cum corona ſpinea, & nudus. ibid. n. 11. 12. 438
Chriſtus an verè ſitierit, & illi potus fuerit datus. ibid. pun. 9. num. 1. 442
Chriſtus Hieroſolimis mortuus fuit in monte Caluario. ibid. pun. 10. n. 1. 444
Chriſtus quare inter latrones crucifigi voluerit. ibid. pun. 11. num. 1. 446
Chriſtus conuenienter mortuus eſt pro redemptione generis humani. ibid. pun. 13. §. 1. num. 2. 450
Chriſtus mortuus eſt completo anno trigeſimo tertio. ibid. §. 3. n. 1. 451
Chriſtus mortuus fuit luna decima quinta primi menſis. ibid. num. 3. 451
Chriſtus mortuus fuiſſe videtur die 25. Martij. ibid. num. 4. 452
Chriſtus mortuus eſt die Veneris hora nona. ibid. num. 5. 6. 452
Chriſtus quomodo dicatur mortuus hora tertia. ibid. num. 7. 453
Chriſtus quo in latere vulneratus fuerit. ibid. pun. 16. num. 2. 461
Chriſtus verè ſepultus fuit. ibid. pun. 17. num. 1. 462
Chriſtum ſepeliri conueniens fuit etiam quoad circumſtantias, vt vnguenta, &c. ibid. num. 3. 463
Chriſtus verè quoad animam ad inferos deſcendit. d. 3. q. 3. pun. 18. n. 1. 464
Chriſtus toto triduo mortis mãſit in Limbo Patrum. ibid. num. 3. 466
Chriſtus animabus Patrum in Limbo exiſtentibus beatitudinem contulit. ibid. num. 5. 467
Chriſtus reſurgens animas Limbi ab eo loco eduxit. ibid. num. 7. 467
Chriſti anima quid operata fuerit poſt mortem. ibid. num. 8. 468
Chriſtus ad Inferos deſcendens nullas damnatorum animas ab Inferno liberauit. ibid. num. 9. 468
Chriſtus primus omnium ſurrexit. d. 3. q. 4. pun. 1. num. 4. 471
Chriſtus anno trigeſimo tertio expleto ſurrexit. ibid. num. 5. 472
Chriſtus qua hora reſurrexit. ibid. num. 6. 473
Chriſtus ſtatim poſt Reſurrectionem apparuit Matri. ibid. nu. 8. 474
Chriſtus poſt Reſurrectionem in cęlos aſcendit ſucceſſiuo motu. d. 3. q. 4. pun. 2. num. 1. & 2. 475
Chriſtus poſt aſcenſum in Cęlum an circumdatus ſit ſuperficie Cęli. ibid. numero 4. 476
Chriſtus quomodo ſuper omnes creaturas aſcenderit. ibid. num. 5. 477
Chriſtus in cęlum aſcendit ſecundum humanitatem, non verò ſecundum diuinitatem. ibid. num. 8. 477
Chriſtus propria virtute aſcendit. ibidem num. 9. 478
Chriſtus qua hora in cęlos aſcenderit, quibus circumſtantijs, quo comitatu. ibid. num. 13. & 14. 479
Chriſtus in Cælum aſcendens aliquos homines anima, & corpore ſecum traduxit. ibid. num. 16. 480
Chriſtus poſt Aſcenſionem ſedet ad dexteram Patris. d. 3. q. 4. pun. 3. n. 1. 480
Chriſtus dicitur in Cęlis ſedere, ſeu potius ſtare. ibid. num. 4. 482
Chriſtus poſt Aſcenſionem viſibili ſpecie aliquoties in terram deſcendit. ibid. numero 6. 484
Chriſtus eſt cauſa meritoria reſurrectionis. d. 3. q. 5. pun. 1. §. 2. n. 29. 508
Chriſtus eſt perfectiſſimum exemplar reſurrectionis iuſtorum. ibid. n. 30. 508
Chriſtus meruit iudiciariam poteſtatem quoad vſum, & quoad eius manifeſtationem. d. 3. q. 5. pun. 2. §. 2. n. 3. 516
Chriſtus in hac mortali vita exiſtens non exercuit iudiciariam poteſtatem, ſed poſt reſurrectionem ea vti cępit. ibid. num. 4. 516
Chriſtus in iudicio particulari non deſcẽdit de cęlo ad animas iudicandas. ibid. num. 5. 517
Chriſtus cum magno apparatu ad iudiciũ veniet. ibid. §. 5. num. 1. 524
Chriſtus in aduentu ad iudicium habebit comites Angelos, & Sanctos. ibidem num. 8. 526
Chriſtus etiam ſecundum humanitatem poſt iudicium perpetuo regnabit in cęlo cum Sanctis. ibid. pun. 3. n. 1. 530
Chriſtus poſt iudicium ſubijcietur Deo quoad humanitatem peculiari quadam ratione, quia totus in Deo defixus remanebit abſque vllo extrinſeco impedimento. ibid. num. 2. 531

Chri-

Chriſtus quomodo videndus ſit à Beatis in qualibet empijrei parte. d 3. qu. 5. pun.4. §. 1. nu. 6. 534
Chriſto non debetur aureola, ſed aliquid præſtantius. ibid. §. 3. n 9. 544
Circumciſio facta fuit die Dominico. d. 1. q. 4. pun. 1. num. 9. 33
Circumciſio Chriſti decens fuit. d. 3. q. 2. pun. 1. nu. 3. 392
Circumciſionis quę fuerit cauſa pręcipua ibid. num. 4. 392
Claritas corporis glorioſi propriè non emanat à gloria animæ. d. 3. q. 2. p. 5. num. 3. 400
Claritas in Transfiguratione Chriſti fuit altioris rationis, quàm ſit ſplendor Solis. ibid. num. 4. 401
Claritas glorioſi corporis naturaliter videri poteſt. ibid. num. 6. 402
Claritas in Trãſfiguratione transfuſa eſt per totum corpus Chriſti. ib. n. 7. 402
Claritas in trãſfiguratione transfuſa fuit ſolum ad exteriores corporis partes. ibid. num. 8. 402
Claritas quid ſit. d. 3. q. 5. pun. 4. §. 2. numero 5. 538
Claritas, ſeu lux beatorum an ſit eiuſdem ſpeciei cum luce Solis remiſſiuè. ibid. num 6. 538
Claui, quibus Chriſtus crucifixus fuit, quotnam fuerint. d. 3. q. 3. pun. 6. numero 9. 437
Cæli, & elementa non ſubſtantialiter im mutabuntur poſt extremum iudicium, ſed accidentaliter. d. 3. q. 5. pun. 5. numero 9. 557
Cognitio imperfecta non excluditur à cognitione magis perfecta, dum cum ipſa non eſt incompoſſibilis. d. 2. q. 8. pun. 3. §. 1. num. 2. 195
Columna, ad quam Chriſtus flagellatus fuit, qualis fuerit. d. 3. q. 3. pun. 4. numero 4. 432
Conceptionis virginis diſputatio an licita ſit remiſſiuè. d. 1. q. 2. pun. 1. n. 5. 11
Conceptio quid requirat, vt fętus ritè formetur. d. 1. q. 4. pun. 3. num. 8. 48
Conceptionis cauſa efficiens qualiſnam fuerit. ibid. num. 9. 49
Concupiſcentia ſenſualis, ſeu fomes peccati non fuit in Chriſto non ſolũ quoad actum ſecundum, verum neq; quoad actum primum. d. 2. q. 10. pun. 4. num. 6. 235
Conſenſus tacitus in copulam quandonã virginitati aduerſetur. d. 1. q. 4. pun. 2. num. 3. 38
Continentia eſt virtus, ſed non diſtincta à temperantia. d. 2. q. 7. pun. 4. n. 8. 181
Communicatio idiomatum nõ datur inter verbum, & ſanguinem. d. 2. q. 4. p. 1. num. 9. 128
Communicatio idiomatum in hoc conſiſtit, vt prædicata alterius naturæ dicãtur de eadem perſona. d. 2. q. 6. pun. 1. num. 1. 150
Compoſitio quid requirat. d. 2. q. 5. pun. 3. num. 3. 146
Corporis partes omnes eodem tempore inter ſe vnitæ, & aſſumptæ fuerunt à Verbo. d. 2. q. 4. pun. 2. n. 1. 130
Corpora damnatorum quomodo dicantur incorruptibilia, cum tamen paſſibilia ſint. d. 3. q. 5. pun. 1. §. 5. n. 16. 104
Corruptioni ſubiectum non fuit Chriſti corpus poſt mortem. d. 3. q. 3. pun. 17. num. 4. 464
Creationis nomẽ quot modis accipiatur. d. 2. q. 5. pun. 4. num. 1. 147
Creatura nõ poteſt eſſe cauſa principalis Incarnationis. d. 2. q. 2. pun. 4. n. 2. 105
Creatura poteſt eſſe cauſa inſtrumentalis Incarnationis. ibid. num. 3. 105
Creatura nulla, neque B. Virgo fuit cauſa inſtrumentalis Incarnationis. ibid. num. 4. 105
Crucibus Latronum non fuerunt appoſiti tituli. d. 3. q. 3. pun. 7. num. 5. 440
Crucifixus fuit Chriſtus extra muros Ciuitatis Hieruſalem. d. 3. q. 3. pun. 10. num. 2. 444
Crux Chriſti duplici ligno conſtabat. diſp. 3. q. 3. pun. 6. num. 1. 434
Crux immediate præcedet Chriſtum venientem ad Iudicium. diſp. 3. quæſt. 4. pun. 2. §. 5. num. 3. 525
Crux Chriſti an apparitura ſit aliquibus diebus ante Chriſti aduentum. ibid. num. 4. 525
Crux Chriſti venientis ad Iudicium apparebit in aere, donec iudicium finiatur. ibid. num. 6. 525
Crux Chriſti deferetur ab Angelis. ibid. num. 5. 525

D

DAmnati puniendi ſunt pęna dãni, & ſenſus. d. 3. q. 5. pun. 4. num. 1. 547

Dam-

Damnati corpora quibus cruciatibus in igne torquenda ſint. ibid. num. 2. 547
Damnati patientur fletum, & ſtridorem dentium. ibid. num. 8. 549
Damnati torquebuntur vermibus. ibid. num 10. 549
Damnati cruciatum ſingulorum ſenſuum patientur. ibid. num. 11. 549
Damnati corpora corruptibilia non ſunt. ibid. num. 12. 550
Damnati non ſunt digni pęna infinita intenſiuè, ſed extenſiuè. ibid. n. 14. 550
Damnati pęna futuris temporibus non augebitur. ibid. num. 16. 551
Damnati aliquid etiam boni agere poſſunt. ibid. num. 17. 551
Damnati non videbunt oculis corporeis gloriam Beatorum, ſicut neque Beati pęnas damnatorum. ibid n 18. 552
Damnati corpora extra Infernum nõ punientur, quanquam nunc in aliquibus animabus oppoſitum contingere poſſint. ibid. num. 20. 553
Damnati quo pluribus infecti erunt peccatis, eò inferiorem locum obtinebunt in Inferno. ibid. num. 21. 553
Damnati eo linguæ genere vtentur, quo viuentes vſi ſunt. ibid. num. 22. 553
Decretum quo Deus ſtatuit ſaluare homines, non eſt actus prædeſtinationis. d. 2. q. 17. pun. 5. num. 2. 344
Deus immutabilis eſt. d. 2. q. 1. pun. 2. num. 3. 60
Deus, & tota Trinitas eſt cauſa efficiens principalis Incarnationis. d. 2. q. 2. p. 4. num. 1. 104
Deus propriè loquendo dicitur factus homo. d. 2. q. 6. pun. 1. num. 4. 153
Deus poſſet de potentia abſoluta animæ vnitæ verbo denegare gloriam. d. 2. q. 7. pun 1. num. 8. 168
Deus vi poteſt humanitate Christi ad aliquid creandum, nõ autem ad aliquid annichilandum. d. 2. q 9 p. 3. n. 8. 221
Deus aſſumere non poteſt naturam humanam, quæ peccauit, remanente reatu pęnæ æternę; aſſumere autem poteſt remanente reatu pęnæ temporalis. d. 2. q. 10. pun. 3. nu 3. 232
Deus ſi aſſumeret naturam humanam, quę aliquando peccaſſet, non aſſumeret habitus vitioſos in ea natura exiſtentes. ibid. num. 4. 233
Deus acceptare debuit ſatisfactionẽ Christi. d. 2. q. 13. pun. 3. num. 5. 309
Deus eſt ſupremum caput omnium, ſecundum caput eſt Chriſtus. d. 2. q. 18. pun. 1. num. 6. 347
Dextera Dei Patris, ſeu ſeſſio ad dexterã Dei, quid ſignificet. d. 2. q 6. p. 2. n. 358
Dextera an ſit locus honoratior. d. 3. q. 4. pun. 3. n. 3. 482
Diabolus dici quodammodo poteſt caput omnium malorũ. d. 2. q. 18. p. 1. n. 14. 350
Diuerſorium, in quo natus eſt Chriſtus, quid fuerit. d. 3. q. 1. pun. 3. n 6. 384
Diuiſio veſtium Chriſti quare facta. d. 3. q. 3. pun. 8. nu. 3. 442
Dęmones cognouerunt Chriſtum eſſe verum Meſſiam, & verum Deum. d. 3. q. 2. pun. 8. num. 7. 419
Dęmones in infantia nõ cognouerũt Chriſtum tanquam Meſſiam. d. 3. q. 2. pun. 8. num 8. 420
Doctorum nomine, quibus aureola debetur, quid intelligatur. diſp. 3. quæſt. 5. pun. 4 §. 3. num. 8. 544
Dolor immediate recipitur in ea potentia, cuius eſt actus. diſp. 3. quæſt. 3. pun. 14. num. 3. 456
Dolor Chriſti non fuit æqualis dolori exiſtentium in Purgatorio, vel in Inferno. ibid. num. 4. 456
Dolores Chriſti extenſiue fuerunt maximi. ibid. num 1. 454
Item intenſiue. ibid. num. 2. 454
Dolores ſenſibiles in Chriſto fuerunt. d. 2. quæſt. 10. pun. 5. num. 1. 238
Dominio ſpirituali quandonam vſus fuerit Chriſtus. diſp. 2. quæſt. 22. pun. 1. num. 2. 367
Dominium quandonam collatum fuerit Chriſto. ibid. pun. 2. num. 4. 371
Dominium Chriſti diſtinctum erat à ſacerdotali dignitate. ibid. num. 5. 371
Dona ſpiritus ſancti fuerunt in Chriſto. diſp. 2. quæſt. 7. pun. 4. num. 12. 184
Dona ſpiritus ſancti an diſtinguantur à virtutibus. ibid. num. 14. 184
Dono linguarum aliquando vſus eſt Chriſtus d. 2. quæſt. 7. pun. 3. num. 2. 176
Dos glorioſi corporis quid ſit. diſp. 3. q. 5. pun 4. §. 2. num. 1. 536
Dos impaſſibilitatis in quo conſiſtat. ibi. num. 4. 537
Dos ſubtilitatis in quo conſiſtat. ibid. num. 13. 539
Dotes glorioſi corporis ſunt impaſſibilitas,

tas, ſubtilitas, agilitas, & claritas. ibid. num. 2. 537.
Dotes glorioſi corporis moraliter proueniunt ab anima. ibid. num. 14. 540
Dotes glorioſi corporis non erunt æquales in omnibus beatis. ibid. num. 15. 540

E

Eccleſia eſt Corpus Chriſti. d. 2. q. 18. pun. 1. num. 2. 346
Effectus antea productus reproduci poteſt per abſolutam Dei potentiam. d. 3. q. 5. pun. 1 §. 3. num. 11. 501
Enoch, & Elias quid facturi, vel paſſuri ſint. d. 3. q. 5. pun. 1. § 2. num. 3. 492
Enoch, & Elias in quem locum tranſlati fuerint. ibid. num. 4. 493
Enoch, & Elias hoc tempore non merentur. ibid. num. 5. 494
Exiſtentia Dei non poteſt per ſe præcisè vniri humanitati. d. 2. q. 3. pun. 3. numero 3. 114

F

Fides Centurionis non fuit abſolutè maior fide aliorum. d. 1. q. 3. pun. 1. numero 2. 25
Fides quomodo dicatur fuiſſe in Chriſto. d. 2 q. 7. pun. 3. num. 3. 176
Fides non fuit in Chriſto quoad actum, vel quoad habitum. ibid. pun. 4. numero 3. 177
Flagella Chriſti quot fuerint. d. 3. q. 3 pun. 4. num. 4. 432
Flagellatus fuit Chriſtus ſemel tantum. ibid. num. 2. 431
Fœmina quomodo dicatur quid imperfectum. d 3. q. 5. pun. 1. § 3. n. 8. 499
Fœminæ reſurgent in proprio ſexu. ibid. num. 6. 499
Fœminæ in ſuo ſexu reſurgẽtes ruborem non patientur, nec concupiſcentiæ locum dabunt. ibid. num. 7. 499
Fœtus non formatur ex ſemine menſtruo, ſed ex ſanguine, qui in menſtruum redigeretur. d. 1. q. 4. pun. 3. num. 7. 48
Fomes quid ſit, & quotuplex. d. 1. q. 11. pun. 4. num. 1. 20
Fomitem Chriſtus non habuit. d. 2. q. 10. pun. 1. num. 5. 225
Forma cum materia, aut etiam ſine materia aſſumi poteſt à Deo. d. 2. q. 4. pun. 3. num. 5. 135
Frigus torquebit animas, ex probabili. d. 3. q. 5. pun. 4. num. 9. 549

G

Gaudium beatificum ſupernaturaliter conſiſtere potuit cum triſtitia appetitus, aut voluntatis. d. 2. quæſt. 10. pun. 5. num. 3. 239
Gentium preſſura eſt ſignum Aduentus Chriſti. diſp. 3. quæſt. 5. pun. 1. §. 2. num. 8. 494
Gloria B. Virginis Mariæ quanta fuerit. d. 1. q. 5. pun. 1. num. 5. 55
Gratia habitualis non fuit diſpoſitio in anima Chriſti ad vnionem cum verbo. d. 2. q. 2. pun. 5. num. 2. 107
Gratia habitualis cur collata fuerit Chriſto. d. 2. q. 7. pun. 1. num. 3. 166
Gratia habitualis ſanctificat accidentaliter, gratia vnionis ſubſtantialiter. ibid. num 5. 166
Gratia habitualis ſanctificans in Chriſto fuit eiuſdem rationis cum noſtra. ibid. num. 10. 168
Gratia habitualis, & vnionis collata fuit Chriſto in inſtanti Conceptionis. ibid. num. 11. 168
Gratia habitualis in Chriſto poſterior fuit ordine naturæ gratia vnionis. ibid. num. 12. 169
Gratia habitualis non fuit effectiuè producta ab vnione hypoſtatica. ibid. num. 13. 169
Gratia habitualis dici poteſt connaturalis Chriſto. ibid. num. 14. 170
Gratia Chriſti habitualis non fuit infinita quoad eſſentiam, neque quoad entitatem, ſed moraliter tantum. ibid. numero 15. 170
Gratia habitualis Chriſti de potentia ordinaria non potuit augeri. ibidem numero 16. 172
Gratia Dei habitualis de potentia Dei abſoluta augeri potuit. ibid. num. 18. 172
Gratia vnionis non potuit augeri. ibid. n. 20. 172
Gratiæ plenitudo quomodo dicatur fuiſſe in Chriſto. ibid. num. 19. 172
Gratia capitis communicari potuit puræ creaturæ abſolutè loquendo. d. 2. q. 18. pun. 1. num. 12. 349

Gra-

Gratiæ gratis datæ fuerunt in Chriſto. d. 2. q. 7. pun. 3. num 1. 17
Guſtus Beatis non eſt denegandus. d. 3. q. 4. pun. 4. §. 1. num 9. 535

H

HOmo purus non potuiſſet condignè ſatisfactionem præbere, cum ſit inferioris ordinis. d. 2. q. 1. pun. 4. n. 4. 72
Homo prædicatur vniuoce de Chriſto, & de nobis. d. 2 q. 6. pun. 1. num 3. 152
Homo purus nō potuit condignè ad æqualitatem, & ex rigore iuſtitiæ ſatisfacere Deo. d. 2. q. 13. pun 3. num. 6. 309
Neque facere id potuiſſet de potentia Dei abſoluta. ibid. num. 7. 309
Homo ratione diuerſorum motuum poteſt eſſe membrum diuerſorum. d. 2. q. 18. pun. 1. num. 15. 350
Homines, qui propè diem iudicij extabunt, morientur, & reſurgent. diſp 3. q. 5. pun. 1 §. 3. num. 4. 497
Humanitas à verbo aſſumpta non eſt priuata propria exiſtentia, ſed ſubſiſtētia. d. 2. q. 1. pun. 2. n. 6. 61
Humanitas per actionem vnitiuam non fuit producta, ſed vnita perſonæ verbi. d 2. q. 2. pun. 1. num 4. 91
Humanitas Chriſti an fuerit inſtrumentum efficienter producēs vnionem partium materiæ ad perſonam verbi. d. 2. q. 2. pun. 4. n. 5. 106
Humanitas tota ordine intentionis prius aſſumpta fuit, quàm partes. d. 2. q. 4. pun. 2. num. 2. 131
Humanitas aſſumpta fuit antequam accidentibus informaretur. ibid. n. 3. 131
Humanitatis partes ordine intentionis prius inter ſe vnitæ fuerunt, quā aſſumptæ à verbo, ordine vero executionis prius aſſumptę fuerunt, & vnitę verbo, quàm inter ſe. ibid. num. 4. 132
Humanitas terminata propria ſubſiſtentia poteſt terminari aliena ſubſiſtentia, ſi ponatur in aliquo loco abſq; propria ſubſiſtentia. d. 2. q. 4. pun. 4. num. 3. 137
Humanitas Chriſti non eſt vbique. d. 2. q. 6. pun. 2. §. 1. num. 1. 160
Humanitas Chriſti dum mouetur, non defert ſecum perſonam verbi, ſed vnionē cum perſona verbi. ibid. n. 3. 162
Humanitas Chriſti non fuit cauſa principalis phyſica ad efficienda miracula. d. 2. q 9. pun. 3. num. 1. 217
Humanitas Chriſti fuit cauſa moralis, & meritoria miraculorum, & gratiæ. ib. num. 4. 219
Humanitas Chriſti fuit cauſa inſtrumentalis miraculorum, & gratiæ. ibid. numero 5. 219
Humanitas Chriſti potuit agere in loco diſtanti per contactū virtualem, ano etiam abſque vllo contactu, vt inſtrumentum Dei vbique exiſtentis. ibidem num 6. 220
Humanitas nondum exiſtens potuit efficere effectus exiſtentes poſt ipſam humanitatem. ibid. num 9. 222
Humanitas Chriſti non meruit Incarnationem. d. 2. q. 13 pun. 5. §. 1. n. 3. 274
Humanitas Chriſti ſi extitiſſet ante vnionem hypoſtaticam, potuiſſet illam mereri de congruo. ibid. num. 4. 276
Humanitas Chriſti non potuit de potentia ordinaria mereri vnionem hypoſtaticam per opera ordine naturæ antecedentia vnionem. ibid. num. 5. 276
Humanitas Chriſti dici poteſt prædeſtinata ad vnionem. d. 2. q. 17. pun. 3. numero 1. 338
Humanitas non poteſt dici prædeſtinata ad beatitudinem ibid. num. 3. 339
Humores, nempè pituira, bilis, & melancolia aſſumpti fuerunt à verbo. d 2. q. 4. pun. 1. num. 10. 128

I

IGne comburentur ij, qui ſuperſtites erunt propè iudicium. d. 3. q. 4. pun. 2. § 5. num. 2. 525
Ignis Inferni eſt eiuſdem ſpeciei cum noſtro igne, ex probabili. d. 3. q. 5. pun 4. num 3. 548
Ignis Inferni tenebroſus erit, quanquam nonnihil lucis habiturus ſit. ibid numero 4. 548
Ignis Inferni quomodo agat in animas. ibid num. 5. 548
Ignis non æqualiter aget in omnes damnatos, nec erit æqualis omnium pœna ſenſus. ibid. num. 6. 548
Ignis conflagrationis erit ignis elementaris. d. 3. q. 5 pun 5. num. 3. 556
Ignis conflagrationis ex terræ vaporibus generabitur, non autem de nouo creabitur. ibid. num. 4. 556
Ignis conflagrationis quantus futurus ſit? ibid. num. 5. 556
Ignis conflagrationis in quid conuertendus

dus ſit poſt conflagrationem. ibid. n.6. 116
Ignorantia propriè dicta in Chriſto non fuit. d. 2.q.8.p 3. §.3. nu.5. 209
Impaſſibilitas quid ſit. d.3 q.5. pun.4. §. 2. num 3. 537
Incarnatio quid ſit, & quomodo dicatur. d.2. q.1. pun.1. num. 1. 2. 58
Incarnatio poſſibilis eſt, quanquam non poteſt naturali lumine cognoſci.d. 2. q. 1. pun. 2. num.1. 7. 59
Incarnatio conueniens, & conſentanea fuit diuinæ bonitati. d. 2. q. 1. pun. 3. num. 1. 65
Incarnatio eſt communicatio excellentior cęteris communicationibus ad extrà, non verò ad intrà. ibid. n.15. 66
Incarnatio conueniens eſt naturæ humanæ. ibid. num.5. 67
Incarnatio conueniens fuit ad perfectionem vniuerſi. ibid. num.6. 67
Incarnatio conuenientiſſima fuit ad redimendum genus humanum ex perfecta iuſtitia. ibid. num.7. 67
Incarnatio non fuit ſimpliciter neceſſaria ad redimendum genus humanum. d.2. q.1. pun 4. num.1. 70
Incarnatio neceſſaria non fuit ad redimẽdos homines ex perfecta iuſtitia. ibid. num.2. 71
Incarnatio, ſeu vnio hypoſtatica an conuenientior fuerit ad redimẽdum genus humanum, quam vnio cum natura Angelica. ibid. num.5. 72
Incarnatio facta fuit ad redimendum genus humanum. ibid. pun. 5. n.1. 74
Incarnatio facta fuit ad tollenda peccata, tanquam ob cauſam primariam. ibid. num.2. 74
Incarnatio facta fuit ad tollendum tã peccatum actuale, quàm originale. ibid. num.11. 80
Incarnatio principalius facta fuit ad delendum peccatum originale, quã actuale. ibid. num. 13. 81
Incarnatio intendi potuit à Deo non intẽto peccato. ibid. num. 21. 85
Incarnatio præfinita fuit poſt præſcientiã peccati originalis. ibid. num.22. 85
Incarnatio præfinita fuit ante præſcientiam peccatorum reipſa contractorum à poſteris Adæ. ibid. num.23. 85
Incarnatio conuẽienti tempore facta fuit d. 2.q.1. pun.6. num.1. 87
Incarnatio conuenienter facta non fuiſſet initio mundi ante peccatum, vel ſtatim poſt peccatum, aut in fine mundi. ibid. num.2. 87
Incarnatio quoad efficientiam eſt communis tribus perſonis; quoad terminationem eſt propria illius perſonę, per quã natura humana ſubſiſtit. d. 2. q.3. pun. 1. num.3. 110
Incarnatio non eſt aggregatio vnius ſubſtantiæ per accidens. ibid. pun. 2. nu. 3. 141
Infantes reſurgent. d.3. q.5. p. 2. §.3. numero 5. 498
Infantes cum ſolo originali decedentes non detrudentur in Infernum, nec eadẽ erit ipſorum, & damnatorum cõditio, ſed peculiaribus gaudebũt priuilegijs. d.3. q.5. pun 4. num.25. 553
Infernus quomodo tot damnatorum corpora capere poſſit. ibid. num 19. 552
Infinitas valoris operum Chriſti non eſt entitas aliqua realis. d.2.q.q.13.pun.2. num. 5. 305
Infinitè diſtantia non poſſunt inter ſe vniri in eo, quo infinitè diſtant. d.2. q.1. pun.2. num.2. 59
Innocentium cædes cur à Deo permiſſa fuerit. d.3. q 1.pun.4. num.13. 390
Intellectio Chriſti perfectior fuit intellectione aliorum hominum. d.2.q.8. pun. 2. num.2. 188
Intellectus Chriſti perfectior fuit intellectu Angelico. ibid. num. 3. 188
Intellectus Chriſti non fuit perfectior intellectibus poſſibilibus. ibid. n. 4. 191
Ioannes Euangeliſta an venturus ſit ante Chriſti aduentum, & an mortuus iam fuerit. d.3. q.5. p.1. §. 2. num. 2. 492
Ioſeph matrimonium non conſumauit cũ virgine Maria. d.1. q.4. pun.2. n 5. 38
Ioſeph vocatur Pater Chriſti putatiuus. ibid. num.7. 39
Ioſeph cuiuſnam ſtatis matrimonium cõtraxit cum Virgine. ibid. num.15. 43
Ira in Chriſto fuit. d.2. q. 10. pun. 5. numero 6. 243
Iudas quomodo adduci potuerit ad vendendum Chriſtum. d.3.q.1. pun.4 numero 6. 424
Iudas cur pactum oſculi cum Iudęis inierit d.3. q.3. pun.3. num.1. 427
Iudæi videntes Chriſti miracula, illiq; credentes cognouerunt Chriſtum eſſe Meſ-

Meſſiam, & verum Deum. d.3.q.2.pun. 8. num 6. 418
Iudęi cur mortem crucis Chriſto intulerit potius, quàm aliud genus mortis. d. 3. q 3. pun 6. num 13. 439
Iudæi duplicem ſolemnitatem celebrabant, Paſchatis ſcilicet, & Azimorum d.3.q.3.pun 13. § 3. num 3. 451
Iudicium vniuerſale in fine mundi exercẽdum eſt à Chriſto. d.3.q.23.pun.2. numero 2. 373
Iudicij dies ignotus eſt, etiam poſitis ſignis d.3. q.5.pun.1.§.2.num 9. 494
Iudicium quotuplex ſit. d.3.q. 5. pun. 2. num. 1. 511
Iudicium particulare, & vniuerſale quomodo probentur. ibid. num.2. 4. 512
Iudicandorum opera omnia cognoſcentur in iudicio, & omnibus innoteſcẽt. d.3.q.5. pun.2 § 6. nu 1. 527
Iudicandorũ opera quomodo cognoſcenda. ibid nu.3. 527
Iudicandorum cauſæ non agitabuntur in inſtanti, breui tamen iudicium fiet. ibidem num.4. 528
Iuſtitia quotuplex ſit, & conditiones iuſtitiæ commutatiuæ. d 2.q.13 pun.3. numero 1. 306

L

Latro quomodo pęnitentiam egerit, & Chriſtum cognouerit. d. 3. q. 3. pun. 11. num. 3. 446
Latro ſaluari potuit abſque baptiſmo. ib. num 5. 447
Latro ſtatim poſt mortem conſecutus eſt beatitudinem. ibid. num 6. 447
Latro an obtinuerit gloriam primus omnium. ibid. num.7. 447
Latro non ſtatim poſt mortem aſcendit in cęlum, licet ſtatim beatus fuerit. ibid. num.8. 447
Latro an ſtatim poſt mortem in Paradiſo extiterit cum Chriſto. d.3. q.3. pun.18. num.4. 467
Latrones clauis affixi fuerunt cruci. d. 3. q.3. pun.6. num.8. 437
Latus Chriſti lancea vulneratum fuit. d. 3. q.1. pun 16. num.1. 460
Legibus humanis Chriſtus ſubiectus non fuit. d.3. q.23. pun. 1. num.2. 372
Liberalitas, & magnificentia quomodo exercita fuerint à Chriſto. d.2.q.7. p.4. num.6. 18
Libertas quoad exercitium, & ſpecificationem. d.2.q.11. pun.3. num 3. 247
Liberum arbitrium in Chriſto fuit. ibid. num.2. 247
Libros vllos Chriſtus non ſcripſit. d.2. q. 21. pun. 2. num.4. 366
Librorum in iudicio aperiendorum nomine intelliguntur conſcientia, ſeu memoria hominum. d. 3. q.5. pun. 2. § 6. numero 2. 527
Limbus ad quem Chriſtus deſcendit, qualis fuerit. d.3.q.3. pun.18. num. 2. 465
Lumen ſcientiæ infuſæ eſt ſupernaturale. d.2. q.8. pun.3. § 4 num.5. 208
Lumen ſcientiæ infuſæ diſtinctum eſt à lumine gloriæ. ibid. num. 6. 208
Lumen ſcientiæ infuſæ eſt vnum. ibid. numero 7. 208

M

Magi Pharaonis non effecerunt vera miracula. d 2. q 9. pun 3. num. 2. 218
Magi venerunt ab Oriente. d.3. q. 1. pun. 4. num.3. 387
Magi quomodo Chriſtum natum cognouerint viſa ſtella. ibid. num. 10. 389
Magi quo tempore ad Chriſtum peruenerint. ibid. num. 11. 389
Maria virgo naturali modo cõcepta fuit. d 1. q 1. pun 1. num 1. 3
Mariæ corpus in ſua ſpecie, & ſexu perfectum. ibid. num 2. 3
Maria nunquam morbo, aut contagioni ſubiecta. ibid. num. 3. 4
Maria maxima corporis pulchritudine ornata. ibid. num. 4. 4
Maria quoad animam perfectiſſima. ibi. num 5. 4
Maria quo die, & anno concepta, & nata fuerit. ibid. num. 6. 4
Maria ex Anna, & Ioachim concepta. ibid. pun.2. num. 1. 5
Mariæ origo ex tribu Iuda, & familia Dauid per Salomonem, non per Natan. ibid. num. 2. 3. 5
Mariæ conceptio diuinitus prænuntiata parentibus. ibid. num 4. 7
Mariæ nomen quid ſignificet, & parentibus reuelatum. ibid. num. 5. 6. 7
Maria nata fuit in Nazareth. ibid. numero 7. 7

Maria peccauit in Adamo, habuit debitũ contrahendi peccatũ originale, quod re ipſa non contraxit. d. 1. q. 2. pun. 1. num. 1. 8
Maria nata fuit ſine peccato. ibid. num. 4. pag. 10
Maria ſimpliciter loquendo non habuit Iuſtitiam originalem. d. 1. q. 2. pun. 2. num. 1. 11
Maria magnam gratiæ ſanctificantis copiam habuit. ibid. num. 2. 12
Maria qualem gratiam habuerit, an in ea profecerit, an homines, & Angelos ſuperauerit. ibid. num. 4. & ſeq. 13
Maria nullum peccatum neque veniale commiſit. ibid. pun. 3. num. 1. 17
Maria quomodo impeccabilis eſſet. ibid. num. 3. 18
Maria non habuit fomitem neque in actu primo, neque ſecundo, & quomodo extinctus, aut ligatus fuerit. ibid. p. 4. num. 2. 20
Maria habuit gratias gratis datas. ibid. p. 5. num. 1. 22
Maria quales gratias, & dona Spiritus Sancti habuerit. ibid. num. 2. & ſeq. 22
Maria omnẽ illam cognitionem habuit, quæ ſtatui viatorum accommodata eſt. d. 1. q. 3. p. 1. num. 1. 25
Maria an in fide, & cognitione profecerit ibid. num 3. 25
Maria an in cognitione myſteriorum fidei ſuperauerit omnes. ibid. num. 3. & 4. pag. 25
Maria ſcientiam Theologicam habuit. ib. num 6. 26
Maria quos habitus ſcientiarum habuerit, & an ignorantiam poſitiuam, vel negatiuam habuerit. ibid. num. 7. & 8. 26
Maria Angelum annunciantem vidit non ſolum quoad externam ſpeciem, verum etiam quoad naturam, & eſſentiam. d. 1. q. 4. pun. 1 num. 6. 32
Maria viſo Angelo an turbata ſit, & qualiter ibid. num. 12. & 13. 34
Maria viſo Angelo ſtatim verbum diuinũ concepit. ibid. num 15. 35
Maria ſemper Virgo fuit. d. 1. q. 4. pun. 2. num. 1. 36
Maria cur Matrimonium cum Ioſepho cõtraxerit. ibid. num. 4. 38
Maria vocatur Mulier ob ſexum fœmineũ ibid. num. 8. 49
Maria non peccauit contra legem ſeruando virginitatem. ibid. num. 10. 41
Maria qua ætate matrimonium cum Ioſepho contraxerit. ibid. num. 14. 42
Maria cohabitabat cum Iopho tempore Conceptionis. ibid. num. 16. 44
Maria verè fuit Mater Chriſti. d. 1. q. 4. p. 3. num. 1. 45
Maria non eſt Mater putatiua, ſed vera. ibid. num. 4. 46
Maria vocatur Mulier per antonomaſiã, & excellentiam. ibid. num. 5. 46
Maria propriè vocatur Mater Dei. ibid. n. 10. 50
Maria dici poteſt Mater naturalis Chriſti, & Chriſtus dici poteſt eius filius naturalis, ſi terminum conceptionis præciſè ſpectemus, non autem actionẽ conceptionis. ibid. num. 12. 52
Maria mortem obijt, quomodo, & quando. d. 1. q. 5. pun. 1. num. 1. 54
Maria ſtatim poſt mortẽ beata fuit. ibid. num. 4. 55
Maria aſſumpta fuit in cœlum poſt triduũ mortis. ibid. num. 5. 55
Maria Incarnationem, & Maternitatem Dei meruit de congruo, non de condigno. d. 2. q. 11. pun. 5. §. 1. n. 13. 282
Maria Virgo quodnã pretium obtulit ad redimendum filium oblatum. d. 3. q. 2. p. 2. num. 4. 394
Maria Virgo in Purificatione obtulit id, quod ab alijs offerebatur. ibid. p. 3. numero 4. 395
Maria V. obtulit duos turtures, vel duos pullos columbarum. ibid. num. 5. 395
Martyrium quid ſit, & quid requiratur ad ipſius laureolam remiſſiuè. d. 3. q. 5. p. 4. § 2. num. 7. 544
Materia prima per ſe aſſumi poteſt à Deo. d 2. q. 4. pun. 3. nu. 4. 134
Matrimonium B. Virginis Mariæ non aduerſatur ipſius virginitati. d. 1. q. 4. p. 2. n. 2. 37
Matrimonium durante ſtatu Innocentiæ non fuiſſet ſignum vnionis Chriſti cum Eccleſia. d. 2. q. 1. pun 5. num. 10. 85
Meriti conditiones quænam ſint. d. 2. q. 12. pun. 1. num. 2. 255
Merita Chriſti tunc hominibus applicantur, dum homines aliquod gratiæ donum accipiunt. d. 3. q. 12. pun. 6. n. 11. 294

Digitized by Google

Meritum Chriſti fuit efficax etiam reſpectu reproborum. ibid. num. 12. 295
Merita Chriſti non æqualiter omnibus applicantur. ibid. num. 13. 295
Milites volentes Chriſtum capere, ceciderunt retrorſum. d. 3. q. 3. pun. 3. n. 4. 428
Milites cur potius retrorſum, quam in faciem ceciderint. ibid. num. 6. 428
Miracula multa perpetrata fuerunt à Chriſto. d. 3. q 2. pun 8. num. 1. 415
Miracula non fuerunt ſimpliciter neceſſaria ad perſuadendum Chriſti doctrinã. ibid. num. 3. 416
Miracula Chriſti adeò efficacia erant, vt audientes illis viſis Chriſto docẽti credere tenerentur. ibid. num. 4. 417
Miracula non fuerunt per ſe neceſſaria ad demonſtrandum Chriſtum eſſe Meſſiã, & verum Deum. ibid. num. 5. 417
Moyſes, & Elias quomodo cogniti fuerint ab Apoſtolis. d. 3. q. 2. pun 5. nu. 5. 401
Mortui quomodo dicantur audituri vocẽ tubæ. d. 5. q. 5. pun. 1. §. 3. n. 24. 507
Motiua virtus in Beatis inerit animæ. d. 3. q. 5. pun. 4. §. 2. n. 9. 538
Mundus poſt iudicium aliqua ratione innouandus eſt. d. 3. q. 5. pun. 5. nu. 1. 555
Mundus innouandus eſt per ignem extremæ conflagrationis. ibid. num. 2. 555
Mundus innouandus eſt combuſtione omnium mixtorum. ibid. num. 8. 557
Mundus quomodo mutandus, innouandus, & purgandus. ibid. n. 10. 558

N

Natiuitas Chriſti facta fuit ſine dolore Matris. d. 2. q. 1. pun. 1. num. 1. 382
Natiuitas Chriſti facta fuit ſine ſordibus puerperij. ibid. num. 3. 382
Natiuitas Chriſti facta fuit in Bethlem Iudæ, & quid nomine Bethlem intelligatur. d. 3. q. 1. pun. 3. nu. 7. 385
Natiuitas Chriſti quando facta ſit, an poſt mediam noctem. ibid num 8. & 9. 385
Natiuitas Chriſti quibus ſignis comitata fuerit. ibid. pun. 4. n. 1. 386
Natiuitas Chriſti quibuſnã manifeſtata fuerit. ibid. num. 2. 387
Natura diuina nõ poteſt perſonalitatibus præciſis aſſumere naturam. d. 2. q. 3. p. 2. num. 1. 112
Natura creata aſſumpta à perſona diuina non terminatur adæquatè ab ipſa perſona diuina, ſicut terminatur à propria ſubſiſtentia. d. 2. q. 3. pun. 3. n. 4. 118
Natura irrationalis aſſumi poteſt à Deo. d. 2. q. 4. pun. 3. num. 1. 134
Natura creata non poteſt aſſumi ſimul cũ perſonalitate naturæ creatæ. ibid. pun. 4. n. 1. 135
Natura creata terminata propria ſubſiſtẽtia non poteſt aſſumi etiã non aſſumpta perſonalitate creata. ibid. nu. 2. 136
Natura duplex remanſit in Chriſto poſt Incarnationem. d. 2. q. 5. pun. 2. n. 1. 140
Natura diuina per Incarnationem conuerſa non fuit in humanam, neque humana in diuinam, neque facta fuit vna ex duabus. ibid. num. 2. 141
Natura verbi diuini incarnata fuit. ibid. num 4. 142
Natura humana ſi vniretur Angelicæ, non ſanctificaretur ab ipſa natura Angelica. d. 2. q 7. pun. 1. n. 6. 167
Natura humana ſi à ſpiritu Sancto aſſumeretur, vocari non poſſet filius Dei naturalis. d. 2. q. 16. pun 3 num. 2. 319
Natura humana vocari non poteſt filia Dei adoptiua, vel adoptata. ibid. numero 3. 319
Nubes Chriſtum aſcendentem ſuſcepit. d 3. q. 4 pun. 2. num. 15. 480
Nubes inſeruient Chriſto venienti ad iudicium. d. 3. q. 4. pun. 2. § 4 n. 9. 526

O

Obſtetricum opera neceſſaria non fuit in Natiuitate Chriſti. d 3 q. 1. pun 2. n. 2. 382
Oratio quid ſit, & oratio Chriſti an fuerit actus ſenſualitatis d 2. q. 15. pun. 1. num. 2. & 3. 309
Oratio Chriſti procedens ab ipſius voluntate abſoluta ſemper exaudita fuit. ibi. num. 5. 310
Oratio Chriſti efficax quomodo cognoſci poſſit. ibid. num. 6. 311
Ordo in mente Dei circa ſe ipſum, productionem rerum, Incarnationem, & prædeſtinationem quis fuerit. d. 2. q. 1. pun. 5. num. 24. 76
Ordinatè aliquid volens prius vult id, quod magis conducit ad ipſum finem conſequendum, quàm id, quod eſt nobilius. ibid. num. 4. 78

Ouile vnum, & vnus Paſtor quomodo futurus ſit. d. 3. q. 15. pun. 1. §. 1. numero 5. 489

P

PApa an dominium habeat in totum orbem remiſsiuè. d. 2. q. 22. puncto 2. num. 6. 371

Papa non eſt Antichriſtus. d. 2. q. 24. pun. 2. num. 1. 376

Partes omnes integrantes humanam naturam aſſumptæ fuerunt à verbo. d. 2. q. 4. pun. 1. num. 1. 116

Paſsionis Chriſti inſignia viſum iri tempore Iudicij, veriſimile eſt d. 3. q. 4. p. 2. §. 4. nu. 7. 526

Patres antiqui non potuerunt etiam de potentia abſoluta mereri de condigno Incarnationem etiam facta promiſſione Incarnationis ob eius merita. d. 2. q. 12. pun. 3. §. 5. num. 10. 279

Patres meruerunt Incarnationem de congruo. ibid. num. 11. 279

Patres non meruerunt prædeſtinationem Incarnationis. ibid. num 12. 180

Patrum animæ an ſtatim poſt Chriſti mortem effectæ ſint beatæ. d. 3. q. 18 n. 6. 467

Paupertatem Chriſtus ſeruauit. d. 3. q. 2. pun. 6. num. 6. 409

Peccatum originale quid ſit, & illius debitum. d. 1. q. 2. pun. 1. num. 2. 9

Peccati originalis nomine quid veniat. d. 1. q. 1. pun. 5. num. 14. 82

Peccatores punientur citrà condignum. d. 3. q. 5. pun. 4. n. 15. 519

Perfectionis regula non eſt metienda ex auſteritate vitæ, ſed ſimul ex alijs omnibus medijs. d. 3. q. 2. pun. 6. n. 3. 406

Perſonæ plures ſi aſſumant humanitatẽ, cõmunicatio eſſet maior ſolum extenſiuè. d. 2. q. 2. pun. 3. num. 3. 66

Perſona filij ſola aſſumpſit naturam diuinam. d. 2. q. 3. pun. 1. num. 1. 109

Perſonæ diuinæ peculiari ratione dicuntur eſſe in humanitate, quàm in cæteris rebus. ibid. num. 5. 109

Perſonæ diuinæ poſſunt eandem naturam aſſumere, etiam ſi ipſæ perſonæ plures ſint. d. 2. q. 3. pun. 3. num. 1. 116

Perſonæ ſi plures aſſumerent eandem naturam, idẽ effectus non penderet à pluribus cauſis. ibid. num. 2. 117

Perſonæ plures ſi aſſumant eandem naturam, non ſequitur patrem eſſe filium, nec eſſent plures homines. ibid. num. 3. & 5. 118

Perſona diuina poteſt aſſumere ſimul plures naturas, & vocabitur vnus homo. d. 2. q. 5. p. 4. nu. 1. & 2. 119

Perſona creata non poteſt propria virtute hypoſtaticè aſſumere alienam naturã, id tamen poteſt diuina virtute. ibid. p. 5. num. 1. 121

Perſona verbi præcisè non eſt terminus Incarnationis. d. 2. q. 5. pun. 1. num. 1. 132

Perſona verbi non componit cum eſſentia diuina, componit verò cum natura humana. d. 2. q. 5. pun. 3. num. 2. 146

Perſona Chriſti præcisè non eſt creata, nec creatura, lato nomine tamen vocatur creatura. ibid. pun. 4. num 2. 148

Petras ſcindi tempore paſſionis cur Deus voluerit. d. 3. q. 3. pun. 15. num. 10. 460

Petrus videtur actum peccaminoſum materialiter feciſſe amputando auriculam Malco. d. 3. q. 3. pun. 3. num. 8. 428

Petrus non videtur formaliter peccaſſe amputando auriculam. ibid. n. 9. 428

Petrus negauit Chriſtum, & quoties ibid. n. 10. & 11. 429

Petrus non amiſit fidem, ſed gratiam, & charitatem negando Chriſtum. ibid. num. 13. 430

Petrus cur permiſſus fuerit prolabi in negationis peccatum. ibid. num. 14. 430

Petrus pœnitentiam egit peccati negationis. ibid. num. 15. 430

Pœnitentiæ virtus quomodo dicatur fuiſſe in Chriſto. d. 2. q. 7. pun. 4. n. 9. 182

Prædeſtinatio hominum non fuit facta ante Chriſti prædeſtinationem. d. 2. q. 2. pun. 5. n. 8. 79

Prædeſtinari conuenit non ſolum perſonæ, ſed etiam naturæ. d. 2. q. 17. pun. 3. num. 2. 339

Prædeſtinatio, aut accipitur pro actu Dei prædeſtinantis, aut pro effectu prædeſtinationis. d. 2. q. 17. pun. 4. n. 1. 340

Prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis, non tamen quoad actum. ibid. num. 2. & 3. 340

Prædeſtinatio Chriſti ordinatur ad noſtram prædeſtinationem tanquam ad finem proximum. ibid. pun. 5 n. 3. 346

Prædeſtinati non ſunt filij Dei adoptiui, quàmdiù mortalis peccati culpa deti-

nen-

nentis. d. 2. q. 16. pun. 2. num. 5. 328
Prophetia in Christo fuit. d. 1. q. 7. pun. 3. num. 4. 177
Prædicata naturæ irrationalis prædicari quomodo poſſint de Deo. d. 2. q. 4. pun. 3. num. 3. 134
Præſepium ex qua materia conſtaret. d. 3. q. 1. pun. 3. num. 4. 384
Præſentationis præceptum extabat in antiqua lege. ibid. num. 1. 393
Præputium Chriſti ſeruatum fuit à beatiſſima Virgine. d. 3. q. 2. pun. 1. n. 5. 392
Purificationis præceptum quodnam eſſet, in quo conſiſteret. d. 3. q. 2. pun. 3. numero 1. 394
Purificationis præceptum non afficiebat B. Virginem. ibid. num. 2. 394
Purificatio hoc tempore licita non eſt. ibid. num. 7. 396

R

Redéptio generis humani ex perfecta iuſtitia conuenientior fuit redéptione ex mera liberalitate, aut ex imperfecta iuſtitia. diſp. 2. quæſt. 1. pun. 3. num. 8. 68
Redemptio hominum perfectior fuit redemptione Angelorum. ibid. n. 11. 69
Redemptio fuit prius intenta, quam incarnatio. ibid. pun. 5. num. 5. 77
Remiſſio pœnæ, quæ obtinetur in Purgatorio per Indulgentias, vel ſatisfactiones viuorum, eſt effectus meritorius Chriſti; ſecus dicendum de ea, quæ fit per ſatiſpaſſionem, diſp. 2. quæſt. 12. pun. 6. num. 6. 289
Reprobi vocari poſſunt filij Dei adoptiui, dum gratiam iuſtificantem habent. diſp. 2. q. 16. pun. 2. num. 4. 327
Reſurrectio Chriſti non fuit ſimpliciter neceſſaria ad redemptionem generis humani. d. 3. q. 4. pun. 1. nu. 1. 469
Reſurrectio Chriſti tertio die facta, conueniens fuit. ibid. num. 2. 470
Reſurrectio mortuorum eſt ſignum aduentus Chriſti. diſp. 3. quæſt. 5. pun. 1. §. 3 num 1. 496
Reſurrectio mortuorum communis eſt omnibus hominibus. ibid. n. 3. 496
Reſurrectio hominum eſſe poteſt, etiam ſi in cineres antea redacti non eſſent. ibid. num. 9. 500
Reſurrectio fiet in eodem numero tempore ibid. num. 10 500
Reſurrectio non neceſſario requirit, vt, pars materiæ, qua vnum membrum conſtabat, in reſurrectione exiſtat ſub figura eiuſdem membri. ibid. numero 12. 591
Reſurrectio fiet corpore integro quoad omnia membra, ſaltem ſi loquamur de reſurrectione iuſtorum. ibid. numero 14. 503
Reſurrectio fiet cum iiſdem accidentibus. ibid. num. 15. 504
Reſurrectio iuxta quam hominis ætatem fiet. ibid. num. 17. 504
Reſurrectio iuxta quam hominis ſtaturam, & effigiem fiet. ibid. n. 18. 505
Reſurrectionis cauſa efficiens, & inſtrumẽtalis. ibid. num. 20. 506
Reſurrectio fiet miniſterio Angelorum congregantium cineres, ſeu materiam, reſurgentium. ibid. num. 25. 507
Reſurrectio mortuorum quo in loco fiet. ibid. num. 31. 508
Reſurrectio omnium mortuorum fiet eodem momento. ibid. num. 32. 509
Reſurrectio fiet eodem die Iudicij. ibid. num. 33. 509
Reſurrectio mortuorum quando futura ſit. ibid. num. 34. 509
Romæ euerſio ſecutura eſt ante Chriſti aduentum. d. 3. quæſt. 5. pun. 1. §. 1. num. 13. 491

S

Sacerdotium Chriſti non fuit eiuſdem rationis cum Sacerdotio legis naturę. d. 2. q. 20. pun. 3. num. 1. 360
Sacerdotium Chriſti non eſt eiuſdem rationis cum Sacerdotio legis antiquæ. ibid. num. 2. 360
Sacerdotiũ Chriſti non fuit omninò eiuſdem rationis cum Sacerdotio legis nouæ. ibid. num 3. 360
Sacrificium Chriſti cruentum fuit propitiatorium. diſp. 2. q. 20. pun. 5. n. 1. 363
Sacrificium Chriſti non fuit propitiatorium reſpectu ipſius Chriſti. ibid. numero 2. 363
Sancti vocari poſſunt mediatores. d. 2. q. 19. pun. 1 num. 2. 354
Sanguis immediatè aſſumptus fuit à verbo. d. 2. q. 4. pun. 5. num. 3. 126
Sanguis totus non facta diſtinctione alimentitij, & perfecti aſſumptus fuit à verbo. ibid. num. 4. 127

Digitized by Google

Sanguis Chriſti parte nulla à verbo dimiſſus fuit. ibid. num. 5. 127
Sanguis Chriſti, qui modo in terra reperitur, multis de cauſis adoratione latriæ adoratur. ibid. num. 6. 128
Sanguis Chriſti in Paſſione effuſus corruptus non fuit. ibid. num. 7. 128
Sanguis hominis ſubſiſtit ſubſiſtentia creata, quæ non eſt vna, & ſimplex, ſed compoſita ibid. num. 8. 128
Sanguis, & aqua de Chriſti latere manauit. d. 3 q. 1. pun. 16. num. 3. 461
Sanguine, & aqua, quæ de Chriſti latere manauerunt, quid ſignificetur. ibid. n. 4. 461
Satisfactio noſtra ad quid neceſſaria ſit, ſi Deus pro nobis ſatisfecit. d. 2. q. 12. pun. 6. num. 5. 289
Satisfactio Chriſti quomodo hominibus applicetur. d. 3. q. 13 pun. 1. num 2. 301
Satisfactio etiam ex ſe fuit æqualis diuinæ offenſæ. ibid. num. 3. 301
Satisfactio Chriſti fuit infinita ſimpliciter ibid. pun. 2. num. 1. 304
Satisfactio infinita opus non fuit ad ſatiſfaciendum pro peccatis. ibid. num. 2. 304
Satisfactionis infinitas eſt moralis quædã æſtimatio communicata operibus Chriſti à perſona infinita Chriſti. ibid. numero 3. 305
Satisfactio Chriſti fuit de rigore iuſtitiæ latè, & non ſtrictè accepta. ibid. pun. 3. num. 4. 308
Scientia infuſa quid ſit. d. 2. q. 8. pun. 3. num. 1. 194
Scientia indita non eſt idem quod infuſa. ibid. num. 2. 194
Scientia infuſa eſt ſupernaturalis. ibid. §. 4. num. 1. 205
Scientia infuſa non indiget conuerſione ad phantaſmata ad ſui vſum. ibid. §. 5. num. 1. 209
Scientia infuſa dum nititur proprijs ſpeciebus, non eſt habitus diſcurſiuus. ibi. num. 2. 209
Sciſſio petrarum poſt Chriſti mortem facta fuit. d. 3. q. 3. pun. 15 num. 9. 459
Secundinæ nullæ emiſſæ in partu B. Virginis. d. 3. q. 1. pun 2. num. 4. 382
Sepulchra aperta ſunt poſt Chriſti mortem. d. 3. q 3. pun 15. num. 11. 460
Sepultura Chriſti conueniens fuit. ibid. pun. 17. num. 2. 462
Sententia in particulari iudicio quo tempore proferetur. d. 3. q. 5. pun. 1. §. 1. numero 3. 512
Sententia in extremo iudicio proferenda eſt. d. 3. q. 5. pun. 2. §. 6 num 5. 529
Sententia ſingulari ſinguli iudicadi ſunt, & non vnita. ibid. num. 6. 529
Sententia generalis in iudicio non efficiet paruulos. ibid. num 7. 529
Sententia generalis in iudicio à Chriſto proferetur voce ſenſibili ibid. n. 8. 529
Sententia extremi iudicij appellationis locum non admittet. ibid num. 9. 530
Sententia in extremo iudicio prolata ſtatim executioni demandabitur. ibid. numero 10. 530
Seruitus quotuplex ſit. d. 2. q. 14. pun. 2. numero 1. 315
Seſſio Chriſti ad dexteram Patris metaphoricè dicta. d. 3. q. 4. pun. 3. num. 2. 481
Seſſio ad dexteram Dei quomodo conueniat alijs beatis. ibid. num. 5. 482
Sol defecit in Chriſti morte. diſp. 3. q. 3. pun. 15. num. 1. 457
Solis obumbratio quomodo contigerit in Chriſti morte. ibid. num. 3. 457
Solis, & lunæ obumbratio eſt ſignum aduentus Chriſti. d. 3. q. 5. pun. 1. §. 2. num. 6. 493
Solis, & lunæ defectio an verè futura ſit. ibid. num. 7. 495
Somnium vxoris Pilati an à bono Angelo immiſſum fuerit, vel à Dæmone. d. 3. q. 2. pun. 8. num. 9. 420
Sortes miſſæ fuerunt ſuper omnes veſtes Chriſti. d. 3. q. 3. pun. 6. n. 4. 442
Species ſcientiæ infuſæ repreſentantes res ſupernaturales, ſunt ſupernaturales. d. 2. q. 8. pun. 3. §. 4. num. 2. 206
Species ſcientiæ infuſæ ſunt plures. ibid. num. 3. 206
Species ſcientiæ infuſæ quot ſint, incertum eſt. ibid. num. 4. 207
Spes non fuit in Chriſto quoad actum, vel quoad habitum. diſp. 2. quæſt. 7. pun. 4. num. 4. 179
Spiritus vitales, & animales aſſumpti fuerunt à verbo. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 1. num. 11. 129
Spiritus Sanctus viſibili ſpecie aliquoties apparuit. d. 3. q. 4. pun. 4. num. 5. 484
Spiritus Sanctus in die pentecoſtes ab Apoſtolis viſus eſt ſub ſpecie lingua-

Digitized by Google

rum. ibid num. 2. 485
Spiritus Sancti miſſio contigit die 50. poſt reſurrectionem Chriſti incluſiuè. ibid. num. 3. 485
Stella quæ Magis apparuit, qualis fuerit. d. 3. q. 2. pun. 4. num. 4. 388
Stella ab omnibus viſa non fuit, quia erat terræ propinqua. ibid. num. 5. 388
Stella ſemper comitata eſt Magos, licet ab ijs viſa non ſemper fuit. ibid. numero 6. 388
Stella extitit in oriente. ibid. n. 8. 389
Stella apparuit Magis ſtatim poſt Chriſti natiuitatem. ibid. num. 9. 389
Subſiſtentia non eſt effectiua, ſed terminatiua. d. 2. q. 3. pun. 1. num. 4. 110
Subſiſtentia abſoluta in Deo non datur, & ſi daretur, non potuiſſet vniri humanitati, illamque terminare, & perſonam conſtituere. d. 2. quæſt. 3. pun. 2. num. 4. 115
Subſiſtentia diuina licet ſit infinitæ perfectionis, non poteſt accidens aſſumere. d. 2. q. 4. pun. 5. num. 2. 138
Subſiſtentia diuina communicata fuit humanitati, non vero attributa. d. 2. q. 6. pun. 2. num. 2. 157
Subtilitas quid ſit. diſp. 3. q. 5. pun. 4. §. 2. num. 22. 519
Sudor Sanguinis Chriſti non fuit miraculoſus, ſed naturalis. d. 3. q. 3. pun. 2. num. 2. 425

T

Temperantia virtus in Chriſto fuit. d. 2. q. 7. pun. 4. num. 7. 181
Terminus à quo actiones vnitiuæ reſpectu naturæ humanæ eſt negatio vnionis ſubſiſtentiæ verbi diuini. d. 2. q. 2. pun. 2. num. 1. 93
Terminus ad quem actionis vnitiuæ eſt vnio in facto eſſe. ibid. num. 2. 94
Terminus vltimus actionis vnitiuæ eſt Chriſtus, ſeu hic homo. ibid. numero 7. 100
Terminus ſubſtantiuus vocatur vnus, ſi fuerit vna forma, & vnum ſuppoſitum; vocabitur plures, ſi fuerint plures formæ, & plura ſuppoſita, diſp. 2. quæſt. 3. pun. 4. num. 3. 120
Terminus primarius vnionis hypoſtaticæ eſt terminatio perſonalis, quoties vnio fit cum natura rationali, diſp. 2. q. 4. pun. 3. num. 2. 134
Terminus principalis Incarnationis eſt Chriſtus. d. 2. q. 5. pun 1. n. 1. 139
Tenebræ factę ſunt in toto orbe moriente Chriſto. d. 3. q. 3. pun. 15. n. 2. 457
Terræmotus factus eſt poſt Chriſti mortem. ibid. num. 6. 459
Terræmotus poſt Chriſti mortem quibus in locis contigerit. ibid. num. 7. 459
Terræmotus qua de cauſa à Deo permiſſus fuerit. ibid. num. 8. 459
Theſauri omnes ſapientię fuerunt in Chriſto per communicationem idiomatum. d. 2. q. 2. pun. 3 §. 3. num. 8. 102
Thronus, in quo Chriſtus venturus eſt, quid ſignificet. diſp. 3. quæſt. 4. pun. 2. § 5 num. 10. 526
Timor quomodo dicatur fuiſſe in Chriſto. d. 2. q. 7. pun. 4. n. 13. 184 & 238
Titulus crucis quiſnam fuerit. d. 3. q. 3. pun. 7. num 1. 439
Titulus crucis quo idiomate ſcriptus. ibid. num. 3. 440
Titulus crucis quando appoſitus. ibid. num. 4. 440
Transfiguratio Chriſti quid fuerit, & vnde prouenerit. diſp. 3. quæſt. 2. pun. 5. num. 1. & 2. 400
Transfiguratio Chriſti fuit ſupernaturalis. ibid. num. 5 401
Transfiguratio Chriſti quare facta. ibid. num 9. 403
Transfiguratio Chriſti facta in monte Tabor. ibid. num. 10. 403
Transfiguratio Chriſti facta fuit anno trigeſimo ætatis Chriſti. ibid. n. 11. 403
Transfigurationi quinam interfuerint. ibid. num. 12. 403
Triduo mortis Chriſtus manſit in limbo Patrum. d. 3. q. 3. pun. 18. n. 3. 465
Triſtitia ſenſibilis in Chriſto fuit. d. 2. q. 10. pun. 5. num. 2. 238
Triſtitia fuit in Chriſto etiam quoad portionem ſuperiorem. ibid. n. 5. 241

V

Vallis Ioſaphat quid ſignificet. d. 3. q. 5. pun. 2. § 4. num. 2. 523
Valor infinitus vnde deſumatur. diſp. 2. quæſt. 12. pun. 2. num. 3. 260
Valor operum Chriſti non eſt ens rationis. d. 2 q. 13. pun. 2. num. 4. 305
Velum templi ſciſſum eſt poſt Chriſti mor-

mortem. diſp. 3. quæſt. 3. pun. 15. numero 4. 458
Veli ſciſſio quid ſignificet. ibid n. 5. 458
Venditio Chriſti facta fuit die mercurij. d. 3. q. 1. pun. 4. num. 2. 422
Venditionis Chriſti cauſæ quæ fuerint. ibid. num. 5. 424
Verbi diuini Incarnatio conuenientior fuit, quam Patris, aut Spiritus ſancti. d. 2. q. 1. pun. 3. num. 4. 66
Veſtes Chriſti diuiſæ ſunt à militibus. d. 3. q. 3 pun. 8. num. 1. 441
Virginitas nunquam contempta fuit, ſed laudabilis. diſp. 1. quæſt. 4. pun. 2. numero 11. 41
Virginitatem multi ſancti etiam in lege veteri coluerunt. ibid. num. 12. 42
Virtutes morales per ſe infuſæ fuerunt in Chriſto. d. 2. q. 7. pun. 4. num. 5. 180
Virtutes morales aquiſitæ fuerunt in Chriſto, ſicut & infuſæ. ibid. n. 10. 182
Virtus obedientialis quid ſit. diſp. 2. q. 9. pun. 3. num. 7. 221
Viſio beatifica fuit in Chriſto ab inſtanti conceptionis. diſp. 2. quæſt. 8. pun. 2. num. 2. 191
Vnio hypoſtatica cum natura Angelica, vel cum humana neceſſaria fuit ad reparationem generis humani ex perfecta Iuſtitia. diſp. 2. quæſt. 1. pun. 4. num. 3. 71
Vnio eſt actio vera, & realis. d. 2. q. 2. pun. 1. num. 1. 89
Vnio, ſeu actio vnitiua non eſt creatio. ibid. num. 5. 90
Vnio poni non poteſt in verbo, cum non ſit capax mutationis. d. 2. q. 2. pun. 2. num. 3. 94
Vnio poſita in humanitate dicit ordinem eſſentialem ſolum ad perſonam verbi. ibid. num. 4. 98
Vnio totius humanitatis cum verbo non dicit aliquid realiter diſtinctum ab ipſis partibus vnitis. ibid. num. 5. 98
Vnio naturæ humanæ cum verbo eſt omnium vnionum maxima. ibid. pun. 3. num. 1. 100
Vnio humanitatis cum verbo eſt maxima in genere entis, ſeu donum gratiæ. ibid. num. 2. 102
Vnio hypoſtatica non indiguit aliqua diſpoſitione, nec vllam habuit. ibid. pun. 5. num. 1. 107
Vnio terminari poteſt ad vnam perſonam, non verò cognitio. d. 2. quæſt. 3. pun. 1. num. 2. 110
Vnio corporis cum anima diſſoluta fuit per Chriſti mortem. diſp. 3. q. 3. pun. 13. §. 2. num. 1. 449
Vnio eadem numero non neceſſario requiritur ad reſurrectionem. d. 3. q. 5. pun. 1. §. 3. num. 13. 502
Voluntas quot modis poſſit eſſe conformis alteri. d. 3. quæſt. 11. pun. 4. numero 2. 251
Voluntas Chriſti conformis fuit voluntati Dei efficaci in volito materialiter. ibid. num. 3. 251
Voluntas inefficax Chriſti non ſemper fuit conformis voluntati Dei. ibid. num. 4. 252
Voluntas Chriſti conformis fuit efficaci voluntati Dei in volito formali. ibid. num. 5. 252
Voluntas abſoluta, & efficax Chriſti ſemper impleta fuit. ibid. pun. 5. numero 1. 253
Voluntas inefficax Chriſti non ſemper impleta fuit. ibid. num. 2. 253
Vox in reſurrectione profertur ab Angelo. d. 3. q. 5. pun. 1. §. 3. num. 23 507

FINIS.

Digitized by Google

	Errata.	*Correctiones.*
p.4.col.1.l.5.	Satianum	Salianum.
ead. p.col.2.l.24.	quæſt. 2.	quæſt. 3.
p.5. col.2.l.29.	Leni, lege	Leui, iuxta aliquos Doctores.
p.7. col 1.l.16.	plenaalia.	plura alia.
p.9. col.1.l.17.	origiale	originale.
p.10. col.1.l.35.	intentioni	intentionis
ead.p.col.1.l.4.	eſſerit	aſſerit
p.11.col.1.l.35.	fuerit	fuit.
e.p col 2.l.22.	quatto	quartò
p.14.col.1.l.24.	in contrariũ l.	in contrarium ſenſerint.
ead p.col.2.l.9.	accipiebatur	accipitur.
p.18.col.2 l.29.	ſpecta	ſpectat
p.19 col.1 l.20.	morali.	mortali.
ead. p.col.2.l.6.	ſecũdò patet (dele)	Secundò patet cum nouem lineis ſequentibus; quia ſuperfluè repetuntur.
p.22.col.2.l.1.	ſenſitiuis	ſenſitiuus.
p.25.col.1.l.21.	proxima	proximè.
p.26.col.2.l.24.	habitu	habitus.
p.27.col.1.l.17.	ſupernalis l.	ſupernaturalis.
ead.p.col.1.l.28.	impaſſibilitate	impaſſibilitate animæ, & corporis.
p.28. col.2. ln. 4.	collebat.	callebat.
p.32. col.1.l.10.	decere	dedecere.
ead. p.col 2.l.38.	inuiſibili.	viſibili.
p.34.col.2.l.8.	Illirinm.	Illyricum.
p.35.col.1.l.26.	afferunt.	auferunt.
p.3 .col.2.l.23.	n. 18.	Numer. 18.
ead p col.2.l.24.	debebatur.	debebantur.
p.42.col.1.l.5.	homini	humani.
p.44.col.1.l 29.	quiquid	quicquid.
ead.p. col.1.l.2.	ſecum	ſecum.
p.47 col.1.l.3.	qua	quæ.
ead.p.col.2.l.10.	imtegertimam	integerrimam.
p.48.col.1.l.23.	ſemine	ſanguine.
ead.p col.2.l.37.	vt ſic fieri	vt ſic licet fieri
p.49.col.1.l.11.	tom.2.	tom. 4.
ead.p.col 1.l.43.	formatæ	formati.
p.51.col 2.l.4.	homo	homo.
ead.p.col.2.l.11.	& quod	eo quod.
p.53. c.1. in ſum.	n.2. ſola	ſed.
p.55.col 2.l.18.	mortem	mortem.
p.58.col 2.l.5.	vt benè docet	(dele) vt.
p.62.col.1.l.10.	impeditur.	impediatur.
p.63.col.2.l.27.	loco citato.	locis citatis.
ead.p.co.2.l.32.	autem	enim.
p.68.col.2.l.35.	factam	facta.
p.69.col.1.l.2.	eluxiſſe miſericordiam	eluxiſſet miſericordia.
p.74.col.2.l.15.	alij.	& alij.
p.77.col.2.l.36.	incteata	incarnata.
ead p c. 2. l.37.	increata	incarnata.
p 78.col.2.l.37.	increata	incarnata.
p.79.col.2.l.32.	cao.	cap.
p.82.col.1.l.7.	quod	eo quod.
p.86.col.1.l.10.	probatione	parte.
p 92.col.1.l.15.	datur	dantur.
ead.p.col.2.l 7.	conceptions	conceptionis.
ead.p.co 2.l.37.	creatæ	increatæ.
p 97. col.1.l.8.	proximam	propriam.
ead.p.co.2 l.35.	probat	parte.
p.100. c.2.l.21.	humanitate	eum humanitate
p.102.c.2.l.16.	altera	alia.

	Errata.	*Correctiones.*
p.104.c.2.l.35.	id	et
p.105.c.2.l.35.	exequendum	extorquendum
p.107.co.1.l.39.	ſubſtantiæ	ſubſiſtentiæ
p.108.c.2.l.28.	res	rei
p.113.c.1.l.36.	ideſt	ideſt facere
p.114.c.1.l.42.	quia	qua
p.117.c.2.l.19.	alia	alio
p.118.c.2.l.7.& 8	ſubſtantia; ſubſtantia verò.	ſubſiſtentia; ſubſiſtentia verò
p.119.col.1.l.13.	affimantes.	affirmantes
p.126.c.1.l.13.	hæ	hæc
p.127.c.1.l.35.	Hunc adde	Hunc aiunt
p.129.col.1.l.32.	proprius	propius
p.135.c.2.l.41.	materiæ	formæ.
p.137.col.1.lin.1.	ſubſiſiere	ſubſiſtere
ead.p c.2.l.24.	ſoleat	ſolet.
p.141.c.1.l.31.	minor	maior
p.142.c.1.l.20.	palmam	primò
p 147.c.2.l.6.	aliud	aliquid
p.155.c.2.l.39.	poſſit	poſſint
p.162.co.1.l.2.	bi	ibi
p.169.col.1.l.7.	ſuo	Dei
p.170.c.1.l.31.	ſumpto	per ſe ſumpto
ead.p.c 2.l 20.	perfectionem	gratiam
p.178.c.1.l.30.	Chtiſtus	Chriſto
p.180.c.2.l.24.	alijs	alij
p.185 col.1.l.6.	infuſo	infuſi
p.187.c.2.l.2.	ab ſcientiam	ob ſcientiam
p.192.c.2.l.7.	in Tr.	in Tractatu
p.193.c.1.l.10.	transfigurationes.	transfiguratione
p.197.c.2.l.29.	& etiam	eo etiam
p 199.col.2.l.34.	hoc	hoc autem
p.200.c.2.l.1.	medio	medium
p 202.c.1.l.36.	viſionia	vi viſionis
ead.p.c.2 lin.7.	ſcientiam	ſententiam
p.205.c.1 l.9.	aſſetant	aſſerunt
ead.p.c 2.l.29.	ſupernaturalem eleuatus.	ſupernaturaliter eleuatam.
p.208.c.2 l.16.	vna.	& vna
p.210.c.1.l.11.	propriè	propriæ
p.221 c 2.l.34.	gratia	grata
p.212 c.1.l.6.	progreſſu	progreſſu
ead.p.c.2.l.31.	concquenter	conſequenter
ead.p.c.2.l.33.	ſper quam	per quam
ead.p.c.2 l.35.	produci	perduci
p 216.c 2.l.7.	conuertebat	conuertebant
p.224.c 1.l.29.	Phantaſiaſtos hæreticas	Phantaſiaſtas hæreticos.
p.228.c.1.l.16.	viſionis hypoſtaticæ.	vnionis hypoſtaticæ.
p.234.c.1.l.35.	potuiſſe	potuiſſe eſſe.
ead.p.c 2 l.32.	imputatur	imputaretur.
p.244.c 2.l.22.	alia	ab alia
p.245.c.1.l.5.	quod	quia
ead.p.c.1.l.9.	propter	præter
p 246.c.2.l.33.	in vtroque	in vno quoque
p.251.c.1.l.4.	poſſe,	poſſet
p.254.c.1.l.24.	potuit	non potuit
p.260.c.2.l.9.	plnara	plura
p.265.c.2.li.7.	fiberi	liberi
ead.p.c.2.l.8.	ſanctilicantis	ſanctificantis
p 267.c.2.l.22.	actionem	actione
p.272.c.2 l.28.	propter	propterea
ead.p.c.2.l.31.	propter	propterea
p.275 c.2.l.43.	illum opus.	vllum opus
p.276.c 1.l.21.	ſubſiſtere	ſubſiſtentiam

pag. 286

	Errata.	*Correctiones.*
p.285. c.2. l.15.	Theolоctorum	Theologorum
p.286. c.2. l.12.	terminandum	terminum
p.288. c.2. l.19.	ſupradictis	ex ſupradictis
p.289. c.1. l.31.	aſſumpſi	aſſumpſit
ead. p. c.2. l.28.	Dei	Chriſti
p.292. c.1. l.2.	capiebant	cupiebant
ead. p. c.2. l.10.	ergo	enim
p.298. c.2. l.38.	coperuit	coaptauit
ead. p. c.2. l.42.	mortes	morte
p.304. c.1. l.10.	debet	delet.
p.305. c.1. l.12.	debita	debitam
p.313. c.2. l.11.	ſeminalem	ſeminalem generationem.
ead. p. c.2. l.19.	mlpit	miſit
p.316. c.1. l.4.	ptopria	propriè
p.318. c.1. l.13.	eruus	ſeruus
p.319. c.2. lin.38.	Quære	Quæres
p.322. c.1. l.42.	ſentanea	conſentanee
p.323. c.1. l.5.	licet	libet
p.326. c.2. l.26.	veniſſen	veniſſent
ead. p. c.2. l.27.	iubliarent	iubilarent
ead. p. c.2. l.32.	alij	& alij.
p.329. c.1. lin.26.	natura	noſtra
p.336. c.1. l.14.	Id	ad
p.347. c.1. l.33.	eiq;	ſicq;
p.349. c.1. l.10.	virtutum	virtutem
p.350. c.2. l.27.	Diabol.	Diaboli
p.353. c.2. l.23.	eſt mediator	& mediator.
p.254. c.2. l.26.	Bellarminus	Bellarmino
p.358. c.1. l.27.	illi	alij.
p.362. c.1. l.24.	acerdos	Sacerdos
ead. p. c.2. l.25.	Melchiedech	Melchiſedech.
p.366. c.2. l.7.	prædeſtinatione	prædicatione
p.368. c.2. l.3.	accepiſſet	acceptaſſet
p.370. c.1. l.19.	dominium ei.	(Adde) dominiū ei cōmunicatū.
p.376. c.2. l.6.	venient	veniet
ead. p. col.2. l.37.	vendicabit	ventitabit
p.381. c.2. l.10.	& patet	vt patet
p.385. c.1. l.31.	pacis	panis
p.386. c.2. l.26.	quod	quo
p.387. c.2. l.11.	illucque	illumq;
p.389. c.1. l.7.	natus	natus eſſet
p.390. col.1. l.10.	Aliato	Aliaco
p.391. col.2. l.4.	Barr.	Baradium
p.397. col.1. l.18.	Vnica Propoſitio	Prima Propoſitio
ead p. c.1. l.35.	dirigendo	deſignando
p.401. c.2. l.27.	autem	tamen.
p.406. col.2. l.9.	quia	qua
p.407. c.2. l.11.	modm	modum
p.408. co.1. l.23.	eſſequendam	aſſequendam
p.410. c.2. l.37.	profeceris	profuerit
p.411. c.1. l.6.	præciſa	prænia
p.412. c.2. l.18.	Me vos	ille vos
p.117. c.1. l.19.	loquimur	ſi loquamur
p.418. c.1. l.11.	inſtrumentum	inſtrumento
ead. p. c.2. lin.41.	crediderunt	cognouiſſe
p.419. c.2. l.43.	præditos	præditas
p.421. c.2. l.19.	crucis impoſito	cruci impoſito
p.422. col.2. l.8.	triduo	biduo
p.424. co.1. l.31.	perſtitiſſe	præſtitiſſe
p.426. col.1. l.1.	anxiatatam	anxietatem
ead. p. co.1. l.23.	et per vbera	& qui vbera
p.434. col.2. l.1.	Sanctiſſimæ	Sanctæ.

Digitized by Google

Digitized by Google